STATE LIBRARY OF PENNSYLVANIA
3 0144 00376375 2

SR
878.4
T1173

PENNSYLVANIA
1745
STATE LIBRARY

C. CORNELII TACITI

OPERA OMNIA.

VOL. IX.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
This project is made possible by a grant from the Institute of Museum and Library Services as administered by the Pennsylvania Department of Education through the Office of Commonwealth Libraries

https://archive.org/details/vol3cornelliac00tac

C. CORNELII TACITI

OPERA OMNIA

EX EDITIONE OBERLINIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

JUSTI LIPSII EXCURSIBUS

RECENSU CODICUM ET EDITIONUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN NONUM.

LONDINI:
CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.
1821.

CAP. 10. *Qua occupandæ reip.*] Muret. *Quia.* Acidalius. Non improbo, tamen melius fortasse, *quia occupandæ.* Pichena.

Ob lacrymas incusabantur] Heu, misera conditio sub tyrannis: ubi nec liber, liberrimus affectuum, dolor. Claudianus hoc pulchre exprimit: ' tacitique sepultos Suspirant gemitus, indignarique verentur.' *Lipsius.*

Vescularius Fluccus] Male vulgo, *Atticus. Flaccus* enim bis nominatur l. II. *Pichena.*

Rhodum secuti] Forte: *e vetustissimis familiarium Rhodum secutis.* Gronovius.

Curtium Atticum] Equitem R. ex inlustribus, qui Tiberio comes Capreas: supra l. IV. *Lipsius.*

Curtium Atticum] Equitem ex illustribus, comitem secessus Capreensis. Supra l. IV. *Muretus.*

L. Piso Pontifex] Nescio an ex notis error; scribendumque, *Piso P. U.* id esset, Præfectus urbi. *Lipsius.*

CAP. 11. *Profectis domo regibus*] Ex his et sequentibus Cornelii verbis, P. Faber, illustris ingenii vir, censor scriptorum omnium optimus, emaculat Pomponii locum P. de origine juris, ubi de magistratibus. ' Quoties,' inquit, ' proficiscuntur, unus relinquitur, qui jus dicat, isque voeatur præfectus urbi: qui præfectus olim constituebatur: postea vero feriarum Latinarum causa introductus est.' Debet autem scribi, *qui profectis iis olim constit.* Scilicet, profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ut ait Tacitus. *Vertranius.*

Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium] At Livio primæ decad. lib. X. recensetur inter Pontifices tum e plebe creatos, *M. Livius Denter.* Rhenanus. Liber vetus: *Dentrem Romulium* habet. Forte *Livium* legendum ex T. Livio, lib. X. *Muretus.* Vel hic ex Livio, *Dentrem Livium*, est scrib. vel apud Livium ex Tacito, *Dentrem Romulium*, reponendum. *Ursinus.*

Numam Marcium] Patrem Anci Regis. *Muretus.*

Cillinium Mæcenatem] Dioni et Velleio, et ipsi Cornelio infra lib. XIV. Caius Mæcenas, est, qui in hoc loco *Cillinius.* Id confirmatur ex eo, quod in epistola familiari Augusti ad Mæcenatem sic scriptum, ' Cilneorum smaragde.' Unde qui *C. Mæcenatem Cillinium* a *Cilneis* dictum objicict, is me ita fere irretiet, ut vix effugere possim: sed non tamen manus ex eo dabo, donec illa verba epistolæ intellexero quæ apud Macrobium reperio Saturn. l. II. 4. Cæterum Italiæ et urbi præfectum Mæcenatem testatur idem Dio lib. XLIX. *Vertranius.* Scribendum *Cilinium Mæcenatem, &c.* unico L. Sic enim est in vv. cc. tum apud Tacitum, tum apud Macrobium in Lusibus Augusti, qui Mæcenatem appellat, *Ciliniorum smuragdum. Cilnium* autem, pro, *Cilinium* corrupte habent codices Liviani manuscripti, unde docti viri Tacitum emendari posse putarunt, cum potius ex Tacito, apud quem minus corruptum legitur hoc nomen, Livius emendandus fuisset. Neque vero apud Silium, repugnantibus præsertim omnibus libris, mutandum fuit *Cilinus*, in *Cilnius;* sed potius ex Silii versu debuit confirmari Taciti pæne incorrupta scripta. Nec etiam defuere qui ex antiqua inscriptione, quam subjiciam *Junium Mæcenatem* hic apud Tacitum scribendum putarint. Adeo fatale fuit, ut in *Mæcenatis* nomine non tantum oscitantes librarii, sed curiosi etiam antiquitatis viri sæpius fallerentur. Inscriptionis exemplum est:

C. IVNIO. THALATIONI
C. MÆCENATIS. LIBERTO
FLATVRARIO
SIGILLARIO
C. IVNIVS. EVOKATVS. FELIX
TIT. D. D. *Ursinus.*

Coërceret servitiu] Circumscribit

78682

potestatem Præfecturæ, quæ tamen aucta. Suadeo legas Dionem in Oratione Mæcenatis lib. LII. *Lipsius.*

Piso viginti per annos probatus] His non obstantibus (quanquam Herculi facilius cripiatur clava, quam emendatio doctissimo viro) *viginti* legamus, et interpretemur. Ille duo consulatus præteriit, nempe Longini et Quartini, Tiberiique et Sejani, qui nec Tacito (injuria temporis) dicuntur: quapropter ineunti numerum a principio Tiberii ad finem Pisonis, occurrunt 19. consulatus, quorum tempus viginti annis a Cornelio notatur, qui non morose tempora persequi solet. Vid. doctiss. virum in comm. ad illa lib. I. 'Ultra biennium:' et ad illa lib. III. 'Exin continua per viginti annos.' Parum quoque adversatur, quod objecit de Pomponio Flacco, nam hæc, *confestim detulit*, solum referri valent ad præfecturam urbis. Verum simplicius agam, concedamque uno eodemque tempore, illum Syriam, hunc urbem regendas accepisse. Quid enim erit impedimento ne dicamus Syriam bis a Flacco rectam fuisse? primum ante Mœsiæ curam, et eo ipso tempore, quo Piso urbem cœpit moderari, postea usque ad ejus mortem. 'Exin Flacco Pomponio Syriæ prætore defuncto.' Sic enim Cyrenius, sive Quirinius novem post annos plus minus Syriam præsens repetiit. Joseph. l. XVIII. 1. Antiquit. ἐπὶ Συρίας παρῆν ὑπὸ Καισαρος δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος qui jam cum Servator nasceretur, id muneris curaverat: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Quasi dicat, Cave, lector, existimes Dominum esse natum, cum post exilium Archelai Quirinius iterum Syriæ præses et censor designatus est: non enim ociose dixit. *Hæc descriptio prima.* Salmerius.

CAP. 13. *Silentium ipsius, non exile*] Solebat ipse Tiberius, quum res exigeret, populum edicto monere. Lib. I. 'populumque edicto monuit.' Lib. III. 'utque premeret vulgi sermones, monuit edicto.' Item reprehendere, et increpare lib. V. 'increpavitque per edictum plebem.' L. XIV. 'Tum Cæsar populum edicto increpuit.' At nunc, quia non Tiberii, sed Consulum edicto facta est castigatio, silentium ipsius ad superbiam trahebatur, quasi populus ab imperatore suo despiceretur. *Pichena.*

CAP. 14. *At Rubrio Fabato*] In veteribus denariis nominatur *ROSCIVS* quidam *FABATVS.* Sed non putamus ex ejus denarii auctoritate quicquam apud Tacitum mutandum esse. *Ursinus.*

Sanus repertus] Quasi dicat illuc tantum itare solitos ægros? Suspecta lectio. Mercero placebat, *sane is.* Lipsius.

Sanus repertus] Leg. puto, *sane repertus.* Muretus. Bene monent corruptam lectionem. Rescribe; *sane is repertus apud fretum Siciliæ.* Accusatus Rubrius desperasse de rebus Romanis, et parasse perfugium ad Parthos. Sane, inquit Tacitus, ad fretum Siciliæ captus, retractusque nullam itineris probabilem causam reddebat; unde fides, verum crimen objici. *Sane,* ita sæpe in usu Tacito. Paulo post, 'sane vetus urbi fenebre malum.' *Mercerus.* Faërnus corruptum locum ita restituebat: *Sane is repertus apud fretum Siciliæ.* Ursinus. Olim non dissimilibus Scripturæ vestigiis; emendari, *Nam is repertus.* Felicius Mercerus, *Sane is repertus.* Pichena. Lego *Messanæ is repertus.* Lucill. in frag. 'sæpe quod ante Optasti, freta Messanæ et Rhegina videbis.' Silius: 'Incumbent Messana freto minimumque revulsa Discreta Italia atque Osco memorabilis ortu.' *Aurelius.*

CAP. 15. *Ser. Galba L. Sulla*] His Consulibus Christus dominus in Crucem sublatus est, qui fuit annus ab U. C. 786. *Muretus.* Atqui in eburnea

tessera, quæ apud me est, habetur. *L. SVLP. L. SVLLA.* Quid igitur? erratum dicemus apud Tacitum? Non puto: nam Sulpiciam gentem duobus simul prænominibus usam fuisse, *Lucii et Servii* diximus in familiis Romanis ad denarium *L. SERVII. RVFI*, qui cum ex Sulpitia esset familia, duobus his prænomiuibus, ut ibi notavimus, usus est. *Ursinus.* Duobus simul prænomiuibus usum quemquam privatum Romæ temporibus istis, nedum gentem, putare est βεκκεσελημίζειν, et nostros mores miscere antiquis. Galbam autem non simul Lucium et Serviuni vocatum, sed *mutato prænomine* cum Servius a patre appellatus esset, adoptatum a noverca *pro Servio Lucium usque ad tempus imperii*, dein rursus omisso Lucio Servium *usurpasse* prænomen, testis Suetonius. *Gronovius.*

L. Cassius] *et Pomponius sine culpa. Tu modo ex breviario lib. v. tolles Quartini nomen, quod Lipsius addidit, credulus fastorum concinnatoribus. *Mercerus.* Adde Rupertum Epist. 29. pag. 140. et Reinesium Epist. 32. p. 160. Rursusque Rupertum Epist. 35. p. 199.

M. Vinicium] Is est, de quo vetus interpres Juvenalis Sat. 1. in his verbis: 'Pone Tigillinum. Verum admodum pulcher in concubinatum a Biutio et L. Domitio maritis Agrippinæ et Fulviæ sororum Cæsaris,' &c. Male *Bintio* pro *Vinicio* et *Fulviæ* pro *Juliæ* scribitur. Fratrem habuit L. Vinicium, qui exactissimi ingenii vir nec pati nec dicere poterat ineptias, ut Seneca pater testatur. *Aurelius.*

Calibus ortus] Hic est M. ille Vinicius (placet aliis Vinucius scribi, etsi Dio semper, Οὐϊνίκιος) ad quem historiam suam Velleius misit, cuique indecore et serviliter blanditur. Produxit vitam ad Claudium, et a Messalina, quia pudorem servavit, interfectus. Habes in Dione libro extremo. Pater ejus Publius, Consul anno urbis DCCLV. Avus Marcus, anno DCCXXXV. *Lipsius.*

Calibus ortus] In Campania. Hodie vulgo *Calvi.* Muretus. Calenum oppidum a Plinio appellatur, et Romanorum colonia fuit, teste Velleio lib. 1. *Pichena.*

Facilitate sæpius] Dubito an melius, *felicitate.* Pichena. Non audiendus vir doctus, qui hic dubitat substituere *felicitate.* Facilitas est comitas quædam, et vere ea ipsa quam Galli *complaisance* vocant: quæ industriæ tanquam rei severæ opponitur, sic accipitur *facilis* supra IV. 2. 'facili Tiberio,' h. e. obsequente, facile adsentiente; et v. 1. 'facilis uxor;' et in loco qui magis etiam illustret nostrum, in vita Agric. 40. 'Ut militare nomen [rem horridam] temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis.' Sic etiam *facilitatem imperii* dixit Agric. 3. *Freinsh.*

Admodum vagis] Nescio an melius, *vanis;* ut caussas dicat futiles levesque. Tamen non male, *vagis:* quasi alienis et parum certis. *Lipsius.*

Causis admodum vagis] Placeret magis, *vanis;* nisi illud, *vagis*, sit verbum Tacito familiare, ut pleraque alia, quæ ab exoleta prorsus antiquitate sumsit. *Ursinus.*

Ob Remp. cœptas] An magis, *captas*, an cum Mureto, *susceptas?* Lipsius.

Offensiones ob remp. cœptas] Muretus *susceptas.* Certe melius. *Acidalius.* Faërnus legebat: *et offensiones ob remp. captas*, non *ceptas*, vel, ut alii reponunt, *susceptas.* Quod tamen non esset æque improbandum. *Ursinus.*

Secum introirent] Ad hoc exemplum Claudius idem postea petiit, teste Sueton. 12. *Pichena.*

Ambigens patriam] Beato placuit, *ambiens.* Vulgatam tueri videtur, quod supra scriptum: 'Campaniam prælegebat, ambiguus an urbem iutraret;' ni suspecta esset dictionis novitas. *Lipsius.*

Ambigens patriam et declinans] Æmylius tentavit legere, *ambiens:* ego ma-

lim sic positum, *deviis plerunque itineribus ambigens et patriam declinans.* Vel sit transposita copula de industria, ut alibi sæpe. *Vertranius.* Immerito suspecta est Lipsio novitas hujus dictionis. Neque in Tacito versatissimus ignorare debebat, id in Tacito haud esse novum: eum brevitatis ubique studiosum, ne idem nomen repetere, periodosque nimium extendere, necesse habeat, duobus verbis, quæ casus alias diversos requirerent, aut mutatam phraseos rationem, unum tantum, et uni tantum verbo proprie convenientem casum vel phrasim permittere. Ut hoc loco. Proprie dicimus, *declinans patriam:* improprie, *ambigens patriam.* Usitatius foret: *ambigere de intranda patria.* Quod hic vult Tacitus. Sed quia ea loquendi ratio interciperet affectatam ubique nervosamque brevitatem: unius casum tribuit utrique verbo, qui tamen proprie convenit, *τῷ declinans.* Nihil apud hunc Scriptorem frequentius. Et in ejus lectione continuo hærebit, qui id non observat. Ex infinitis, unum modo hue conferam exemplum. Annal. II. 'Enimvero, [Rhescuporis est, de quo loquitur,] audita mutatione principis, immittere latronum globos, exscindere castella, causas bello.' Illa, *causas bello,* reguntur a *τῷ immittere.* Interim proprie dixeris: *immittere latronum globos:* minus proprie: *immittere causas bello.* Nihilominus et *causis belli et latronum globis,* tribuit unicum illud vocabulum *immittere,* ne nimirum longior sit. Vides non esse has in Tacito novitates: neque illas cuiquam reddere debere vulgatas lectiones suspectas: sed vero esse genuinas ipsasque elegantias Cornelianæ brevitatis. *Boxhornius.*

Cap. 16. *Qui pecunias fenore*] Ex fenore plurimæ et gravissimæ seditiones exoriri solent: nam qui fenori pecuniam accipiunt, dulcedine præsentis pecuniæ illecti, neque quid postea futurum sit cogitantes, indulgent cupiditatibus suis: neque prius de calamitate sua cogitant, quam exuti patrimonio, et omnibus fortunis eversi, novas res, si possunt, moliri, et de vertenda quoquo modo rep. consilia capere cogantur. Propterea diligentissime cavendum est, ne crescat æs alienum in civitate. Plato lib. VIII. de legibus, non censet, &c.*

*Tabulæ implentur. Itaque Persæ, ut est apud Herodot. omnium peccatorum gravissimum esse ducebant, quidquam cuiquam debere. Et Plato l. XI. de Leg. prohibet, ne quid ematur in diem: sed omnia præsenti pecunia: aut ne ulla sit actio ad pecuniam petendum. Itemque sanxit, si quis pecuniam mutuam dederit, ne eam ab invito exigere possit. Sed et a Charonda institutum, et apud quosdam Indorum populos olim observari solitum legimus apud Stobæum λόγῳ μ. Sed et lege XII. Tabul. obærati habebantur in nervo et compedibus, vendebantur: si plures unius creditores erant, qui solvendo non esset, licebat eis corpus ejus dissecare, et inter se partiri. Quæ tam horrenda, tamque atrocia lege nominatim permissa erant, ut deterrerent homines ab ære alieno contrahendo. Sed tamen in eredenda pecunia aliquid humanitatis est, et natura ipsa nos monet, ut cum amicis egentibus, quemadmodum aliarum rerum, sic pecuniæ quoque numeratæ usum communicemus: idque etiam Deus ipse facere nos jubet. Sed adversus naturam est poscere, ut nummus nummum gignat; vereque affirmat Aristoteles I. Politic. fenus naturæ adversari. Is enim qui alteri fenerat, specie beneficii, eum cui gratificari videtur, evertit. Itaque eleganter S. Ambrosius ait, non multum interesse inter *Fenus* et *Fanus:* inter *Sortem* et *Mortem.* Cumque sortem feneratores *Caput* vocare soleant, eos qui illorum retibus involuti tenentur, esse capitis reos. Hæc igitur de Fenore *καθόλου*: de quo videndus est lib. S. Ambro-

sii de Tobia. S. Basilius in Psalmum XIV. Plutarchus in lib. περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι. Nunc quæ a Tacito dicuntur singillatim consideremus. *Muretus.* Sed nummum non esse rem sterilem, de Usuris cap. 8. nec fœnus naturæ adversari, cap. 10. contra Aristotelem probat *Salmasius.*

Vetus urbi fenebre malum] Hoc e T. Livio et Halicarnasseo cognosci potest. *Muretus.*

Duodecim tabulis sanctum] At eam sanctionem Livius ad M. Duellium Trib. pl. refert post XII. tabulas, aliquot annis. Lib. VII. ' C. Marcio, Cn. Manlio Coss. de unciario fœnore a M. Duellio Tribunopl. rogatio est perlata: et plebs aliquanto eam cupidius scivit, accepitque.' *Lipsius.*

Unciario fenore] Quid sit *unciarium fœnus*, minime inter se consentiunt interpretes. Carolus Sigonius de antiq. jure Roman. lib. II. c. 11. illud ad centesimam refert, id est, eum pars sortis centesima singulis mensibus penditur: contra Muretus, nec non Antonius Augustin. de legibus et S. C. ad legem Duiliam Mæniam, unciariam usuram esse contendunt, centesimum nummum in annos singulos: ea maxime ratione ducti; quod illius legis perlatio, ' læta plebi, ingrata patribus' divitibusque fuerit, ut testatur Livius lib. VII. Mihi Sigonii sententia magis probatur. Adeo enim apud antiquos Romanos fœneratorum sævitia creverat, ut minime mirer, pro usura levi fuisse, unum pro centum in mensibus singulis. Ac de usuræ quidem enormitate, passim apud eundem Livium querelæ seditionesque plebis: præsertim lib. VI. ' se multiplici jam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris, obrutum fœnore esse.' Et quod *unciarium fœnus* plebi fuerit grave, argumento sit, quod deinde ad *semunciarium* redactum fuit, eodem Livio teste. Præterea satis constat, solitum fœneratoribus, usuras singulis mensibus exigere, et ideo menstrui exactores dicti. Hinc apud Aristophanem in Nubibus, quidam debitor facete optat Lunam cœlo detrahere, atque asservare: nam si ea nunquam oriretur, is nunquam usuras persolveret: et Basilius in Psalm. XIV. ait, a debitoribus timeri menses, velut usurarum patres. Vide Plutarchum de vitando ære alieno. *Pichena.* Rectius Muretus et Anto. Augustinus, quibuscum concordat et Sigonius. Vide quæ scripsimus Antexegesi priore de Centes. Usuris et fœnore unciario p. 63. et seqq. *Gronovius.*

Dein rogatione tribunicia] Decem annis post illam Duellii. Livius: ' T. Manlio Torquato, C. Plautio Coss. semunciarium tantum ex unciario fœnus factum.' *Lipsius.*

Postremo vetita versura] Lege Genucia, sex annis post Duiliam. Livius lib. VII. Itaque sæpe postea multati sunt fœneratores, qui et puniebantur pœna quadruplici, cum fures tantum duplici condemnarentur. M. Cato, initio rei rusticæ. *Muretus.* Rectius *usura:* quod idem Muretus credo voluit, cujus in libro sic jugulatas priores literas inveni, *versura.* Acidalius. Error Acidalio communis cum doctis hominibus multis, qui parum ceperunt, quid esset veteribus *versura*, etiam postquam id planissime docuerat Salmasius. Vide Antexegesin posteriorem p. 162. et seqq. *Gronovius.*

Obviam itum fraudibus] Fraudem quomodo facerent, cum in socios nomina transcriberent, cognosces ex Livio lib. XXXV. *Muretus.*

Et concedente] Sic ferri potest: mallem tamen, *eo concedente.* Pich.

CAP. 17. *Duas quisque fenoris partes*] Hae de re Sueton. Tiber. 48. ' Per SCtum sanxit, ut feneratores duas partes in solo collocarent: debitores totidem æris alieni statim solverent.' Sic Plinius VI. Epist. de Senatu suorum temporum: ' Patrimonii tertiam par-

tem conferri jussit in ea, quæ solo continerentur.' Capitolinus de M. Antonio: 'Jussit ut Senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent.' Fortassis igitur hic quoque lege *patrimonii*, aut 'duas quisque fenoris partes solveret: duas patrimonii in agris per Italiam collocaret.' *Muretus.*

Pecuniam mercandis agris condiderant] * Vide quæ scripsimus ad hunc locum in Mantissa Pecuniæ Veteris c. 1. p. 105. *Gronovius.*

Famam præceps dabat] Nisi sit phrasis Tacito familiaris, scriberem: *ac famam in præceps dabat.* Ursinus. Muretus addit *in præceps*, recte. *Acidalius.*

Disposito per mensas] Ex ærario. Leg. autem est, *millies sestertium* ex Suetonio: qui sint M. CCCC. scutata monetæ. *Muretus.* Legendum: *Millies sestertium*, non, *sestertio:* quod mendum sæpe apud Tacitum irrepsit. *Ursinus.* Immo legendum, ut est in scripto et editis, *millies sestertio*, non *sestertium:* quo de genere et superius mentio facta est. *Gronovius.*

Prædiis cavisset] Vocem, *prædiis*, non sperno: tamen ambigo, num verius, *prædibus.* Livius lib. XXII. utrumque complexus est: 'dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibusque ac prædiis cavendum populo censerent.' *Pichena.*

CAP. 18. *Pater quoque illustris*] M. Pompeius, procurator Asiæ. Strabo lib. XIII. *Muretus.*

CAP. 19. *Magnitudinem pecuniæ malo vertisse*] *Vertisse malo*, pro, in malum. *Rhenanus.*

Aurariasque ejus] Faërnus pro vulgatis legebat, *argentarias ejus*, deleta copula, *que.* Ursinus. Copulam in voce *aurarias* saltem delet Muretus: nec forte quid amplius decst, ut suspicantur. *Acidalius.*

Inritatusque suppliciis] Id est, supplicationibus reorum, ac periclitantium. Sic lib. I. 'Sed tum supplicia diis, ludique magni ab senatu decernuntur.' Pichena. Quis autem pro Cæsaris hostibus supplicare auderet? Potius *suppliciis* est sanguine, cæde. Significat crudelitatem ejus non exsatiatam multitudine punitorum, sed ultro incitatam, ut grassari cuperet in plures. *Gronovius.*

Jacuit immensa strages] *vigilans leget. Menda numerorum in Suetonio plura, et quædam magnæ rei; ut Nerone, cap. 12. 'Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos Senatores, sexcentosque equites Romanos.' Quadringenti Senatores, dimidia Senatus pars: quos omnes depugnasse in arena, fuge credere. Corrigo, *quadragenos.* De equitibus etiam malim, *sexagenos:* firmante conjecturam Dione, qui auctor est pugnasse tantum equites triginta. Simile in Claudii, c. 32. 'Convivia et ampla et assidua agitavit, ac fere patentissimis locis, ut plerumque sexcenteni simul discumberent.' Scribo, *plerumque sexageni.* Sexcenti convivæ, epulum publicum, non convivium. Plura hujus generis alias. Statim etiam in Taciti verbis lego, *intereiderat sortis hu. commercium vi, metu.* Lipsius.

Jacuit immensa strages] 'Viginti uno die abjecti, tractique: inter eos pueri ac fœminæ.' Sueton. Tib. 61. sed lego, *ducenti*, non, *viginti.* Muretus.

Aut aggerati] Ex manuscripto reposui, *aggerati.* Vulgo, *aggregati.* Pichena.

Vi metus] Lipsius, *vi, metu.* Sperno: noster enim περιφράζεται, et describit intensum metum, qualem sævissimi Tiberii mores minabantur, τὸ *vis* profecto non mediocriter auget. Plaut. Truc. 'Quique vim magni doloris per voluptatem Tuam condidisti in corpus.' Cæterum benignius cum his agebatur, non cogebantur enim amicorum cadavera calcare: at pœna præsens iis qui Sejanum ludibrio non habuissent. Juven. Sat. X. 'Quam

timeo victus, ne pœnas exigat Ajax,' &c. Victus Ajax (ut hæc obiter explanem) Tiberius est, qui furit in greges innoeentum, ut ille, post armorum judieium, in mandras peeudum. Ex his satis apparet, quam vere dixerit ille, Brutum et Cassium *ultimos Romanorum* fuisse: et Juvenal. 'Unde Hæe tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes.' Neminem tunc temporis inventum esse, qui illum novum Creontem sic affaretur. *Salinerius.* Nunquid coneimius, *vi, metu.* Freinshemius.

Cap. 20. *Qualem diem*] Corrupte. Videntur verba huc tralata ex pagina sequenti: 'quem tum annum, qualem diem haberet.' Vertranius eonatur, *qualem die Tiberius:* hoc sensu; Caligula talem habitum induebat, qualem Tiberius quoque die induisset. Conjeetura, quam ego non emerim sestertio nummo. *Lipsius.*

Qualem diem Tiberius induisset] Scribo, *die:* hoe sensu; Caligula talem habitum induebat, qualem Tiberius quoque die induisset; alias ineognita dicendi forma est, *diem induere.* Vertranius. Loeus insigniter depravatus. Forsitan leg. *quali Tiberium vidisset.* Muretus. Qualem diem in re Mathematiea quis se habere scit, eui notum est, quid boni malive in eo sibi portendatur. 'Interrogatus an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum qualem diem haberet.' Et qui huic vanitati credulus est, hilarem felici, tristem infeliei se fert. Tiberius igitur, qui Matheseos peritus erat, 'Scientia Chaldæorum artis eujus apiscendæ otium apud Rhodum, magistrum Thrasullum habuit, prævisa diei qualitate lætus aut severus incedebat: at Caligula qui se totum in imitationem Tiberii eomponebat, affectus, quos ille vultu prodidisset, suo delineabat et exprimebat. 'Induere diem,' ut, *induere diversa, induere soeietatem, induere seditionem.* Salinerius. Puto diducta leviter compendiaria seriptione serenatum hoc omne nubilum: *qualem dicerem Tiberius.* Talem se Tiberio præbuit et animo et verbis Cæsar Caligula, qualem omnino simili casu ipsum imaginor Tiberium. Vel denique *diecm* pictum antique fuit, pro *dicam.* Veteres enim *faciem, dicem,* pro *faciam, dicam,* scripsisse Fabius annotavit. *Isac. Pontanus.* Deponit hunc locum Lipsius. Quantum sententiam assequor, ea fuit, ac si scriptum, *non exsilio fratrum rupta voce, vultu, qualem Tiberius induisset, pari habitu, &c.* Quæ vox exeidere faeillime quidem potuit. *Acidalius.* Nullo sensu hæe scripta sunt; nec dies induitur. Et medicum hæc plaga poscit. Repono: *Qualem chlamydem induisset pari habitu.* Sie Tertull. in Pallio: 'Qualem ehlamydem disperdit?' nam aueupium est aplieorum ea diligere, et seetari, quæ prineeps. *Aurelius.* Hanc sententiam vidit Vertranius, rejecit autem Lipsius, joeatus in eam insuper; mihi vero alia nulla quærenda existimatur, aut sane non cavillo sed argumentis hujus absurditas demonstranda. Legendum vero: *Qualem in diem Tiberius induisset, pari habitu.* Nee sane de vestitu eapere hane sententiam coaeti sumus; cum habitus oris etiam, vultus, et omnium affectuum, quatenus vultu illi elucent, signifieari possit. Sed nee in altero qnippiam est alienum bona mente. *Barthius.* Dixi Observ. lib. 1. 2. non modo nihil hie esse mendi, sed et verba exquisita. *Qualem diem induisset:* id est, qualem animum vultumque quoque die sumpsisset vel gessisset Tiberius, talem et ipse induens ac præ se ferens. *Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν, &c. Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι. Gronovius.*

Et tu, Galba] Hoc de Consule Tiberius: at Suetonius de puero refert, 'Augustum apprehensa ejus buecula dixisse, *καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παραγεύσῃ.*' Quæ sunt ipsa, quæ hie Tiberio adseribuntur; quod

idem cum nostro et Dio facit. Ita censeat aliquis Suetonium vel alios auctores secutum, vel memoriola lapsum: et si potuit uterque diverso tempore prædixisse, sed itane verbis iisdem? *Lipsius.*

Et tu, Galba quandoque] Καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παραγεύσῃ. Sic Turnebus apud Suetonium legit, in Galba ex Dione, IV. Xiphilino et Josepho. At Suetou. hoc dictum tribuit Augusto: Dio et Joseph. Tiberio. *Muretus.* Apud Suetonium ex mel. libb. jam legitur παρατρώξῃ.

CAP. 21. *Super negotio consultaret*] Man. *super ta negotio:* forte, *super tali negotio,* vel, *super eo negotio:* id est, præscientiæ. Sic lib. II. 'super eo negotio diversas sententias noscere.' *Pichena.*

Quantum introspiceret] Lege, *quanto.* Acidalius.

Præscium periculorum et incolumem] Malim, *præscium periculorum, sed incolumem.* Idem.

CAP. 22. *Fatone res mortalium, et necessitate*] Chrysippus apud Gellium VI. 2. * sed optime Homerus: Ὦ πόποι, οἷον δὴ νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. Scripserunt de fato, Chrysippus, Zeno, Cicero, Plutarchus, Alexander Aphrod. omnium optime S. Thomas, et libello proprio, et in I. part. q. 116. Vide et commentarium nostrum in Catilinarias M. Tullii. *Muretus.*

Creberrima et tristia] Non dubitem legendum esse, *creberrime tristia.* Freinshemius.

Plurimis mortalium non eximi] Puto leg. *non eximas.* Muretus. Vulgo, *non eximi:* quod rectum videbatur, ut a superiori verbo, *putant,* regeretur. Sicuti etiam sequentia verba, *cadere* et *corrumpi.* Lipsio, *non eximis,* magis placet. At mihi Manuscripti lectio, *non eximitur.* Pichena.

Ei antiqua ætas et nostra] Exciderat in editis primum, *et,* quod ex Man. reposui. *Idem.*

A filio ejusdem Tirasulli] Est et apud Xiphilinum; et prædictum etiam, fore ut matrem interficeret; nisi quod Astrologum ipsum non nominat. Sic mors prædicta Vitellio ab Astrologis. Sic prædictum imperium Vespasiano ab Josepho. Sic mors Domitiano prædicta ab Ascletarione, et a Proculo Longino. Innumerabiles ejus generis prædictiones in veterum libris leguntur: sed valeat dictum Diagoræ. *Muretus.*

CAP. 23. *Sponte vel necessitate*] Tacito magis familiare fuisset, *Sponte an necessitate.* Ursinus.

Mandendo e cubili tomento] Idem Suetonius narrat. *Muretus.*

Descriptum fuisse] Muretus, *præscriptum.* Lipsius.

Descriptum fuisse Macroni] In v. c. habetur, *præscriptum.* Ursinus. Lege, *præscriptum.* Et sic Muretus. *Acidalius.* Mallem cum Mureto, *præscriptum.* Sic lib. I. 'patris jussa simulabat, quibus præscripsisset Tribuno.' *Pichena.*

CAP. 24. *Nurum, filium fratris, et nepotes*] Hæ voces non habent cum quo jungantur. Nec satis scio verbum perierit, an Tacitus ipse subintelligendum omiserit. *Acidalius.* Vulgo, *filium fratris:* reposui copulam, *que,* ex Man. *filiumque fratris.* Pichena.

CAP. 25. *Agrippina æqui impatiens*] Plane non verum credo, *æqui impatiens.* Nec satis video quid substituam; nisi forte *regi,* vel *jugi impatiens.* Acidalius.

Actæ ob id grates] Non principi, sed diis, ob cædes scilicet Drusi et Agrippinæ: adeo infelix vilisque illorum temporum servitus et adulatio. Tac. l. XIV. in fine, post Octaviæ cædem: 'Dona ob hæc templis decreta: quod ad eum finem memoravimus, ut quicunque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus nos-

cent, præsumptum habeant, quotiens fugas, et cædes jussit princeps, totiens grates Deis actas, quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuisse.' Lib. XV. 'Alius alio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates Deis, ornare lauru domum.' Tamen ipsis etiam principibus grates ob eadem agebantur. Supra l. III. 'Addiderat Messallinus, Tiberio, et Augustæ, et Antoniæ, et Agrippinæ, Drusoque, ob vindictam Germanici, grates agendas.' *Pichena.*

Ut quinto decimo] In v. c. habetur: *Ut a. d. quintum decimum.* Nam in vulgatis desunt notæ A. D. *Ursinus.*

CAP. 27. *Flacco Pomponio*] De eodem Suetonius c. 42. Tiberii: *Postea princeps, &c.** Ubi aliquot libri, *Pompeio Flacco:* male, est enim ille ipse, qui ante XV. annos Mœsiæ præfuerat. Tacit. l. II. *Lipsius.*

M. Lepidus] Iterum, *Manius.* Idem.

In prioribus libris satis conlocavi] Cum ait, *in prioribus libris*, quartum indicat, huic proximum atque conjunctum: quamobrem suspicor culpa temporum ex libro V. et VI. unum extitisse nobis quintum hunc librum; præsertim cum omnia desiderentur, quæ ad Sejanum pertinent: quæ longo ordine verisimile est pro diligentia et cura scriptoris tractata fuisse: ideoque supra de Agrippina: 'Eodemque,' inquit, 'die defunctam; quo biennio ante Sejanus pœnas luisset.' Et infra: 'Quamquam triennio post cædem Trajani.' De quo, quamvis exiguo, et prope non contemnendo, admonitum tamen esse lectorem volui. *Ferrettus.* Verbum *conlocavi* de mendo suspectum. *Muretus.*

CAP. 28. *Paullo Fabio, L. Vitellio Coss.*] Dio, Solinus, Plinius, biennio posterius venisse eum volunt, Q. Plautio, Sex. Papinio Coss. Vereor ut stare sententia Taciti possit, contra tot testes. Nota autem ex Dione hos ipsos Consules post celebrata decennalia Tiberii pœna adfectos: quod tacuit noster. Ex quo non vane dixerim, narrationi huic annali deesse quædam. Non enim Consulum supplicium certe omisisset. *Lipsius.*

Et ore ac distinctu] Ingeniose alioqui Pichena, *colore ac.* Lipsius.

Et ore et distinctu pinnarum] Recte, tamen suspicor, *colore, ac distinctu pinnarum.* Pichena.

Formam ejus definiere] Man. *deffinere*, sed litera, *d*, a recenti manu; unde legendum censco, *effinxere.* Pichena.

Sexaginta unum] Nimis minutum aut curiosum de *uno* anno. Itaque Muretus sententiam expedisse mihi videtur: *sexaginta: unum in terris.* Neque enim probabile, hoc omissum, de unitate. *Lipsius.*

Mille quadringentos sexaginta unum interjici] Ex Plinio, DCLX. Dein fort. *in terris.* Muretus. Totum hunc Taciti locum de ave Phœnice mirum in modum illustrant, quæ scribit Achilles Statius Alexandrinus l. III. de Leucippe, et Clitophonte. Suspicor autem in Taciti verbis illis, *mille quadringentos sexaginta unum interici*, duo mendo subesse: unum, factum ex notis obscurioribus; quæ cum essent CDLX, a librariis mutatæ sunt partim, in DLX, partim in CIↃCDLX. addita nota CIↃ. ad eam summam, quam Tacitus ediderat, CDLX. Cujus additionis causa apparet fuisse ignoratio CD. quam librarius putavit esse, CIↃ. Plinius certe X. 2. edit annos DCLX. nisi et ipse ex hoc Taciti loco emendandus sit. Alterum mendum putamus esse in verbis illis, *unum interici*, pro quibus scribi posset, *unum in terris, &c.* Ursinus.

Soside primum] Legendum arbitror, *prioresque alites Sesostride primum, &c.* quod alii etiam notarunt. *Muretus.*

CAP. 29. *Qui de se statuissent*] Non mirum, quia ne damnati quidem, nec peracti rei. Dio hæc omnia exprimere voluit, in actis anni DCCLXXXIV. Ἔς τε τὴν ἀγορὰν τὰ σώματα ἁπάντων ἐῤῥίπτετο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν

ἐνεβάλλετο. Ἤδη δὲ καὶ ὅπως οἱ παῖδες τῶν οὐσιῶν αὐτοὺς κληρονομῶσιν· ubi puero mendum clarum, scribendumque, μὴ κληρονομῶσιν, inserta voce. Ideo enim abjecta, &c.* *Lipsius.*

Morem fuisse majoribus] Notabilis mos hic est amicitiæ renuntiandæ: cujus et Suetonius meminit Calig. III. ex quo veteres bellum indicturi, renunciabant amicitiam per legatos, missos rebus repetendis, ut est apud Livium l. XXXVI. ab initio et XLII. Illoque respicit Cornelii scriptum sup. l. II. ubi de Germanico ad Pisonem: 'Componit epistolas, queis amicitiam ei renunciabat.' Similisque fuit, ni fallor, hospitii renunciatio, ut de Badio Campano palam omnibus renunciante hospitium Crispino, testis Livius XXV. et apud eundem XXXVIII. 'Decernitur renunciandam societatem Achæis.' Sane scripto, qui dirimeret amicitiam, denunciabat: hoc colligo ex Seneca ad Lucilium Ep. 77. 'Inimicitias,' inquit, 'mihi denuncias, si quicquam ex iis quæ quotidie facio, ignoraveritis.' Inde legitur apud eundem de benef. l. II. 'indictum odium.' *Vertranius.*

Interdicere domo] Sen. de Ira l. III. 23. 'Sæpe illum Cæsar monuit, ut moderatius lingua uteretur: perseveranti domo sua interdixit.' *Pichena.*

Mamercus dein Scaurus] Dio hunc vocat *M. Æmilium Scaurum.* Sed male. Inscribebatur illa tragœdia *Atreus.* At Tiberius, 'Ego,' inquit, 'illum Ajacem efficiam.' Vide Dionem. *Muretus.*

CAP. 30. *Ac tamen accusatores*] Dio: τούς τε ἐπιβουλεύοντας τῶν τὰς κατηγορίας ποιουμένων ἀποθανεῖν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκέευσε. *Muretus.*

Pecuniam a Vario Ligure omittendæ delationis ceperant] An ipsum Ligurem deinde accusarunt, ab eodemque corrupti, delationem omiserunt? Potius puto, a Ligure eos pecuniam acceepisse, ut ab aliqua accusatione desisterent. *Pichena.*

Modicus severitate] Placeret magis, *modicus severitatis:* nihil tamen mutandum esse censeo. Potest enim esse phrasis Tacito familiaris. *Ursinus.*

Indicium mortis] Quin potius *judicium:* hoc ait, se perinde accepturum successorem sibi submitti, quam capitis reum se judicari, eaque causa evocari ut supplicium de se sumatur. *Freinshemius.*

CAP. 31. *Non despectum id apud barbaros*] Xenophon παιδείας lib. VII. Claudianus in Eutropium. *Muretus.*

CAP. 32. *Modo cupidine vindictæ inardescere*] Desideratur alterum *modo:* inferendum Muretus quoque vidit: *Artabanus modo turdari metu, modo cupidine vindictæ inardescere.* Acid.

Instituta Parthorum resumit] Vulgo, *sumit;* Ms. corrupte quidem, *insumit.* Sed veram lectionem indicavit, *resumit;* scilicet post longam desuetudinem. *Pichena.* Ms. habet, *insumit.* Tacitus scripsit, *induit.* Sic passim solet. *Boxhornius.*

Recuperandæque Armeniæ] Regio est Asiæ ad Caucasum. Strabo l. II. *Muretus.*

CAP. 33. *Urbe Artaxata*] Malim, *urbem.* Tamen et Artaxatam et Tigranocertam priore numero, noster aliique scripserunt. *Lipsius.*

Et urbe Artaxata potiuntur] Sic Manuscripti fide: at vulgo, *urbem.* Sæpissime enim Tacitus verbo, *potiri,* sextum casum jungit, quartum non memini: nisi forte lib. XI. ubi vulgati habent, *potitusque regia;* in Flor. legitur, *regiam,* quod de Vat. vulgari testatur etiam Lipsius. *Pichena.*

Albanos] Hi vicini sunt Iberis. *Muretus.*

Accipere Sarmatas] Profecto fuit, *accire Sarmatas:* id est, arcessere et advocare. *Lipsius.*

Accipere Sarmatas] Asiaticos Tartaros. Europæi sunt Russi. In heptarchias divisam fuisse regionem illam, testatur etiam Strabo. *Muretus.* Puto *accire.* Gronovius.

Quorum sceptuchi] Sceptrigeri, ut ita dicam, quod ad principes regesque refertur. *Ferrett.* Id est reges, sic et Homero dicti, quod sceptrum gererent, ut scribit Suidas. *Vertranius.* Rectius *sceptuchos* quam *sceptruchos;* quomodo vocantur Straboni l. XI. *Freinshemius.*

CAP. 34. *Sæpe, modum obsidii*] Adde præpositionem: *sæpe in modum.* Voluit ita quoque Muretus. *Acidal.*

Ignobilem Iberum mercenario milite disserebat] Malim hercle, *ignobilem Iberum, mercenarium militem disserebat.* Acidalius.

Disserebat] Magis pro sententia esset, *differebat.* Lipsius.

CAP. 35. *Modo equites tres prælii more*] Castigavi, *modo equestris prælii more.* Rhenanus. V. c. habet: *modo equites tres prælii more*, pro, *equestris prælii more*, ut est in vulgatis. Sed lectio libri manuscripti videtur mendosa: cum vulgata confirmetur loco Livii, apud quem ita legitur l. XXI. 'Minime equestris modo pugnæ,' &c. Quod ideo dictum est a Livio, quoniam equitibus, ut Polybius ait, neque convertere se, neque iterum in hostem procurrere licebat. *Ursinus.*

Frontis et tergi vices] Scribo, *vice:* et sententiam expedio. A Sallustio, &c.* *Lipsius.*

Frontis et tergi vices] Id est, vicissitudines. Exaudiendum autem verbum, *erant.* Muretus. Sententia expedita est, quamvis omnem excludamus emendationem: qua non opus auctori, qui peculiariter sæpe usurpat accusativum quam absolutum. Supra c. 33. fuit: 'Adequitare castris, infensare pabula; ac sæpe, modum obsidii, stationibus cingebat.' Similes locutiones occurrent Hist. I. 44. II. 78. III. 61. IV. 18. et 19. aliisque ut alias ostendemus: nam isthæc modo præcipitamus vere ex tempore; adeo quidem ut ne relegendi quidem concessa facultas. *Gruterus.* Nolim mutare *vice* cum Lipsio. Facit vulgatum eundem sensum, et æque expeditum. Nec aliter structura ad Taciti morem: qui verba sæpe subintelligi vult, ut hic, *frontis et tergi vices essent*, vel *facerent.* Acidalius.

Falso credita] Lego, *dedita*, vel *dedita.* At Josephus revera occisum eum tradit l. XVIII. *Lipsius.*

CAP. 36. *Ultimi * id peritiæ*] Nisi quid desit (nec puto hercle, quoniam tota hac narratione belli externi concisus Tacitus) commodo restituemus: *regni ultum iit. peritia l. a. I. m. pugnatum.* Amat ita loqui noster, et Sallustius: 'Quam maxima cura ultum ire injurias festinat.' *Lipsius.*

Tota mole regni ultimi] Concisus est serio noster in hac externi belli narratione: nec mirum, præsertim cum suppressa de contextu prodeant; respice ad hæc, Ann. l. XV. 'Non ea imperatoris habere mandata, Corbulo: periculo legionum commotum e provincia egressum:' nonne hic siletur, *respondit?* lege quæ sequuntur. Eod. lib. 'At Vologesis ad Corbulonem missi nuntii, detraheret castella trans Euphraten, amnemque ut omnium medium faceret.' Quid hic? *postulabant.* Pariter ex his: *mox Artabanus tota mole regni ultimi*, emergit, *adfuit;* et ex his, *id peritia locorum*, erumpit, *prælium*, quæ omnia in proclivi sunt: nam paulo ante Cornelius egit de Orode filio Artabani, qui jussu patris jam adversus Iberos pugnaverat, et victus fuerat. Hæc autem, *tota mole regni ultimi*, significant Hyrcanos et Bactrianos, 'dum ipse, positis adversus Hyrcanos discordiis, vires intimas molemque belli ciet.' Et, 'an interiora regni sui peteret, haud dubie potentior auctor præsens futurus ultimis gentibus impigre bellum capessendi.' Quibus adstipulatur Curtius lib. V. 'Ultima regni adhuc intacta esse.' Et lib. IV. in 'Mediam, Hyrcaniam, Bactra, et Indos Oceani accolas quando aditurum?' Quamobrem in nostro brevitatem

miror, castigationes non moror: non enim Thucydidem damnamus, ejusque verba obliteramus, propterea quod astricta, et concisa sint. Κορινθίων δὲ Ξενοκλείδης ὁ Εὐθυκλέους πεμπτὸς αὐτός· quo in loco Scholiastes: αὐτὸς ἀντὶ τοῦ πρῶτος. Dixisset alius: 'quinque Corinthiorum duces aderant, quorum præcipuus erat Xenoclides filius Euthyclis.' *Salinerius.* Corrupte vulgo, *regni ultimi.* Lipsius egregie correxit, Tacito ipso volente, qui sæpe ita loqui amat lib. IV. XII., &c.* *Pichena.*

Occultos consulit] Scribo, *conligit.* Lipsius.

Aliosque occultos consulit] Usus est Tacitus hoc verbo supra, ut ad eum locum notavimus. Quod vero obscurius videretur, Faërnus pro eo, reponebat, *conscios*, vel potius ad vulgatam scripturam, *consilii.* Nos putamus nihil mutandum esse. *Ursinus.* Ferri potest, *consulit*, ut intelligatur, Sinnacem in consilium super illa defectione adhibuisse Abdagesem patrem, aliosque occultos amicos. Man. tamen, *consilit.* Pichena. An non melius *occulto?* Lipsius etiam pro *consulit* scribit *conligit*, quod vix accipio. Promptius *conciliat.* Sed mirum ni Tacitus sic scripsit: *Patrem Abdagesem aliosque, occultos consilii, et tunc continuis cladibus promptiores.* Ait eos consilium defectionis occulte apud se habuisse: post repertis auctoribus animum detexisse. Verum hoc, si quid aliud, certo puto. *Occultus consilii*, ut *manifestus consilii, cogitationis*, (cujus exemplum ex lib. XV. paulo ante dedimus) *flagitii, ambitionis, vanitatis*, passim in Tacito. *Acidalius.*

CAP. 37. *Suovetaurilia daret, ille equum*] * concepere votum, &c.' Apud Massagetas, item Soli. Strabo lib. XI. Θεὸν δὲ ἥλιον μόνον ἡγοῦνται, τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι. Pugnat cum superioribus, quod idem Strabo lib. XV. de Carmanis scribit: Ὄνον τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὃν Πέρσαι σέβονται θεῶν μόνον. Alii enim Persis Solem, quem Mithram dicunt, deum unicum tribuunt, non Martem, ut hic (per oblivionem forte) Strabo. *Lipsius.*

Suovetaurilia daret] Corruptus locus est; ut reponendum suspicer, *Solitaurilia.* Sunt hæc sacrificia, quibus tres diversæ hostiæ immolantur, *tauri, aries, verres:* sic dicta, quod integri corporis hæc animalia sint. *Solum* Osca lingua *totum* significat. Festus. Hinc *Solopychium* Catullo. Erunt fortasse quibus nihil immutandum videbitur, ut vox sit composita a *sue, ove*, et *tauro.* Sed certe nimis insolens est compositio. *Alciatus.* Scribendum, *sue, ove, Taurilia daret.* Sic enim Livius quoque loquitur lib. I. 'Ibi instructum exercitum omnem sue, ove, Taurilibus lustravit.' Tametsi in omnibus editionibus, quæ hodie extant, vulgo pro *Taurilibus* corrupte legitur, *taurisque tribus lustravit.* Verum nos sinceram istam lectionem deprehendimus in volumine manuscripto, quod huc misit Clar. vir Reinhardus a Rietpur, Borbetomagensis ecclesiæ decanus. *Ludorum Taurilium* rursus meminit Liv. l. IX. 'Ludi Taurilia per biduum facti religionis causa.' *Rhenanus.* Lustrabatur exercitus, mactatis sue, ove, taurisque: ut auctor est Livius l. I. inde nomen compositum fuit a Corn. *Suovetaurilia.* Ferrettus. 'Sunt,' ait Pompeius, 'qui putent ex tribus hostiis nomen inclusum,' sue et ove, cum solido tauro, et omnium trium vocabulis confusis, dici *Suovetaurilia*, quibus in hoc loco Vitellius, ut Livii lib. I. Servius Tullius exercitum lustravit. Idem et Marti *Suovetaurilibus* piaculum fieri, scribit, lib. VII. Sed Alciato nimis insolens illa compositio videtur. Ego censeo pro sacrificiis, quæ diversis hostiis fierent, necessaria diversa nomina fuisse, admittoque, ubi verre, ariete, et tauro operatum erit, nomen *Solitaurilia*, quod potuerunt veteres dixisse, *Veraritaurilia:*

Sed ubi sue, ove, et tauro factum, non video, quæ sit insolentia nominis factitii, præsente nota signati. Quare nihil e vulgari scripto immutandum videtur. *Idem.*

Equum plucando amni] Eo scilicet, quod Poëta monet, ' Ne detur celeri victima tarda Deo.' *Idem.*

In modum diadematis] * fascia distincta albo circuibat.' Quæ verba ἐξ ἐπιπολῆς pronuncio parum sana. Damnat ipse Curtius, l. VI. de Alexandro : ' Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemque Persicam sumpsit.' Si purpureum, quomodo cæruleum? nec sane cærulum colorem inter regios aut principales legi. An illic scribendum, *coccineæ fusciæ?* an, *hoc cæruleum?* ut insigne capitis tali colore fuerit, non fascia ipsa. De medicina enim certa alius viderit : non hic mihi cognomen Sullæ. *Lipsius.*

Prospere trunsgressus] Malim, *prosperi.* Rhenanus.

Retinerent] Ita Manuscriptus ; vulgo, *retineret.* Pichena.

CAP. 38. *Et continuo abscessu*] Faërnus legebat : *Et continuum abscessum.* Ursinus.

Mox quoquo modo dicta] Et hoc ex Man. Antea, *quoque modo.* Irrepsit idem error l. XIV. *Pichena.*

CAP. 39. *Carminu illic in principem*] Malim sic scriptum, *Ob carmina in principem factitata, illic strangulatus est.* Hic vero Sextus Paconianus nomine Pagoniani supra memoratus est, pro C. et G. litterarum affinitate. Idem fortasse dicitur Sueton. Tib. 61. ' Paconius majestatis reus,' utique ob carmina in principem emissa : cujus de causa Tiberius scripsit Senatui, ut de pœna Paconii quamprimum statueret. *Vertranius.*

Manus carnificum] Sic melius in Man. *munus*, quam in vulgatis, *munum.* Pichena.

Poppæus Subinus concessit vita] Sua sponte, non fato. Vide Dionem. *Lipsius.*

Concessit vita] Dio : ἥδιστα προαπηλλάγη πρίν τινα αἰτίαν λαβεῖν. Lipsius, *Sponte non fato.* Non sequor. *Muretus.*

CAP. 40. *Eo anno, neque quod L. Aruseius*] Desunt non dubie propria aliquot nomina eorum qui damnati occisique. Vertranius labentem locum immissa voce fulcit, *Eo anno neque quod alii, neque quod L. Aruseius*: sed tibicine non bono. *Lipsius.*

Neque quod L. Aruseius] Aldi judicio quædam hic verba desunt. Forsan sic habuit Cornelius : *neque quod alii, neque quod L. Aru. &c.* Hæc opinor, ut verisimile est, inculcatas conjunctiones, et sequentia, *L.* et *A.* rejectas ab exscribente : et licet illa, *neque quod alii*, chirographo deficiant, necessaria tamen ex eo constat, quod legitur ubique, *morte adfecti forent.* Cæterum auctoris sensus est: Malis ferendis assueti leviter necem et aliorum et L. Aruseii, quamvis atrocia facta, ferebant. Sed tandem facinus novum animis terrorem injecit, quod Vibulenus, &c. *Vertranius.*

Vibulenus Agrippa] Vibilius dicitur Dioni. *Lipsius.*

In ipsa curia depromptum] Dio, ἐν δακτυλίῳ ῥοφήσας. *Muretus.*

Duo Blæsii] Forte legendum, *duo Blæsi*, qui filii Blæsi erant, Blæsi, inquam, illius de Tacfarinate triumphatoris, qui Sejano avunculus fuit. *Aurel.*

Galba tristibus Cæsuris litteris] Frater est illius, qui postea Princeps. Suetonius : ' Caius attritis facultatibus urbe cessit, prohibitusque a Tiberio sortiri anno suo Proconsulatum, voluntaria morte obiit.' *Lipsius.*

Æmilia Lepida, quum juveni Druso nuptum rettuli] Nusquam id in his libris scriptum. *Lipsius.*

CAP. 41. *Clitarum natio Cappadociæ, Archelao subjecta*] Male vulgo, *Citarum.* Lipsius.

Scythurum natio] Legend. *Clitarum,*

quæ gens in Cilicia. *Muret.* Male vulgo, *Citarum natio Cappadociæ.* Emendavit Lipsius, et fere Man. congruit, qui habet: *Cietarum natio Cappadoci Archelao:* licet supra litteram *i* a recentiori manu addita fuerit littera *e*, tanquam *Cappadociæ* legendum esset. *Pichena.*

Nicephorium] Alio nomine *Constantina*, prope Edessam urbs. Stephanus. *Muretus.*

Anthemusiada] Sic et Apollonius appellat. Est urbs Syriæ. *Muretus.* Plinius v. 24. 'Jungitur præfectura Mesopotamiæ ab Assyriis originem trahens, in qua Antemusia et Nicephorium oppida.' *Aurelius.*

Cæterasque urbes quæ Macedonibus sitæ] Faërnus legebat, *a Macedonibus sitæ.* Ursinus. Immittenda forte præpositio, *quæ a Macedonibus sitæ.* l. III. 'Urbemque Philippopolim a Macedone Philippo sitam.' Censuit et Muretus ita. Possit sane abesse, nisi ambiguitatem pareret. Nam alio sensu sunt illa exempla lib. I. 'Et veterem aram Druso sitam disjecerant.' Lib. IV. 'Pergamenos (eo ipso nitebantur) ædc Augusto ibi sita, satis adeptos creditum.' *Acidalius.*

Cap. 42. *In barbarum corrupta*] Sic Histor. lib. IV. 'aucto in barbarum cognomento.' *Aurelius.*

Populi imperium juxta libertatem] Thucyd. l. III. in Orat. Theb. Ἡμῖν μὲν γὰρ ἡ πόλις τότε ἐτύγχανεν, οὔτε κατ' ὀλιγαρχίαν ἰσόνομον πολιτεύουσα, οὔτε κατὰ δημοκρατίαν· ὅπερ δέ ἐστι νόμοις μὲν καὶ τὸ σωφρονεστάτῳ ἐναντιώτατον, ἐγγυτάτω δὲ τυράννου, δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν εἶχε τὰ πράγματα. Sic et Demosthenes ait: 'natura inimica esse democratiam, et tyrannida.' *Muretus.*

Materna origine Arsacidem] * Græca ortus.' Sic Otho quoque inf. H. II. 50. *maternum genus impar habuit:* et Jugurtha apud Sallust. c. 11. despicitur fratri Hiempsali, 'quia materno genere impar erat.' Fuit ergo Artabanus, &c.* in regno remansisse. Artabanus autem iste exerte dicitur *Arsacidarum e sanguine* sup. II. 3. et certe nisi fuisset, posteri ejus non obtinuissent imperium, ut sane credamus, quod tamen frustra fecerimus, eum id vi tenuisse. Et sane ita fere moribus obtinuit apud Orientem, ubi validissima regum auctoritas semper fuit, ut una aliqua familia regni capax crederetur: nota res est de Persis, de Turcis hodie. Sic et apud Sidonios nemo 'patrio more in id fastigium recipiebatur, nisi regia stirpe ortus,' ut memorat Curtius IV. 1. *Freinshemius.*

Ctesiphon sedes imperii] * Ammianus, l. XXIII. Pugnat tamen iis Procopius l. II. De bello Persico: 'Apud Assyrios civitates duæ maximæ sunt, Seleucia et Ctesiphon, Macedonum ædificia.' De urbis hujus situ, et duplici munitissima arce, lege Gregorium Nazianzenum, Orat. IV. in Julianum. *Lipsius.*

Atque interim Ctesiphon] Apud Assyrios duæ civitates maximæ erant, *Seleucia, et Ctesiphon*, ut Procopius l. II. de bello Persico testatur. At Ctesiphonte reges hibernare consueverant. Strabo. *Muretus.*

Cap. 43. *Dubitatio et omnes*] Forte rectius, *oppressa cunctantium dubitatione, omnes, &c.* nec enim facile reperias subaudiri in tali oratione subjunctivum vel imperfectum: nam de indicativo præsenti, quem vocant, vulgatum est. *Freinsh.*

Delectum capiendo diademati diem non concelebraverant] Faërnus legebat: *Delectum capiendo diademati diem navi*, (vel ut est in v. c. *navi diem*) *non concelebraverant.* Ursinus. Scripsi *delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant;* quia in Ms. est, *haci.* Vulgo, *non.* Pichena.

Cap. 44. *Falsos in amore odia non fingere*] Aurelius Victor Schotti in Constantino M. 'Quippe humanæ mentes frustratæ boni spe, asperius

offenduntur, cum mutato rectore flagitioso ærumnarum vis manet.' *Gronovius.*

Artabano percussus] Reponendum, *perculsus.* Rhenanus.

Ignavus ad pericula] Sic Ms. at vulgo, *ignarus.* Pichena.

Pudore proditionis omnes exsolvit] Hist. l. III. 'Donec Priscus et Alphenus, desertis castris ad Vitellium regressi, pudore proditionis cunctos exsolverent.' *Idem.*

CAP. 45. *Idem annus*] Prope eodem tempore Tiberis ita obundavit, ut per plana urbis navigatum sit. Dio. Frequens olim urbi utrumque malum, inundatio et incendium. *Muretus.*

Exsolutis domuum et insularum pretiis] Suetonius hoc factum esse ait, cum mons Cælius conflagravit, de quo dictum l. IV. *Muretus.*

Ædificationibus. Ne publice] Auctoris genius hic est ut ejusmodi orationem continuet: itaque sic potius distinguendum: *ædificationibus, ne publice.* Freinshemius.

Templum Augusto] Vide Sueton. c. 47. in Tiberio, et c. 21. Calig. qui leviter dissentit. Ille enim semiperfecta opera fuisse ait, quæ noster perfecta. *Lipsius.*

Eaque perfecta] Suetonius imperfecta relicta esse scribit. *Muretus.*

Dum dominationis apisceretur] Liber vetus *papisceretur.* Lego, *dominationis sp. apisceretur*, hoc est, *spem apisceretur.* Muretus. Suspicor legendum, *dominationem*, ut idem error fuerit, de quo monui in principio l. III. Nisi forte suspicemur, proprium fuisse Tacito, secundum casum jungere verbo, *adipisci*, ut l. III. 'ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est,' quod certe non crediderim. Vide etiam quæ l. XII. notavi ad verba, 'dum adipiscerentur dominationes.' *Pichena.*

Commotus ingenio] Non muto *commotus* illud. Verum enim de ingenio tali. Sed ad hunc locum valde etiam apte scribi posse *commodus* quidam contendebat, quasi ad obsequium facilis. *Acidalius.*

CAP. 46. *Contumelias verterent*] Ex Man. reposui, *verterent.* Sæpissime enim a Tacito passive usurpatum id verbum, pro verterentur. Vulgo, *verteret.* Pichena.

In patientia] Legendum, *impatientia.* Muretus.

Alieni consilii indigerent] Hæc eadem Suetonius in Tib. 68. 'Quanquam a trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adjumento consiliove medicorum.' Atqui noster non sibi constat, quippe qui paulo post sic dicat: 'Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen copiam præbere.' Hancne rem oblitam Cornelio dicemus? non ausim: dicerem potius Tiberium ex pluribus, quæ sibi a Charicle præirentur, id legisse quod optimum sibi videretur: quasi nonnulla ex multis seligendo non sequeretur consilium Chariclis: 'consilii tamen copiam præbere.' *Salinerius.*

CAP. 48. *Ludibria et pericula*] Scriptus codex, *pericularia.* An *pericula varia?* Lipsius.

Quod inter ludibria et pericula anxiam] Ms. *quod inter ludibria, et pericularia anxiam:* quod sibi velit nescio. *Pichena.* Forte, *et pericula tot anxiam.* Gronovius.

Id quidem a lætantibus] Dele, *a.* Non enim vult a lætantibus decretas pœnas: sed eas pœnas lætantibus fuisse, id est, gratas in alios. Simili forma et sensu l. XV. 'Hæc atque talia plebi volenti fuere.' Quanquam hic Taciti locus alias aliter legitur, pro *volenti, volentia*, Sallustianum in morem. Sic Hist. IV. 'Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.' Nonius in voce *volentia.* Et Tacitus nescio quoto libro histor. 'Muciano volentia scripsere.' Sed et in alterum modum sæpe Sallustius,

unde noster imitatus hic forte, et Annal. l. I. ‘ Ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat.’ *Acidalius.*

Truci eloquentia habebatur promptus adversus insontes] Ineolumitati sententiæ nihil prorsus abseederet, quamquam reseearentur, *habebatur promptus.* Gruterus.

Cap. 49. *Qua quidem repudiata*] Vide quæ in Variis scribimus l. I. c. 12. et Gul. Canterum l. VI. e. 2. *Muretus.*

Quanquam genua patrum advolveretur] Dissentio de castigatione, et de interpretatione. Moveor quod mater pœnam debitam non evasit, lieet patrum miserieordiam eaptaverit: ‘ quanquam genua patrum advolveretur,’ &c. ‘ nrbe tamen in deeem annos prohibita est.’ At incestus manifesti præcipites dabantur de saxo Tarpeio. Hoe libro : ‘ Marius defertur ineestasse filiam.’ Cujus ergo est rea facinoris, edicat noster : *adsentationibus atque luxu, &c.* hoe est, erat hæe mulier sumtuosa, adsentabaturque juveni, qui luxu diffluebat: quamobrem in eas, ob æs alienum, augustias redactus est, ut omnia præ morte sibi esse post putarit. Addieebantur enim creditoribus, qui solvendo non erant. Gell. XX. 1. ‘ addici namque nunc et vineiri multos videmus.’ A qua re sic homines abhorrebant, ut Cæsar ipse vir animi tam erecti, fere de vita desperaverit. Suet. c. 13. ‘ In qua reputans magnitudinem æris alieni,’ &c. Nonnulli etiam Græci (ne id mirum videatur) pauperiem eicuta vitavere. Ælian. l. IV. e. 23. variar. hist. Quid Apicius elegantissimus hellnonum? Is cum scire vellet quænam profudisset quæque sibi superassent, cognito sibi tantum reliqua esse ducenta et quinquaginta millia aureorum, despondit animum, et quasi fame periturus attulit sibi vim, teste Xiph. in Tib. Quamvis autem mater ista non dubie rea filii mortis esset, attamen non se deserebat, sed miserieordiæ eonciliandæ accidebat ad genua patrum, dinque, id est, prolixa, et continua oratione ferebat, sive dieebat: se venia saltem dignam esse ob luctum, quem pareutes ex filiorum morte eapiunt: maxime quod feminæ non mediocriter ut viri, sed præter modum lætentur aut doleant. Cæterum sacræ literæ doeent matres aeerbius quam patres lugere filiorum mortes. Psalm. XXXV. Hue usque fide Beroaldi et Pichenæ seeuti sumus eodices Florentinos, qui Corbeiæ inventi, et ad Leonem P. M. delati, nunc Florentiæ servantur: quorum si leetionem non usquequaque propugnavimus, nos vires non animus defecere : hinc vulgatis inhærebimus. *Salmerius.* Certe materni doloris significatio ab hae flebili oratione abesse non debebat. Forte illam τὸ *magis* tegit. Et vix est, quo id possit referri. Suspicor itaque legendum : *Luctumque communem, et matris, imbecillum tali super casu fœminarum animum, aliaque in eundem dolorem mœsta et miseranda disseret*, vel *differret*, ut vult Lipsius, vel *diu ferret:* ut habent haetenus editiones. Nam *ferre* Latinis idem est, quod *loqui.* Unde, *ut ferunt, ferunt*, et quæ ejus generis plura alia, sicut apud alios, ita hunc leguntur. *Boxhornius.*

Aliaque in eundem dolorem mœsta] Accipiam Lipsii *differret.* Sed quid vult *in eundem dolorem?* An potius *colorem?* Sic videtur, id est, ejusdem modi, ut tacite simulata hæe omnia innuat. Cave tamen mutes. Nam sic loquitur noster l. XI. ‘ Et secuta sunt Claudii verba in eandem elementiam.’ *Acidalius.*

Miseranda diu ferret] Emendo, *miseranda differret*, conjunctis vocibus quas diduxerant. *Lipsius.*

Cap. 50. *In villa, cui L. Lucullus*] De ea fere his verbis Plutarchus in Mario : ‘ Villam in Misenensi Marius amœnam et mollius exstruetam pos-

sidebat, quam deceret virum militarem et tot bellorum victorem. Eam aiunt LXXV.∞. denarium emisse Corneliam, nec multo post L. Lucullum quingentis millibus denarium et ducentis. Tantum brevi luxuria crevit, et civitas invaluit in abundantes opes.' *Lipsius.*

Neque fefellit: nam Tiberius] Quo pacto incertum an offensus, si iræ profunda dissimulatio, erat genuina veraque nota, quando ille acrius irasceretur? Tac. Ann. I. 13. 'Scaurum cui implacabilius irascebatur silentio transmisit.' Non pauci huc direxissent plaustra castigationum, quos inter si nomen profiterer, non inepte (reor) sic emendassem: *haud incertum an offensus, tantoque magis iram premens:* at solitum est æquor navigandum, ut brevia prætervecti, portum teneamus: verum quam falsus animi Egnatius, qui in suis ad Sueton. Castig. credit se recepisse in bene fida statione: *nec fefellit* Tiberium, qui offensus ac eo magis iram simulans: modus iræ Tiberii conjici poterat si plus minusve iucaluisset: ad hæc faciunt quæ adduximus e nostro, *Scaurum cui implacabilius.* At si nec vultu, nec verbis affectus prodidisset, quis asseverare poterat eum rem advertisse, iramque dissimulasse? quod hic evenit. Τὸ *fefellit παθητικῶς* est accipiendum, hoc sensu. Charicles tacto venarum pulsu, falsus non est Tiberium jam fini propiuquare: vel studio brevitatis omittitur, *astutia*, vel aliquid simile: nimirum commentum non fefellit Chariclem: quibus hæc respondent: 'Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit.' At *nam* ornatus seu continuationis gratia positum est. Terent. Andr. 'Nam is postquam ex ephebis excessit Sosia Liberius vivendi fuit potestas.' Ad ultimum hæc est Cornelii mens. Tiberius (nec certum an astutiam cognovisset, eoque iram dissimulasset) integrari convivium jussit. De illis autem qui τὸ *fefellit* Tiberio attribuunt, libenter quæsierim, divini ne sint, vel si abnuunt, unde hujusmodi collegerint, quandoquidem Tiberii mores inprimis eorum interpretationes aversantur. *Salinerius.* Censeo tollendam particulam *Nam* pro supervacua. Sensus id clare demonstrat. Charicles per causam osculandi manum Cæsaream tentavit venam: nec eum decepit judicium de valetudine principis. Nam Tiberius, inquit, dubium an indignatus et numquid ea de causa magis iram celans, sed tamen jussit apparari convivium, et diutius solito accubuit. Quis non videt τὸ *nam* esse supervacuum, et turbare sensum, qui sine eo constat? Ergo putem mutandum esse τὸ *nam* in *eum*, ibique distingui, ut sit, *pulsu venarum attigit neque fefellit eum.* Supple Chariclem. Deinde: 'Tiberius incertum an offensus.' *Harlæus.* Non magis hic opus plaustris castigationum, quam plaustris nugarum, quas sæpe castigationibus opponit Salinerius. *Neque fefellit*, omnino vult intelligi *Tiberium*, non *Chariclem.* Neque latuit, inquit; neque hoc egit ita caute, ut Tiberius non sentiret dolum et arcana sua tentari. Argumentum hujus rei et Charicles et qui circa erant interpretabantur, quod tenuit hominem quasi cœna viatica prosecuturus, et apparatis epulis secum discumbere jussit, et solito longius in triclinio duravit, ut eum ambiguum redderet, seseque firmiorem probaret, quam fortassis arteria promisisset. Quidam gnari morum ejus, et quantopere nollet intima sua nosci, etiam graviter offensum dicebant, et ut hoc quoque dissimularet, magis benignitatem et amici honorem fingere. Hinc apparet vis et necessitas particulæ, neque ad divinos eundum. *Gronovius.*

Decimo septimo Calendas April.]

Haud dubie, *Septimodecimo*, ut malebant antiqui. Neque aliter apud Suetonium scribendum et pronuntiandum c. 73. *Gronovius.*

Mortalitatem explevisse] Omnino. Itaque acutissime Senecca Consol. ad Polyb. c. 31. blandiens Claudio: 'Dii illum Deæque terris commodent: acta hic Divi Augusti æquet, et annos vincat; ac quamdiu mortalis erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat.' Quem tamen locum nuper optimus Criticorum, ausus interpolare ex Mss. suis; me nolente: nam etiamsi Cæsar Senecæ præsens numen; haud ita tamen est, ut nihil habeat in corpore, obnoxium fato. Consulatur Ovid. Met. XIV. 600. ubi meminit Æneæ; item 804. ubi Romuli, sed et Met. l. XV. introducitur ab eodem poëta Venus animam Cæsaris Julii rapiens, *cæso de corpore.* Verum hæc alterius sunt loci: itaque manum abstineo. Interea adeat lector Ciceronis libros de Scipionis somnio; et videbit generi humano veluti commodatos; non redire tamen, unde venerunt, nisi animæ exuvias posuerint igne illo rogi supremo. *Gruterus.*

Tiberius finivit] Plinius vixisse illum ait annos septuaginta octo, menses quatuor. Dio septuaginta septem annos, quatuor menses, et novem dies. *Muretus.*

CAP. 51. *Mater in Liviam*] * in medium relinquo. Hæ sunt ad priores quinque Annalium Cornelii libros scriptæ notæ: respersæ emendationibus, magis ex opinione et conjectura, quam ex fide librorum, quos manuscriptos nobis legendi facultas fuerit. Neque opinor exemplar, quocum excusi libri conferri possint, alibi quam Florentiæ extare: quod alter ex Medicæis Pontificibus maximis bibliothecam dedicaturus, ex urbe transferri curavit, cum illud prius in cœnobio Corbejensi repertum e Saxonia Quæstor quidam Pontificius Romam ad Leonem X. detulisset. Exinde in patria Æmilius Ferrettus archetypum illum relegit, cujus ad instar libri omnes impressi sunt. Neque vero mihi Florentia transeunti, visis quibusdam Pandectarum locis in Laurentii basilica, amplius quicquam per otium videre licuit. *Vertranius.*

Egregium vita famaque] Verba hæc, *egregium, occultum, subdolum,* ad quid referantur non video. Si ad vocem *tempora*, nescio an apte dicatur, occultum ac subdolum tempus. Quid si intelligas, *egit*, ut Venturius monuit? Ego dubito an sit legendum *egregius*, et deinde *occultus, ac subdolus.* Pichena. Quo respiciunt accusandi illi casus, *egregium, occultum, subdolum?* Non hercle habent, cum quo jungantur: ut habeant, scribam, dandi flexu, *egregio, occulto, subdolo.* Acid. At commode atque eleganter illa referri ad τὸ *tempus* docuimus Observationum I. 2. *Gronovius.*

Intestabilis sævitia] Muretus *inde stabilis sævitia.* Vix abest quin vere: tum vagum inter bona malaque fuisse vult, mox in sævitia stabilem et firmum. *Acidalius.* Addc l. V. c. 3. Sed cave vel sic vel quidquam mutes: nam *intestabilis* detestabilis. *Gronovius.*

ANNALIUM LIB. XI.

CAP. 1. *Nam Valer. Asiaticum*] Apparet hunc librum esse ἀκέφαλον. *Rhenanus.* Cum Romam veni, in bibliotheca Palatina, ab undecimo An-

nalium Cornelii libro, Ms. unum et alterum nactus exemplar, utrunque relegi, aliquotque diebus otiose tractavi, et quæ e rep. literaria fore credidi, suis locis ad libros sequentes accommodavi. In utroque sane chirographo acephalos liber hic est; ejusdemque auctoris de moribus Germanorum et de oratoribus libelli desiderantur. *Vertranius.*

A Lucullo cœptos] Manuscriptus habet in margine, *emptos* quibusdam magis placere. *Vertranius.* Florentinus codex habet, *cœptos;* non, *emptos,* ut editi, et Mss. alii, quos Lipsius vidit. *Pichena.* Quomodo a Lucullo emerit, ' illo qui nondum tempore natus erat?' Reducenda lectio vulgatior, *Lucullo cœptos;* cum ita quoque conspiciatur in Medicæo, quem Curtius Pichena, in Covarruviano, quem Andreas Schottus contulere; uterque amicus non e multis mihi et Musis. *Gruterus.*

Extollebat] Scripsimus, *excolebat,* quemadmodum et editio vetus habet, ab exemplari manu descripto dissentiens. *Rhenanus.*

Auri vim atque opes] In vulgatis est, *Caveri vim:* et turbant in restituendo loco Rhenanus et Maurus. Mihi veræ lectionis auctor Farnesianus liber in quo *cauri. e.* littera superius adpicta: et historia ipsa, quoniam auri vis Asiatico caussa necis. Dio: 'Ο δ' Ἀσιατικὸς ἀφῆκε τὴν ἀρχὴν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πλούτου, ὑφ' οὗπερ καὶ ἀπέθανεν: et si otium est, adde reliqua, &c.* contineretur.' Quod Vertranius interpunctione juvari locum existimat, *per speciem b. moneret, Claudium caveret, vim atque opes:* quasi Sosibius Asiaticum monuisset, non Claudium: clare sequentia aspernantur. Denique quid hoc sit, vim esse principibus infensam? quasi non cuivis etiam e plebe. Nam omnis certe vis, omnibus mala. *Lipsius.*

Caveri vim atque opes] Codex Budensis hic notatus erat, ut alias compluribus locis rasus; præsertim hoc XI. lib. quem conatus fuit quidam ex vulgatis editionibus castigare. Sed tamen ejus voluminis prior lectio sic habebat, *caveri indeque opes, &c.* Legerim ego, *Cavendas opes.* Rhenanus. Alias, *Caveret vim.* Ferrettus. Vexavit ingenium Beati diverse scriptus hic locus. Equidem in iis, quæ a superioribus pendent, etsi sine illis constare liquido nihil possit; sic tamen locum interpunctum in plano ponere mihi videor, *moneret Claudium caveri, vim atque, &c.* id est, a Claudio caveret sibi Valer. Asiaticus reus cum Poppæa a Suillio delatus. *Vertranius.* Hæc sic resolvuntur; monuit Claudium ut caveret, *vim atque opes;* quibus Asiaticus fretus erat, *principibus infensas.* Alibi, ' orabantque caveri insidias mulieris semper atrocis:' τὸ *vis* non quæ infertur, ut opinatus est eruditissimus vir, sed ea de qua noster Ann. II. haud minus magnifica: ' quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana jubentur.' Verissima gnome, quæ ab his non infirmatur Aristotelis l. IV. Politic. οἱ μὲν ἐν ὑπεροχαῖς, &c. ubi ἰσχύος καὶ πλούτου Latine melius verti non possunt quam *vis et opum.* Salinerius. Ne quis de Lipsii emendatione ambigat, testor in Flor. legi *Auri vim atque opes.* Pichena.

Non extimuisse in concione pop. R. fateri] In libro regis Corvini, quem ex Budensi bibliotheca dono Jacobi Spigelii nactus sum, neque erat *in concione,* sed tantum *concionem,* neque verbum *fateri* illic comperi. Itaque suspicor sinceriorem lectionem esse, *non extimuisse concionem populi Rom. gloriamque facinoris ultro petere.* Rhenanus. * finem fecerunt.' Hæc Dionis sunt extrema libro LIX. quibus, alioqui subobscurus, hic locus illuminatur. Sed quoniam ita respondens Asiaticus de nece C. Cæsaris nihil confessus est, probo maloque scriptionem, quæ in Matthiæ Corvini Pan-

noniæ regis eodice ita habuit, *non extimuisse concionem populi Romani gloriamque, &c.* Vertranius. Asiaticus non fassus est, sed solum dixit. Xiph. in Calig. εἴθε ἐγὼ αὐτὸν ἀπεκτόνειν· i. *utinam ego eum occidissem.* Nihilominus absurdum non est, si dicamus per hæc verba Asiaticum quodam modo fassum, et insuper gloriam petiisse, præsertim cum oratione ageretur apud Claudium, qui absurdioribus adhibebat suam credulitatem. Suet. c. 29. ' nam illud omnem fidem excesserit,' &c. τὸ *ultro*, id est, *insuper*. Plaut. Amph. ' Quoniam herus quod imperavit, neglexisti persequi: Nunc venis etiam ultro irrisum dominum.' *Salinerius.* Flor. et plerique alii veteres habent verbum, *fateri*, atque in nonnullis etiam legitur, *in concione*, optimo sensu. Ideo textum restitui, olim a Rhenano sic imminutum: *non extimuisse concionem pop. R. gloriamque.* Pichena.

Dedita] Sic scriptum in utroque. Gabriel tamen Faërnus mavult scribi *didita*, pro sparsa, a verbo *dido*, quo Lucretius et Horatius utuntur. Ego nihil mutandum censeo, mihique Augerius Ferrerius, illi Dionysius Lambinus assentitur. *Vertranius.* Faërnus optima conjectura legebat, *didita*: quo verbo utitur sæpe Lucretius, cujus, si recte memini, est illud, *per terras didita fama.* Ursinus. Verbum, *didita*, a Lipsio repositum, Florentini auctoritate confirmo. *Pichena.* Tolle apices a fine vocum *dedita fama*, ut casu nominandi accipias, non auferendi. *Acidalius.* Fallit et fallitur. *Gronovius.*

Promptum haberet] Alter Vatic. *propretii haberet.* Nihil elicio, quod anteferam vulgatæ. *Lipsius.*

Cap. 2. *Suilio corruptionem militum*] Ex Florentino sic scripsi, ac deinde, *objectante*: nam minus recte in vulgatis, *Suilius*: et *objectare*. Pichena.

In omni flagitio] Malim, *in omne flagitium.* Rhenanus. Tolerari posset lectio publicata, abjecta præpositiuncula *in*: aliud enim est, *obstringi in omne flagitium*; aliud *obstringi flagitio omni.* Gruterus.

Postremum] Usurpat adverbialiter; ut l. 1. ' perniciem aliis, ac postremum sibi invenere.' *Rhenanus.*

Victo silentio] Veteres, *indicto*: recte, ut prorupisse ad loquendum intellegamus, etsi silentium ante jussum. *Lipsius.*

Victo silentio] Par erat ut Asiaticus crimina dilueret, ubi accusator perorasset: verum ita excanduit ad Pathici nomen ut obloqui præmature coactus sit: itaque silentium vicit: quo fere significatu posteriora prolata sunt. Curt. l. III. ' videtis ne obstinatum ad tacendum? (inquit) num genu posuit? num supplicem vocem misit? vincam tamen silentium, et si nihil aliud, certe gemitu interpellabo.' *Salinerius.* Verbum, *victo*, a Floren. confirmatur: longe melius, quam *indicto.* Reis enim silentium nunquam indicebatur, licebatque accusationibus respondere. Supra dixit, ' intra cubiculum auditur:' ac paulo post, ' ingressusque defensionem.' Videtur sensus: Asiaticum, dum Suilius verba faceret, tacuisse; cum vero mollitiam corporis sibi objectari audiret, silentium vicisse. *Pichena.* Nescio quomodo, *indicto silentio*, minus huc quadret: quare retinuerim *victo*; ut hactenus tacuerit Asiaticus, et nunc demum prorumperit in vocem. Codex Hispanus et Florentinus stant pro vulgata. *Gruterus.* Mss. disertim habent, *indicto silentio.* Quod non intellectum in, *victo silentio*, est mutatum. Hoc quidem commodum sensum, sed eo, quem vult Tacitus, minorem habet. Lipsius igitur probat, *indicto*, sed contra mentem Taciti interpretatur. Ut prorupisse, inquit, ad loquendum intelligamus, etsi silentium ante jussum. Atqui hoc falsum est. Paulo namque ante dixit Tacitus, ' Vinclis-

que inditis, [Asiaticus nimirum,] in urbem raptus, neque data Senatus copia, intra cubiculum principis auditur.' Qui auditur, sive vocatus est ut audiatur, ei silentium non est indictum. Amicus noster, vir in his literis egregie versatus, ex, *indicto*, faciebat, *inciso silentio*, id est, interpellato. Sed, quod sciam, nunquam sic loquitur Tacitus. Et, quod ei probe cognitum est, genius auctoris et dicendi modus hic primas faciunt. Rectum est, *indicto silentio*. Id reus Asiaticus accusatori indicit, animi vir maximi; et tunc inprimis commoti, quod et sequentia ostendunt. Nisi potius velis a Claudio et Messalina, post hæc dicta, accusatori silentium indictum, tanquam ista sufficerent. *Boxhornius.* Quia codd. optimos auctores habet τὸ *victo*, quid moramur alterum, quod utcumque versabis, nihil ex eo sani exsculpes? Nec placet tamen, quod Salinerius et Pichena scribunt Asiaticum *vicisse silentium.* Qui enim ἀποκαρτερεῖ, nec se continet diutius, is vincitur, non vincit. Itaque silentium ejus victum est ab impudentia Suilii. *Victo silentio* est victa patientia. *Gronov.*

Functum fato responderet] Malo, *respondere.* Nec scripsit aliter Tacitus. *Acidalius.*

Cap. 3. *Sed consultanti super absolutione*] Faërnus legebat, *consultantes.* Ursinus. Confusa hæc, et interpolata a mala et imperita manu Lipsius clamat, ut pæne totum librum. Vere. Nos tamen ista non male sic ordinabimus, ut structura orationis æquabiliter decurrat, et sententia nihil offendat. Lege: *Sed consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitellius commemorat vetustatem amicitiæ, &c. quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur, secuta sunt Claudii verba, in eandem clementiam: et liberum ei mortis arbitrium permisit.* Vixque est, ut aliter Tacitus. De libero mortis arbitrio Curt. l. IV. 'Alii foribus ædium obseratis occupant liberum mortis arbitrium.' *Acidalius.*

Liberum ei] Satis confuse ista, ut pleraque omnia hoc libro: quem scio interpolatum a mala et imperita manu. Sententia tamen hæc ex Dione: ut subornatus Vitellius, quasi Valerii nomine culpam agnoscentis, peteret mortis arbitrium: idque a Claudio concessum. *Lipsius.*

Et mortis arbitrium] Id est, Vitellius curavit ut a Claudio permitteretur. Ad quam faciem dicta sunt: 'principes Musulamorum defectionem cœptantes securi percutit:' quo uno tantum hinc expedire te potes, ubi mihi animadvertas oro dolosam Vitellii pictatem: qui petendo specie miserationis levius genus mortis Asiatico, non modo imposuisset Claudio, qui lapis erat, sed os cuivis callidiorum sublevisset. *Salinerius.* Interpres est, qui mavult *super supplicio*, quam *super absolutione:* neque enim se capere, quo colore Vitellius potuerit effundere lacrimas ob novissimum amici casum et mortem ejus decernere, si princeps ostendisset se ad mitiora inclinare. Non legerat aut intellexerat parum, quæ præclare hic Mercerus. Et miror ipsum Lipsium admonendum fuisse. Tacitus enim suavissimo lepore, &c.* *Gronov.*

Hortantibus dehinc quibusdam] Excidit vocula, puto: scribendumque *quibusdam ad inediam:* si non imposuit olim mihi Orbilius meus. *Lipsius.*

Hortantibus deinde quibusdam inediam] Nihil opus addita vocula *ad.* Sæpius enim præpositio neglecta optimis auctoribus, in quos nihil juris Orbilio; imo ne Grammaticis quidem. *Gruter.* Qui tam laxe omnia donat, nihil donat; aut valde turbat minus exercitos, quasi nihil non liceat. Aliter igitur agendum dicendumque et Orbilio et Grammaticis minime intercedentibus, neque in contrarium sibi jus aliquod prætendentibus, veteres dixisse et *hortari aliquem* et *hor-*

tari ad aliquid et *hortari aliquid:* quod si quis negavit, qui Orbilii personam Grammaticive gereret, non negavit ut Orbilius aut Grammaticus, sed ut peccans Orbilius aut Grammaticus. Dedimus auctoritates ex Attio, Ovidio, Justino vel Trogo, Seneca, Statio ad duos horum postremum nominatos. Accedat Gellius XIII. 22. ‘ Hæc mera veritas Tusculani hominis plus, hercle, promovet ad exhortandam parsimoniam sustinendamque inopiam, quam Græcæ præstigiæ.’ Accedat, ut etiam defendatur, Vegetius lib. primi cap. 28. sic proscribens: ‘ De adhortatione rei militaris Romanæque virtutis.’ Lemma ridiculum, inquit P. Scriverius: adhortatur auctor ad rem militarem Romanamque virtutem; non Virtus aut Militia ipsa loquitur: quare scribe, *ad rem militarem Romanamque virtutem.* At, o bone, qui adhortatur ad rem militarem Romanamque virtutem, is juxta commode, et exquisitius etiam, dicitur *adhortari rem militarem Romanamque virtutem,* aut facere vel scribere *hortationem rei militaris et Romanæ virtutis.* Quid ipso de Cicerone dicam? lib. VII. ad Atticum epist. 14. ‘ Pacem quidem hortari non desino.’ Sic certe lectum olim: et sic in Ms. est Helmæstadiensi. Quare vellem, quibus Mss. plurium copia fuit, non tam negligentes transiisse hunc locum, et verbo attigisse, qua fiducia subjecerint: *Equidem ad pacem hortari non desino.* Nam et sic ad Atticum VII. 2. ‘ partes istius officii sunt pueri Ciceronis sive jam adolescentis; quod quidem illum soleo hortari.’ Et ad Q. fratrem I. 1. ‘ Sed quid ego te hortor, quæ tu facere potes tua sponte?’ *Gronov.*

Et usurpatis quibus insueverat] Ex veteribus libris restitui copulam *et.* Pichena.

Quam quod fraude muliebri, et impudico Vitellii ore caderet] Rotundior longe meo judicio, ordo orationis, si recisis *quod* et *caderet,* scriberemus; *quam fraude muliebri, et impudico Vitellii ore.* Gruterus. De particula subscribo: et vitium est, quale apud Livium XXVIII. 43. curavimus: verbum facile tolero. *Gronov.*

CAP. 4. *Pergitque Suilius addere reos*] Videtur legendum *agere reos:* nisi verbum *addere* Tacitus ex antiquo aliquo sumpsit Scriptore. *Ursin.* Muretus voluit *agere.* Acidal. Neque corrigendum est, neque hoc magis ex antiquo auctore sumptum quam ex quotidiana Romani oris consuetudine, nobis ex sat certis auctorum locis observanda, qua *addere* est augere, vel alios aliis addere. Infra hoc libro: ‘ Ac novas literarum formas addidit,’ id est, Invenit et prioribus addidit. Lib. I. ‘ Idem annus novas cærimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio:’ i. instituto et addito iis, quæ antiquitus habebantur. Tale Plinii XXII. 7. ‘ Addidere vivendi pretia deliciæ.’ Quod etiam non cepere, ut ibi docemus. Sic igitur *addere reos* est alios corripere et Poppææ atque Asiatico addere. *Gronov.*

Equites Romanos illustres] Qui sunt Equites illustres? Neque enim temerarium est certe, quod totiens is titulus repetitus. Ut Ann. l. IV. ‘ Eques Romanus ex illustribus Curtius Atticus.’ Lib. VI. ‘ Pater quoque illustris eques Romanus ac frater Prætorius.’ Lib. XV. ‘ Die pacta Tiberius Alexander illustris eques Romanus, minister bello datus.’ Hoc ipso libro: ‘ Eadem constantia et illustres equites Rom. cupidos maturæ necis fecit.’ Suspicor ego sic dictos, &c. * redirent ad equestrem. Verba sunt Dionis lib. LIV. Τὴν δὲ δημαρχίαν ὀλίγων σφόδρα αἰτούντων, ἐνομοθέτησεν, ἐκ τῶν ἱππέων τῶν μὴ ἔλαττον πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας κεκτημένων προβάλλεσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἕνα ἕκαστον, κἀκ τούτων τὸ πλῆθος τοὺς ἐνδέοντας αἱρεῖσθαι· εἰ, μὲν καὶ βουλεύειν μετὰ τοῦτο ἐθέλοιεν, εἰ

δὲ μὴ, ἐς τὴν ἵππάδα αὖθις ἐπανιέναι ἐξεῖναι.* Qui ergo in hoc seminario Senatus equites, dicti illustres. Reperio et insignes, ut hoc libro : 'Samius insignis eques Romanus.' Item *splendidos*, ut Plin. Epist. l. VI. 'Passienus Paulus splendidus eques Rom.' et alibi idem : 'Scribis Robustum splendidum equitem Rom.' Et Cicero ipse non semel in Verrem. Sed hi duo tituli infra illum non dubie : et a fama ducti, opibusque. Alii ab istis Illustres sunt, qui in Codice Justinianæo, et Cassiodoro. *Lipsius.*

At causa necis ex eo] Malim deleri illud *At*, vel certe scribi *Et*. Non enim alias recte consequatur postea, 'Verum nocturnæ quietis species,' &c. *Acidal.* Flor. *Ac causa necis ex eo*. Picbena. Edd. vett. non agnoscunt illa *ex eo:* et possunt sane abesse, nullo auctoris incommodo. *Gruterus.*

Valerii et Poppeæ congressibus] In volumine Budensi scriptum est; *in Nestoris et Poppeæ congr.* Hinc reposui; *Quod domum suam M. Nestoris et Poppeæ congressibus præbuissent.* Histrio fuit M. Nestor, intimus Messallinæ, cujus sæpe ministerio abusa est. Proinde trucidata Messallina, inter eos qui illius sævitiæ ac libidini inservierant M. Nestor quoque est interfectus. Id quod in hujus libri fine commemorat Tacitus, quanquam in vulgatis editionibus eo loco *Mnester* legitur pro *M. Nestor*, cujus Seneca mentionem facit in ludicro libello de morte Claudii Cæsaris, quem nos olim Scholiis exposuimus, pro *noster Pantomimus*, *Nestor Pantomimus* reponentes. Eum locum infra citabimus. *Rhenanus.*

Spicea corona evinctum] Quæ Cereris propria, et sacerdotum item Arvalium, ut Plinius notat l. XVIII. c. 2. Corona ea, alias non infelix, omen triste habuit quod spicis esset retro conversis : sicut quod ante pugnam in Philippis, corona inversa Cassio imposita. *Lipsius.*

Gravitatem annonæ dixisset] Vel *prædixisset*, vel *significari dixisset*. Rhenanus. Nisi verbum *gravitatem* Tacitus ex antiquo sumpsit Scriptore, libentius legerem, *caritatem :* nam *caritatem annonæ* usurpavit Cicero et alii etiam scriptores. *Ursinus.* Muretus *caritatem*. Male lib. VI. fuit, 'gravitate annonæ juxta seditionem ventum.' *Acidal.*

Vergente autumno] Farnes. *vertente.* Lipsius.

De admissis Poppææ sentiam] Flor. corrupte : *de admissis Poppææ assen essentiam.* Alii duo Mss. in eadem bibliotheca Medicæa non adeo veteres, *assentiam.* Talia mendosa loca non pigebit aliquando adscribere, ut alii cogitent. *Pichena.*

CAP. 5. *Magistratuum munia*] Farnes. *nece*, refert, pro, *munia*. Deleo vero utrumque, ut glossema : scriboque, *cuncta legum et magistratuum in se trahens.* Lipsius.

CCCC. *nummorum millibus*] Hæc summa nostro ære decem millibus ducatorum valet, quandoquidem illud constat, mille nummis sestertium argenti æstimati, esse autem sestertium libras duas et semissem, hoc est, uncias argenti XXX. quæ plus minus XXXV. nostros coronatos æquant pretio. *Alciatus.*

Legem Titiam flagitant] Hac lege tenebantur advocati, qui mercenariam clientibus operam præstabant. Invebitur Ausonius in mollitiem Jurisconsulti, eumque deridet, quod *legem Titiam non metueret;* quod enim indoctus erat nihil lucrabatur. *Alciatus.* Idem quod de *Titia* hic, de *Cincia* Cornelius l. XIII. scripsit, et consimiles observatos locos de Jctorum historia, in Julio Paullo retuli. Aliis autem ex suspicione visum est, pro *Titia*, legem *Cincia* legi hoc loco debere : quibus lubens subscripserim, cum uterque liber Palatinus ita scriptum habeat. Vetus tamen lectio, et

quidem a doctis, vulgo ab aliis retinetur, ob D. Ausonii Epigramma 91. ‘ Jurisconsulto, cui vivit adultera conjux, Papia lex placuit, Julia displicuit. Quæritis unde hæc sit distantia? semivir ipse Scantiniam metuens, non metuit Titiam.’ Verum aliter multo quam alii exponant, versus illos interpretor : quis lepidius, ingeniosi judicabunt. Sensus autem est : JCtus legis Papiæ præmia tributa maritis consecuturus, uxorem duxit : quacum vivens, in sponsionem cum altero de ejus pudicitia venit, exindeque uxoris adulteria rescivit : sic ei, qui nihil antea mali suspicabatur, placuerat lex Papia : dein displicuit lex Julia de adulteriis coërcendis, ex qua dimittere uxorem coactus est. Fuit autem in placitis ita varius, qui muliebria passus in prostitutos metuens legem Scantiniam, dum petitos mares quam fœminas et alios eidem, cui ipse est, libidini mancipatos omnes credit, juris scilicet legumque peritus non metuit legem Titiam, id est, ausus est de turpitudine propria, uxorisque detegenda, non virtutis causa, sponsionem facere, quod lex Titia et Cornelia vetuit, apud Martianum lib. v. Regularum. D. de aleatoribus. Quæ si aliis tam vera quam mihi verosimilis interpretatio videtur, jam de legum albo et ex hoc loco, supposita pro *Cincia* de muneribus, *Titia* lex eradenda est. *Vertran.*

Cap. 6. *Ne fidem quidem integram manere*] Quum conjunctio *quidem* non sit in exemplari scripto, maluimus legere, *Nec fidem integram manere.* Nam hanc particulam etiam in sequentibus sæpe reperi infultam a castigatoribus. *Rhenanus.* Editio Veneta non infimæ notæ præferebat *ne fidem quidem ;* efficacius quam alii *nec fidem.* Freinshem. Quum Rhenani lectionem, e Budensi proditam, neque ex Vaticanis Vertranius et Lipsius, neque ex Florentinis Pichena sollicitarint, verosimile est eos codices istam adfirmasse. Illa autem non infimæ notæ editio non magis quam Frobeniana an. 1519. quam Aldina 1534. et omnes quæ præcesserunt Rhenani recensionem, habent et hanc et alias audaciæ primitus edentium notas : quos eadem, opinor, efficaciæ objecta inanis species a veteri scriptura discedere compulit. *Nec fidem* est quod alii exprimerent, *Sed nec fidem*, vel, *Nec vero fidem.* Gronov.

Quod si in nullius mercedem negotia tuentur] Facile credo esse hic aliquid scabri. Lipsianæ ad marginem ostendunt in Mss. esse *negotiantur.* Forte : *Quod si in nullius mercedem negotia eant, pauciora fore.* Sic l. III. ‘ qui neque servatus in periculum reipublicæ, neque interfectus in exemplum ibit.’ Lib. XIV. ‘ Itur in principis laudes.’ *Gronov.*

Meminissent C. Asinii] Omisi verba, quæ non repperi in libris scriptis, aliunde inculcata. *Lipsius.*

Ad summa provectorum] Codex Budensis habet, *ad summa provectos ;* et est non absurda lectio, si quis recte distingnat, nempe hoc modo : *Meminissent T. Galbæ, C. Asinii, et Messallæ, ac recentiorum Arruntii et Esernini. Ad summa provectos, incorrupta vita et facundia.* Subauditur verbum, *esse :* nam illud, *ad summa provectorum*, plane durius est. *Rhenanus.* Hic quoque Venetum sequimur, *provectorum :* alii, *provectos.* Freinshem. Videtur quidem rotundiorem facere periodum τὸ *provectorum :* et ideo sic ausi corrigere, qui primas editiones curaverunt. Sed neque spernendum est, quod constare membranis clamat mihi silentium eorum, quibus harum copia fuit. Livium imitatus dixisset : *Quos ad summa provectos.* Id pronomen omissum brevitatem Taciti haudquaquam dedecet. *Gronov.*

Et postquam annuit tacens] Veteres, *tacere.* Lego, *postquam annuit, agere incipiunt.* Lipsius.

Postquam annuit tacere] Hic snrrepsit *tacens* sive *agere*. Mihi autem *tacere* placet: transitque in vim nominis, ut *vivere*. Salinerius. Flor. lectio: *postquam annuit, tacere incipiunt:* ac supra, alia manu, sed antiqua, scriptum est, *agere*. Pichena. In quibusdam pro *tacens* est *tacere*, ex quo formem *jucere*. Sic: *postquam annuit, jacere* (hoc est serere, disserere, proloqui non continua oratione, sed velut interjungentes) *incipiunt*. Freinshem. Posses hæc accipere de ea facundia, quam mutam vocat Cassiodorus: de qua illud Ovidii: 'Sæpe tacens vultum, verbaque vultus habet:' quæ et gestibus peragitur. Sed cum in Mss. sit *tacere*, lege *Postquam annuit placere*, scilicet, ut loquerentur, *incipiunt*. Boxhorn.

Cap. 7. *Quem ullum tanta superbia esse*] Codex Budensis habet; *Quem illum tanta superbiæ esse*. Rhenanus. Etiamnum prætulimus Venetam lectionem, *quem ullum;* communi, *quem illum*. Freinshem.

Quis se alienis negotiis intendat] Bene *intendat:* etiam omisso *se*. Quid tamen si, illo retento, pro hoc legas *impendat?* Acidal.

Nisi cujus fructus ante prævidetur] In cod. Budensi manifeste legitur, *providerit*. Et quid erat opus hoc mutare? Subauditur autem *quisquam* aut *ipse*. Rhenan. Malim, *fructum:* at verbum, *præviderit*, reposui ex Flor. Vulgo, *providerit*. Pichena.

Qui a republica] Quidam scripti, *qui et a:* ex quo Pichena, *quieta rep.* et mox deinde, *petere*. Assentior. *Lipsius.*

Quieta Rep. nulla nisi pacis emolumenta petere] Hanc lectionem ex Flor. elicui, in quo legitur: *qui et a Rep.* unde vulgo, *qui a Rep.* Optimo ergo sensu respondent verba, *quieta Rep.* ad superiora, *bellorum præmiis refertos*. Nos (inquit) modici senatores, quibus in hac imperii pace bellorum præmia non possunt contingere, satis habebimus, si pacis emolumenta, id est, eloquentiæ fructus, nobis relinquatur. *Pichena.*

Cogitare plebem] Displicent quæ scripsi olim, et induco. Vett. *cogitaret*. Scribo, *cogitare et plebem, qua toga enitesceret:* id est, Etiam quemvis e plebe occupatum esse, ut emergeret se, et nitidiore toga uti posset. Sed revera (iterabo hunc animi mei sensum) et narrationes et orationes istæ, turbatæ, concisæ. Confer, sodes, hunc xi. librum, cum uno quovis e primoribus: jurabis elapsum eum imperitorum manibus, velut e pugna aliqua Cannensi. *Lipsius.*

Cogitaret plebem qua toga enitesceret] Diu cum hoc loco sumus luctati, nihil nos adjuvante codice scripto. Deprehendimus tandem pro *cogitaret* legendum *cogitare*, et *qua* non pronomen hic esse, sed adverbium pro *quatenus*. Itaque circumflexum accentum super imposuimus, ne se lector hic torqueat. *Cogitare plebem, qua toga enitesceret*. Sensus est, cogitare plebeios, quo pacto sese altioribus ordinibus inserant, atque in senatum allegantur. *Rhenan.* Valeant emendationes: hæc reddunt optimum sensum. Suilius et Cossutianus (inter multa, quæ jaciebant, ne pretium aboleretur patronis causarum) hæc inserunt, opus esse pecunia, qua ipsi decoris vestibus instruerentur: quod eo tempore plebs ludos faceret oratores pannis obsitos, quippe quæ inania tantum probaret. Juven. Sat. vii. 'Et tamen hoc ipsis est utile, purpura vendit Causidicum, veudunt ametbystina: convenit illis, Et strepitu, et facie majoris vivere census.' Hæc Satirographus: quæ tamen ipse ferre vix potest: 'Cum tu multitia sumas, Cretice, et hanc vestem populo mirante perores, En habitum, quo te leges ac jura ferentem.' Nec antea Demostheni condonata sunt: illi vitio data κομψὴ χλαινίς: et μαλακοὶ χιτωνίσκοι, i. *vestis elegans, molles tuni-*

culæ.' Gell. I. 15. *Saliner.* Videtur sensus: Etiam plebs cogitat, quomodo per togam, id est per eloquentiæ studia, possit ad facultates et dignitates pervenire. At Flor. habet, *cogitaret*, ut forte velit, ipsum Principem ad plebeios etiam animum advertere, qua ratione valeant emergere, togaque clarescere. Nulla enim iis alia spes reliqua, si studiorum pretia tollantur. Quid si pro *qua*, legas *quæ*, ut de parte illa plebis intelligat, quæ aliquando honores adipiscebatur, non etiam de infima? *Pichena.*

Etiam studia peritura. Ut minus decora hæc, ita] Hactenus editi, *etiam studia peritura ut minus decora. Hæc ita:* quæ lectio cum meo suasu mutata sit, ad causas mutationis indicandas obligatum esse me sentio. Primo itaque nego commodum habuisse sensum: quid enim studia *minus decora* videbuntur, si pretia tollas? immo hercle si hæc magis respicias, haud facile atrociorem iis injuriam inferas: quæ et Ulpianus eleganter monet l. I. § 1. de extraord. cognit. ' pretio nummario non esse dehonestanda.' Unde et Themistius invehitur in eos, qui mercede docent, sophisticum id esse dicens, in Oratione 4. Posteriora autem verba: ' Ut minus decora hæc, ita,' &c. conjungenda esse duxi particulis *ut, ita*, hoc volentibus, quæ sibi sic opponi solent: quemadmodum *etsi* vel *quidem* et *tamen*. Est ergo sensus: Hæc quidem ut pro sordido lucro dicta, non satis esse decora reipub. sed tamen adesse dicentibus rationes, propter quas non omnino repudiari debeant. Hæc ergo particularum istarum sic oppositarum vis est: quarum usus apud nostrum frequentissimus, ut H. III. 56. ' Ut terrorem Italiæ, &c. ita haud dubium.' H. I. 7. ' Ut avaritia et libidine fœdum et maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse.' H. II. 50. ' Ut potior utroque Vespasianus, ita bellum horrebant.' H. III. 29. ' Ut ad præsens disjecit obruitque quos inciderat; ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit.' H. II. 37. ' Ut concesserim, &c. itaque neque Paullinum,' &c. XIV. 45. ' Ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonæ voces respondebant.' XVI. 7. ' Ut palam tristem, ita recordantibus lætam.' XIV. 24. ' Ut nullis ex prælio damnis, ita per inopiam et labores fatiscebant.' XV. 16. ' Ut augendæ infamiæ composita, sic reliqua non in obscuro habentur:' nisi forte eo loco pro *sic* legendum est *sint*. Quapropter ita quoque scribendum arbitrer H. I. 52. ' Vitellius ut apud severos humilis, ita comitatem vocabant,' &c. et apud Liv. XLI. 20. ' Rhodiis ut nil unum indigne, ita omnis generis dona dedit.' *Freinshem.*

Usque ad dena sestertia] JCti tradunt licere advocato in singulas causas pro honorario centum aureos accipere. Hanc summam eamdem cum HS. X. arbitror, cum centeni nummi aureo pensentur, et *decem sestertia* decem millibus nummorum sestertiorum valeant: qua æstimatione consequens est æstimari aureum antiquum undecim libris, assibus quinque nostris, hoc est, duobus ducatis coronatis cum dimidio. *Alciatus.* Vide ad hunc locum quæ scripsimus Pecuniæ Veteris II. 5. *Gronov.*

Quem egressi] Vulgo *quæ egressi;* nec male, ut ad sestertia referatur. Potior tamen mihi Floren. lectio, *quem*, id est, quem modum. Sic lib. XIII. in princ. ' Pallas tristi arrogantia modum liberti egressus.' *Pichena.*

CAP. 8. *Conjugique ac filio ejus præparaverat, unde metus ejus, &c.*] Malim deleri posterius *ejus*. Muretus etiam *properavcrat* scribit. *Acidal.* Nihil certius mihi quam Tacitum scripsisse *properaverat*, quod et Mureto visum. Ut l. II. ' petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset.' L. I. Cod. de his qui par. ' Si quis parentis aut filii aut

omnino adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properaverit.' Virgilius Æneid. IX. 'an sesc medios moriturus in hostes Inferat, et pulcram properet per vulnera mortem.' Vulgatum vix Latinum est, neque elegantius *paraverit*. Gronov.

Gotarzem perturbat] Castigavimus, *proturbat*. Rhenanus.

Proximas præfecturas corripiat] Varia hujusce dictionis est significatio. Agennius Urbicus libro de controversiis agrorum, 'præfecturas eos agros' dici auctor est, 'qui cum alterius jurisdictionis essent, principis placito alicui civitati ascribuntur.' Sunt et præfecturæ dictæ, munia præfectorum. Ausonius: 'Præfecturarum titulo tenuere secundo.' Sunt enim quatuor dignitatum in jure civili ordines, *illustres, spectabiles, clarissimi, perfectissimi:* ex his *præfecti* sunt spectabiles: ut merito dictum sit, *secundum his titulum duri*. Sed et non absimili significatione in Assyriis et Medis præfecturæ erant. Sic enim vertit Plinius, quos Græci *νόμους*, Herodotus etiam *σατραπείας* appellavit, ut Laur. Valla infelicissime *portiones* transtulerit. *Alciatus.*

CAP. 9. *Simul Ibero*] Alii *simulque Ibero:* sed nihil opus copula *que*, cum particula *simul* per se conjungendi vim habeat. Ergo Venetam lectionem præferendam duximus. *Freinshem.*

Nec enim restitere Armenii] Scripti codicis lectio, *resistere*, id est, *resistebant*. Rhenanus.

Deinde literis Cæsaris coërcitus] Brevius Flor. *dein literis Cæsaris.* Idem paulo infra: *dein prævaluit Gotarzes.* Pichena.

Fœdus repente faciunt] Non, ut in libris hodie, *jaciunt*. Bene etiam Maurus, *iciunt*. Porro an hic *Bardanes* sit, quem in eo tractu, regem a se visum et conventum Apollonius apud Philostratum dicit, nescio. Ætas patiatur: sed et ibi notatur, 'pulsum eum regno fuisse, et tertium tunc annum iterum regnasse.' Lib. I. *Lipsius.*

Fœdus repente faciunt] Exemi quod erat, *jaciunt:* neque enim id unquam verbum, a quoquam scriptore, in hac significatione usurpatum est. Contra auctores omnes Latini sermonis scientes, fœdus *icere* dixerunt: de cæteris Cicero, Virgilius, Livius, Suetonius, et hic noster Cornelius sup. lib. IV. non *jacta*, sed 'icta nobiscum fœdera;' et infra l. XII. non *jecerant*, sed orsos Bizantios sermonem suum a 'fœdere, quod nobiscum icerant,' scripsit. *Vertranius.* Lego, *fœdus repente sanciunt:* nam Annal. II. ita noster, 'sanciendo fœderi.' Lib. XII. 'hortari Mithridatem ad sanciendum fœdus.' *Aurelius.*

Gotarzes fratri patefecerat] Ita reposuimus, pro *patefecit*. Rhenanus. Muretus *patri*. Nescio unde aut quare. *Acidalius.*

Potiorque Bardanes] In scripto non est adnexa particula, *que*. Et quid erat opus addere, quum brevitati Cornelianæ magis conveniat eam abesse? *Rhenanus.*

CAP. 10. *Exin validissimas præfecturas invasit*] Hic locus meo judicio recte fuit castigatus, quum in scripto volumine legatur *invisit*, sed perperam. *Idem.*

Et reciperare Armeniam *] Non sanus locus: de quo velut in tenebris micabo. Libri scripti voce auctiores, *reciperare Armeniam habebat*. Et rectumne illud? ut sit Græcorum ἔχω, ἀντὶ τοῦ δύναμαι: quomodo Cicero, Appuleius, Agellius, aliique e Latinis interdum. An, *havebat?* an, *audebat?* verbum quidem infarciendum est, ruenti sententiæ sustentandæ. Veneta editione, *reciperare Armeniam parabat*, expressum invenies. In Vat. opt. (siquid hoc ad rem) *habeat*, scribitur: littera alia superne adjecta. Quid si etiam, *reciperare Armeniam ibat?* sive *vadebat?* Lipsius.

Et reciperare Armeniam parabat] Hic verbum *parabat* est infultum postea, nam Tacitus scripsit: *Et recuperare Armeniam, ni Vibio, &c.* id est, recuperabat. Testatur id Codex Budensis. *Rhenanus.* In v. c. est: *Exin validissimas præfecturas invisit, et recuperare Armeniam parabat, ni Vibio, &c.* Ursinus. Omnes hunc locum quasi labentem tibicine suffulciunt: sed (libere dicam) nec eo sine dedisset ruinam. *Recuperare*, id est *recuperabat:* noster Ann. l. I. 'hæc atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti.' At *recuperabat* sibi sumit vim *recuperasset*, ut in ejusmodi fit. *Salinerius.* Hic abstineo manum. Sed Florent. tantum lectionem corruptam auctioremque refero: *exin validissimas præfecturas invisit, et recuperare Armeniam habeat, ni Vibio Marso, &c.* Pichena. Lipsius varie. Mihi ex omnibus nihil præter ipsam scriptorum librorum lectionem placebat, *Reciperare Armeniam habebat.* Vel Mureto assentiar, qui e vulgata simpliciter, *Et reciperabat Armeniam, ni a Vibio, &c.* Acidalius. Corrigo: *et reciperaret*, vel *reciperasset Armeniam:* etsi non improbem correctionem Lipsianam. *Harlæus.* Optime Rhenanus et Salinerius. Vide Observat. I. 14. *Gronovius.*

Ad flumen Ginden] Codex Budensis, *ad flumen Sinden.* Rhenanus. Corruvianus habet, *Sindem.* Vertranius.

Longinquam quamque aspernabatur] Particulam *quamque* errore librarii repetitam induximus. *Rhenanus.*

Nec enim cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parata] Docuit regius liber conjunctione *enim* expuncta, pro *parata* scribendum *parta*, sententiamque legendam absque parenthesi hoc modo, *quibus opes suas testabatur, nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur.* Quamquam nihil mali sit, si clausula parenthesi includatur. *Idem.*

Subjectis intolerantior] Iterum putem ob causas modo mihi dictas ponendum *intoleratior.* Grotius. Jam diximus *curis intolerantibus* pro intolerandis dixisse Lævium: ut *intolerantior* possit esse minus tolerandus. *Gronovius.*

Pauces inter senum regum] Muretus, *paucis inferiorem regum.* Supervacue et male. Non respexit vir bonus præcedentia verba illa, *primam intra juventam.* Acidalius.

Parthorum res, inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. Multi, &c.] Muretus sic distinguere maluit: *Parthorum res. Inter amb. q. i. r. acciperetur, multi.* Ego, ut vulgo est, relinquo. *Acidalius.*

Prolem Phrahatis] Non filium, ne erres, sed nepotem ex Vonone. Ipse Tacitus infra. *Lipsius.*

Potitusque regia] Vat. opt. *regiam.* Itaque scripsit. *Idem.*

Potitusque regiam] Vulgati non minus recte, *regia:* tamen quia Lipsius testatur, in Vat. codice legi, *regiam*, et Flor. congruit, eam vocem reposui. *Pichena.*

Permitti Meherdatem] Viri summi proniores erant in *remitti.* Sed controversiam minime movendam scripturæ receptæ, satis ostendi Notis meis ad Martialem Epig. x. 12. 'Ne vivam, nisi te, Domiti, permitto libenter.' *Gruterus.* Ad hunc Martialis locum adde, si libet, quæ scripsimus Observ. II. 13. *Gronovius.*

Cap. 11. *Equis ludicrum Trojæ*] Ut scripsit Suet., ludus ipse quem vulgo *Pyrrhicham* appellant, *Troja* vocatur: cujus originem expressit in libro de lusibus puerorum: adhucque superest descriptio Virgilii Æneid. l. v. peditum tamen proprie Pyrrhicha saltatio est, apud Athenæum XIV. 12. Troja vero ludus puerorum, qui turmatim se invicem ex equis peterent: unde formatum vulgare *Torniamentum*, quasi *Troiamentum.* Vertranius.

Miraculis adsimilata] Ita Flor. vul-

go, *assimulata.* Pichena. Ego hanc notam potius ætatis in librario puto, qui Tacitum et æquales ejus nunquam *similare*, ut sequiorem ætatem, scripsisse arbitror; et de eo ad Statium dicere cœperim. *Gronovius.*

Cap. 12. *Juniam Syllanam*] Muretus, *Juniam Silanam.* Acidalius. Ita l. XIII. non semel. Male vulgo, *Syllanam.* Pichena.

Egressibus adhærescere] Sic l. v. de Nerone: 'Cujus ne modicos quidem egressus tolerarent.' *Rhenanus.*

Cap. 13. *Severis edictis increpuit*] Sic melius ex Flor. *edictis*, quam vulgo *dictis.* Lib. v. 'increpitaque per edictum plebe.' Lib. XIV. 'Tum Cæsar populum edicto increpuit.' *Pichena.* Sequor quod expressit Covarr. codex, *Severis edictis:* ita scripsisse *Tacitum* inde evincas, quod id quoque restet in Ms. Florentiuo, et ita solebant imperatores. *Gruterus.*

Cap. 14. *Et antiquissima monumenta*] Lego, *ea antiquissima.* Lipsius.

Et antiquissima monimenta] Pro *et* substituam *ea*, totamque periodum includam parenthesi (*ea ant. monimenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur*) *et litterarum, &c.* Freinshemius.

Arcade ab Evandro] Sive a Carmenta ejus matre, ut visum aliis. *Lipsius.*

Et forma] Antiquior lectio. *Et forma*, Rhenanus. Plin. VII. 58. 'Veteres Græcas fuisse easdem pæne, quæ nunc Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio dono principum Minervæ dicata in Bibliotheca, cum inscriptione tali, Ναυσικράτης Τισαμενοῦ Ἀθηναῖος ἀνέθηκεν.' *Ferrettus.* Verba Græca, NAVSIKRATES. TISAMENO. ATHENAIOS legit Josephus Scaliger: NAΥΣΙΚΡΑΤΕΣ. ΤΙΣΑΜΕΝΟ. ATHENAIOΣ. ANETHEKEN. *Salmasius.*

Claudius tres literas adjecit] De iis literis, quæ in autoribus exstat memoria, ita exstat, ut tertiæ nobis ignota forma, duarum a nobis indagata sit. De priore sic accepi: Syllabæ sono in his nominibus declarando, *divus, clivus, rivus, servus,* repertam esse novam literam Ⅎ. quæ in hoc nomine VIⅎVS in antiquis spectationibus etiamnum aspicitur, et apud Agellium Digamma Æolicum appellatur, l. XIV. 5. quod in Latio desideratum, et a Claudio non inutiliter adjectum ait M. Fabius l. I. 4. et 13. De altera comperi, cum S præpositum P loco ψ Græcæ fungeretur, pro duabus illis literis Claudium Cæsarem in Latium induxisse antisigma, et hac figura) (scribi voluisse: de quo testis est Priscianus l. I. ubi de accidentibus literæ. De tertia Velius Longus hoc habet in lib. de Orthographia,' quem manuscriptum apud Strossium egomet Romæ legi: 'Claudius princeps,' inquit, 'novam quandam literam excogitavit similem ei notæ, quam pro aspiratione Græci ponunt, per quam scriberentur illæ voces, quæ neque secundum exilitatem literæ, neque secundum pinguedinem sonant, ut Viro et Virtute: neque rursus secundum latum literæ sonum enunciarentur: ut in eo quod est, Legere, Scribere.' Quibus verbis significat tertiam Claudii literam R leniendo inventam fuisse. Sed licet Cæsar hæc non sine ratione induxerit, nulli tamen ausi sunt antiquam scripturam mutare, et, ut ait Priscianus, *consuetudo superavit.* Vertranius. Hoc idem Suetonius ait. Sed tres literæ, quæ fuerint, non scribit. Unius certi sumus ex titulis, ut *amplia*Ⅎ*it.* Alteram existimo fuisse II pro H Græco: tertia litera quæratur, et fortasse pro ω aliqua nota. *Ursinus.*

In ære publicandis plebiscitis] Ego vero cum Imperatoribus tollo hæc plebiscita: quæ vim usumque Claudii temporibus habere non potuerunt, omni potestate tralata ad unum.

Quære exempla in historia principum, non invenies. Legerim, *publicandis scitis.* Sciti nomen generale est, et ad decreta omnia pertinet ac jussa. Et haud dubie ea scriptura observata non solum in plebiscitis (ut demus ea fuisse) sed in legibus aliis edictisque. *Lipsius.*

In ære publicandis plebiscitis] Una litera adjecta corrupit sententiam. Fuit *publicandis plebi SCtis:* id est, Senatusconsultis: illis enim æneis tabulis, quæ senatus constituerat, plebi innotescebant. Eodem spectat Ovidii illud: 'nec verba minantia fixo Ære ligabantur.' *Grotius.*

Cap. 15. *Vetustissima*] Quam ipsi Romani liberos suos capere volebant, ac publice mittebantur. Vide Valerium l. I. de Relig. et Ciceronem II. de Divinat. *Lipsius.*

Temporibus accitis] Non displicet veteris libri scriptura, qui habet *accitos* pro *accitis:* quamvis et *accitis* æque placet. *Ursinus.* Malim *accitos.* Rhenanus. *Accitos* omnino melius quam *accitis;* ostendit enim olim ita fieri solitum: utendum ergo ipsi casu, qui narrationibus proprius est. *Freinshemius.*

Superstitiones valescant] Venetus, *invalescant.* Pichena.

Referendam, ne] Non recte videntur hæc conjungi; distinxerim potius *referendam: ne, &c.* Freinshemius. Non videtur cepisse vir insignis, quum judicavit hoc membrum a proximo τελείᾳ ὑποστιγμῇ separandum. Neque enim novum argumentum est aut stimulus hortationis differens ab eo, quo jam usus est: sed id ipsum quod brevius attigerat, persequitur explicatius. *Gratia,* quam Diis referri, &c. * *Gronovius.*

Cap. 16. *Cheruscorum gens regem Romæ petivit*] Malim, *Roma petivit.* Nam sic scribit l. XIII. 'Barbaros malle Roma petere reges quam habere.' *Rhenanus.*

Atque eo magis, quod nullis] Veteri Covarr. abest vox *magis.* Gruterus.

Jamque apud proximos, jam longius clarescere] Melius in Cod. Budensi, *Jamque apud proximos longius clarescere.* Rhenanus. Ex Flor. restitui, *apud,* vulgo, *ad proximos.* Pichena.

Principem locum impleat] Et hoc ex Flor. Vulgo, *principis locum.* Sic l. IV. 'Satisque habere, si locum principem impleam.' Et 'spe objecta principis loci.' *Pichena.*

Supra cunctos extollatur] Castigavimus, *attollatur.* Item *hostili in loco, hostili in solo.* Rursum *posset extimesci, posse extimesci.* Rhenanus.

Arminium præscribi] Qui illi patruus: et tamquam in ejus gratiam honoremque Principatu ornatus esset. *Lipsius.*

Infectum alimonio] Ita Flor. vulgo, *alimonia.* Pichena.

Quam parentes ejus exercuisse] Ita vulgati libri, quod non placet. Videtur legendum *parentem.* Ursinus. Legendum puto, *parentem:* supra, 'si paterna Italo mens esset:' et paulo infra: 'nec patrem illi rubori.' Error similis, de quo monui in princip. l. III. Scias etiam Italum istum, in Florentino ubique Italicum nominari. *Pichena.* Muretus, *parentem.* Recte. *Acidalius.*

Cap. 17. *Nec patrem illi rubori esse*] Vox postrema non comparet in membranis Covarruv. neque habet certe, quod hic agat. *Gruterus.*

Magno inter barbaros prælio victor rex] Forte, *magno ut inter.* Lipsius. Dubito an non, *magnus;* quasi dicat magnum habitum Italum regem, post victoriam prælii. *Acidalius.*

Cap. 18. *Morte Sanquinii*] Sanquinii Maximi, de quo supra dixi. *Lips.*

Qui natione Caninefas] Scribendum est, *Cannanefas,* ex antiqua inscriptione apud Vulsinios superioribus annis reperta, cujus exemplum hoc est: 'L. Cannulejus. in. Italia. Volsiniensium. patriae. suae. item. Ferent. et. Tiburtium. item. coloni.

Italicensis. in. prov. Baetica. praet. Etrur. populor. sacerdoti. Caeninensium. M. Helvius. M. F. Clemens. Arnensi. domo. Cartagine. praef. eq. alae. primae. Cannanefatum. Praesidi. sanctissimo. et. rarissimo. curam. agente. L. Aconio. Calisto. tribuno. mil. leg. XIIII. Gem. Sev.' *Ursinus.*

Auxiliaris, et diu meritus, post transfuga] Vaticana scriptura, *auxiliare esd in meritis.* Fortasse, *auxiliaris, dein emeritus.* Nam et auxilia, illo ævo, credam adstricta ad militiæ certum modum. Mercero placet, *Auxiliare æs diu meritus.* Lipsius.

Auxiliaris et diu meritus] Budensis codex habet *ex diu meritis.* Rhenanus. Proba lectio si esset a libris. Ita sup. l. II. 'Tacfarinas auxiliaris, stipendia meritus.' Sed libri variant, et in Vaticano est: *auxiliare es diu meritus.* Quid propius quam quod olim mihi visum, *auxiliare æs diu meritus. Auxiliare æs,* ut *æs militare.* Mercerus. Mihi placeat, *auxiliares inter diu meritus.* Acidalius. Farnesianus codex Ms. *auxiliare ex drumentis:* unde conjiciebat olim Lipsius, *auxiliaris ex frumentariis:* postea omnem hanc annotationem expunxit. Quod in conjectura facile fero: sed scripturam vetusti codicis insuperhaberi nolim: quippe in qua videam vestigia veritatis adhoc usque latentis. Eam esse credo: *auxiliaris et dux gentis.* Juvat quod legitur l. IV. de Thracibus: 'ne regibus quidem parere, nisi ex libidine, soliti, aut si mitterent auxilia, suos ductores præficere.' *Gronovius.*

Cæteras naves] Emendavimus, *cæteras navium.* Sic enim subinde Tacitus loquitur per genitivum, ut *quosdam militum, cunctis civium, residuis nobilium;* pro *quosdam milites, cunctis civibus, residuis nobilibus:* et sic de similibus. *Rhenanus.*

Operum et laboris ignaras] Farnes. *ignavas.* Lipsius.

Nec pugnam nisi jussus iniret] Facit huc quidem Sallustius c. 9. Catil. historiæ. Verum cum pugnam inire injussu imperatoris nunm fuerit de delictis, omni tempore, omni duci, castigatis; videtur audiendus manuscript. Covarruv. *ne quis agmine decederet, ne quis nisi jussus iniret:* ut referatur ad *agmen.* Sic lib. XIII. dixit 'stationem inire,' pro ingredi. *Gruterus.*

Feruntque militem, quia vallum non accinctus] Maurus Servius expouens illud Æneid. I. 'Illi se prædæ accingunt,' notat *Accinctos* industrios vocari, et contra negligentes *Discinctos,* ut 'discinctos Mulciber Afros.' Omnes vero qui militant cincti sunt. Nam mos militaris fuit, ut milites cingulo cincti semper essent, ut paratum ensem haberent ad omnia pericula, et erat ignominiosum discinctum esse militem. T. Livius libro VII. belli Punici, 'Districtis gladiis discinctos destituit.' Persius, 'Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?' Ita Corbulo, qui disciplinam militarem observabat, non accinctum militem morte punivit. Nam posteaquam juraverant milites, cingebantur zona militari, quod erat equo merentium insigne. Unde a Marcello *cinctus* dicitur pro eo, qui eques militat. Et apud JCtos sæpius reperias *Cingulum* et *Cingere.* Inde illæ loquendi formæ *accingi ferro,* quod infra a Tacito dicitur, et *Procinctus exercitus,* et *Procinctum testamentum,* quod illa pugnandi spe vel timore milites faciebant, de quo a Justiniano plura. Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio, 'Nam statim, et ad signa edici jussit, et programma in parietibus fixit, ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnem, discinctus rediret.' *Lupanus.* Ex more enim et disciplina, gladius, etiam in opere, gestandus. Vegetius l. III. 8. 'Milites gladio cincti fossam aperiunt.' *Pichen.*

Vallum foderet] Vallum aut vallus

non foditur, sed cæditur potius : idem enim est quod palus seu stipes : ergo hoc quoque loco pro *vallum foderet* leg. puto *vallum cæderet;* aut forte *vallum ferret.* Ut apud Horat. ' Fert vallum et arma miles :' et notum est istud Scipionis apud Livium Epit. LVII. ' Cum te gladio vallare scieris, vallum ferre desinito.' *Freinshemius.*

Falso jacta] Venet. editio ; *jacta, aucta:* hæsitante librario utrum præferret, utrumque adscripsit. Ego quidem hic malim, *falso aucta.* Lips.

Quæ munia et incertum an falso jacta vel aucta] Pro *munia* scripsimus *nimia,* et clausulam *vel aucta* delevimus. Infra ex *perlocutus* fecimus *prolocutus.* Rhenanus. V. c. habet: *Quæ munia, et incertum an falso jactata, &c.* Sed de verbo *jactata* dubius non sum, de *munia,* hæreo. *Ursinus.* Illud *nimia* a Rhenano est ; in Ms. enim *munia* erat ; quæ etsi non vera, tamen vero proxima scriptura. Legendum, *quæ immania.* Sic idem lib. IV. Ann. ' fabulosa et immania' dixit. *Pricæus.* Vulgo, *jacta:* ego judicium Lipsii secutus, malui, *aucta:* et fere Flor. consentit, in quo legitur, *acta.* Sic l. III. ' in falsum aucta.' *Pichena.* Lipsius, *aucta.* Muret. *jactata.* Quasi vero multum intersit, quid horum præponas. *Acidalius.*

CAP. 19. *Nos virtutem auximus*] Vereor ut scripserit, *virtute auximus.* Augendi verbum patiendi significatu, ut infra. *Lipsius.*

Nos virtutem auximus] Nulla causa est cur mutes, neque semper *augere* passive scriptum veteribus. Non melius illo, qui in Catullo, *augens,* vult esse pro, *auctus,* noto versu ; ' O decus eximium, magnis virtutibus augens.' Quum uno ductu recte scribatur, *augens decus virtutibus;* ut apud Ovid. ' Ille memor magni generis, virtute quod auget.' *Mercerus.*

Post rebellionem] Non, ut receptum, *per rebell.* Historia ipsa narrata fine lib. IV. *Lipsius.*

Post rebellionem clade L. Apronii cœptam] Quod Lipsius restituit : *post rebellionem* a Flor. confirmatur: male antea, *per rebellionem.* Pichena.

Præsidium immunivit] Ita manuss. At vulgi lectio, *inde munivit.* Suspicari possis antique fuisse *endomunivit.* Uti apud Livium l. v. ' Juventutem militarem Senatusque robur in arcem Capitoliumque conscenderc : armisque et frumento collatis, ex loco inde munito deos hominesque et Romanum nomen defendere :' scripserim, *endomunito.* Lipsius.

Præsidium immunivit] Vulgo *inde munivit.* Suspicatur hinc Lipsius *endomunivit:* atque idem verbi tentat Livio donare. Ego neque hic nec in Livio acceperim: cujus locus per se sanus. Vera hic lectio, *inibi munivit.* Nam is sensus : Apud hos præsidium munivit, ad alios alios, qui pellicerent, misit. *Acidal.* Nihil hic sollicitandum. Nam eadem vis est verbi, quam correctionibus quærunt. Sic Suetonius Tiberio 39. ' in prætorio, cui Speluncæ nomen, incœnante eo, complura eaque ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt.' Ut *incœnante eo,* est quum ibidem cœnaret ille, sic *immunivit* est ibidem munivit. *Gronovius.*

Cum prospere egisset] Josiæ Merceri lectio verior, *sin prospere,* et approbata quibusdam libris. Sententia, Adversa recip. nocitura ; prospera, ipsi Corbuloni. *Lipsius.*

Cum prospere egisset] Facillima huic loco medicina. Veteres libri : *in prospere egisset:* addita litera scribe, *sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem.* Non placet moveri arma a Corbulone ; sive rem bene gereret, ne arma et iis quæsitam auctoritatem verteret in principem ; sive male, ne quid imperium detrimenti caperet. *Mercerus.* Nulla est hic menda, eoque locus emendationibus esse non debuit. Sub imbelli principe, strenui duces (ut Corbulo faciebat) bella serere non debent, quia sibi, et Reip.

male consulunt; illi si vincantur, sibi victoriis partis: licet enim urgente metu princeps eos undique conquirat, tamen eo remisso, redditaque pace, ferre non potest, indeque præcipue sibi timet. Sallust. Cat. 'nam regibus boni, quam mali suspectiores sunt; semperque iis aliena virtus formidolosa est.' Noster Ann. lib. I. 'neque enim eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat; ex optimis periculum sibi.' In Agric. 'formidolosum id imperatori dictitans, quo plerunque prohibentur conatus honesti.' Ibid. 'Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum: at nunc veram magnamque victoriam tot millibus hostium cæsis ingens fama celebrare: id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli.' *Salinerius.* Male acceptus hic locus erat in omnibus libris: *cum prospere egisset:* merito ergo asterisco notatus. At nuper Josias Mercerus, unius tantum vocilæ mutatione, et aptiori distinctione, correxit, ac fere ad amussim congruit Florentinus, in quo legitur, *casuras in prospere, &c.* Pichena. Locus corruptus et sine dubio mutilus: paullum tamen quid deesse puto. Nam sententiam equidem video, quæ hæc fuit, tanquam si scriptum: *Adversa in Remp. casura, cum prospere egisset. Fecere hæc formidolosum paci virum insignem.* Acidalius. Sensus hujus loci non est, ut equidem opinor, adversa Reip. nocitura, prospera ipsi Corbuloni: sed potius suspicio erat si prospere egisset versurum arma in principem ignavum, unde bellum civile; quo enim alias illud, *formidolosum paci.* Freinsh.

Cap. 20. *Beatos quosdam duces*] Corruptione litteræ, periit huic dicto Venus. Scribe, *quondam:* id est, olim libera rep. Persuadet Dio, qui sic extulit: *ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες. Lipsius.*

Beatos quosdam duces] Vere *quosdam:* nimirum Sullam, Cæsarem, Pompeium, et quoscunque alios, qui olim ex sua libidine bella moderabantur. Eruditissimus vir maluit, *quondam*, quasi respiciat Corbulo ad omnes veteris reip. duces, citatque ex Dione *ὦ μακάριοι οἱ πάλαι στρατηγήσαντες*: i. *o beati qui quondam exercitus duxere.* Ego non tanti facio Græcos in re Romana, ut ad eorum normam nostrum rear esse corrigendum: maxime quod verba Dionis, quantumvis generalia, possint etiam speciatim interpretari: ad ultimum duces veteres aliquando senatusconsulto ultimam bello manum imponere prohibiti sunt. *Salinerius.* Lipsio prorsus assensi, *quondam*, legenti. Iusipide vulgo, *quosdam.* Pichena.

Ne tamen miles] Sententia scripturam eam damnat. Lege ergo, *Ut tamen.* Lipsius.

Ne tamen miles otium exueret] Plures incubuerunt emendationi, quasi sententia repugnet verbis. Putabam *exueret ἀντιφραστικῶς* a Tacito scriptum; quo me non parum inducebat Plautus Trinummo: quærit apud eum dominus a servo argenti rationem: 'Quid factum est eo?' Respondet servus, 'Comesum, expotum, exutum, elotum in balineis.' Quid *exutum* nisi vestitum, hoc est, pretiosis vestibus consumtum? Licet enim *exuviæ* proprie de inimicis dicantur, et ejus respectu, unde exutæ sint; Plant. Menæch. 'Uxoris exuviæ, induviæ tuæ, rosa:' simpliciter tamen aliquando pro vestibus cujusvis accipiuntur. Virg. Buc. 'Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.' Id. Æn. lib. IV. 'Dulces exuviæ dum fata Deusque sinebant.' Essetque sensus, Corbulo milites labori mancipavit, ne ocium induerent, hoc est, ne ocio indulgerent. Verum præstat explicare, *ocium*, id est, pacem: cujus rei plurimus est usus. Sallust. Jugurth. 'Quod in familia nostra fuit, præstitit,

ut in omnibus bellis adesset vobis : nos uti per ocium tuti simus, in manu vestra est.' Idem in hist. in orat. Cottæ : ' metuit ocium, odit bellum.' Noster Ann. lib. XII. ' nam militares artes per ocium ignotæ.' Et Ann. lib. XV. ' Cur deserta per ocium, quæ bello defenderat ?' Gnarus itaque Corbulo per labores militarem continueri disciplinam, voluit ut fossa a militibus duceretur, ne forte amoto hostium metu lasciviret, et suam provincialiumque pacem turbarent et exuerent. *Exuere pacem* ut *exuere jussa:* paulo ante, *ac ne jussa exuerent.* Salinerius. A Lipsio est emendatio. Male vulgo, *Ne tamen.* Idem fere Florent. indicat, qui habet, *vi tamen.* Pichena. Manum non adhiberem reformationi illius *exsueret*, sed potius fecerim *Ut* de *Ne.* Sæpius enim mutarunt sedem duæ illæ particulæ ; et ita hic habet editionum prima. *Gruterus.* Lipsius, *ut tamen:* vel ad finem, *exerceret.* Muretus longiusculæ abit, *Ne tamen miles otio insueseeret.* Mihi certe non tam crebra ejus verbi *Exuere* placeat repetitio : idem enim jam paulo ante. Nec tamen satis commode mutes : etsi varie possis. Ut relinquatur, legam, *Ne tumen miles otio vim exueret.* Acidalius. Duæ literæ adjectæ sensum facient optimum : *Ne tamen miles otio vim exueret.* Infra lib. XIII. ' pace longa segues, munia Romanorum ægerrime tolerabant :' et quæ ibi sequuntur. Grotius. *Ut tamen miles otium exueret.* Sic Lipsius. At nemo exuit otium, nisi qui jam est otiatus : quod de hoc Corbulonis milite jam dici non potest. Veteres habent : *Ne tamen miles otium exueret.* Scribam : *Ne tamen milites otium exueret.* Otium milites exuit, scilicet virtutibus militaribus, desidia et ejus amore irrepente. Sic Annal. I. *Exutoque Lepido*, vi, scilicet, omni ac potentia. Hæc enim eleganter subintelliguntur. *Boxhornius.* Recte Lipsius, Pichena, Gruterus : cætera, fabulæ. *Gronovius.*

Quia incerta Oceani vetarentur] Recte, non *vectarentur.* Lipsius.

Incerta Oceani vetarentur] Alias, *vectarentur.* Ferrettus. Atqui *incerta Oceani*, nimirum subinde crescentis, non tam vetari poterant hac fossa tantum in spatium producta, quam verti, ne circumjectis agris nocerent. Itaque fidenter rescribo : *fossam produxit, qua incerta Oceani verterentur.* Sub finem Annal. I. ' Actum deinde in Senatu ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augescit.' Quæ plane huc faciunt. *Boxhornius.* Recte Lipsius. *Vetarentur* est arcerentur, prohiberentur, ne restagnando terris nocerent. Adde Observat. I. 5. *Gronovius.*

Qui in agro Machiaco] Muretus mallet : *quia in agro.* Pichena.

Et fodere rivos] Forte melius, *effodere rivos.* Rhenanus. Intellige de utriusque ducis legionibus : nam *rivos effodere* ad Corbulonem ; *infra humum moliri* ad Curtium Rufum refertur. *Pichena.*

CAP. 21. *De origine Curtii Rufi*] Sunt qui opinentur historiam rerum ab Alexandro gestarum hujus esse, qui vulgo *Q. Curtius* citetur ; defenduntque indeprensо testimonio, observasse scilicet in antiquis codicibus. Ipse Angleriæ apud Verbanum, aram marmoream pluribus signis illustrem vidi, cum titulo *Q. Curtii VI. viri*, a quo fuisset dedicata. *Alciat.* Lipsii opinionem valde juvat Senecæ locus ad Polybium Consol. ubi eadem fere de Claudio cap. 31. et 32. ista præcipue : ' Patere illum generi humano tamdiu ægro et affecto mederi ; patere quicquid prioris principis furor conciussit, in locum suum restituere ac reponere. Sidus hoc quod præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat,' &c. *Acidalius.*

Oblata ei species mulichris] Plinius

super eodem miraculo : ' Inclinato die spatiabatur in porticu : offertur ei mulieris figura, humana grandior, pulchriorque : perterrito, Africam se futurorum prænunciam dixit : iturum enim Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum.' *Lipsius.*

Videtur mihi ex senatu] Restituimus hunc locum e libro Budensi : *Videtur mihi ex se natus.* Hoc autem dixit Claudius hominis virtutes commendans. Ex virtute enim quisque æstimari debet, quæ sui cultores regenerat. Mox cap. seq. *adipiscerentur*, pro *adipiscentur*. Rhenanus. Ut qui se ipsum imitetur, sibi constet, sui sit similis, parem non sit sequutus. *Ferrettus.*

Cap. 22. *Gn. Novius insignis eques Ro.*] Appellatur in Flor. *Gn. Nonius :* ibique et in antiquo edito, abest vox, *insignis*. Pichena. Alii voce una auctiores *Novius insignis eques Rom.* Sed Venetus *insignis* omisit; nec credo ab auctore esse. *Freinsh.*

De se Novius conscios] Non integer locus vel indicio libri Farnesiani, qui cum lacuna refert : *De se novi : : : : conscios.* Videmur non incommode explere posse : *de se Novius confessus, conscios non edidit.* Lipsius.

De se Novius conscios non edidit] Videtur deesse verbum, *confessus*, quod Faërnus addebat, sic legens : *De se Novius confessus conscios non edidit.* Ursinus. Cui stupori non erit ἀνανταπόδοτον manifestum fugisse eruditissimum virum ? Explet ille addito *confessus :* quod venustius latet in oratione. Thucyd. lib. III. Καὶ ἦν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα· εἰ δὲ μὴ, Μιτυληναίους εἰπεῖν ναῦς τε παραδοῦναι, καὶ τείχη καθελεῖν· i. *et si quidem aggressio ad votum respondeat : si minus, jubere Mitylenæos, et naves dare et muros deponere ;* quæ notis Scholiastes illustrans inquit : τὸ σχῆμα καλεῖται ἀνανταπόδοτον· ὁ νοῦς οὗτος· καὶ εἰ μὲν κατορθωθῇ τὸ ἐλπιζόμενον, καὶ τῇ πείρᾳ αὐτῇ καταλάβωσι αὐτοὺς ἔξω, καλῶς ἂν ἔσται τοῖς Ἀθηναίοις τὰ πράγματα i. figura vocatur ἀνανταπόδοτον· mens est : et si spes Atticos non frustretur, tentandoque ipsos extra civitatem deprehendant, recte res Atheniensibus procedent. Verum ne dicas nostrum hujusmodi præ oculis non habnisse, hæc obsecro, mihi lege : Ann. lib. II. 20. ' Seio Tuberoni legato tradit equitem, campumque : peditum aciem ita instruxit, ut pars æquo in silvam aditu incederet, pars objectum aggerem eniteretur, quod ardnum sibi, cætera legatis permisit.' An non tacetur *cepit?* similiter in sequentibus suppressum est *poterat*. Ann. lib. XII. 64. ' Enimvero certamen acerrimum, amita potius, an mater apud Neronem prævalerct. Nam Lepida blandimentis, et largitionibus juvenilem animum devinciebat ; truci contra ac minaci Agrippina, quæ filio dare imperium, tolcrare imperitantem nequibat.' *Salinerius.* Habet codex Florent. lacunam eandem, quam teste Lipsio, Farnesianus. Ex Livio autem, unde Tacitus fortasse sumpsit, suppleri potest : ait enim lib. XXIV. ' de se ipse haud contanter fassus conscios celabat.' *Pichena.* Volunt alii locum mutilum : non video quare : quippe constructio satis belle succedit ; prout ea uti amat Tacitus. Remque eandem enunciavit Livius lib. XXIV. de Theodoro, qui conspirat in Hieronymum Siciliæ tyrannum : ' Traditusque Andranodoro torquendus ; de se ipse haud contanter fassus, conscios celabat.' *Gruterus.* Ego puto, nulla difficultate, deleta vocula *de* scribi : *se Novius, conscios non edidit.* Compendium sermonis usitatum Tacito, qualibus locutionum amfractibus sæpe vox una duabus rebus jungitur, licet alteri tantum conveniat. *Edere* autem ad alios tantum pertinet, ut vulgo usurpamus : Tacitus vero, ne morem suum stringendi

sermonem migraret, etiam ei apposuit, cui minus apta ea vox erat, nempe Novio ipsi jam deprenso. *Barthius.* Inepte repetitum nomen proprium, et vox alia desideratur. Farnesianus liber *novi.* Scribam *nota.* De se edidit quæ nota erant, rem, non eausam rei. Considera antecedentia. *Grotius.* Corrigo : *nec de se Novius confessus,* aut *de se Novius non confessus et conscios non edidit.* Nam quod Lipsius tentat, id non patiuntur, quæ præeedunt : *nullis palam neque mox cognitis causis.* Nam si se eonfessus sontem fuisset, causæ eonjurationis enotnissent. *Harlæus.*

Valerius Potus, et Æmilius Mamercus] Restitui ex Flor. copulam *et,* quæ intereiderat. *Pichena.*

Duo additi, qui Romæ curarent] Sie Histor. lib. III. ' Exploratores, ut mos est, longius eurabant.' Verbum Sallustio quoque familiare in Jug. ' in postremo C. Marius eum equitibus curabat :' iterum ; ' ubi quisque legatus aut tribunus eurabat, eo acerrime niti.' Ibidem etiam, *curator,* dixit : ' de Rep. vestra, cujus huc curator missus es.' *Pichena.*

Cap. 23. *Suffecisse olim indigenas consanguineis suis*] Id est, Albani indigenæ, satis fuerunt ad explendum senatum Romanorum, quibus erant consanguinei. Liv. lib. I. Dec. 1. ' Quod bonum, faustum, felixque sit populo Romano, ac mihi vobisque Albani, populum omnem Romam traduecre in animo est, civitatem dare plebi, primores in Patres legere, unam urbem, unam remp. faeere ; ut ex uno quondam in duos populos divisa Albana res est, sie nunc in unum redeat.' Quod ait *in duos populos divisa,* describit consanguinitatem Albanorum et Romanorum, de qua poëta, ' Albanique patres atque altæ mœnia Romæ.' At hi cum cæteris e Latio indigenæ dicuntur, licet Græcis post admistis. Donys. Antiq. lib. I. 1. *βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες, οἱ σύμπαντες οὗτοι Λατῖνοι ἐκλήθησαν* : i. erant quidam barbari indigenæ, hi omnes Latini dicti sunt. *Salinerius.* Aeeipio interpretationem Pichenæ : sed ei obstat *τὸ populis. Populum Romanum,* non *Populos Romanos* novimus. Ergo aut inducenda vox ea, ut sit : *suffecisse olim indigenas consanguineis :* aut *populos* faciendum, ut sit, *suffecisse olim indigenas consanguineis populos :* aut denique scribendum, *suffecisse olim indigenas consanguineo populo :* nempe Italieos populo Romano, qui Etruscos, Latinos, Sabinos, &c. miscuerit, et unum ex omnibus sanguinem dueat, ut ait Florus lib. III. 18. Et hoc præfero. *Gronovius.*

Velut captivitas inferatur] V. c. habet *inseratur.* Ursinus.

Aut si quis pauper] Negandi vim habet. Quasi dieat : An aliquis etiam pauper e Latio Senator fiet ? non fiet. Posset etiam, *aut ecquis.* Lipsius.

Aut siquis panper e Latio senator foret] Forte repetitum intelligitur : Quem ultra honorem panperibus e Latio, qui Senatores nunc evadere possunt ? Vel potius ait : Si quis pauper e Latio Senator, nulla ei reliqua spes, honorum ae magistratuum adipiscendorum, si omnes divitibus provincialibus occupabuntur. *Pichena.* Si quid mutandum, lege, *residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio senator, fore ?* Acidalius.

Ferro vique ceciderint] Ita in meis libris, et reete. Vulgo, *Ferro ignique.* Simile mendum scio esse in Suetonii Claudio, cap. 21. ' Diu eunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem e sua sede prosiluit.' Lege, *vi ferroque.* Lipsius.

Ferro ignique ceciderint] Rejieio *vique,* injuriamque a nostro et a Suetonio defendo, Claud. 21. *din cunctatus an omnes igni ferroque absumeret :* ubi etiam *vi* supponunt : an ubique eadem menda ? Liv. lib. I. Dec. 1. ' vosque Dii testes faeio, me L. Tarquinium Superbum cum seelerata conjuge,

et omni liberorum stirpe ferro igni persecutum.' Curtius: ' admiratus Ephestion magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent.' Virgil. Æn. IV. ' Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.' *Salinerius.* Optime Lipsius *vique* invexit e mss. quos item firmat manuscript. Covarruvianus. Antea erat, *ferro ignique:* quod hic locum non habet; at habet tamen in Suetonii Claud. 21. Cum enim naumachiarii isti in navibus agerent; æque eis nocere poterat ignis quam ferrum: itaque nihil ibi mutandum. *Gruterus.* Cum a Flor. codice Lipsii lectio confirmetur, probam censeo; vocem autem, *ignique*, adulterinam. Neque solicitus sum de Suetonii verbis in Claud. c. 21. si præsertim libri veteres annuunt, ut dicitur. Libentius legerem, *igni ferroque:* quam, *vi ferroque.* Nam recte quidem a Suetonio dicitur, *igni absumere:* similiter in locis Livii ac Curtii, a Salinerio relatis, *ferro ignique persequi*, et *per ignes ferrumque petere;* at non proprie ab auctore nostro dictum videretur, *igni cædere.* Pichena.

Quid si memoria eorum inoriretur] Abstinui semper a correctionibus; at ubi res necessario monet, nihilo magis soleo manus continere: præsertim quando castigatio una literula mihi stat. Locus iste rejecta *s* litera est inter incorruptos: *quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio, et ara Romana manibus eorundem prostrati.* Τὸ *Capitolio prostrati* vice *strati pro Capitolio;* sicut jam diximus, lib. VI. ibi, ' Ut verum Latinium Latiarem.' Et sicut illa Cæsaris lib. II. Gallic. ' prædam militibus donat, exercitum Ligerim traducit:' illa Catulli: ' perambulabit omnium cubilia.' At quinam isti, qui pro Capitolio cæsi stratique sunt? seniores patrum plebisque, a Gallis sæviter discerpti: qui cum recipere se in Capitolium possent, mortem parvi fecere, ut juventus in eo facilius obsidionem toleraret, seque et sacram illam sedem ab injuria prohiberet. Liv. lib. v. 39. 'Si arx Capitoliumque sedes Deorum,' &c. Quod autem ad eam stragem respectum sit, liquet ex verbis Claudii ad ejusmodi respondentis: *capti a Gallis sumus.* Oblita mihi fuerant hæc Thucydidis lib. II. διαδραμὼν δὲ τὸ τῶν Ἀθηναίων στρατόπεδον i. *percurrens Atheniensium exercitum:* ubi Scholiastes, ἀντὶ τοῦ διὰ μέσου αὐτῶν δραμών: *pro per medium illorum currens.* Salinerius.

Qui Capitolio et ara Romana] Locus fractus corruptusque, uti oratiuncula hæc tota. Nec ista Attius Navius pater augurum restituerit, sine libris: nedum ut Beatus nobis persuadeat germanam lectionem esse, *qui Capitolio et ara Romana? manibus eorumdem parceretis?* Est enim, inquit, Aposiopesis: subaudiendumque, potiti sunt: qua figura medius fidius vellem ipse usus esset. Mei libri, *memoria eorum memoretur qui Capitolio et ara Romana manibus eorumdem per se satis.* Lips.

Fruerentur satis] Ubi quæsitum fuit ab iis, qui civitatem communicari vellent, an foret, ut Manes vererentur eorum, qui in urbe diripienda, ferro ignibusque vastanda, et oppugnando Capitolio intercidissent; instabant adhuc, si factitiorum civium animos tolleret majorum recordatio, denno scilicet urbe potiti, ' Fruerentur sane vocabulo civitatis' immo et re ipsa civitate. Hic tantum referam Florentini verba pariter corrupta *quid si memoria eorum moreretur, qui Capitolio et ara Romana manibus eorundem per se satis.* Pichena. Hic quoque locus fractus et corruptus: nec quem persanare hominis est, sine libris. Duo tamen in eo ipso notarim. Legendum potius videri *iniretur*, pro *inoriretur:* et pro *ara, arce.* Quamquam de Ara maxima possis capere: tamen verisimilius est de

arce. Nam sic sæpe apud alios auctores *Capitolium* et *arcem Romanam* jungi deprehendes: nusquam *Capitolium* et *aram*. Acidalius. Emenda: *Quid si memoria eorum innovarctur, qui in Capitolio et Arce Romana a majoribus eorundem prostrati?* Vel *innovetur*. Significat multos etiam in oppugnatione Capitolii atque Arcis, qui ex urbe eo confugissent, diutino obsidio a Gallis trucidatos. Justus Ryequius. Ego mihi hunc locum bene persanasse visus sum: *Quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio et ara Romana, mœnibus corundem prostratis, fruerentur? Sane vocabulum civitatis; insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.* Per *aram Romanam* intelligit Tacitus Maximam; quam ut et Capitolium, non fuisse prostratam satis constat. Ger. Vossius G. F. Tentabam: *Recentia hæc: quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolium et arcem Romanam, mœnibus eorundem prostratis?* Intelligo, obsederint ædificiis urbis adflictis incensisque. Ista, quæ recensuerat, ferro vique cæsas legiones, D. Julium apud Alesiam obsessum, recentia et memoriæ nondum exoletæ. At quanto graviore invidia premi posse Gallicum nomen, quanto minus dignos curia Romana visum iri, si mentio etiam fiat illorum, qui mœnibus incensis ac prostratis circa montem Tarpeium et aream per sex menses minacissimi pependerint. *Gronovius.*

Cap. 24. *Et statim contra disscruit*] Ita Florentinus et melius, quam, *etiam statim*, ut vulgo. *Pichena.*

Postremo ipsam] Romam intellige, et civitatem. *Ferrettus.*

Sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent] Florentin. absque copula, *sed terræ gentes:* fortasse non improbandum. *Pichena.*

Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros, &c.] Suspecta est mihi vox *Viros* cum Mureto: qui et ipse latere sub ea nomen familiæ alicujus censuit, sed corruptum. *Acidalius.*

Libertinorum filios] Verum ne dixerit ipse Claudius, an ii, quos ipse reprehendit, ex iis verbis docet Suetonius in eodem: ‘Latum clavum, quamvis initio affirmasset, non leetum senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum Censorem, generis sui proautorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii Claudii, et deinceps aliquandiu, libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.’ Sic accipe de eodem Appio scriptum apud Livium lib. IX. extremo. *Vertranius.*

Non, ut plerique falluntur, repens] Potior mihi vox, *repens*, quæ habetur in Flor. quam, *recens*, ut in vulgatis. *Pichena.*

Cap. 25. *Soli Gallorum fraternitatis nomen cum Po. Ro. usurpant*] * Asconium videat studiosus lector. Ideo hoc loco ait Tacitus Heduos *fratres* Po. Ro. dictos esse: atque Cicero in epistolis ad Trebatium eos *fratres* vocat. *Lipsius.*

Vetustissimum quemque e senatu] Patricios, nobiles, Senatorum progeniem, ex illustribus familiis natos, opibusque pollentes, seminarium Senatus fuisse, nemo nescit. At vero in numerum patriciorum aseiri *vetustissimum quemque e Senatu*, quid sit Cornelio, in difficili est. Argutulus Claudium dicet in numerum patriciorum Senatores retulisse: siquidem patricii, jure civili, sunt, quos princeps sibi in patres adlegit. Sed *ordo Patriciatus* non fuit in veteris imperii statu, neque pro patre principis accipitur *Patricii* nomen, nisi in Cassiodori, Sidonii Apollinaris, et similium, vel in Græc. Cæsarum scriptis. Ad rem: paucis jam superstitibus ex familiis

Patrum, quos Romulus *majorum gentium* dixerat, et ex familiis *Conscriptorum*, quos *minorum gentium* dictos, Tarquinius et Brutus in Senatum adlegerant, Claudius Cæsar voluit Senatum e Patriciis ætatis legitimæ, justique Census explere. An igitur princeps Senatorem e Senatu in numerum Patriciorum adsciverit, ut ex eodem Senatorum paucitati mederetur? Plus quam ridiculum sit hoc dicere. Quare lectionem receptam muto, ut ita legas, *In numerum Patriciorum ascivit Cæsar vetustissimum quemque e se natum, aut quibus clari parentes fuerant:* cujusmodi possit videre L. Otho, quem allectum inter Patricios Claudius ipse collaudavit. Suetonius Othonis initio. Consimili dicendi forma paulo ante usus hic auctor est, ibi, ‘ Curtius Rufus videtur mihi ex se natus :’ id est, qui sibi ipsi debeat initium nobilitatis suæ, licet ei virtute nobilitateve majores nulli præluxerint. *Vertranius.*

Lege Senia] Malim *Sentia*, a Consule Sentio, quamvis neque ullum de ea certum profero testimonium ; at *Seniam*, nemo, quod sciam, dixit ; nemo legit alibi. *Vertranius.*

Multo gaudio Cæsaris inibantur] Vix me teneo quin adseverem concinniorem fore auctoris sententiam, si reponamus *mutuo gaudio Censoris ;* sive fuit *Cæsaris.* Gruterus.

Mitem et receus repertam, quam ex severitate, &c.] Pessime depravatus fuerat hic locus ab iis, qui pro, *quam*, substituerunt *quandam.* Merito ergo sagacissimus Lipsius odoratus erat, negationem deesse : cui consonans est lectio, quam ex Flor. codice reposui. Subintelligitur enim, *potius*, Corneliano more. *Pichena.* Lipsius ad sententiam inserit, *haud ex severitate prisca.* Sed hallucinatur certe. Usum hunc præpositionis *ex* astruo exemplo Symmachi ep. IX. 92. ubi plura dicemus. Verba Symmachi sic habent : ‘ Instar beneficii erit, si mihi contingat de te ex voluptate securitas.’ *Acidalius.*

Ex severitate prisca] Alucinor, aut scribendum voce addita : *Haud ex severitate.* Sententiam eam esse, id mihi certum. Hæc ita scripseram : sed ecce Pichena ex Florentino codice vere emendat : *repertam, quum ex:* sententia illa mea, id est (Corneliana phrasi) *potius quam.* Lipsius.

Jus exeundi ordinis] Solos Ciliciæ abite nebulones. Enimvero Latinitas scribi vult, *ordine :* aut potius, *exeundi ordinis.* Ita lib. III. ‘ Piso exuta dignitate in decem annos relegatur.’ *Idem.*

Ut judicium censorum ac pudor sponte cedentium] Faërnus legebat : Ut judicium censorium, &c. *Ursinus.*

Finis inscitiæ erga domum suum fuit] Nescio an melius, *circa.* Acidalius.

Cap. 26. *Etiam Silius, sive fatuli vecordia, an imminentium periculorum remedium, &c.*] Hicne ut Tacitus *sive* illud scripserit? Non solet ita, ut *an* subsequatur ; nec id adeo quisquam probatorum. Delendum aut mutandum, *etiam Silius ipse, fatali vecordia, an, &c.* Acidalius.

Quippe non eo ventum, ut senecta principis opperiretur] Sic restitui ex Floren. verbum. Vulgo, *operiretur*, ambiguæ significationis. *Pichena.* Venetus, *senectam principis opperirentur*, melius omnino quam alii, *senecta principis opperiretur.* Freinshemius.

Insontibus innoxia consilia ; flagitiis manifestis] Lego, *flagitii manifestis ;* quæ dictio elegantissima et Tacito frequentissima. *Acidalius.*

Sed ne Silius summa adeptus] Scripsimus quod in volumine Budensi habebatur, *summam adeptus.* Intelligitque summam rerum. Sic lib. seq. *summamque R. P. agi obtestans.* Rhenanus. Vulgo legitur, *summa adeptus*, in quibusdam tamen codicibus scriptum comperi, *summam adeptus :* cæterum priorem lectionem magis probo. *Ferrettus.*

Cujus apud prodigos] Quam *Infamiam* qui prodigunt et profundunt, nihil habent præterea voluptatis: nam, ut scribit Seneca, 'Improbarum voluptatum post ipsas pœnitentia est:' vel quibus infames esse contigit, nihil superest præter voluptatem. *Idem.*

Cap. 27. *Nedum consulem designatum*] Ob beneficium a principe Silio collatum, designato consulatu fabulosius visum iri Cornelius significat Silium eum principis uxore in matrimonium convenisse. Sed Dio l. xl. de Messalina inquit, 'C. Silio nupsit, magnoque sumptu nuptias paravit, regiamque ei donavit, preciosissimis quibusque Claudii rebus in eam congestis, denique consulem eum designavit.' Cujus loci faciet auctoritas, ut ingeniosus malit *nondum consulem des.* scilicet, Silium, eum maritus fieret et certe dulcis eo solo verbo fieret oratio, quæ *nedum* retinenti scabra rudisque videtur. Sed tuenda Taciti persona est, tenendaque lectio vetus, quo sui semper scriptor similis sit: qui hujus Annalis initio de C. Silio consule designato, et infra statim de proximo ejus consulatu meminit. *Vertranius.*

Adhibitis qui obsignarent, velut suscip. liberorum] * De tabellis Messalinæ et Silii, Suetonius ita scribit: 'illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabulas dotis et ipse Claudius consignaverit: inductus, quasi de industria simularentur, ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.' *Idem.*

Noctem denique actam licentia conjugali] Videndum an illud *denique*, mutandum sit in *diemque*. Ursinus. Apage Murete, *noctem dicmque*. Acidalius.

Sed nihil compositum miraculi caussa, verum audita scriptaque senioribus tradam] Quis hic sensus? quæ seniores audierunt scripseruntque? an quæ scripta ab aliis, et a senioribus mihi tradita? Illud verba præferunt: hoc Lipsius voluisse videtur ad Ann. ii. in fine. At tum trajicienda erant verba: *verum scripta auditaque a senioribus tradam.* Hæreo. Nisi forte legendum: *verum audita scitaque senioribus.* Vide ad Ann. ii. extremum. *Idem.*

Cap. 28. *Dum industria cubiculum*] Regem olim fuisse, qui emendasset hunc locum: itaque conversum a multis ad coronam, et non unus mihi indicavit scribendum: *Dum histrio cubiculo Principis occultatur, dedecus:* verissime. Intellegit enim Mnesterem illum Pantomimum, qui diu in deliciis Messallinæ. Libri scripti non longe abeunt ab hac lectione, *Dum instruo cubiculum Principis exultavero, dedecus.* Possis extrema item scribere, *cubiculo Principis exsultat, vere dedecus.* Lips.

Dum industria cubiculum principis occulit adulteros] Corruptus locus est, nec quicquam hic minus scribendum quam vocabulum *industria.* Exemplar regium hic erucicula notatum erat, et variis lituris rasurisque fædatum. Videtur tamen antiquior lectio fuisse: *dum inclusum in cubiculum principis exultat:* et postea quidam inseruit *cum* præpositionem et superinscripsit, *adultero*, idque eo videtur propter *exultandi* verbum. Opinor sinceram esse lectionem, *Dum inclusum, cubiculum principis occultat, dedecus quidem illatum;* sed mox, *propinquoque consulatu*, reposuimus, *ac propinquo cons.* Item cap. 29. *acrioribus consiliis*, pro *acribus.* Rhenanus. Quasi intus et domi, verbo repetito a vetustate. *Industrium* enim antiqui dicebant *indastrium*, quasi quicquid ageret intro strueret et studeret domi autore Sexto. Alioqui otiosa est hic ea dictio, vel potius abundat. *Ferrettus.* Mss. codices notæ melioris corrupte habent: *dum histrio cubiculum principis exultavero, dedecus:* pro quo veteres

editores reposuerunt vulgatum. Libet certe nostro seculo gratulari, in quo neminem puto adeo immodestum, qui in gravissimorum autorum libris emaculandis sic longe aberret, suæque libidini indulgeat. Lipsius non male corrigit. Sed ego, quem puduit vulgatam depravatamque scripturam in Tacito relinquere, emendationem Francisci Medicis existimavi anteferendam; *dum histrio cubiculum principis persultaverit:* nam et mutatio est aliarum levissima, et sensus, ni fallor, ad Taciti mentem maxime accommodatus. Fuit quidem ille vir, præterita ætate, illustris doctrinæ et ingenii, contulitque etiam ipse Ms. Florentinum, atque in margine sui codicis multa adnotavit. Quæ cum mecum Julianus Medices, ipsius ex filio Raphaële nepos, illique persimilis, humanissime communicaverit, magno mihi usui fuere. Quod minime fuit reticendum. *Pichena.* Haud necesse arcessere longinquiorem medicinam, si, mutato *cubiculum*, in *cubiculo*, capiamus vocem *industria* casus primi. *Gruterus.* Reges Lipsio sunt, qui hunc locum emendarunt sic, &c. Equidem paullo majori licentia opus est in principio. Lego, *Dudum cum histrio.* Extrema mutat etiam aliter Lipsius ex scripta lectione. Sed ejus mutatio non placet. Magis hæc: *Dudum cum histrio cubiculo principis exultaverat, dedecus quidem illatum, &c.* Vel etiam *allatum. Dudum cum* plane requiritur, si illud oppositum *nunc* spectas. Acidalius. Lege, *dum histrio cubiculum principis exsultat, viro dedecus illatum quidem, sed excidium procul abfuisse. Exultare* proprium histrionis, ἐξορχεῖσθαι. Inde eleganter *cubiculum principis exultare*, qui torum ejus persultabat et uxorem stuprabat. *Exultare* idem quod desultare vel persultare. Festus: *Redantruare dicitur in Saliorum exsultationibus.* Ubi *exsultationes* sunt ὀρχήσεις vel ὀρχήματα. Hoc est igitur, quod querebantur domestici principis, quibus volentibus non erat matrimonium palam contractum Messalinæ et Silani: nam antea cum inter adulteros Messalinæ etiam histrio cubiculum principis persultaret, viro quidem dedecus illatum, sed abfuisse excidium: *Discidium* etiam legi potest. Ut et *hero quidem dedecus illatum;* nam de domo principis erant, qui ista loquebantur. Et hoc verius puto. *Salmasius.* Sed ubi alias apud Tacitum, gravioresque auctores, Principis, *heri*, datur cognomentum? Non dubito, quin iis, qui sic emendant, hoc sit suspectum. Melius fuit, *viro*, minusque sic abitur a vestigiis antiquæ scripturæ: quomodo etiam vir maximus ad Tertulliani Pallium. At potius, antiqua vestigia illa sequutus proxime, ita lege: *Dum histrio cubiculum Principis exsultat adulterio quidem dedecus illatum, sed excidium procul abfuisse.* Ex prostremis literis *του exultat*, ut plerumque fit, non repetitis in membranis, et cum *vero* a nobis conjunctis, nascitur, *adulterio. Exsultat cubiculum principis*, ea Corneliana phrasi, qua Ann. 1. 'Quintilii Vari corpus inclusisse dicebatur.' Sensus autem apertus est. Adulterium nempe distinguitur a matrimonio, superstite Principe, cum alio inito. Illo dedecus, hoc exitium Principi procuratum. Confer cum his Orationem Narcissi, quæ pag. proxima exstat, hac de re apud Claudium habitam. *Boxhornius.* Me non offendit vox *hero:* non enim id agitur, quale cognomentum principi detur apud Tacitum et graves auctores, ut Marcus desævit; sed quemadmodum patremfamilias, præsertim principem, in familiari sermone appellaverint servi et liberti: quorum profecto personis hoc vocabulum mirabiliter convenit: nam, ne libertos excipias, quorum *servilia ingenia* Tacitus agnoscit, eos non dedecet interim loqui more vernarum. Sed tamen, ne quid dissimulem, et *hero*, et *viro*, et *adul-*

terio, &c. * Gronovius.

Sed exeidium] In Florentino est, *sed et scidium:* e quo Pichena, *dissidium.* Sed profecto plus quam dissidium hic timebatur, et *exitium,* atque extrema. *Lipsius.*

Exeidium procul abfuisse] Flor. *sed et scidium.* Unde veram lectionem suspicor, *sed dissidium:* ut sit sensus; Quantumvis petulanter et impudice se gesserit Messalliua, nondum tamen eo infamiæ pervenit, ut de dirimendo Claudii matrimonio cogitarit. Nunc vero hoc etiam agitat, cum Silio nupserit. Videtur sententia confirmari ex eo quod inferius ait: *an dissidium tuum nosti?* Et in Mss. observavi, sæpe pro, *dissidium,* scriptum esse *discidium.* Pichena. Alii melius *exitium.* Acidalius.

Dignitate formæ, juventa] Ita lego, non *forma.* Dignitas formæ proprie de viris, uti notat vetus litterator Agrætius. Illud, *juventa,* suspectum facit Vatic. qui refert, *Vimentis:* ex quo Palmerius diductim legebat, *vi mentis.* Lipsius.

Juvenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis] Lectionem Florentini anteposui; nam vulgati pro, *vi mentis,* habent, *juventa.* Inepte quidem, cum præcesserit, *juvenem:* et sic sibi invicem respondent, dignitas formæ, et vis mentis. Quod autem Lipsius correxit, *dignitate formæ,* nihil certius puto: id ipsum enim a Tacito usurpatur lib. XII. ' et dignitate formæ haud degenerem reputantes.' *Pichena.* Vox *juventa* non modo suspecta falsi, sed plane falsa. Quid enim hæc vult, cum præcesserit *juvenem nobilem.* Nec Palmerius placet, qui ex Vaticani *vimentis,* diductim facit, *vi mentis.* Acidalius.

CAP. 29. *Ac primo Callistus jam mihi circa mortem Cæsaris narratus*] Eruditiss. vir (ut est ingenuæ veritatis) autumat hanc totam periodum cum sequenti, *perstitit Narcissus, solum id immutans,* suum fugere captum. Ego vero (si non me nimis indulgeo) reor ea esse mihi cognita, quæ connexa consentaneaque tibi dilucidabo. Pallas, Callistus, et Narcissus, &c.* *Salinerius.* Videndum est an addendum sit prænomen Caii, ut Faërnus legebat: *Ac primo Callistus jam mihi circa mortem C. Cæsaris narratus, &c.* Ursinus. Callistus Dioni Cassio lib. LIX. libertus Caii Cæsaris Caligulæ, et cædis ejus conscius est: de quo libris superioribus, qui interciderunt, se meminisse Cornelius intelligit. *Vertranius.* Magis proprie Flor. *circa necem.* Vulgo *circa mortem.* Pichena. Certum puto verbo *Cæsaris* vix alium intelligi apud historicos, Tacitum præcipue, quam dictatorem Cæsarem, vel illum certe, qui eo tempore, de quo sermo institutus est, imperio præsideret: ut non dubitem fuisse *circa necem C. Cæsaris,* atque istuc *C.* notam prænominis Caii ab ignaro librario pro supervacuo fuisse habitum. C. autem Cæsar ubique fere appellatur hic Caligula, exempli gratia in nostro infr. XIII. 3. ' Etiam C. Cæsaris turbata mens,' &c. *Freinshemius.*

Appianæ cædis molitor Narcissus] Annalis hujus initio, sive libro præcedenti, de nece Appii Silani a Tacito scriptum conjicio, quod hic obiter tantum ejus mentio est. De illo Cassius lib. LX. et Tranquillus eadem retulere, et hujus verba sunt: ' Appium Silanum cum Messalina et Narcissus conspirassent perdere, divisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se vim ei ab Appio illatam: altera in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot jam noctibus obversari retulit. Nec multo post ex composito irrumpere Appius nunciatus, cui pridie ad id temporis, ut adesset, præceptum erat, quasi plane repræsentaretur somnii fides: accersi statim, ac mori jussus est.' Claudii 37. *Vertranius.*

Flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas] Ita Flor. Vulgo, *eo tempore*. Sic alibi Tacitus. *Pichena.* Muretus, *in tempore*. Ea quidem Taciti phrasis, nec asseverem tamen hic usurpatam. Lib. XII. ' Non abnuere pacem Iberos, quamquam in tempore validiores.' Ubi quidem certa ejus notio de præsenti: nam alias ambigua de futuro: ut eod. lib. XII. ' Truculentior quam antea, tanquam adversus defectores, et in tempore rebellaturos.' Potuit et *in eo tempore* scripsisse: ut alibi l. XIII. ' Pons Milvius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat.' *Acidalius.*

Num Messallinam secretis] Obscura examinanti, nec scio an satis nexa. Sententia videtur: Deliberasse libertos bifariam; primo, an ad Claudium deferrent, quæ pars præivit: hic jam, an ipsam Messalliuam secreto de Silio monerent, alia adulteria dissimulantes. Destitere ab utroque alii: *Narcissus perstitit*, sed in sententia priore, id est de Claudio admonendo. *Lipsius.*

Perstitit Narcissus, solum id immutans] *Et* particulam expunximus. *Rhenanus.* Addit Flor. *ut solum id immutans.* Venetus, *et solum:* certe de aliquo defectu suspicionem angent: nam quanto magis aciem adhibeo, verba illa, *solum id*, aut corrupta, aut mutila. *Pichena.*

Quarum is corpori] Vatic. *corporibus.* Lipsius.

Cap. 30. *Cis Vectium Plancium*] Illic est semper *Plautius.* Rhenanus. Hic locus fœdissime corruptus est, usque ad ea verba, *An dissidium.* Immo aliquid procul dubio deest. Principio Vectii Plancii mentio nulla est apud hunc alibi, aut apud alios, qui de Claudio scripsere, quantum nunc memini. Vectii Valentis infra tamen meminit frequenter, tanquam indicium offerentis remque confessi. Deinde quid est, *non fuisse eum nunc objecturum adulteria, ne redderet domum et servitia?* nam si ad Claudium referuntur, cur inquit statim: *Frueretur immo iis?* Sin autem ad Silium aut Messalinam, cur non erat dicturus adulteria, ne redderent hæc principi, quibus auctæ fuissent res principis? Quamobrem omnino desideratur aliquid et locus est contaminatissimus: ubi aliud nihil possis quam temere addere et divinare. *Ferretus.* Mendis fœdatus locus hic est, eo usque, *an discidium.* Et quod ignotus sit historicis omnibus Vectius Plancius, et quod ad Claudium referri scriptum minime possit, multa deesse suspicor, quorum est apud me desperata restitutio, ut ante Æmylio Ferretto fuit. Neque vero quicquam attinere ista puto ad Vettium Valentem, de quo mox Cornelius; neque quicquam ad Aulum Plantium senatorem, qui rebus prospere in Britannia gestis, ut est inf. l. XIII. et apud Suetonium et Dionem, a Claudio laudatus, ovans urbem ingressus est. *Vertranius. Quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset*, emendavit Lipsius, nam turbant libri veteres. Man. corrupte: *quod ei cis vetticis Plautio.* Forte, *quod ei de Vectio et Plautio dissimulavisset.* Pichena. Conjicio: *quod ei scelus Vectii, scelus Plautii dissimulavisset.* Nam illud *cis* Tacito insolens, nec sic ab auctoribus usurpatum. *Aurelius.* Non jam rogo, ut Taciti lectores inspiciant aliorum in hunc locum conatus (sunt enim tantum conatus, neque alio nomine laudandi,) sed modo Ms. Florentini lectionem. Illa tandem nos, ni fallor, verissimam docebit et absolvet. Sic habet; *Quod ei cis Veeticis Plautio dissimulavisset.* Premamus jam singulas litteras et sic constituamus totum locum: *Quid enim si Vectios, Plautios, dissimulavisset? Nec nunc adulteria objecturum, ait.* Veniam petit Narcissus, Messalinæ cum Silio conjugium principi expositurus, quod priores adulteros Messalinæ ad principem non detulisset. Post quæ ex-

clamat: sed vix sibi propterea venia esse opus. Quid enim eo peccatum, quod Veetios, Plautios, Messalinæ adulteros, apud Principem haetenus dissimulaverit? Non fuisse illam rem cum exitio ejus conjunctam. Neque proinde nunc etiam adulteriorum Messalinæ faeturum mentionem. At jam sibi minime silendum, postquam Messalina palam Silio nupsisset, et in præsentissimum diserimen fortuna Principis esset conjecta. *Ei* pro *enim* in Mss. fere invenies, virgula aliquando, subinde nulla, superimposita. Illud *Vecticis* totidem apices continet ex quibus *Vectios* faeias. Quem aecusativum pluralem etiam vult illud *Plautio*, pro quo *Plautios* scribendum esse quis diffiteri audeat? Et sic alibi loquitur noster: ‘ Matios posthae et Vedios, et cætera Equitum Romanorum prævalida nomina, referre nihil attinuerit.’ Annal. XII. Paulo post lege: *Frueretur imo iis, at redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales.* Minus est diecntis impetu τὸ *et* vulgatum. *Boxhornius.*

Ne domum, servitia, et ceteros fortunæ paratus reposceret] Contaminatissimum locum Ferretus esse vult: qui mihi castus, purus. Invidiosa concessione libertus, Fruatur sane, inquit, Silius domo tua, servis, veste, et gaza omni regia (nam hæc tralata ab adultera ad Silium, notante etiam Dione); reddat saltem uxorem. *Lipsius.*

Ne domum, servitia, &c. reposceret] Melius legas *nec domum, servitia, &c. reposcere.* Hoc ait, non ideo accusationem Silii ab se institui, ut domum aliaque ex patrimonio principis ei dono a Messalina data repeteret: quin frueretur iis, nec enim in tanta atrocioris delicti enormitate levia ista animadversione digna esse, sed alia longe graviora subesse innuit, dum eum uxorem Principi jubet reddere. *Freinshemius.*

Et cæteros fortunæ apparatus] Scripsimus, *paratus:* quod verbum usurpat sæpe Tacitus. Ut supra, ‘ Servi, liberti, paratus principis apud adulterum visebantur.’ Lib. III. ‘ Ventris et ganeæ paratus assiduis sermonibus vulgati.’ Lib. V. ‘ Et columen partium Abdageses gazam et paratus regios adjicit.’ Item lib. XV. ‘ Parthi omisso paratu invadendæ Syriæ.’ Hist. lib. I. ‘ Studia militum jampridem spe successionis, aut paratu facinoris affectaverat.’ Hist. lib. II. ‘ Igitur navium, militum, armorum paratu strepere provinciæ.’ Eodem lib. ‘ Ita Vitellii paratus noscebantur.’ *Rhenanus.*

An dissidium, inquit, tuum nosti] Et hic Tacitus scripsit, *discidium.* Numquid scis tibi nuntium remissum? divortium tecum fecisse Messalinam? *Gronovius.*

Cap. 31. *Tum potissimum amicorum vocat*] Imo, *potissimos.* Mercerus. An id est, Narcissum amicorum primum et optimum appellat? Non puto. Sed legendum: *Tum potissimos amicorum vocat.* Et postea, *percontatur:* qua de re? Non de uxoris facto: sed quid sibi nunc agendum. Quæ causa est, ut non *fatentibus*, sed veterem lectionem *tacentibus* deinceps amplectar. Tacebat nempe Turranius et Geta, quid consulerent, aut saltem responderent, in re subita ignari. *Acidalius.* Aut excidit hic vox *quemque*, aut legendum est *potissimos.* Freinshemius.

Primumque rei frumentariæ Præf. Turranium] Dixi aliquid ad l. I. Annalium, et videtur primus in hoc munere fuisse. Tamen ambigo de tota hac sententia, et ne verius legi: *Tum potissimos amicorum vocat, primumque rei fr. Præf.* hac mente: vocat præcipuos amicos, ac primo Turranium, deinde Getam. *Lipsius.*

Præfectum Turranum] Scripsimus, *Turranium.* Rhenanus.

Quibus fatentibus] Libri mei scripti, *tacentibus. Lipsius.*

Quibus fatentibus, tum certatim ceteri circumstrepunt] Lipsius ait, scriptos li-

bros habere, *tacentibus:* at Florentinus, *fatentibus.* Pichena.

Adulto autumno] * secunda, *adulta;* tertia, *præceps.* Sic Marcellinus *adulta hieme* dixit l. xx. ‘ Adulta hieme dux antedictus Bononiam venit.’ Tacitus rursum Hist. i. seditionem incipientem vocat *necdum adultam.* Item Hist. iii. dixit ‘ adultam noctem.’ ‘ Donec,’ inquit, ‘ adulta nocte, luna surgens ostenderet acies, falleretque.’ Rursum Hist. v. dixit, ‘ Parthis nondum adultis:’ pro eo quod est, qui nondum invaluerant. Quo sensu l. iii. dixit, ‘ prævalida et adulta vitia.’ Alibi, *adulta æstate,* infra legitur, id est, jam provecta æstate. *Ferrettus.*

Per domum celebrat] Scripsimus, *celebrabat.* Rhenanus. Gregorius Turonensis l. v. 30. ‘ Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperialem xxx. diebus ad Vindemiam jocundaretur.’ *Gronovius.*

Ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ] Muretus deletis duabus vocibus, *ut insanientes Bacchæ.* Ego probem. *Acidal.*

Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens; juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos] Eodem habitu Antonium depingit Velleius, qui Liberum se ferebat: ‘ Cum Liberum patrem appellari se jussisset, cum redimitus hedera, coronaque velatus aurea, et thyrsum tenens, cothurnisque succinctus curru velut Liber pater vectus esset Alexandriæ.’ De cothurnis, etiam Virgil. ‘ nudataque musto Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.’ De thyrso, præter alios, Justinus: *Ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν*: id est, *Veluti Bacchæ per speciem habitumque pacis lanceas in thyrsis circumferunt.* Vide et Plinium xvi. 24. Athenæus ejusmodi Bacchi insignia in Pyrrhicha saltatione recepta fuisse ostendit l. xiii. *Ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυρρίχη Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεστέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας. Ἐχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων, προΐενται δὲ ἐπ' ἀλλήλους, καὶ νάρθηκας, καὶ λαμπάδας φέρουσιν. Ὀρχοῦνται δὲ τὰ περὶ τὸν Διόνυσον, καὶ τὰ περὶ τοὺς Ἰνδούς, καὶ τὰ περὶ τὸν Πενθέα.* Quæ verba lucem dare volo iis, quæ hic præcedunt, ‘ feminæ pellibus accinctæ assultabant, velut sacrificantes vel insanientes Bacchæ.’ *Lipsius.*

Ferunt Vectium Valentem] Deprehendimus in codice Budensi scriptum, *fertur,* id accipiendum impersonaliter. Et bene habet lectio. *Rhenanus.*

Cap. 32. *Igitur Messalina Lucullianos in hortos*] Miror quod in codice Budensi hoc loco reperi, *Fultianos in hortos.* Sed et paulo post, *Lucullianis in hortis,* illic rursum scriptum, *Lucianis.* In libello de regionibus urbis Romæ fit mentio *hortorum Luculllianorum* regione nona. *Rhenanus.* Flor. *Fucilianos;* ac plerique alii veteres, *Lucilianos.* Lipsius etiam de lapide quodam Romæ testatur, qui prædiorum Lucilianorum meminit, et idem Florent. prope finem hujus libri, ubi vulgo legitur, *Lucullianis in hortis,* clare habet, *Lucilianis.* Tamen nihil muto; nam et initio libri Tacitus dixit, *a Lucullo cœptos,* et Plutarchus idem confirmat. *Pichena.*

Silius dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur] Ita ex Flor. restitui, et vere, nam de Messalina et Silio intelligit. Male vulgo, *digreditur.* Pichena.

Dissimulando metu] Non me fugit hoc Latine eleganterque dici pro dissimulando metui, sive ob metum dissimulandum. Sed tamen in exemplari scripto manifeste legebatur, *dissimulando metum.* Rhenanus.

Quamquam res adversæ consilium adimerent] In codice Budensi est *eximerent.* Nec improbanda lectio. Nam *eximere consilium,* est veluti differre. Sed et *eximitur,* quod adimitur. Sic l. xiii. ‘ Quia dissimulationem nox et lascivia exemerat.’ *Rhenanus.* Flor.

eximerent. Pichena.

Vetustissimam oravit] * *Maxima* proprie princeps collegii, ut *Pontifex maximus, Augur maximus, Curio maximus.* In quo Lipsius de Vesta c. 7. nudum latus objecit Gutherio de jure Pontif. I. 4. qui tamen ipse hac occasione ingerit, quæ nunquam defendet. Quid est enim *Pontificem maximum* dici, quod maximi esset imperii; et nuncupatum a potestate et imperio, quod utrumque maximum legibus Romanis sit assequutus. Nugæ de Pontificum imperio: Sigonio, cui obtrectat, manus dare debuerat. *Maximus* autem qui primum inter eos locum teneret, collegiumque cogeret atque ei præsideret. Pari judicio *prætorem maximum* facit urbanum, quem M. Tullius dixerit *primum.* Verba Ciceronis: ' Me cum quæstorem in primis, ædilem priorem, prætorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat.' Quemadmodum nullus nuncupatione propria *Quæstor* est *in primis*, nec *Ædilis prior*, ita nec *prætor primus:* tantummodo ante collegas se renuntiatum significat. Sed nec in prætoribus, quales intelligimus, qui jure dicundo præessent, ullus *maximus. Majorem* et *minores* novi. Festus: ' Majorem consulem L. Cæsar putat dici vel eum, penes quem fasces sint; vel eum, qui prior factus sit; Prætorem autem majorem Urbanum, minores cæteros.' Quemadmodum autem *consul maximus* non dicebatur ille major, ita nec major ille *prætor maximus.* Sicubi autem occurrit hic titulus, *Prætor maximus* est maximus magistratus. Ut apud Livium l. VII. ' Ut qui prætor maximus sit, idibus Septembribus clavum pangat.' Hunc ut haberent, dictator dictus L. Manlius. Olim enim *Prætores*, qui postea *consules*, a Bruto nempe Tarquinioque ad communicatum cum plebe consulatum, cum magistratui jure dicundo datum hoc nomen; iis autem, qui antehac *prætores* fuerant dicti, *consulum.* Festus in *Prætoria porta.* Livius, quem margini Gutherius allevit l. XXV. ex vate Marcio prætorem nominat, ' qui jus populo plebique dabit summum,' non, Prætorem maximum. Nihilo magis eum juvat Festi: ' Maximum prætorem dici putant alii eum, qui maximi imperii sit; alii, qui ætatis maximæ.' Veriorem esse priorem sententiam liquet ex Livio. Addit: ' Pro collegio augurum decretum est, quod in Salutis augurio prætores majores et minores appellentur; non ad ætatem, sed ad vim imperii pertinere.' Hoc aut consentit cum illis verbis, quæ supra adduximus: aut ibi *prætores majores et minores*, ipsi fuere consules et prætores: nam imperium minus prætor, majus habebat consul, ut ex Messalla refert Gellius I. 15. *Gronovius.*

Cap. 33. *In eodem gestamine sedem poscit assumitque*] Ita Flor. vulgo, *poscit sumitque.* Pichena.

Cap. 34. *Largus Cæcina*] In codice Budensi *Largius Cæcina.* Paulo post: ' Et ad minas prorumpentem;' lectio codicis scripti habet *erumpentem.* Rhen.

Cum obstreperet accusator] Lege, *obstrepere.* Acidalius. Hæc lectio subsistere non potest, quoniam nihil sequitur, quod necessario fit quoties conjunctivus talis præcedit. Quoties enim hæc audis, *Cum obstreperet accusator*, exspectas quid eo obstrepente factum fuerit. Sed legendum, *cum obstrepere accusator.* Hoc est, obstrepebat, modo loquendi valde usitato auctori. Et *cum* hic valet tum, illo tempore, sicut a principio l. IV. supra: ' cum repente turbare fortuna cœpit.' Et simillima huic verborum positio est in his Tac. II. 31. ' cum Libo, &c. vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium.' Denique *cum* hac significatione positum nunquam admittit conjunctivum; quod pluribus exemplis ostendere promptum foret; sed fes-

tinamus, nec etiam de hac re cuiquam mediocriter erudito dubitari credimus. *Freinshemius.*

Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia] Illud, *quin*, ex Flor. reposui melius quam vulgo, *quæ*. Pichena.

Quæ multa cum invidia flagitaret] Lego: *flagitare*. Quod tamen retineri potest, sed distinctione mutata, ut cum sequentibus nectatur: 'Quæ multa cum invidia flagitaret, ne indefensa conjunx exitio daretur; ergo auditurum principem, et fore diluendi criminis facultatem, respondit.' *Acidalius.*

Cap. 35. *In vestibulo effigiem patris Silii consultò Senatus abolitam demonstrat*] In atrio sive in vestibulo ædium, imagines majorum: uti hic Silii patris. Sed enim Silius Legatus olim inferioris Germaniæ damnatus crimine majestatis cum uxore Sosia Galla, ut l. IV. narratum: ideoque et imagines abolitæ, quas tamen filius restituerat. Criminatur ergo id libertus. *Lipsius.*

Quidquid habitum Neronibus] Lege, *avitum:* quod monuit me Jc. Claudius Chiffletius. *Idem.*

Tum quicquid habitum Neronibus et Drusis] Jam pridem Faërnus *avitum*, pro *habitum*, emendavit, ut alibi etiam, *avitas*, pro *habitas*. Paulo post scribendum est, *Cæsoninus;* ex antiquis titulis. *Ursinus.*

Custodem Silio ac Messallinæ datum] * Vertranius inexplicabilem locum censet, nisi custodem pro exactore interpretemur, scilicet qui mortis pœnas exigat. Verum merumque somnium. *Lipsius.*

Titium Proculum custodem Silio ac Messalinæ dat] Suspicor scribendum, *datum*. Rhenanus. Sic Beatus: sed fallitur, cum ex eo necatum Proculum adversus scriptoris sensum exaudiat. Et certe inexplicabilis est locus, si scriptionem mutes, nisique ita exponas, *custodem Sil. et Mess. dat*, qui mortis pœnas exigat. Sic paullo infra: 'Custos et exactor e libertis Euodus datus.' Idem enim custos salutis et mortis exactor esse potuit eorum jussu, quibus jubendi potestas erat. *Vertranius.* Optima lectio, quæque omnium castigationibus merito antevertat. Adulteri ministrique Messalinæ supplicia subeunt: quorum Silius (ut reor) tribuni manu: nam principes viri ab his capite truncabantur. Tacit. Ann. XV. 'Pœna Flavii Vejano Nigro mandatur.' Et hic de Plautio Laterano, 'manu Statii tribuni trucidatur.' At carnifex occidit Urbicum, Trogum, et Valentem: *tradi ad supplicium jubet.* Titius vero Proculus, minister amorum Silii, et Messalinæ, militibus laniandus a Claudio datus est, qui universos seditiosis vocibus exposcebant. Ad eam faciem Cleander permissus est plebi vociferanti: *plebi ad pœnam donatus est.* At *custos Silio ac Messalinæ* vice *custos Silii ac Messalinæ*. Plaut. Curcul. 'Et quidem reliqui in ventre celiæ uni locum.' Noster Ann. II. 'Is rex Iberis, idemque Mithridatis frater.' Thucydides l. I. διότι τὸ μὲν λιπὸν ἔχει ἤδη τὴν αἴσθησιν ἑκάστῳ. Dixi *custodem* positum pro *ministro*. Virgilius affirmat l. XII. et ibi Serv. 'At Triciæ custos jam dudum in montibus Opis.' Ea recte ministra dicitur, nam summa montium tenebat ad exequendam ultionem Camillæ, sibi injunctam a Diana. *Salinerius.* Emendaverat Lipsius ex ingenio, et a Flor. confirmatur, *Custodem a Silio Messalinæ datum.* Falso in vulgatis, *custodem Silio ac Messalinæ datum.* Pichena.

Saufellum Trogum] Vatic. *Saufelium.* Scribo, *Saufeium:* et induxit librarios illud l. longiusculum, ut L. scriberent. Horum omnium mentio Senecæ in Menippæa de Claudii morte; ubi tamen disjunctim scribe *M. Helvius, Trogus.* Qui hic etiam Traulus, male fortasse in Seneca, *Sex. Trallus.* Lips.

Decius quoque Calpurnianus] Scripti libri, *Decrius*. Puto, *Decrius*; quod nomen et infra invenies. *Idem.*

Cap. 36. *Solus Mnester*] Castigavimus, *solus M. Nestor.* In ludicro libello de morte Claudii Cæsaris meminit hujus *Nestoris* Seneca, catalogum interfectorum a Claudio recensens: 'Medius,' inquit, 'erat in hac canentium turba Nestor Pantomimus, quem Claudius decoris causa minorem fecerat.' Sic enim illic scripsimus, quum ante legeretur, *noster Pantomimus*. Apparet autem ei caput amputatum fuisse, et longa statura præditum. Tacitus *histrionem* vocat, Seneca *Pantomimum*. Meminit ejus et Suetonius in vita Caligulæ. Tacito quoque et nobis paulo ante est memoratus. *Rhenanus.* Tranquillus quoque in Caligula, ter *Marcum Nestorem Pantomimum* nominat; ut horum testimonio emaculandi sint tam Dio, quam Xiphilinus, quibus pro *M. Nestore*, Μνηστὴρ scribitur: errore inde orto, quod post literam M. punctum primi exscriptores minime animadverterint. *Vertranius.* Condonandum seculo virorum optimorum. Nunc certum, non arbitrarium amplius est Mnesteri nomen fuisse. *Gronovius.*

Tam magne peccavisset] Reposuimus e volumine Budensi, *tam magna peccavisset*. Rhenanus.

Paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia] Expressi lectionem Florentini: id est et ad cupidinem, et ad fastidia. Vulgo *fastidio*. Pichena.

Cap. 37. *Componere preces, nonnulla spe, et aliquando ira*] Non muto. Sed poterat *et aliquanta ira*. Acidalius.

Verterat perniciem in accusatorem] Castigavimus, *verterat pernicies;* nam auctores verbum *vertit* absolute nonnunquam et tamen quasi in passiva significatione soliti sunt usurpare. Sic supra: 'Seu forte lapsa vox in præsagium vertit.' Lib. II. 'Astusque hostium in perniciem ipsis vertebat.' Lib. IV. 'Quod aspere acceptum ad præsens, mox in laudem vertit.' Eodem libro paulo post; 'Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur.' Lib. V. 'Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant.' *Rhenanus.*

Ubi vino incolnit] Scripsimus, *incaluisset*. Et paulo post, *raptim in hortos progressus*. Item *jugulo ac pectori*. Et infra, *privatis ac publicis locis*. Rhenanus.

Prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus] Vulgo, *prorupit*. Melius Flor. *prorumpit:* Nam sequitur, *denuntiatque*. Pichena.

Morte decus] Placet, *morti*, ut in Veneto. *Lipsius.*

Cum impetu venientium pulsæ fores, astititque Tribunus] Hæc Florentini lectio ac distinctio. Confusius vulgati: *Tum impetu venientium pulsæ fores, astitit Tribunus*. Pichena. Lege cum Florent. Cod. *cum impetu, &c.* Dum fleret (inquit) fores pepulerunt illi. *Pricæus.*

At libertus increpans] Sic Florentinus: vulgo, *ac libertus*. Pichena.

Cap. 38. *Ictu tribuni transfigitur*] Malim, *transigitur*. Lipsius.

Decreta Narcisso quæstoria insignia] Decreta sunt, inquit, insignia quæstoria Narcisso: quod, cum esset ille tertius inter libertos, potens gratia apud principem, minimum erat fastigii ejus, atque erant illa quidem decora insignia; per quæ tamen deterrima faciendi facultatem Narcissus haberet: quia flagitia propter dignitatem vel *inulta* erant, vel *multa:* utrumque enim legi in diversis codicibus. * *Ferrettus.* Concessa insignia præter scipionem eburneum, et sellam curulem, si quæ fuerant, amplius quæro. *Vertranius.* Locus ab omnibus tanquam desperatæ sanitatis derelictus. Ego tantum experiar, an aliquis sensus eliciatur, hac sola interpunctione: *Decreta Narcisso quæstoria*

insignia: levissimum fastigii ejus, cum secundum Pallantem, et Callistum ageret. Honesta quidem: sed ex quibus deterrima orirentur, flagitiis inultis. Sensus est: levissimam Narcisso fuisse dignitatem quæstoriam, respectu fastigii ejus, cum apud Claudium obtineret primum gratiæ ac potentiæ locum, post Pallantem, et Callistum; hi enim, ut dixit, flagrantissima gratia erant. Simili fere modo Tac. lib. sequ. ‘ decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ ejus apud posteros.’ Quod sequitur: *Honesta quidem* (scilicet ut libertis nihil amplius tribueretur, quam quæstoria insignia) ironice intelligendum est, propter corruptionem temporum, quibus valde liberti pollebant: nam eodem lib. sequ. ait: ‘ decreta Pallanti prætoria insignia:’ ac deinde; ‘ Claudius libertos sibi et legibus adæquavit.’ Sed cum eorum flagitia Princeps multa relinqueret, deterrima inde oriebantur, cum ii quotidie in majora flagitia prolaberentur. *Pichen.*

Levissimum fastigii ejus] Hæc, cum lineis postumis, corrupta, hiulca: nec juvant aut discrepant libri, nisi quod, *Tristitiis inultis*, non *Flagitiis*, uti substituisse fatetur Rhenanus. Ego ab ejusmodi ulceribus sanandis sani hominis censeo abstinere manum. Nam sine librorum ope, irrita abierit Hygia ipsa. *Lipsius.*

Honesta quidem, sed ex quibus deterrima orirentur flagitiis multis, sive *inultis*] Quod in idem recidit. Una opera dicam me non assequi sensum horum verborum, quam ea esse mutila, et corrupta. Tacitus impositurus huic libro finem, judicium fert de tota Messaliuæ tragœdia: nemo (inquit) adulteræ cædem accuset; quia suo sibi merito pœnis fuit affecta: verum illinc fons tot malorum, quæ secuta sunt: nam Messalina viva nunquam locus incesto neptis matrimonio, non veneficio Britannici, non tot sceleribus, quibus Nero infestavit orbem terrarum. *Salinerius.*

ANNALIUM LIB. XII.

Cap. 1. *Quis diligeret uxorem*] Monendus est lector, ubique hoc verbum perpetuo scribi, *deligere*, et *delectus:* ac suadeo ut ita in omnibus libris corrigatur, propter ambiguum verbi intellectum, cum aliud sit *deligere*, aliud, *diligere*, ut est notissimum. *Pichena.*

Cælibi vitæ intonanti] In manuscriptis quibusdam, *cælibis:* et vellet Pichena, *cælibis vitæ intoleranti.* Illud vulgatum, nescio quo modo, mihi pro moribus et sermone Claudii videtur. *Lipsius.*

Cælibi vitæ intonanti] Amicus meus, homo doctissimus, putabat huic loco mendum aliquod subesse, legebatque *cælibis vitæ intoleranti.* Ego nihil mutandum censco: nam ex vulgata lectione aptus elicitur sensus, et phrasis resipit antiquitatem cam, cujus studiosum fuisse Tacitum diximus. *Ursinus.* Plerosque reor ignorare, quid sibi velint hæc verba: nisi forte mihi obscura sunt, quæ aliis clara et manifesta. *Tonare* μεταφορικῶς, quasi dicas altiori voce aliquem arguere. Virgil. XI. Æn. ‘ Proinde tona eloquio.’ Li-

vius l. XXI. ‘ Cum hæc intonuisset plenus iræ :’ quod a Græcis profectum, l. I. Epig. Ὁ Ζεὺς πρὸς τὸν Ἔρωτα· βέλη τὰ σὰ πάντ᾽ ἀφελοῦμαι. Χὠ πτανός· βρόντα, καὶ πάλι κῦκνος ἔση. *Juppiter Amori : auferam omnia tela tua. At aliger : tona, et rursus cygnus eris. Tonu*, id est, minaciis utere. Claudius ergo scribitur *intonare vitæ cælibi*, quod ægre ferret cælibatum, in eumque sæpius ardens inveheretur. *Salinerius.* Muretus *intoleranti.* Consideretur. At hercle tamen scribendum, *cælibis.* Sic Histor. IV. ‘ Æqualium quoque, adeo superiorum intolerantis.’ *Acidalius.* Libri veteres pene omnes, et Manuscripti et editi habent, *cælibis vitæ*, et historia ipsa ubique testatur, Claudium sine uxore vivere non potuisse, præsertim Suetonius c. 26. Itaque quod olim correxi, *cælibis vitæ intoleranti*, non dubitavi, quin serio reciperem. Nam vulgata lectio, *cælibi vitæ intonanti*, præter historiæ mentem erat, neque Cornelium mihi sapiebat. Doctissimus Salinerius nuper ea verba, *cælibi vitæ intonanti* interpretatur, cælibatum ægre ferenti ; subtiliter fortasse magis quam vere. Exempla hujus locutionis in Tacito multa ; pauca tamen subjiciam. Ann. I. ‘ Lasciviæ sueta laborum intolerans.’ Lib. II. ‘ omnium quæ ultionem morarentur intolerans.’ Hist. IV. ‘ æqualium quoque, ne dum superiorum intolerantis.’ *Pichena.*

Ac digna tanto matrimonio] Forte *dignas.* Gronovius.

Ut quemque suadentium audierat promptus] Muretus, *pronas.* Parum interest, sed hoc tamen ego etiam malim. *Acidalius.* Muretus mallet, *pronus.* Vide quæ notavi l. IV. in verbis : ‘ quod mater Agrippina, promptior Neroni erat.’ *Pichena.*

Discordantes in concilium vocat] Imo *in consilium.* Privata enim hæc deliberatio, et cum paucis in eadem urbe habitantibus ; non aliunde atque aliunde evocatis, quorum cœtus *concilium* dicitur, Græce *σύνοδος.* Grotius.

Cap. 2. *Familiam communem*] Muretus *Filiam.* Res clara : mirum qui Lipsio non visa. *Acidalius.*

Novercalibus odiis visura Britannicum] Ven. atque alii antiqui editi habent, *usura in Britannicum.* Pichena.

Improbatum longo dissidio] Immo *discidio*, ut supra sæpius. *Gronovius.*

Familiæ Cluudiæ, quæ posteros conjungeret] Expediri sententiam posse ait Lipsius : idem tamen malit, *quin posteros conjungeret* : ut quasi hortantis ea sint liberti. Nec expediri sententia potest e verbis, ut nunc leguntur : et omnino vim hortaudi habent. Mihi certum, deleto *quæ* legendum : *quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna. Stirpem nobilem* (id est, nepotem Germanici) *et familiæ Claudiæ posteros conjungeret.* Muretus voluit transposite, *stirpem nobilem et quæ famil. C. p. conjungeret.* Acidalius. Valde hoc loco sudant interpretes, nec immerito : est enim ex obscurissimis. Videor tamen videre sensum qui hic est. Decet hoc imperatorem, ut stirpem nobilem, et familiæ Juliæ Claudiæque posteros unam in domum colligat, nec patiatur, ut enubendo alios in penates sanguinem et perinde claritudinem Cæsarum deserat Agrippiua. Hic verissimus, si quid video, sensus est, eumque verba quoque ipsa inculcant, si ductum literarum secutus legeris totum locum hoc modo : *dignum imperatoria fortuna* (subaudi esse) *stirpem nobilem et familiæ Juliæ Claudiæque posteros conjungere.* Freinshemius. Ego vero illud, *dignum prorsus imperatoria fortuna*, Neroni detrahi nunquam patiar. Significat enim, dignissimam Augusto lare, dignam Cæsarea domo partem. Deiude accipio quidem Lipsii, *Quin*, et sagaciter odoratum Muretum puto non omnia locum suum tenere : sed quem appellavit auctor *dignum imperatoria fortuna*, eum eodem ordine vocari

stirpem nobilem parum acre parumque decens mihi videtur. Scribo autem: *quin stirpem nobilem et familiæ Claudiæ posteros conjungeret.* Hoc est, magnopere suadere, &c. * *Gronovius.*

Ne femina experta fecunditatis] Sine dubio legendum, *expertæ fecunditatis*, quo modo Faërnus quoque legebat. *Ursinus.* Muretus malnit, *expertæ fecunditatis.* Non assentior. *Experta fecunditatis* dicetur ut *Compertus flagitii, &c.* De his ad Apuleium Apolog. XI. *Acidalius.* Scio recte dici, *experta fecunditatis.* Sic Tac. Hist. IV. 'veterem expertumque belli:' mallem tamen, *expertæ fecunditatis.* Pichena.

CAP. 3. *Juvenemque et alia clarum*] Ex Vat. emendavit Lipsius: et congruit Flor. In cæteris male, *alias clarum.* Pichena.

Insigni triumphalium] Lipsius prima edit. monuit libros suos habere *insignia;* et id melius. Non hercle, nisi addas præpositionem: *per insignia triumphalium:* quod plane ego verum puto. Nam *insigne triumphalium*, nusquam alibi singulari numero legas, ut neque *insigne prætorium* vel *ornamentum prætorium*, et ejusmodi alia: quæ omnia plurali numero efferuntur. *Acidalius.*

Nisi indita et jussa] Muretus, *indicta.* Lipsius.

Nisi indita et jussa] Muretus legit, *indicta et jussa.* Acidalius et Pichena.

CAP. 4. *Serere crimina in Silanum*] Volumen scriptum habet, *ferre.* Proinde sic scripsi. Hoc Livius dicit, *ferre sermonibus.* Rhenanus. Fortasse rectius esset et usitatius, *Serere crimina in Silanum, &c.* Nam et ita sæpe Sallustius locutus est, cujus Tacitum imitatorem diximus. *Ursinus.* Venetus: *serere crimina.* Pichena. An melius *serens?* Bonum tamen etiam *ferre.* Acidalius.

Fratrisque non incestum sed incustoditum amorem] Hic locus in Budensi codice erat interpolatus: nam quidam *non* particulam supra ascripserat; et legebatur illic, *Fratremque*, quod est in vulgatis edd. *Fratrisque.* Mihi videtur hæc esse sincera lectio, *Fratreque incestum sed incustoditum amorem ad infamiam traxit.* Expone sic, *amorem incestum fratre*, id est, ob fratrem, *sed incustoditum*, quasi diceret, si custoditus fuisset et caute cælatus, non fuisset periculum. *Rhenanus.* Vocem, *fratrum*, in Flor. et in aliis veteribus inveni. De Vat. testatur Lipsius. Digna ergo mihi visa est, quæ recipiatur. Intelligit enim, *fratrum*, hoc est fratris et sororis. Vulgo, *fratrisque.* Pichena.

CAP. 5. *Nullo exemplo deductæ in domum patrui fratris filiæ*] Ita Florentinus. Vulgo, *deducta in domum patrui, fratris filia.* Pichena.

Quin et incestum ac si sperneretur] Lipsius hæc ita interpretatur: Timuisse Claudium et Agrippinam, ne propter incestum, populus sperneret profani principis imperium. Mercerus hæc verba corrupta suspicatur et corrigit, acute quidem: sed *incestui sternere viam*, duriuscula sententia videtur, nec de Taciti phrasi. Ideo vulgatam potius lectionem tueor, quamvis fortasse non integram, eodem Merceri sensu maneute. Id est: Quin et incestum ipsum Claudius et Agrippina metuebant: ac si ab ipsis sperneretur, ne fortasse in malum publicum erumperet: scilicet ne alii eodem exemplo uterentur. *Pichena.* Sententiam loci censeo: Fruebantur quidem matrimonii bonis Claudius et Agrippina: at non securi, quia et incestum subesse videbatur, nondum firmatis ejusmodi nuptiis, et periculum iræ cælestis ob tam insigne flagitium: non enim metuebant ne populus ab hoc exemplo usurparet, nec in malum publicum id erupturum credebant, nec enim postea tale Senatus consultum fecissent: sed Deos verebantur: eos enim incestu offendi crediderunt, quod satis patet ex auc-

tore nostro, infra XII. 8. ubi *sacra ex legibus Tulli regis, piaculaque apud lucum Dianæ per pontifices danda*, procurando incestui Claudius hic suasit. *Freinsh.* Hærent hic omnes, et nonnulli aliter atque aliter interpretantur. Una modo litera mutata offero ipsam scripturam Taciti. Qui non, *incestum*, scripsit, sed *inceptum*. Expendamus totum locum. Dicit Tacitus, clam pactum inter Agrippinam et Claudium matrimonium, sed necdum ausos palam celebrare solemnia nuptiarum. Causa ista, quod nullum hactenus datum esset exemplum deductæ in domum patrui fratris filiæ. Interim subibat cura et cogitatio, inceptum jam esse matrimonium, solenni more porro peragendum; non licere resilire; si id, et in eo Agrippina sperneretur, rem in motus et perniciem publicam, movente vel Agrippina, sic contempta, vel populo, qui, ut supradixit, id matrimonium jam fama firmaverat, erupturam. Idcirco videbatur, solennia nuptiarum non esse diutius differenda. Adeo ut Claudii ejusque amicorum cunctatio, et diversi consilii diversæ rationes, quod cunctantium est, duabus distinctis periodis proponantur. Lege igitur: *Quin et inceptum*, scilicet matrimonium esse, *ac, si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.* Neque, *in malum publicum erumperet*, hic aliter accipiendum, quam infra, *Nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, erupturam in publicam perniciem.* Hanc cunctationem Claudii suis artibus tandem sustulit Vitellius, effecitque ut solenniter Claudio nuberet Agrippina, quod statim subjungit et persequitur auctor. *Boxhornius.* Gerræ Siculæ male πολιτικοῦ. Freinshemio Catone sinæas contenti. Claudius haud erat intacti superstitione animi. Immo quo mente commotior, eo paullo infirmior unus multorum, eo superstitiosior. Docetque id etiam Suetonius in vita ejus c. 22. Semper autem incesta in prodigiis habita, in expiandis et procurandis, in iis quibus iram Deorum putabant denuntiari. Reliqua pete a Freinshemio. *Gronov.*

Civium et consensui] Delenda copula: vel, quod verius, addenda vox scriptori elapsa, *civium et S consensui:* id est, Senatus. Ita respondebit Claudii oratio Vitellianæ. Tamen aliquis ceperit (aut jam cepit) quasi esset, *Unum se civium, et consensui imparem:* quod ego non probem; nec certe Princeps unus e vulgo civium est: non. *Lipsius.*

Et consensui imparem] Plus quam se solum posse consentientem senatum. *Ferrettus.* Nec τὸ *et* delendum, nec τὸ *senatus* addendum. Aptius ad quæsita Vitellii, &c.* *Saliner.* Lipsius meudum hic notat, quod ego non sentio. Respondet enim Cæsar, se unum esse civium, et consensui (scilicet universorum civium) imparem. *Pichena.*

Summamque Reip. agi] Scribo, *summamque Rempublicam.* Lipsius.

Quod porro honestius Censoriæ mentis levamen] Fallor an scribendum *Cæsareæ mentis.* Certo enim hæc de Claudio. Ac supra l. XI. idem error harum distinctionum: 'Lætaque hæc in P. R. munia, multo gaudio Censoris inibantur.' Recte Farnesianus codex, *Cæsaris.* At Cæsar etiam idem forte Censor: ut plerique tum Imperatores. Consideretur. *Acidal.* Suspecta mihi vox, *Censoriæ:* præsertim in ore Vitellii, qui ipse Censor: ac si quem librum auctorem haberem, libenter reponerem, *Cæsareæ.* Pichena.

CAP. 6. *Nec diu inquirendum*] Ex Flor. restitui antiquum verbum, *anquirendum.* Vulgo, *inquirendum.* Pichena.

Vidua jungeretur] Mss. Senecæ: 'adulationibus non claudere ostium, sed aperire.' Scribendum igitur: *adulationi nos non claudere ostium, sed*

opponere: et quidem sic quemadmodum amicæ opponi solet. Hoc est, non obserare aut repagulis firmare, sed sine sera, demptо obice, manibus tantummodo obtendere, vel objectum sustinere ac prætendere. Nam *operire*, in quo et Gruterus argutatur, ipsum claudere est. Terentius Phormion. v. 3. 'Janue operuit ostium.' Noster Ann. III. 'egressa cubiculo uxore operiri fores jussit.' *Gronov.*

Documentum, quo uxorem] * Tu corrige, *quomodo uxorem.* Id enim vult adulator homo, prodendum esse posteris exemplum, ut Imperator uxorem Senatu suasore et auctore capiat. *Lipsius.*

Statueretur immo documentum, quo uxorem imperator ... acciperet] Ante omnia necessarium duxi, hunc locum, ut se habet in Flor. proponere; ut quilibet, lacuna inspecta, judicare possit, quid et quatenus in eo deesse videatur. Ut autem nunc tanquam integrum consideremus, Lipsius corrigit; *quomodo uxorem imperator acciperet:* quod non improbo: tamen apud me vulgata lectio nihil habet difficultatis: immo aliquid argutius præ se ferre videtur, cum sit vis quædam in verbo, *acciperet*, respondens ad id, quod supra dixit, *arripi conjuges:* sicuti l. II. 'tracturum conjuges:' et Hist. l. III. 'dum quæ accipi poterant, rapiuntur.' Ait igitur: documentum hoc aliis Principibus erit, quo documento uxores accipiant: non arripiant. *Pichena.* Quicquid obtrectent Lipsio, multo magis resipit Latium vetus, *statueretur immo documentum, quomodo uxorem imperator acciperet*, quam alterum. Hoc enim vult, tempus venisse, ut exemplum prodatur, idque jam prodi posse, quod respicientes quoque admoniti secuturi principes discant, qualiter et quemadmodum matrouam introducere in penates deccat Augustum. Adhuc enim nullum exemplum conjugii Cæsarum salubre exstabat. Adde quæ scripsimus IV. Observ. 11. *Gronov.*

Et sobrinarum diu ignorata, tempore addito percrebuisse] Lipsius vocem *addito* ut additam a glossographo rejicit. Ego aliud suspicor, ne ita forte scribendum, *Et sobrinarum diu ignorata, tempore adita, tempore percrebuisse.* Valde quidem elegauter et nervose. *Adita*, id est, cæpta. Nec dubito, quin ita plane Tacitus. *Acidalius.* Cum hanc lectionem omnibus libris probari, nec incommodum sensum habere videam, non arbitror esse necessarium, ut vocula ista *addito* vel omittatur, vel commutetur. *Tempore addito*, hoc est, adjecto tempore, vel processu temporis. *Freinshemius.*

CAP. 7. *Eadem orare clamitat*] Supposuimus, *rogare.* Rhenan. Muretus rescripserat, *orare:* nescio unde aut quare; nisi si fortius hoc visum. *Acidal.*

Decretum postulat] Zonaras: Ψήφισμα ἐποιήσαντο, ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι.

Addictum quasi] Arbitrio meo, transponantur verba, *Addictum et quasi virile.* Lectioni stabiliendæ (nam ego olim solicitavi) est, quod apud eundem Tacitum de moribus Germanorum scribitur: 'Trans Lygios Gothones regnantur, paullo jam addictius quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.' Nec pœnitet tamen prorsus conjecturæ, *Adductum*, præsertim quæ firmatur codice Budeusi, et item Florentino: de quo verbo in lib. Histor. *Lipsius.*

Additum et quasi vile servitium] Depravata verba sunt. In Bud. codice legitur, *Adductum quasi et virile servitium.* Nos emendavimus, *Addictum quasi et virile servitium. Palam severitas, ac sæpius superbia.* Sensus est, Etiam servos Claudii Cæs. quasi ad dictos fuisse Agrippinæ, quæ contenta muliercularum ancillatu non erat. *Rhenanus.* Venditum matrimonio servitium virorum. *Ferrettus.* Vulgo

Addictum quasi et virile. Lipsius conjectura correxit, transposuitque; quod penitus a Flor. confirmatur. *Pichena.* Pugno pro Lipsio contra Lipsium. Omnino scribendum, ut olim conjecerat, *Adductum et quasi virile s.* quamquam ipse postea *Addictum* retineri volnerit, et stabilierit alio Taciti loco: sed nego hic ei verbo locum. Non enim vult auctor dicere arctum et astrictum, sed severum servitium: quod et sequentia verba satis demonstrant: et clamat adjunctum hoc ipsum, *Virile.* Acidal.

Cap. 8. *Die nuptiarum*] Mala ergo distinctio, et historiæ vitiandæ, in Suetonii Claudio obtinuit, c. 29. ‘ Silanus abdicare se prætura, morique initio anni coactus. Die ipso Claudii et Agrippinæ nuptiarum in quinque et triginta Senatores trecentosque amplius equites animadvertit.’ Apage: nulla cædes nuptiali ejus die lecta; scribeque, *initio anni coactus, die ipso Cl. et Ag. nuptiarum. In quinque, &c.* Lipsius.

Italia pulsa est] Si pulsa tantum, quid ita Commentator Juvenalis scribit eam a se interfectam? ‘ Calvina,’ inquit, ‘ Prætoris cujusdam soror, quæ se occidit tamquam infamis in fratrem [lego, *fratre*] Claudii temporibus.’ Hoc notat ad illud e Satyr. III. ‘ donat Calvinæ vel Catienæ.’ Homo errat. *Lipsius.*

Veniam exsilii pro Annæo Seneca] L. Annæus Seneca studiis sapientiæ eminentissimus seculi sui, insimulatus adulterii cum Julia M. Vinicii uxore, Germanici et Agrippinæ filia, confictis in illam a Messalina criminibus, ut conreus, pulsus erat in exilium: ei Agrippina restitutionem impetrat. Ex Dione l. LX. *Vertran.*

Et consilio ejusdem ad spem dominationis uterentur] Ita rectius Florentinus, quam, *uteretur*, ut in vulgatis: nam et de Domitio et de Agrippina simul intelligitur. *Pichena.*

Cap. 9. *Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt, sententiam expromere*] Muret. *inducit:* ut scilicet ad Agrippinam solam referatur. Manere tamen illud recte potest, nec respicitur forte sola Agrippina, sed et Vitellius, et alii ejusdem sectæ. *Acidal.*

Qua oraretur Claudius, despondere Octaviam Domitio] Verbum, *oraretur*, ex Flor. restitui. Vulgo, *hortaretur.* Pichena.

At super priorem necessitudinem] Non semel accidit in libris editis, ut, *secundum*, pro, *super*, a librariis scriptum fuerit; nec mirum. Error enim ortus ex eo, quod in veteribus Manuscriptis, et præcipue in Flor. verbum, *super*, plerumque uno tantum charactere, ad hujus similitudinem S’ scriptum sit, ut hic. Restituimus ergo, *super priorem*, quod in vulgatis erat, *secundum priorem.* Pichena.

Quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur] Verissima lectio et sententia. At quid Muretus voluit mutando? *qui sub accusatam Messallinam vitrico et filio timebantur.* Ineptissime. *Acidal.*

Cap. 10. *Ut rettuli*] Lib. XI. vide. *Lipsius.*

Sed et filium Vononis, nepotem Phrahatis accersere] Demiror, cur quispiam volnerit *accedere* verbum, quod in exemplari manuscripto legitur, mutare in *accersere.* Nam defectioni eleganter accessus opponitur. Sensus est: Nemo nos potest defectionis arguere, quum ad filium Vononis, nepotem Phrahatis accedamus. Subjicit causam, ‘ adversus dominationem Gotarzis.’ Mallem ego pro, *sed et filium*, scribere, *sed ad filium.* Verum infra sic quoque loquitur: ‘ Quia societatem nostram volentes accesserant;’ non, *ad societatem*, quod tamen Latine dicitur. Item l. II. ‘ Ut ripam Euphratis accederet.’ Itaque expone *et* pro *etiam*, hoc sensu: nos non modo non deficimus a familia Arsacidarum, sed etiam veram stirpem accedimus. *Rhenan.* Danesius legebat *accedere.* Ursin.

Abjici conjuges gravidas, liberos parvos] Reposuimus, *adjici con. gravid.* Significat enim Gotarzen scelera sceleribus cumulantem, nec contentum fratribus propinquisque trucidatis, nisi illis uxores gravidas et liberos adjiciat. *Rhenan.*

Bellis infaustus] Elegantissimi ingenii et doctrinæ noster Modius observat e libro vetere, *belli infaustus:* recte; ea forma qua, militiæ clarus. *Lipsius.*

Cap. 11. *Quanto ignara barbaris*] Ita edidi e Vatic. Farnesiano erat, *ignota:* vulgo, *ignoratiora.* Phrasis vulgata et obvia in Tacito. *Lipsius.*

Quanto ignoratiora] Vetustior lectio, *quanto ignara Barbaris:* subauditur *magis.* Accipitur autem hæc lectio passive, pro ignota. Sic sæpe Tacitus in sequentibus: 'quæ gnara militi:' 'quæ gnara Vespasiano.' Hoc ipso libro, infra: 'Nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum: at nobis ea pars militiæ maxime gnara est.' *Rhenan.* Flor. corrupte, *ignata:* ex qua voce, quamvis una tantum litera immutata, legi æque possit, *ignota,* et, *ignara,* mihi tamen *ignara* magis placet, ut etiam Lipsio. *Pichena.*

Tanto toleratiora capesseret] Videtur legendum: *Clementiamque ac justitiam, quanto ignoratiora barbaris, tanto lætiora capesseret, &c.* non ut vulgo legitur, *tolerantiora.* Ursinus. Verbum, *toleratiora,* ex Flor. restitui. Rectius proculdubio, quam, *tolerantiora,* ut in vulgatis. Ceterum, quoniam verbum, *tolerare,* oneris molestiam innuit, quid cum clementia ac justitia, quæ virtutes sunt populis vel maxime desiderabiles? An sic loquitur Tacitus propter barbariem Parthorum, quibus virtutes pro vitiis? Tacitus initio l. II. 'Sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia.' Ego interpretor, verbum *tolerare,* respicere tantummodo justitiam, omissa clementia. Justitia enim populis plerumque onerosa et invisa. In promptu mihi exemplum est ex l. IV. in fine: 'Ibi campo aut litore jacentes, nullo discrimine noctem ac diem, juxta gratiam aut fastus janitorum, perpetiebantur:' nam etsi argui potest, vilium ac superborum hominum gratiam ipsis etiam, qui accipiunt, invisam, et odiosam; tamen mihi videtur, verbum *perpetiebantur* fastui tantum responderc, non gratiæ. At Francisci Venturii de hoc loco sententia est: Capesseret Meherdates clementiam et justitiam: quæ virtutes, quoniam barbaris ignotæ, utpote qui dominium regum, non regimen, perpetiebantur, id efficient, ut qui illas adhibeat, gratius et minus grave imperium in subditos exerceat. *Pichena.* Non placet *tolerantiora,* non quia vocem ipsam reprobem, sed quia sententiam admodum quam languidam gignit. Muret. voluit, *tanto tætriora,* quod plane non convenit. Nec ego scio quid faciam. Hariolor tantum, *tanto lætiora,* bono quidem sensu: quanto inusitata magis ac nova barbaris, tanto gratiora futura. *Acidalius.* Quid ergo, num insucta barbaris magis tolerantur? et vero num tolerari dicendæ sunt clementia atque justitia, quasi res, quas abesse malis? tolerari enim ea puto, ad quæ sustinenda patientia opus est, manente interim voto et spe amoliendi. Id autem de regiis istis virtutibus ad novum regem imperator diceret, præcepta bene imperandi traditurus? Denique ne Latinam quidem vocem esse contendam, *toleratiora.* Adeoque adfirmem in scriptura vitium esse ex repetitione ejusdem syllabæ præcipue ortum, cum enim forte scriptum esset, *tanto cratiora* (pro *tanto gratiora,* et scimus hujusmodi innumera in membranis admitti) facile argutulus aliquis vulgatam deinde lectionem exsculpsit. Videtur autem legi debere, ut dictum est, *tanto gratiora:* quod et per se veram atque pulchram sententiam efficit; et vero instituto sermoni longe convenientis-

simum est. *Freinshem.* Fluctus movent in simpulo. Vide I. Observ. 14. *Gronov.*

Ac tamen ferenda regum ingenia] Deprehendi librarium subinde scripsisse, *Ac tamen*, pro *attamen*. Rhenanus.

Satiate gloriæ] Hoc cum in editione Pichenæ compareret, ego pro typographico sphalmate habebam, et juvabat indice erratorum, qui eidem editioni annexus est. Sed socer meus credebat auctorem, phraseos Sallustianæ (quem præcipuum verborum veterum novatorem fuisse constat,) imitatorem perpetuum, hoc quoque verbum ex antiquitate arripuisse, quo et Lucretius utatur, 'fessus satiate videndi.' Hunc dissensum, et si quæ alia in his studiis inter nos ambigitur, veræ concordiæ sincerique affectus vicissim securi, incolumi amicitia et fovemus et propugnamus, et lectorem amicæ litis arbitrum facimus. *Freinshem.*

Ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum, &c.] Interpungendum sic: *ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum post hæc C. Cassio, qui Suriæ præerat.* Ursinus. Aliter in Flor. legitur, ac distinguitur: *quietem velit. Datum post hæc C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis.* Abest quippe ab eo verbum, *jubet*. Sed hanc lectionem vulgatæ non anteferam. *Pichena.* Elegantissimam hic emendationem vidit Muretus, delet a fine verbum, *jubet*, reliqua scribit interpungitque: *ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum post hæc C. Cassio, q. S. p. deducere, j. r. a. Euphr.* Acidal.

Cap. 12. *Ea tempestate Cassius præminebat peritia legum*] Lipsius in prima edit. putavit legendum: *Præ ceteris peritia legum. Præ ceteris*, ut alibi solet, *ante alios*. Interpolatus locus varie est ab imperitis, qui abesse quid crediderunt. In ultima hac accipit Vaticani lectionem, *ceteris præerat*. Non ego hoc quidem. Nam præcessit vix dum, *qui Syriæ præerat*: e qua linea huc idem verbi inculcatum. *Acidalius.*

Cæteros præminebat] Vatican. *ceteris præerat.* Accipio. *Lipsius.*

Industriosque ac ignavos] Castigavi, *aut ignavos*. Item *Zeugma*, pro *Zeuma*, ex Strabone Stephanoque. *Rhenanus.*

Revocare priscum morem, exercitare legiones] Scripsi, *exercitare*, ex Flor. Vulgo, *exercere*. Pichena.

Exercere legiones] Vett. *exercitare*. Lipsius.

Abbarus] In Budensi codice modo *Acbarus*, modo *Abbarus* legitur, sicut *Yliates* et *Ezates*. Rhenanus. Hic in numismate æreo Gordiani Pii Imp. dicitur ΑΒΓΑΡΟϹ ΒΑϹΙΛΕΥϹ in cujus numismatis altera parte caput ipsius regis diadematum cum titulo si recte memini, ΕΔΕϹϹΕΩΝ, signatum est. In alio autem ejusdem Gordiani numismate, item æreo, rex ipse Camelo insidens impressus est cum eodem titulo. Camelus autem Arabum insigne est, in argenteo etiam denario familiæ Plautiæ, in quo REX ARETAS inscriptum est. *Ursinus.*

Quia hiems occipiebat] Muretus legit, *quia hiems occupabat*. Fortasse minime spernendum. Nam quod sequitur, *Exin nivibus, et montibus fessi*, non hiemis initium indicat, sed maxime adultam. *Pichena.* In Mureti libro notatum, *Occupata*. Non convenit. Verbum tamen id si melius hic, scribendum *occupabat*. Sed nihil mutandum. *Acidalius.*

Quorum rex Juliates] Ita edidi ex meis libris. Vulgo tamen, *Hyliates*: et statim infra, *Ezates*, etiam in manuss. Scito verum nomen esse, *Izates*. Ita enim appellatur constanter Josepho lib. xx. Antiq. cap. 2. 3. ubi et historia omnis explicita de origine hujus regis et progressu. Narrat autem Josephus Judaicæ religionis eum et matrem Helenam fuisse: multaque alia, quæ operæ sit legere. *Lipsius.*

Rex Izates] Alii *Juliates:* quod nomen cum in codicibus corruptum sit (sunt enim ubi et *Hyliates* reperias) deinde etiam infra XII. 14. *Ezates* appelletur, haud obscurum fuit, verum nomen hujus Regis, quod Josepho Antiq. XX. 2. et 3. proditur, utroque hoc Taciti loco positum ab auctore fuisse, qui id utique scire poterat, cum ejus coætaneus esset: ergo visum nobis fuit nomen illud utroque loco restituere. *Freinshemius.*

In Gotarzen per occultam et magis fidam inclinabat] Scripsimus, *per occulta et magis fida inclinabat*, ex Budensi codice. *Rhenanus.*

Et castellum insigne fama] Adjeci copulam, *et*, contra librorum auctoritatem, ut defectui manifesto quam minima mutatione mederetur, neu lectoribus absurdum illud se offerat, *urbem Ninos*, castellum a Tacito appellari. Idque suadente Lipsio, qui etiam suspicatur, nomen castelli, scilicet Arbela, intercidisse. *Pichena.*

Qui tempore stato per quietem monet sacerdotes] Ita Flor. et melius, quam vulgati, *tempore statuto.* Sic Histor. l. III. 'stato in eosdem dies mercatu.' Lib. IV. 'statos æstivis flatibus dies.' De morib. Germ. 'stato tempore.'

Telis onustas] Vatic. *telis omissis onustas:* nec scio quid voce ea faciam. Forte, *telis omnigenis onustas.* Lips.

Equi ubi pharetras telis onustas accepere] Vatic. *telis omissis onustas.* Unde Lipsius, *telis omnigenis on.* Quid si *telis missilibus onustas?* Sed absque dubio natum *omissis* ex supervacua iteratione sequentis *onustas.* Acidalius.

Rursus Deus, qua silvas pererraverit] Vulgo, *quas silvas pererraverint:* at Florentini lectionem reposui, quæ mihi melior. *Pichena.*

CAP. 14. *Mox Abbarus Arabum, cum exercitu abscedunt*] Dubito an sit legendum, *et Rex Abbarus, Arabum cum exercitu:* nam et in Farn. codice aiunt scriptum esse, *et Rex*, et a Tacito supra sic appellatur; et de Arabum tantum exercitu intelligi, verisimile est, cum Ezates Adiabenus privatus esset, neque ullas ab eo copias adductas appareat. *Pichena.* Hæc non excidissent viro præstantissimo, si Josephum et Zonaram inspexisset; aut animadvertisset c. 12. legendum: 'Adiabenos, quorum rex Izates.' Intelligo tamen esse in hac narratione quo aliquis acutum videns facile offendatur: eique hoc remedii censeo, ut scribamus: *Ex quis Izates Adiabeno, mox Abbarus Arabum cum exercitu abscedunt.* Si non dixisset supra, c. 12. 'rexque Arabum Abbarus,' admitterem Farnesianum, tanquam Izati nunc eum titulum temperasset apponere, quia cap. 13. dederat. Sed quum superius utrumque regem appellasset, fatua hic ea mentio in altero. Non minus fatuum *Izates Adiabenus*, tanquam id antea non percepissemus. Nihil commodius quam *Adiabeno*, ut intelligas ex proximo, *cum exercitu.* Gronov.

Quod unum erat reliquum] In codice Budensi verbum *erat* non reperio: Tacitus autem brevitatem amat. *Rhenanus.* Venetus, *quod unum erat reliquum.* Pichena.

Rem in casum dare] In eum sensum Panegyr. Constantino Constantii f. dict. 'Cur salutem Reip. in tanta pericula misisti?' *Acidalius.*

Medos tum præsidens] Ita Flor. Vulgo, *Medis:* nam etsi Tacitus tertium et quartum casum verbo, *præsidere*, indistincte jungat: tamen cum de provinciis loquitur, quarto libentius utitur. Annal. lib. IV. 'Italiam et Galliæ litus præsidebant.' Item: 'litora Oceani præsidebat.' Notavi etiam infra, in verbis, *qui Pannoniam præsidebat.* Pichena.

CAP. 15. *Et jam jamque Bosporum invasurus habebatur*] Duas particulas, *et jam*, delevimus, et pro *habebatur* scripsimus *videbatur.* Rhenan.

Diffisi propriis viribus Aquila et Cotys] Falso in vulgatis, *diffisus.* Indicavit veram lectionem Flor. qui habet, *diffisis.* Restitui ergo, *diffisi*

de duobus enim sermo est. *Pichena.*

Quia Zorsines Soracorum rex hostilia resumpserant] Flor. *Siracusorum Rex.* Pichena.

Qui Adorsorum (*Aorsorum* Lipsius) *genti præcellebat*] Novo sensu hoc verbum hic, si tamen sanum. Forte leg. *gente.* Acidal.

CAP. 16. *Nostris in armis*] Aliter exaudio, quam vulgus: id est, nostri in lateribus erant, et ad armos. Nec enim solos Romanos in armis fuisse censendum; sed cum Aorsi in fronte agminis et tergo essent, in medio Bosporani; Romanos latera tutatos esse. Nisi tamen legendum, *nostris armis:* ut dicat Bosporanos, Romano ritu instructos armatosque: quod malo. *Lipsius.*

Nostris in armis] Sincerior lectio: *Nostri in armis,* subauditur, *erant.* Rhenanus. *Armos* in re militari nunquam legi usurpatum pro lateribus. De interpretatione vero eadem mihi meus, et eruditissimo viro: nimirum Romanas cohortes, et Bosporanos Romanis armis instructos media tenuisse: at non concesserim dispungi τὸ *in,* quia Cornelius id sedulo hic e Virgilio deduxit: 'Nec minus Æneas maternis sævus in armis.' Qui non infrequenter Virgilium æmulatur et imitatur, licet ejus dicta propria non faciat, ea deflectens a significatu Poëtæ. Thucydides l. XII. (ait Demetrius) κἂν λάβῃ παρὰ ποιητοῦ τὶ ἰδίῳ αὐτῷ χρώμενος, ἴδιον τὸ ληφθὲν ποιεῖ: nam quod Homero περίῤῥυτος magnitudinem designat, apud eum concordiam præ se fert. Nunc ex multis nonnulla decerpamus, quæ Tacitus per Virgilium scripsit. Æn. l. VI. 'non ulla laborum, O virgo, nova mi facies.' l. V. Hist. 'Ac rursus nova bellorum faces.' Ille l. VI. Æn. 'Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo.' Item l. V. Hist. 'neque pisces aut suetas aquis volucres.' Publius l. VI. Æn. 'Jam senior, sed cruda Deo viridisque senectus.' Cornelius in Vit. Agric. 'et quibus cruda ac viridis senectus.' Apud Poëtam l. II. Æn. 'Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.' Apud historicum in Vit. Agric. 'et aliquando etiam victis ira virtusque.' Tandem vates l. I. Æn. 'Maturate fugam, regique hæc dicite vestro.' Orator l. XII. Ann. 'in longinqua et contermina Scythiæ fugam maturavit.' *Salinerius.* Præcipuam Lipsii interpretationem non admiserim: scilicet, nostros fuisse in armis, hoc est, ad armos. Nam præter modum loquendi auctori nostro inusitatum, historia ipsa repugnat: supra enim dixit Julium Aquilam paucas cohortes habuisse: eæ deinde in acie collocantur una cum Bosporanis: præter hos, nihil Romanorum militum. Ergo illud, *nostris,* referri non potest ad milites Romanos, sed veram sententiam censeo, quam postremo idem Lipsius tangit: Bosporanos, quia una cum Romanis, &c.* *Pich.* Cave sic exaudias, ut Lipsius, *in armis,* pro in lateribus, et ad armos. Nemo ita unquam locutus. Deinde quam errat idem Lipsius, cum explicat incessum agminis: et in fronte ejus ac tergo Adorsos, in medio Bosporanos, ad latera Romanos fuisse vult? Quomodo hoc ex Tacito colligas? qui ita, si sane verba interpretaris, describit: a fronte et a tergo Adorsos incessisse: ad latera cohortes (et accipe Romanos) et Bosporanos: in medio qui fuerint, non addit. Cohortes, quas dicit, non aliæ sunt nisi Romanæ, de quibus paullo superius: 'Relictos in novo regno Cotyn juventa rudem, et paucas cohortium cum Julio Aquila, equite Romano.' Verba, *nostris in armis,* sic accipiam, quasi dicat, agmen hoc instructum fuisse in morem militiæ Romanæ: quod sensisse postea et Lipsius videtur, quamquam de solis Bosporanis: instructos hos armatosque Romano ritu. Et in hanc sententiam præpositionem *in* delet. Quod necesse ego non puto, et de toto agmine, non de unis Bosporanis accipiendum statuo. *Acidalius.*

Ventumque Sozam opidum Dandaricæ] Auctore Florentino scripsi, *Sozam*. Vulgo, *Soza*. *Pichena*.

Oppidum Dandaridæ] Correximus, *Dandaricæ*: subintelligitur, terræ. *Rhenanus*.

Sed cratibus junctis] Vatic. *cratibus et vimentis*: probo. *Lipsius*.

Sed cratibus junctis ac media humo] Volumen regium habet, *sed cratibus vinctis ac vimentis media humo*. Quid si legas, *Sed cratibus, vinctis sarmentis media humo*: subauditur *existente* Rhenanus. Sequitur Vaticani lectionem noster, qui habet, *cratibus et vimentis, ac media humo*: supra autem notatum est, *modica humo*, quod non probo. *Pichena*.

CAP. 17. *Ut belli potius jure caderent*] Hæc verba unde pendent, quo referentur? Suo loco excidisse puto, et sic exponenda: *custodia cingere arduum: datumque militibus, qui scalis evaserant, signum cædis, ut belli potius jure cadevent. Excidio Vesp. &c.* Acidalius.

Plerisque consularium interfectis] Quidam emendarat in libro Budensi, *plerisque Centurionum interfectis*. Rhenanus. In veteribus nonnullis, ut ait Lipsius, legitur, *plerisque consularium*. In Flor. *consiliarium*: utrumque credo, corrupte. Sensus exigere videtur, *classicorum*, vel, *classiariorum*. Pichena.

CAP. 18. *Romanorum nemo ejus auctoritatis adĕrat*] Miror quid ei venerit in mentem, qui in editione Romana aut Basiliensi locum hunc adulteravit, pro, *id auctoritatis* scribens, *ejus auctoritatis*. Latine eleganterque dicitur *id auctoritatis*; sicut 'id ætatis,' 'id temporis,' 'quidvis temporis,' 'id genus,' 'omne genus,' 'quod genus' pro *ejus auctoritatis, ejus ætatis, ejus temporis, omnis generis*, et *cujus generis*. Ad hanc formam pertinet quod dixit l. XVI. 'id honoris indicibus,' pro *ejus honoris*, quemadmodum illic admonebimus. *Rhenanus*.

Propriis odiis infensum] Ex Agricolæ codice Modius, et eruditissimus vir addunt negationem, *propriis odiis non infensum*. Ego de vetere sententia non decedo. *Odia propria* apud nostrum sunt odia non momentanea, sed quæ non facile deponuntur: ea enim vis τῷ *proprium*. Plaut. Mostell. 'Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita.' Virg. VI. Æn. 'nimium vobis Romana propago Visa potens, superi, propria hæc si dona fuessent' Sensus est, Eunones licet in Romanorum gratiam conspiraverit cum aliis Regibus adversus Mithradatem, tamen habebatur exorabilis, utpote qui simultatum tenax non erat, immo id genus hominum invisum habebat, gnarus pœnarum, quæ inexorabiles sequuntur. Hom. Il. I. 506. Ὅς δέ κ' ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ, Λίσσονται δ' ἄρα ταίγε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι, Τῷ Ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ: i. *qui autem renuerit dureque repudiaverit, Precantur igitur hæ Saturnidem adeuntes, Eum Atem una sequi, ut læsus pœnas luat*. Vel Eunones alias ante Romanam societatem inimicus erat Mithradati propriaque odia exercebat: sed is adeo sibi a Romanis metuebat, ut genua regis infensi accidere sustinuerit. Sic Themistocles Atheniensium metu supplex fit Admeti Regis, et inimici. Thucyd. l. II. *Salinerius*. Neutra interpretatio est unius assis. Non prior, quia usus ille elegans τοῦ *proprius* non est hujus loci: deinde si esset, quis ferat dicentem: *infensus diuturnis simultatibus, infensus iris plumbeis*: pro exorabili et non gaudente istis? Non altera, quia si vetus inter eos erat offensa, non id prætermisisset Tacitus, &c. * *Gronovius*.

CAP. 19. *Prece haud degenere permotus*] Ita scripsimus, ubi ante, *promotus*. Rhenanus.

Laudatque quod gentem Adorsorum, quod suam dexteram petendæ veniæ delegerit] Libenter hic legerim contra vulgatas editiones omnes simul et scriptum exemplar: *Laudatque gen-*

tem Adorsorum, quod suam dexteram petendæ veniæ delegerit. Nam hic indubie *suam* dixit pro *ejus*, ut et l. xv. 'Quod clam ad omen ac dolum sui exitii verteret:' sic enim ibi nobis legendum videri indicabimus. Et l. II. Hist. de Nerone: 'Sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulere.' Quomodo Cicero quoque loquitur et autores alii. *Rhenanus.*

Sibi et Claudio, etiam communionem victoriæ esse] Expressi lectionem Florentini, cui et Venetus consonat. Vulgo, *ex communione victoriæ.* Pichena.

Quoties ignoscendo transigentur] Scripsimus, *transigatur:* id accipiendum impersonaliter. *Rhenanus.* Ven. *transigantur.* Sed nihil muto. *Pichena.* Adeo meliorem esse lectionem contendo *transigantur* (nempe bella) ut alteram ne tolerari quidem posse putem, ut sensus corrupti ream: si enim *transigere* absolute ponas, de conventione quadam utriusque partis consensu inita intelligas, quod hic non potes. *Transigere* autem bellum, est perficere, quomodo 'transigere negotia,' III. 33. German. 22. *Freinshemius.* Mihi vero multo potius *transigatur*, in quo intelligo, *res, controversia, id quod bello quæritur.* Sic. l. III. Histor. 'Affuit ut sæpe alias, fortuna populi Romani, quæ Mucianum viresque orientis illuc tulit; et quod Cremonæ interim transegimus.' Annon hic quoque verbum absolute ponitur? Numquid autem conventio utriusque partis consensu inita accipienda est? Non secus in Agricola: 'Transigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta annis magnum diem.' *Gronovius.*

Cap. 20. *Atque Claudius quamquam*] Videtur vel delenda copula, *que*, vel legendum: *At Q. Claudius, &c.* Ursinus. Sed quis scripsit Claudio fuisse prænomen *Quinto?* Gronovius.

Ad hæc reges feroces] *Ad hoc* reposuimus, usurpatum a Livio Sallustioque. Sic infra: 'Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos.' Item, *his permotus*, non *promotus.* Rhenanus.

Cui inopi, quanto longiorem vitam] Flor. *quin inopi*, quod vulgatæ lectioni non antefero. Fortasse scriptum erat *quoi* antiquo more, quod parum attentis librariis erroris causam sæpe dedit. Sic lib. seq. ubi legitur, 'cui per nuptias Antoniæ gener erat:' veteres male habent, *qui per nuptias.* Pichena.

Meritum quidem novissima exempla Mithradatem] Sic l. v. 'quamquam adversus sontes, et novissima meritos:' id est, mortem, omnium humanarum rerum novissimam, quam lib. eodem dixit 'necessitatem ultimam.' Suetonius, et Livius, 'ultimam pœnam.' Apul. 'extremam pœnam.' I. C. in L. 21. Dig. de pœnis: 'Ultimum supplicium, mortem solam interpretamur.' *Pichena.*

Quanta pervicacia in hostem] A M. Antonio Mureto est, qui ingeniose veram lectionem pervidit. Nam vulgo erat, *quantalibet pertinacia in hoc tentata. Pervicacia* autem in Vatic. scriptum. *Lipsius.*

Quantalibet pervicacia in hoc tentata] Quid si legatur, *in nos tentata?* Rhenanus. Beato magis placet, *in nos tentata:* ego subscribo. *Vertranius.* Muretus, *verum ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum.* Eruditissimus vir pedibus it in ejus sententiam. Quam vellem ut ab his supersedissent, vocemque indignam populo Rom. ei se attribuere pepercissent. Tacit. Ann. l. XII. 'ac præcipua Silurum pervicacia, quos accedebat:' pervicax ideo hæc gens, quod jam victa ab Ostorio minore militum numero, et loco Romanis iniquo, nihilo secius bellum redintegrabat: aptius autem id verbi cadit in Mithradatem, qui non semel a Romanis victus bellum reparavit: 'nec fuit in ardno societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithradatem ostentantibus.' Ac verbum *tentatum* de

ea re dicimus, cujus jam periculum fecimus. Liv. l. I. ‘ ratus tentari potentiam, et tentatam contemni.’ Noster l. v. Hist. ‘ sic prævecti tentato telorum jactu dirimuntur.’ His percursis, dicimus Claudium ita respondisse Eunoni pro Mithradate intercedenti : animus ferebat, vis aderat ulciscendi Mithradatem; sed clemcntia majorum qua supplicibus sine fine indulgebant (licet expertus ego sæpe sim, quam is fuerit animi ad rebellandum obstinati) me ab inccpto continet et avertit. Vel simplicius : sequar tamen majores, qui quantamvis pervicaciam deprehenderint in hoc : id est in ignoscendo, supplices tamen venia semper imperticbantur. *Salinerius.* Hic quoque non potuit non nugari vir optimus, cum meras nugas defendendas suscipcret. Sive simplicius, sive duplicius tractatis verbis istis nihil sani sensus est. At *pervicacia in hostem* propria laus, &c. * *Gronovius.*

Cap. 21. *Per Junium Cilonem procuratorem Ponti*] Emendavit ex historia Lipsius. Vulgo, *Colonem.* Pichena.

Cap. 22. *Memmio quondam Regulo*] Vide Sueton. in Caio, c. 25. itemque Dionem. Statim vox *Nuptiis* abest Farnes. codici: et illæsa sententia potest. *Lipsius.*

Et materiam sceleri detrahendam] Scripsimus, *materiem.* Sic l. II. ‘ Si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriæ.’ Lib. III. ‘ Præbuit juvcni materiem adipiscendi favoris.’ Lib. v. ‘ Et materies criminandi.’ *Rhenanus.*

Ita quinquagies sestertium, &c.] *Ita* non hic congruit. Scripserim *At*, vel delcrim potius, ex litcris prioris vocis natum. *Acidalius.*

Cap. 23. *Salutis augurium*] Breves notas scribenti longius esset æquo transferre in hunc locum, quæ de eo divinationis genere prodidit Dio lib. XXXVII. Satis sit auctorem indicasse. *Vertranius.*

Cap. 24. *Regum in eo ambitio*] Consule Onufrium in urbe Roma. *Lipsius.*

Mox ad Curias veteres] Scripsimus, *in Curias veteres.* Rhenanus. Studiosorum causa notatum voluimus, fuisse Romæ Curias Vcteres et Novas. In veteribus Pontifices sacra faciebant, in Novis Senatus habebatur. Arbitrabatur Martianus, vir in Romana antiquitate investiganda multum versatus, Novas fuisse, et Veteres appellatas, ratione aliarum, quæ post longo tempore fuerunt ædificatæ. *Lupanus.*

Et publicis actis perscriptum] Ita scribendum ; non, *præscriptum.* Ursinus. Lege, *perscriptum.* Etiam Muretus notavit. *Acidalius.*

Cap. 25. *Ac notant periti*] Immo ipsemet, quasi parum reprehenderetur, identidem evulgavit, si vere Tranquillus in eodem Claudio 39. *Vertranius.*

Atta Clauso] Secuti sumus spectatæ fidei codicem Vat. qui disertim habet *Atto Cluso.* Superius tamen aliena manu I. addito, ut fieret, Attio. Ut mirer Jurisconsultum Vertranium scribere duos Vat. *Accio Clauso*, referre. Sed ille quidem nobis imposuit: ego si fallo, tum mihi quivis oculos *Istos, supposititis eruito manibus.* Facit a Vatic. in eadem bibliotheca, &c. * *Lips.*

Eosque ab Atto Clauso continuos duravisse] Ita Flor. et concordat Vat. ut ait Lipsius. Vulgo, *ab Atta Clauso.* Notavi etiam l. IV. *Pichena.*

Cap. 26. *Quæsitiore in Domitium adulatione*] Restitui Tacito suum verbum, Florentino prælucente, in quo legitur, *quæstiore*, cui suppositum fuit: *exquisitiore*, et est phrasis illi usitata. Lib. II. &c. * *Pichena.*

Rogata lex, qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret] Eum *adoptionis* morem attingit, quæ *per arrogationem* fiebat : de qua etiam Gellius. Cæterum et *nomen* hic pro gentili familia accipitur. Ciutius, et Cicero in Topicis, ‘ Gentiles,’ inquit, ‘ mihi sunt, qui eodem nomine vocantur.’ Valer. Maximus auctor est, ‘ a Q. Me-

tello ejusdem nominis viros exhæredatos:' hoc est, agnatos gentilesque suos: ut inde existimem; in tribus Romanis nominibus, ut C. Julius Cæsar, nomen Julii familiam significare. Quo exemplo mihi nomen erit, *Alciatus; Andreas* magis cognomini quadrabit, quam prænomini, licet nemo non contrarium opinaretur. Sed alias latius. *Alciatus.*

Desolatus paulatim] *Desolare*, est tamquam de solo dejicere. Virgil. ' Vidimus ingentes et desolavimus agros.' *Desolatus* ergo dejectus est, et demissus. Tacitus lib. XVI. ' Viduata desolataque.' *Ferretus.* Immo ad solitudinem et vastitatem redigere. Vide IV. Observ. 21. *Gronovius.*

Per intempestiva novercæ officia] Eruditissimus vir ad servos refert, qui ab Agrippina ad alia officia vocabantur. Videat lector. Ego dicerem Agrippinam amovisse a privigno plerosque familiarium liberos et servos, quo ex comitatu Neronis et Britannici, populus ' fortunam utriusque præsumeret:' et quo privignus non haberet, unde præceptis sive monitis imbueretur. Hæc de domesticis: idem de iis, qui foris ejus sortem querebantur. ' Simulque qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis de causis, et alii per speciem honoris etiam libertorum si quis incorrupta fide depellitur.' Eadem ergo ratio removendi domesticos, et extraneos: sed non idem prætextus. De extraneis clarum, non itidem de domesticis: nam per *intempestiva novercæ officia* quo pacto quis animo defæcato interpretetur de servis ad alia officia vocatis? Mihi placet, Agrippinam prætendisse caritatem: hoc est, Britannico (quem penes se in Gynæceo vellet) familiares ut minime necessarios abstulisse. Id vero intempestivum est, quia jam ætas Britannici excesserat e magisterio feminarum: qui ad hoc loci undecim annos jam natus erat. Si enim anno 806. ab U. C. Nero sedecim annorum; (' D. Junio, Q. Haterio coss. sedecim annos natus Nero') majorque bienuio quam Britannicus; (' his evictus biennio majorem natu Domitium filio anteponit') necessum est Britannicum C. Antistio et M. Suilio Coss. (quibus ea ab Agrippina curabantur) annum jam decimum primum attigisse. *Salinerius.*

In ludibria vertebat] Et hic usurpat absolute *verto*, quemadmodum supra annotavimus. *Rhenanus.*

Intelligens falli se] Sincerior lectio, *Intelligens falsi.* Gaudet autem hujusmodi constructionibus cum genitivo Tacitus. *Rhenanus.*

Sive verum, seu periculis commendatus] In Budensi volumine legitur eodem modo, nisi quod illic est, *sive periculis.* Conjicio scribendum priori particula *sive* expuncta, *Verum sine periculis commendatus, retinuit famam sine experimento.* Rhenanus. Beatus priorem particulam, *sive*, expungit, et legit *verum sine peric.* Ego priore expuncta, nihil muto: neque vere dici potest sine periculis Britannicum habitum non segnem, cui tot noverca tenderet dolos. Scribendum igitur, *ferunt, verum seu periculis commendatus, &c.* quasi pericula non segnis indolis fecerint fidem. *Vertranius.*

Cap. 27. *Adventu Cattorum latrocinia agitantium*] Muret. *Caucorum.* Acidalius.

Deinde L. Pomponius legatus] Parum certe cohærens narratio, quod recte Lipsio animadversum. Nec tamen putem ea deesse, quæ censuit ipse. Quin satis integer locus fore videtur, si *proinde* legas. *Acidalius.*

Addito equite alario monuit] Codex regius habet, *monitos.* Opinor scribendum: *addit, equite alario monito.* Rhenanus.

Vel dilapsis improvisi circumfunderentur] Sic Flor. Vulgo, *delapsis.* Pichena. Hic quoque scribe *dilapsis*, in qua voce sæpe erratum. Hic Mur. etiam notaverat. *Acidalius.*

Quadragesimum post annum servitio

exemerant] Transpositiones hujusmodi Tacitus amat. Hanc ergo ex Flor. hic reposui. Vulgo, *post quadragesimum annum*. Pichena.

CAP. 29. *Diuturnitate in superbiam mutans*] Comprobatur hæc Lipsii correctio a Flor. Vulgo, *diuturnitatem*. Pichena.

Auctores fuere Jubillius Hermundurorum rex] Muretus notat ex veteribus libris *Vibellius*. Acidalius.

Scripsitque P. Atellio Histro] Concordant in hoc nomine Vat. et noster. Vulgati vero, *P. Attilio*. At Lipsius ex antiquo lapide suspicatur verum ei nomen fuisse: *Palpelio Histro*. Pichena.

Pannoniæ præsidebat] Quidam scripti, *Pannoniam:* nec raro ita noster. Lib. IV. ' Galliæ litus rostratæ naves præsidebant.' Iterumque: ' Litora oceani præsidebat.' *Lipsius*.

Qui Pannoniam præsidebant] Vulgo, *Pannoniæ*. Mutavi ex Flor. et dixi etiam alibi. *Pichena*.

CAP. 30. *Quia Ligius Hermundurusque illic ingruerant*] Correximus, *ingruebant*. Item *Capessit*. Infra c. 31. ' aditu angusto.' *Rhenanus*. Consentientibus Florent. et Venet. scripsi *ingruerant*, pro, *ingruebant*, ut in vulgatis. *Pichena*.

Inter se partivere] Ex iisdem libris reposui, *partivere*. Alii, *partiti sunt*. Pichena. Ex vetere formula loquendi. Plautus in Amph. ' Vos inter vos partite: ego abeo, negotium est.' Et in Asinar. ' Prædam cum illis partiam.' *Aurelius*.

Egregia adversus nos fide] Restituit prius ex Vat. Lipsius: addo ego Florentini consensum. Male vulgo, *apud nos*. Pichena.

Dum adipiscerentur dominationes] Scio, *dominationes*, numero plurimum recte dici. Tac. initio l. XIII. ' dominationibus aliis fastiditus.' Mallem tamen, *dominationem*, ut monui etiam l. VI. in verb. ' nihil abnuentem, dum domiuationis apiscerctur.' *Pichena*.

CAP. 31. *P. Ostorium proprætorem*] Flor. *proprætore*. Vide quæ supra notavi ad l. II. c. 66. et III. 32. *Pichena*.

Cinctosque castris Antonam et Sabranam fluvios] Invenio inter Britannos ' Sabrianum æstuarium et ostia fluminis Trisantonis.' Ptolem. l. II. Quæ nomina non valde abhorrent ab *Antona* neque a *Subrina*. Τὸ *cohibere*, de altitudine nostro dicitur: *cohibita domuum altitudine*. Quis igitur vetat, ne etiam de latitudine dicatur? Ostorius uti dubios profligatis hostibus in fide retineret, eos jubet arma tradere, et fluvios Antonam Sabriuam in rivos extenuare parat: idque faciebat, quod fiducia fluminum sæpius homines rebellent, vel minus certe victoribus concedant. Hinc Darius quo deterreret Alexandrum. Curt. l. IV. ' Transeundum esse Alexandro Euphratem Tigrimque et Araxem et Hydaspem, magna munimenta regni sui.' Cæterum flumen Sicoris eodem modo rivis cohibetur. *Salinerius*. Florentinus: *cunctaque castris*. Alii, ut testatur Lipsius, *cunctisque:* hinc mihi levis quædam divinatio, *cunctosque ultra Antonam*. Pichena. Varie hic Lipsius, ad extremum, ut notaverat et Muretus: *cinctosque castris, Antona et Sabrina fluviis cohibere parut;* quasi hostem partim castris, partim fluminibus cingere voluerit ad prohibendam populationem. Nihil enim hoc meo judicio; vera lectio, et ex ea facillimus sensus, mutata voce *castris*, in *claustris;* ut fluvios ipsos claustra vocet. Et quid si pro *cinctos*, legas etiam *excinctos*, i. armis exutos, spoliatos: quod pulcherrime cum præcedentibus conveniat. Lege igitur, *Detrahere armu suspectis, excinctosque claustris Antona et Sabrina fluviis cohibere parut. Excingendi* verbum Silius Italicus l. XV. in eundem sensum, ut quidem vult Scaliger ad Catullum. Nam ego non viso integro loco, verba ista nondum plane scio an sic capienda: ' apparent mænia Grajo Condita Massiliæ populis excincta superbis Barbarus immani

quæ territat accola ritu.' *Acidulius.*

Valida gens nec prœliis contusi] Sic in Florentino recte, *contusi*, et etiam in aliis Manuscriptis, Lipsio teste: tamen repositum fuerat, *concussa.* Pichena.

Turmas quoque peditum] Ego scio numquam turmas peditum dici; quod tamen libri omnes præ se ferunt. Possit legi, *Turmas, quodque peditum.* Addo Pichenam distinctione expedire, *Turmas quoque, peditum ad munia accingit:* id est, turmas equitum (qui immunes) jubet peditum officia fungi. *Lipsius.*

Turmas quoque, peditum ad munia accingit] Constanti librorum omnium consensu hæc lectio confirmatur. Sed quoniam nulla in eis distinctio, videbaturque non bene, *turmas peditum,* dici; ideo Lipsius emendavit; *turmas quoque equitum.* Ego distinctione apposita, vocem, *peditum* textui reddidi, sensumque optimum expedivi. Ait enim: Cum exiguum peditatum, &c. * *Pichena.*

Cap. 32. *Et ductus in Cangos exercitus*] Cum Flor. et Vat. habeant; *inde Cangos;* suspicor legendum, *inde in Cangos.* Pichena.

Jamque ventum haud procul mari] Vulgo, *Jum ventum:* addidi copulam ex Flor. *Pichena.*

Qui arma cœptabant] Forte, *cœptarant:* ut auctores rebellionis capias. *Acidulius.*

Silurum gens] Ita correximus. Nam quidam *Silurum* verterat in *Sylvarum:* alius addidit R, et fecit *Sylvararum.* Rhenanus.

Imbuendis sociis ad officia legum] Olim mouui legendum esse, *ad officia legionum.* Et hoc vult Tacitus, idque institutum fuit Romanorum. *Boxhornius.*

Cap. 33. *Sed tum ustu, tum locorum fraude prior*] Vel *sed astu tum locorum fraude prior,* quod æqui bonique facio. *Astus,* qui alias dicitur *furta belli,* est pars præcipua bellandi: Hom. A. ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι, ἢ ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι. 1. Vel ad insidias ire vel fortiter adversus viros pugnare. Et Οὔτε λόχον δ' ἰέναι σὺν ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν: i. neque ad insidias ire cum optimis Græcorum. *Fraus locorum* peritia locorum, Virg. l. IX. ' quem jam manus omnis Fraudc loci, et noctis subito turbante tumultu Oppressum rapit.' Agitur de Euryalo oppresso ab equitibus locorum gnaris: ' Objicimt equites sese ad divortia nota.' Qua de re Caractacus his fretus, transfert bellum in Ordovicas, ubi utrisque locus esset. Eruditissimus vir in sec. cur. ex his composuit *actutum,* nefas ratus Britannum melius τὰ στρατηγήματα callere, quam Ducem Romanum. Verum quisnam Caractacus iste? princeps inter Siluras, qui ab Hispanis gente astutissima originem ducunt. Tac. in Agric. ' Silurum colorati vultus, et torti plerumque crines, et positu, contra Hispaniam Iberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt.' Et is, super vim originis, quæ durat, ' proximi Gallis et similes sunt durante vi originis:' per prospera et per adversa multum profecerat. ' Caractaci viribus confisos, quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut cæteros Britannorum imperatores præmineret.' *Salinerius.* * Paneg. ad Maximianum: ' Sed neque illæ fraudes locorum, nec quæ plura inerant perfugia silvarum, barbaros tegere potuerunt.' *Pichena.* Malim, *locorumque.* Illud, *que,* abstulit sequens litera f. In libris enim antiquis *que* contracte scribitur converso f. estque quasi q. *Boxhornius.*

Ordovicas] Ita correximus pro *Ordolucas.* Britanniæ populus est. *Rhenanus.*

Qui pucem nostram] Libri aliquot editionum veterum, *pucem in iram.* Ego legerim, *pacem an iram nostram.* Duplex scilicet stimulus capiendi arma in Romanos: sive quod pacem et servitutem multi timerent, sive

quod extrema ab iratis.

Qui pacem nostram metuebant] Libri aliquot editionum vetcrum; *pacem in iram.* Unde vir doctissimus *pacem an iram*, ut duplex ad arma stimulus his gentibus fuerit: sive quod pacem et servitutem multi timerent, sive quod extrema ab iratis. Sed non video, si ab iratis sibi metuebant, cur ad iram provocandos crederent: donec enim in officio manerent, iram Romanorum haud sane metuendam habebant. Forte legendum sit *qui pacem in iram mutabant;* quomodo *pacem bello mutare.* Item *mutare in perfidiam, pœnitentiam, &c.* alibi apud nostrum reperias. Quamquam ne mihi blandiar, hæc quoque non satisfaciunt. Tentem ergo sic quoque, *qui parem injuriam metuebant*, quod quidem sensum evidentissimum præstet: nec enim temere firmius ineundæ societatis vinculum, quam ejusdem periculi metus. Dicemus aliqua (volente Deo) ad ista Curtii VIII. 4. ' Inde ventum est in regionem Oxydracarum Mallorumque quos alias bellare inter se solitos, tunc periculi societas junxerat.' *Freinshemius.* *ostentante?' Arrianus l. III. Epict. c. 22. Ἂν τίς σε δαίρῃ, κραύγαζε στὰς ἐν τῷ μέσῳ, ὦ Καῖσαρ, ἐν τῇ σῇ εἰρήνῃ οἷα πάσχω. Ergo *pacem nostram metuunt*, qui detrectant imperium nostrum: qui verentur, ne et ipsi veniant in ditionem nostram. Sic quoque supra Tacitus: ' terrori adversus, &c. * *Gronovius.*

Catervæque majorum] An electi ergo *majores* corpore, qui ad saxeas illas sepes starent, uti commodius prospicere possent, scilicet? Ineptissime. Quid si enim iidem magni simul et timidi atque ignavi, uti videmus plerumque, tot præcipue numero hic colligendis? Immo natio quædam Britannica est, cujus nomen obliteratum hoc loco, proposita autem cæteris ad locum perículosissimum, quia vilior, nec verorum Britannorum domestica velut aut cognata. Talis ergo gens insulam *Maniam* aut *Moniam* habitans, ambigentibus populis tandem Britanniæ adscripta, et ob hoc utique vel vilior vel exosior. Scribendum ergo arbitramur, *Catervaque Moniorum*, aut *Maniorum.* De his autem, quæ modo retulimus, legi possunt apud Silvestrum Giraldum sui temporis illustrem eruditione scriptorem in Topographia Hiberniæ; c. 15. *Barthius.* Quod Lipsius, *catervæque nationum*, emendavit, firmari videtur, ex ipso Tacito, qui statim ait, *gentium ductores:* ac deinde, *gentili quisque religione.* Pichena. Legit vir doctissimus *catervæque nationum*, quod solitum ita Britannis Gallisque struere aciem per nationes. Propius autem tam a scriptione quam sensu ac historia absit, si legas *catervaque armatorum.* Sic enim de his iisdem Britannis in Agric. 37. ' catervæ armatorum paucioribus terga præstare.' *Freinshemius.*

Pro munimentis constiterant] Cave intelligas, ipsas catervas fuisse, vice munimentorum. Sed eodem modo dicitur, quo supra, ' pro ripa componeret.' *Pichena.*

CAP. 34. *Aut servitutis æternæ*] Nescio an elegantius veriusque, *aut servitutis æternæ fore*, voce deleta. *Lipsius.*

Illum diem, illam aciem testabatur, aut reciperandæ libertatis, aut servitutis æternæ initium fore] Libenter cum Lipsio delerim vocem *initium:* intrusam ab imperito phraseos Cornelianæ. Et ferrem tamen, si conveniret, et aptari cum præcedentibus omnino posset. Sane ita recte dixeris, *Illum diem servitutis æternæ initium fore.* Sic in Agric. ' Hodiernum diem consensumque vestrum initium reciperandæ libertatis atque Britanniæ fore.' At durum fuerit

sic, *illam aciem fore servitutis initium.* Nec eleganter ita, *illum diem vel aciem fore initium reciperandæ libertatis.* Quod si deleas, ex omni parte oratio examussim sibi quadrat. Et tamen diversi locutionum modi sunt, *fore recipiendæ libertatis*, et *fore æternæ servitutis.* Ille vulgatior et aliis etiam frequens: hic uni Tacito, nisi fallor, usurpatus, et illi ipsi rarenter. Exemplum unum nunc occurrit Annal. III. ‘ Præerat castello Decrius impiger manus, exercitus militia, et illam obsidionem flagitii ratus.’ Quod ipsum non peregrinius ad aures nostras accidere debet, quam Suetonii illud August. 43. ‘ Prisci decorique moris existimans, claræ stirpis originem sic innotescere:’ et multa similia, vulgi etiam usu trita. Tacit. iterum in Germ. ‘ Cedere dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.’ *Acidalius.*

Vacui a securibus et tributis] Id est, a servitute Romanorum. Nam fascibus, quibus alligatæ secures essent, uti solebant Magistratus Romani. *Lupanus.*

Cap. 35. *Cuncta virtute expugnabilia clamitare*] Malim, *virtuti.* Idem fere in vita Agric. ‘ nihil virtuti suæ invium.’ *Pichena.*

Decedere barbari in juga montium] Malim, *recedere.* Hoc enim magis adsignificet retrocessionem. *Acidalius.*

Cap. 36. *Castra præjacet*] Vatic. *castris.* Et statim lego *regiis clientelis.* Lipsius.

Cap. 37. *Pluribus gentibus imperitantem*] Ita Flor. Vulgo, *imperantem.* Pichena.

Nam si vos omnibus imperitare vultis, sequitur] Acumen horum non satis perceptum correctiones invitavit. Agricola, *Non si vos omnibus.* Eruditissimus vir, *num si vos omnibus.* Atqui usus non erat, quippe quod hæc rationem reddant, cur bellando se suaque defenderit. Britanni persuasum habebant Romanos spe devorasse imperium totius orbis, et omnes data occasione sensim subacturos. Tac. in Agric. ‘ Raptores orbis postquam cuncta vastantibus defuere terræ, et mare scrutantur. Si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit.’ Hinc ergo Caractacus excusat bellandi necessitatem, aitque: Invitus res meas amisi, scilicet liber ego pro iis servandis bellum adversus vos gessi: nam vos in omnes regimen vultis, unde omnibus manifesta servitus impendet. At (inquit vir eruditissimus) necessario non sequitur: Romani volunt, omnes servi fiunt. Callide Caractacus (respondeo) auget Romanorum potentiam: nam dicendo eos quæcumque vellent posse, excusat bellum tanquam gestum pro vitanda urgentissima servitute. *Salinerius.* Lipsius ait falso et inepte hoc dici, cum consequens non sit, ut qui velit, id quod velit, possit: ergo emendat, *Num si vos omnibus?* nota interrogationis adjecta. Mihi vulgata lectio minime probatur. Nam etiam si verba Caractaci, libertatem, ac minime degenerem animum præ se ferant; tamen aspersa etiam sunt plurima in Claudium Romanosque adulatione. Et posteaquam sententiam suam jactavit, sequitur, se opes (etsi invitum) amisisse, quia illorum viribus resistere nequiverit, cum enim Romani, ceteris potentiores, alias opibus impares debellare velint, consequens ut omnibus sit servitus subeunda. *Pichena.* Recte Lipsius hoc arguit et damnat. Idem bene corrigit, *Num si.* Æque bene et forte melius Muretus, *Non si.* Acidalius.

Et supplicium mei oblivio sequeretur] Malim, *sequetur.* Rhenanus. Videndum an legi debeat, *sequetur.* Ursinus. Eruditissimus vir post Rhenanum scribendum putat *oblivio sequetur.* Et hac distinctione: *et suppli-*

cium mei oblivio sequetur: at si incolumem. Quæ tendunt in hunc sensum: Si me suppliciis afficis, statim hujus rei homines obliviscentur: at si mihi ignoscas, &c. Quam digniora Caractaci virtute sunt vulgata: ‘ Si statim deditus traderer, neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset, et supplicium mei oblivio sequeretur: at si incolumem.’ Is certe Claudio persuasum it, e re imperatoris fuisse, se cum Romanis tot præliis decertasse. Si statim (inquit ille) atque duces tui me bello agressi sunt, sine sanguine me dedidissem, et ad tua genua supplex accidissem, quidnam tuæ gloriæ additum esset ab imbelli et sic facile dedito? at nunc tot pugnis adversus vos notus, viribusque tuis tandem domitus, quantum laudis a te servatus apud posteros consignabo? *Supplicium* hoc loco *supplicatio*. Noster Ann. l. I. ‘ Tum supplicia Diis decernuntur.’ *Salinerius.* Optime hæc emendavit atque distinxit acutissimus Lipsius: *Oblivio sequetur? at si incolumem, &c.* Freinshemius.

Cap. 38. *Ac ni cito visis*] Editione prisca, et quibusdam scriptis: *cito nunciis.* Suspicor, *ni citis nuntiis e castellis:* nisi placet, *ni cito municipiis et castellis.* Malo etiam mox, *promptissimus quisque e manipulis cecidere.* Et, *cohortes expeditas opposuit.* Lipsius.

Ac ni cito vicis et castellis proximis subventum foret] Faërnus legebat: *Ac ni cito e vicis et castellis subventum foret, copiæ Rom. occid. occubuissent.* Ursinus. Flor. et alii veteres: *ac ni cito nunciis, et castellis.* Muretus, *e vicis et castellis.* Ego nonnihil suspicor, *præsidiis et castellis.* Sic l. XIV. ‘ omissis castellis præsidiisque :’ et in vita Agric. ‘ et præsidiis castellisque circumdatæ.’ *Pichena.* Lipsius, *Ac ni citis nunciis e castellis.* Melius et vere Muretus, *ni cito e vicis et castellis.* Idem mavult paullo post *occidissent.* Et hoc sane vulgato in usu. *Acidalius.* Nihil hic mutandum esse monuimus Observ. II. 20. *Gronovius.*

Quisque manipulus] Verius, *e manipulis.* Lipsius.

Quisque manipulus cecidere] Ego mallem, *manipularis.* Pichena.

Nec multo post pabulatis nostros] Scripsimus, *pabulantes nostros ipsos.* Rhenanus.

Cap. 39. *Tempore proviso*] Libri editi, *provisa.* Lipsius, *provisu:* ego, *proviso*, ex Flor. *Pichena.* Lipsius *provisu.* Malo, *proviso:* adverbiali forma qua item *improviso, inopinato, inexpectato*, et talia. *Acidalius.*

Ac præcipua] Rectius omitteretur conjunctio. *Freinshemius.*

Sicambri trajecti in Gallias fuere] In Menapiis consedisse ex auctorum lectione deprendi, ut hi sint qui nunc *Geldrenses* quasi *Galli Rhenenses* vocantur. Nimagum Venloemque pagos habent, et Vahalem Rheni attingunt. *Alciatus.*

Et si non prælium] Idcirco læti erant hostes, quod bellum cum aliis gerens periisset, quamvis prælio non intercemptus: et quod dux erat non contemnendus. *Ferrettus.* Sic sup. l. II. in fine: ‘ prœliis ambiguus, bello non victus.’ De morib. Germ. ‘ alios ad prœlium ire videas, Cattos ad bellum.’ Nonius Marcellus ait, *bellum* et *prœlium* in hoc differre, quod *prœlia* partes sint belli; hoc est, in bello congressiones. Hoc pueris etiam notum scio: adnotavi tamen, ut obiter monerem, imminutum fuisse Cæsarem initio Comment. de bell. Gall. nam ubi in omnibus antiquis exemplaribus legitur: ‘ quod fere quotidianis bellis prœliisque cum Germanis contendunt;’ recentiores voce, *bellis*, carent. *Pichena.*

Cap. 40. *Præerat: auctaque*] Male interpunctus locus. Lege, *præerat, auctaque et apud hostes ejus rei fama.* Et auferendi casu capiendæ voces *aucta fama.* Acidalius.

Ut major laus compositi, vel si du-

ravissent] Judicavi deesse olim aliquid: male. Scribe tantum, *compositis*, et sententia liquida erit. *Lipsius.*

Ut major laus compositi, vel si duravissent] Collective, et ea forma, qua *repetitum* apud nostrum Ann. l. I. 'et libertatis improsperæ repetitæ.' Doctissimis vir *compositis*, ut his aptius sequentia responderent, *vel si duravissent*. Verum cum etiam in eodem reatu Thucydides ille sit, satius erit desistere ab advocatione l. II. τοσοῦτον τῷ Περίκλει ἐπερίσσευε τότε, ἀφ' ὧν αὐτὸς προέγνω· i. *tantum Pericli supererat, ex quibus ipse prævidebat.* Salinerius. Lipsius emendavit optime. Vulgo, *compositi*. Pichena.

Mox orto dissidio] *Discidio* et hic scribendum censeo. *Gronovius.*

CAP. 41. *T. L. Claudio*] Autographum habuit *TI.* et ita scriptum oportuit: alias *L* frustra est: *T.* vero pro Tito exposita Claudio Cæsari non convenit. Emendo igitur *TI.* quod illis literis Tiberius significetur in antiquis inscriptionibus. Unde argumentum est in illos qui *Tyberium* per *TY* scribunt. *Vertranius.*

Virilis toga Neroni maturata] De Augusto fefellerunt Lipsium verba Suetonii c. 8. vulgo corrupta: 'Decimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit, quadriennio post virili toga sumpta.' Sed sic jubent ex Nic. Damasceno Florida. Ὅτι Καῖσαρ περὶ ἐννέα ἔτη μάλιστα γεγονὼς θαυμά τε οὐ μικρὸν παρέσχε Ῥωμαίοις, φύσεως ἀκρότητα δηλώσας ἐν τοιᾷδε ἡλικίᾳ, καὶ, ὅπου τοῖς ἀνδράσι πολὺς ἐγγίνεται θόρυβος, ἐν πολλῷ ὁμίλῳ δημηγορήσας. Nempe ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς τηθῆς. Mox: Κατέβαινε δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν περὶ ἔτη μάλιστα γεγονὼς τεσσαρεσκαίδεκα, ὥστε ἀποθέσθαι μὲν αὐτὸν ἤδη τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα, ἀναλαβεῖν δὲ τὴν καθαράν, σύμβολον οὖσαν τῆς εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆς. Atque ita penes utrumque scribendum recte judicavit Hen. Valesius. Neque aliter legas suadeo apud Quintilianum l. XII. 6. 'Cæsar Augustus, decem natus annos aviam pro Rostris laudavit.' Etsi vulgo ibi quoque *duodecim.* Corrigenda et Vita Virgilii: 'Initia ætatis Cremonæ egit usque ad virilem togam, quam XVII. anno natali suo accepit, iisdem illis consulibus, quibus erat natus.' Repone: *quam quintodecimo natali suo accepit.* Nam consules illi, Cn. Pompeius Magnus M. Licinius Crassus, fuerunt primum a. U. C. 683. Iterum 698. Capitolinus Marco: 'Virilem togam sumpsit quinto decimo ætatis anno.' Aug. Buchnerus cum ad Plinii Epist. II. 14. 'qui nuper togas sumserunt,' observat describi septendecim annorum ætatem, quod sexdecim annos nati togam puram, prætexta posita, sumerent, vulgarem secutus est errorem Manutiorum, Sigonii, aliorum. Ex quibus Aldus in Quæsitis Ciceroni filio datam in exitu sextidecimi anni togam virilem scribit, qui natus fuerit Cotta et Torquato consulibus. Atqui L. Julio Cæsare C. Marcio Figulo natum scribit ipse ad Atticum, hoc est, a. U. C. 689. Tirocinium autem ejus fuit Lentulo et Marcello Coss. a. U. C. 704. hoc est, quintodecimo. Idem perperam accipit, quod est apud Ovidium, l. III. Fastorum ver. 771. quasi velit ille, pueris non exspectato ætatis anno XVI. per unum solummodo diem Baccho dicatum toga pura uti licuisse. Nam, *quare toga libera detur*, est, quare dari soleat, non in istum diem modo, sed in perpetuum, tum cum in viros transscribuntur; et *pueris* est qui adhuc prætextam gesserunt. Petrus Servius in Juvenilibus Feriis argumentum firmissimum censet, quod legimus apud Valerium Maximum, a M. Cotta, quo die togam virilem sumpsit, ut e Capitolio descendit, postulatum Carbonem; *minorem* autem *septem et decem annis Prætor*

postulare vetat. Id mihi nullius ponderis videtur: facile namque legibus annariis aut eximia virtus aut gratia illustris solvitur. Quem et vehementer falli puto in verbis Ciceronis pro Cælio: 'Nobis quidem olim annus erat ad cohibendum brachium toga constitutus.' Nam, inquit, prætexta puerilis non adeo demissa ac protracta erat, ut brachio eam colligi oporteret; virilis autem cum longius defluueret, latius pateret, ac multum laciniosa esset, brachio manuque colligenda erat. Hæc somnia mera: nec minus, quæ inde colligit, vere, cum sumeretur toga, uno brachio cohibitam: quasi *cohibere brachium toga* nihil sit aliud quam togam liberam induere: et olim statum annum ejus sumendæ fuisse, postea incertum. Cicero enim significat primo post sumptam togam anno puberes modestiæ specimen dedisse cohibito intra togam dextro brachio, neque exserto: quali cum semper esset Cethegus, ferocior habitus est, et meruit illud: 'exsertique manus vesana Cethegi.' *Olim* autem particula obliquam habet insectationem temporum, quum sublatus haud quidem, multo tamen solutior iste mos esset, crescente indies licentia et lascivia juventutis. Sic igitur habendum, non XVI. aut XVII. non incertum omnino atque arbitrarium, sed quintumdecimum solemnem ac legitimum tirocinii annum fuisse; nisi qua enm gravis causa proferret: quod raro fiebat inter bonos ac pios propter avida vota parentum: quemadmodum qui rempubl. capesserent, annum petitionis non obire metuebant. *Gronovius.*

Cæsar adulationibus senatus liberis cessit] Vocabulum *liberis* non est in exemplari. Conjicio voluisse aliquem scribere, *libens cessit*, quod postea versum sit in *liberis*. Rhenanus. In v. c. additur verbum mendosum, *liberis*, pro quo scribi posset, *libens*, ut ita legatur: *Cæsar adulationibus senatus libens cessit*. Miror autem Tacitum, &c. * *Ursinus.*

Triumphalium veste transvecti] Mirum si non verius, *triumphali in veste*. Nec tamen alterum plane damno, aut scribendum *triumphantium*. Acidalius. Ita nemo quod sciam dicit *vestem triumphalium*, sed *triumphalem* omnes: quomodo et noster supra I. 15. 'utque per Circum triumphali veste uterentur.' Infra XIII. 8. 'vestem principi triumphalem.' Ergo et hic scribendum potius *triumphali in veste*, vel *triumphali cum veste*. Freinshemius. Nihil est mutandum. Cur enim minus dicere liceat, *triumphalium vestem*, quam, *triumphalium insigne?* quomodo supra. *Boxhornius.*

Simul qui centurionum tribunorumque] Addita fuerat in vulgatis copula, *simulque qui*; inepta ac supervacua: et quoniam a Flor. abest, tollendam censui. *Pichena.*

Tali occasione obvii] Quæ hæc occasio? Non enim præcessit: nec ad Circenses velim referri. At tu distingue, &c. * *Lipsius.*

Depellitur, tali occasione] Distinctionem hanc a Lipsio indicatam, longe meliorem, quam quæ vulgo, *depellitur. Tali occasione obvii:* quilibet judicabit. *Pichena.*

CAP. 42. *Agrippinam imperatore genitum*] * Tiberio accepit.' Et idem infra l. XIII. de Nerone jam principe post Artaxata eversum a Corbulone; *Ob hæc consalutatus Imperator Nero, &c.* Hæc autem postea appellatio transiit in eos, qui potiti rerum sunt. Soror fuit Agrippina Caligulæ, conjux Claudii, mater Neronis, unicum ad illam diem exemplum. *Ferrettus.*

Aqua et igni interdiceretur] Castigavimus, *interdiceret*. Item, *accipiebatur*. Rhenanus.

Hactenus Vitellius voluerat] Potuisset enim sævire in mortem ejus: sed contentus hac quasi deportatione fuit. *Lipsius.*

CAP. 43. *Prodigia evenere*] In Ms.

Covarruviano exstat, *prodigia fuere:* unde alicui poterat suboriri dubitatio, an non vox postrèma irreptitia fuerit: plane, ea sublata, constat sua auctori sententia. *Gruterus.*

Trepidatione vulgi, invalidus quisque obtriti] Frequentes Tacito hujusmodi figuræ: et tamen hic delicatiores pro, *obtriti*, reposuerunt, *obtritus;* quod verbum auctore Florentino sustuli, alterum reddidi. *Pichena.*

Pulsumque in extremam fori partem, vi urgebant] Vox, *vi*, quam Florentinus addit, minime superflua mihi visa est, immo digna quæ restituatur. *Pichena.*

Donec militum globo infestos perrupit] Nec male Florentinus, *infensos.* Pich.

Et modestia urbis rebus extremis subventum] Habet regius codex: *Et modestia hyemis rebus extremis subventum.* Lego, *Et molestia hyemis rebus extr. sub.* Expone *et*, id est, etiam molestia hyemis. s. in molestia hyemis, rebus extremis subventum. Quod sane majus est, quam si æstate quis subvenisset. Nam hyems importandis frumentis sive mari seu terra minime est opportuna: quando verissima est T. Quintii apud Livium sententia: 'Ad hæc hyems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis.' Igitur apte dixit, *molestia hyemis:* nam hyems per se molesta est, etiamsi non accedat fames. *Rhenanus.* Dele copulam *et.* Modestia enim hiemis ipsa munus et benignitas Deorum. *Acidalius.*

Italiæ regionibus] In regio codice est, *ex Italiæ regionibus.* Quamquam ea lectio minus probatur, qui sciam solemne esse Tacito præpositiones omittere. *Rhenanus.*

Commeatus portubant] Utcunque ferri potest: tamen legendum puto, *portubatur*, vel *portabuntur.* Flor. *portabut.* Pichena.

Cap. 44. *Potentiæ promptæ*] Malo, *promptum.* Lipsius.

Ignaro et ornante insuper Mithradate] Ita emendavi, nescio an recte. Distinctione potius peccatum est, scribendumque, *Ignaro et ornante i. Mithradate, reconciliationis specie, &c.* sententia continuante. *Lipsius.*

Ignaro et ornante insuper Mithradate] Verbum, *ornante*, a Lipsio repositum, etiam a Flor. confirmatur. Male olim *orante:* sed et Lipsii distinctionem secuti sumus. *Pichena.*

Cap. 45. *Quæ fraude confici*] Ita emendavimus. Male vulgo, *quu fraude confici potuerit, prompte nuntiat.* Sententia est: Parata sibi promptaque, quæ ad fraudem spectent: cetera vim requirere. *Lipsius.*

Eruptione subita] An potius *inruptione?* Freinshemius. Defixos in solam Pichenæ editionem habuit oculos: nam omnes Lipsianæ, quas vidi, et antiquiores *irruptione.* Pichenam secutus et Gruterus, incuria magis, ut puto, quam consilio. *Gronovius.*

Asperius] Fortasse ita legendum pro eo, quod vulgo legitur, *Casperius.* Ursinus. Forsitan pater Æliani Casperii, qui præfectus prætorio sub Nerva, de quo Xiphilinus. *Aurelius.*

Sceleri et pecunia venderentur] In scripto libro legitur, *verterentur.* Opinor scribendum, *averterentur*, aut *verterentur*, pro *subverterentur*, ut *versam Remp.* aliquando vocat. *Rhenanus.*

Cap. 46. *Velut custodiæ exolutus præfectus*] Restituimus, *velut custode exol. p.* Rhenanus. Quia silent omnes, compellor credere sic in Mss. eos reperisse. Alioqui si *custodiæ* in illis quoque, ut ante Rhenanum editi, blandiebatur magis *custodia.* Gronov.

Nec aliud præsidii] Florent. *subsidii.* Sed nihil muto. *Pichena.*

Ne dubituret armis] Hoc est, ne dubitaret malle incruentas conditiones, quam armis scilicet partas. *Ferrettus.* Libri veteres variant: nam alii habent, *Ne dubitaret armatus, quum circumventus conditiones malle, &c.* alii: *Ne dubitaret armis incruentas conditiones malle, &c.* quod magis placet. *Ursinus.* Phrasis hyperbatica

exemplo Thucydidis concinnata, non semel in Cornelium criticos excitavit: nec eos continuit auctoritas Phalerei, Halicarnasseique: qui apertissime dixerunt, magnitudinem, per talia valde promoveri. En ea alium in ordinem compono: *Ne dubitaret malle incruentas conditiones, quam armis.* Venalis iste Pollio suadet Mithradati, ne exspectaret extremam vim, quando castellum obsessum expers commeatibus erat: eo angustiarum (dicebat) redactus es, o Mithradates, ut nequeas hinc evadere: proinde ne nos consule, potiusne sit cum Rhadamisto pacisci ante ultimam pugnam, an ea transacta accipere ab eo victore conditiones: scis enim festinata deditione conciliari clementiam victoris, contra in pertinaces et victos omne sævitiæ genus exerceri. *Arma*, bellum, prœlium. Propert. ‘ Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos.’ *Salinerius.* Suspectus mihi locus. An hortatur Mithradatem, quamquam armis instructum, conditiones quam incruentas accipere? *Pichena.* Claritati sententiæ nihil deesset, modo auferretur vocula *quam;* nam, ne admittamus aliorum emendationes, in caussa est locus infra Ann. XIII. 37. qui habet: ‘ Posse illi stabile regnum, et res incruentas contingere, si omissa spe longinqua et sera præsentem potioremque sequeretur.’ *Gruterus.* ‘ Ne dubia tentaret armis quam incruentas conditiones mallet.’ Ita lego. *Aurelius.* Hæc ab interpretibus varie exposita, nec defecta esse putem, et clara si pro *armis*, suadente sententia reponas *arma.* Locum autem obscurum reddidit vox *dubitandi*, quæ hic non sumitur quomodo vulgo solet, ut hunc sensum habeat, absque dubio esse præferenda arma conditionibus incruentis: sed hunc potius, adeo omittenda esse arma, ut ne in quæstionem quidem vel deliberationem vocanda sint: adeo nempe in confesso esse, bellum ipsi non gerendum. *Dubitare* ergo hoc loco est deliberare, utrum ex duobus pluribusve sit eligendum, integro adhuc judicio, nec quoquam dum inclinante. Hoc sensu repetitur infra, XIII. 50. ‘ Dubitavit Nero an cuncta vectigalia omitti juberet.’ Supra XII. 20. ‘ dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis, an repetere armis rectius foret:’ ubi *dubitare* dictum est de deliberatione etiam in consilio habita, ut ex sequentibus patet: ‘ sed disserebatur contra.’ Sic IV. 57. ‘ dubitaverat Augustus Germanicum rei Rom. imponere.’ *Freinshemius.* Mirum est in hoc loco hactenus hæsisse viros doctissimos. Ecce tibi integerrimum; *Ne dubitare armis, quam incruentas conditiones mallet.* Mihi non est dubium, quin sic scripserit Tacitus. Ne mallet dubiis bellorum casibus se permittere, quam accipere incruentas, facta pace, conditiones. *Dubitare armis* eleganter gerentes bellum dicuntur, ob maxime dubiam, incertam, trepidam, ambiguam spem ac fortunam bellorum. Idem volunt et eodem fere modo loquuntur Tiridatis oratores Annal. XIII. ‘ Ideo nondum ipsum Vologesem commotum, quia caussa, quam vi agere mallent.’ *Boxhornius.* Appono calculum τὸ *quam* delentibus: sive conjectura est ea Groslotii et Gruteri: et multo magis si verum est, quod jacit Ursinus, inventos libros veteres, qui particulam damnarent. Labes non ab iis, qui docendi erant quid *arma*, quid *dubitare*, quin *dubitare armis* esset, sed ab his, qui non concoquebant *incruentas conditiones armis malle.* Neque enim protritum hoc loquendi genus: elegans tamen. Appuleius Apolog. ‘ Persuaserat idem Pontianus matri suæ; ut me aliis omnibus mallet.’ Subaudiebam antea *experiri*, quod et ad *armis* et ad *conditiones* satis commode referri videbatur. Sed illud magis placet. *Gronovius.*

Quam incruentas conditiones] Ego, *incruenta conditione*. At Groslotius, *τὸ quam* deletum it. *Lipsius.*

Oppugnationem quoquo modo accelerare] Ita restituimus, pro *celerare*. Rhenanus. Muretus notavit *celerare*. Etsi nihil pæne interest, ego tamen hoc quoque prætulerim. *Acidalius.*

Seque præsidio abituros miniturentur] Vitium aliquod hic latere suspicor: nam in Flor. corrupte legitur: *seque præsidium ammis minitarentur*. Pichena. Pichenæ Ms. *præsidium ummis:* unde mihi suspicio genuinam esse lectionem *præsidium omissuros*. *Omittere præsidium* est præsidio excedere: quomodo infra XIV. 16. 'omitteret modo Campaniam:' supra IV. 74. 'satis visum omittere insulam.' *Freinshemius.*

CAP. 47. *Provisum illic sacrificium imperatum dictitans*] Eruditissimus vir *provisu suo*. *Τὸ provisum* idem est, ac si diceres, curatum, præparatum. Tac. Ann. l. XIII. 'nam ut proximus quisque Britannico neque fas, neque fidem pensi haberet, olim provisum erat:' et lib. XIV. 'quod nostris parum provisum, dum amœnitati potius, quam usui consulitur.' Et 'erat provisum quidem venenum, quo damnati publico Atheniensium judicio extinguerentur:' quæ vis non est aliena a verbo *video*. Terent. Andr. 'Nisi tu vides.' Plaut. Mercat. 'hoc nunc mihi viso est opus, Huic persuadere quomodo potis siem.' *Salinerius.* An, *provisum*, id est præparatum jam sacrificium, quod imperaverat? Frigidum nec Cornelianum. Lipsius *provisu suo:* ego suspicor de mendo. *Pichenu.* Quamvis aliquis ejiceret voces duas postremas, constaret tamen orationi suus sensus integer: plane aut *provisum*, aut *imperatum*, superfluit. *Gruterus.* Ego, *provisum* non mutem; potius *imperatum* ejiciam, quod glossa alterius, et inepta. Dura profecto nimis locutio, *Provisu suo aliquid imperare:* nec Tacito unquam alibi usurpata. *Acidalius.* Ita corrigo: *provisum illic sacrificium ut imperatum fuit dictitans.* Aurelius. Timide suspicabar: *simul in lucum propinquum trahit renisum, illic sacrificium paratum dictans.* Vel, *renitentem:* i. tergiversantem, quod nihil boni præsagiret animus: sequentem tamen, quia suæ potestatis esse desierat. *Gronovius.*

Mos est regibus] Idem ex Herodoto refert Q. Tertullianus Apologetici c. 9. *Vertranius.*

Sanguis in artus extremos suffuderit] Scripsimus *se effuderit*. Rhenanus.

Quod dedecorum Barbaris trahebatur] Suspicor legendum, *quo dedecorum*. Sed hoc frigidum sit. Si quis me audiet, leget potius, *modo pecorum barburis trahebatur*. *Modo*, hoc est more seu ritu. Sic Livius dixit 'itineris modo:' lib. VIII. 1. decad. 'Signis repente sublatis, fugæ magis quam itineris modo penitus ad Oceanum et Gadeis ducit.' Et Tacit. Hist. II. 'continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens.' Item eodem lib. 'Castra in modum penatium dirigebantur.' Verum quid multis opus est? lib. IV. expresse sic loquitur: 'Hostibus contra omnium nesciis, non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo, trahi, occidi, capi.' Livius l. XXX. 'Sed iis, qui hos ipsos Ligures aliquando pecorum modo fugientes per saltus invios consectati ceciderunt.' Lib. XXXVIII. 'Eos ex eo tempore per ducentos jam annos pecorum in modum consternatos cædunt.' *Barbaris* subaudi, *a*, id est, *a Barbaris trahebatur*. Rhenanus. V. c. habet, *habebatur*, non *trahebatur*. Illud autem, *dedecorum*, Danesius mutabat in *modo pecorum*, quod pluribus locis Sallustius usurpavit in fragmentis historiarum. *Ursinus.* Si tractio barbaris est ignominiosa, quid aditum emendationibus aperimus? præsertim cum clarum sit, qua de causa

conjunctiones a Tacito dissimulentur. Demetr. τὸ δὲ τοιοῦτο, κυρτὰ, φαληριόωντα, τῇ ἐξαιρέσει τοῦ καὶ συνδέσμου, μεγαλειότερον ἀπέβη μᾶλλον, ἢ εἰ εἶπεν, κυρτὰ καὶ φαληριόωντα: i. *Hoc enim, tumidæ, spumantes, dempta, et, conjunctione, majus evasit, quam si sic dixisset, tumidæ et spumantes.* Prætcrea sollicitudo reddendi conjunctiones grammaticum sapit: hinc Philippus l. II. Anthолog. συνδέσμων λυγρῶν θηρήτορες: i. *conjunctionum molestarum venatores.* Verum *trahi* ob id probrosum duco, quod pecora sic minentur: 'sed pe corum modo trahi.' Hinc etiam Virgilius de bārbara loquens affectus ciet: 'Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ.' Quod prius sacra pagina flebiliter usurpavit Jcrem. in Lamcnt. *cervicibus nostris minabamur.* Ita doctissimus interpretum. Certior a me discedcres, si major esset copia, sed non omnia pluribus testibus consignari possunt. Exemplo sit in captivis incisio vinculorum: Joseph. v. 12. de bello Judaic. 'Titus vero, qui cum patre aderat, justum est (iuquit) pater, una cum ferro etiam probro Josephum solvi: erit enim tanquam nec initio vinctus sit, si non dissolverimus, sed inciderimus catenas: namque id agi solet in his, qui non recte fuerint vincti.' Et ignis prælatio ante imperatores: quotus enim quisque (nisi hi) talia memoriæ prodidere. Herod. in Commod. *Salinerius.* Lege: *ac compede suo (quod dedecorum barbaris) trahebatur:* nam S. pro siglo. Ait *Barbaris.* Sed dico etiam Græcis. Plautus Captiv. 'At nos pudet, quia cum catenis sumus.' Et l. II. Reg. in lamentatione Abner. *Aurelius.*

Et erant e contra] Ita Florent. Vulgo, *et erant contra.* Pichena. Ego vero cam notam puto temporis, qui factum est illud exemplar: nam ævo meliore non sic loquebantur. *Gronov.*

Fortunæ commutationem] Male vulgo, *commotionem.* Lipsius.

CAP. 48. *Omnes scelus externum*] Seutcntiæ reddita lux, si scribas, *Omne scelus,* littera detracta; ut sint verba cx oratione censentium. *Lips.*

Omnes scelus externum] Præsto est caussa, qua doctissimus vir supposuit *omne:* nimirum conseutaneum non erat, paucos *quibus decus publicum curæ* (quod ipse occipit etiam de puniendo Rhadamisto) dixisse *scelus externum cum lætitia.* Cognoscat lector nostra, quæ forsan enm sistent in tranquillum. Agitur in concilio, quid opus facto sit prodito a Romanis militibus rege, eodemque a Rhadamisto interfecto, quem imperator dedisset: pauci dicunt esse puniendos milites infames: plures ad necessaria belli reservandos: at hi omnes constanter censent, esse trausmittendum Rhadamistum, quia regnum per scelera partum, din retineri nequeat, et Romanis apprime sit utile, gentes inter se bella exercere: 'maneat quæso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui: quando urgentibus imperii fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.' *Salinerius.* Verissima lectio quam eruit Lipsius, cum ante esset *omnes scelus externum:* falsa sententia: non enim omnes ita senserunt, sed plures illi qui tuta disserebant, quorum hæc est oratio. Similis fere narratio repcritur supra III. 43. 'Paucorum hæc adsensu narrata; plures obturbabant, neque,' &c. nam et ibi plurium istorum sententia refertur. Sic apud Livium XLII. 47. 'Hæc ut summa ratione acta, magna pars senatus approbabat: veteres et moris antiqui memores negabant,' &c. ubi subjungitur etiam epiphonema, judicio Taciti quod de hac deliberatione promit non absimile: 'Hæc seniores, quibus nova hæc minus placebat sapientia. Vicit tamen ea pars senatus, cui potior utilis quam honesti cura erat.' *Freinshemius.* Frustra

tranquillum promittit hic nobis Salinerius. Non id potissimum tractabatur, an milites puniendi essent: sed an ferendum esset regnum, quod beneficium erat populi Romani, ab interfectoribus regis teneri. Quibus igitur *decus publicum curæ*, hi non laborabant de pœna militum, (qui si potuerunt convinci, sunt haud dubie puniti, etsi prætermiserit hoc Tacitus) sed arma decernebant et hostem judicandum Rhadamistum, eoque non poterant esse in numero *Omnium* Salinerianorum, scelus transmittendum esse constanter censentium. Neque tamen video, cur plaudam Lipsio: non enim *Omne* magis huc congruit quam *Quoddam*, aut quodvis hujusmodi additamentum. Prorsus aliud quid in ea voce latet, de quo inveniendo non multum quidem mihi polliceor: esse tamen poterat: *plures tuta disserunt, monentes, scelus externum cum lætitia habendum.* Gronov.

Principes Romani eandem Armeniam] Addidimus particulam, *in*, *in eandem Armeniam.* Rhenanus. Danesius legebat, *princ. Ro. in eandem Armeniam.* In vulgatis autem deest, *in*, præpositio. *Ursinus.*

Si cum gloria adeptus] Scribo hæc omnia: *quanto id magis ex usu, quam si cum gloria adempta forent?* At nunc (ultimis curis) video, explicare Pichenam quod vulgatum est: Magis hoc ex usu Romano, si cum infamia, quam si cum gloria regnum adeptus: quia scilicet ineertior futurus, odiisque magis obnoxius. Non damno. *Lips.*

Diversa Cæsar præciperet] Tantum differentiam noto, in Flor. legi, *juberet.* Pichena.

Cap. 49. *Julius Pelignus ignavi animi*] Faërnus legebat; *Julius Posthumus ignavo et deridiculo.* Ursinus. Πτώσεος similitudo illexit doctiss. virum in castigationes, et iecirco ei placuit *ignavia*, ut id concordaret cum *deridiculo.* Verum noster hic θουκυδιδίζει lib. IV. εἶπον δὲ τούτοις καὶ Κερκυραίων ἅμα παραπλέοντας τῶν ἐν τῇ πόλει ἐπιμεληθῆναι: i. *Dixerantque his Coreyræorum simul adnavigantes, qui in civitate curam haberent.* Ad quæ hujusmodi Scholiastes: τὸ ἑξῆς ἦν, παραπλέουσι, ἀλλὰ μεταβάσει ἐχρήσατο ἀπὸ δοτικῆς ἐπὶ αἰτιατικήν: i. *Consequens erat adnavigantibus, verum usus est transitu a tertio ad quartum casum:* et iteravit Ann. l. XI. 'meminissent C. Asinii, et Messallæ, ae recentiorum Arruntii et Esernini ad summa provectos incorrupta vita et facundia.' Optime *Pelignus ignavi animi.* Sallust. Catil. 'hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, et nullius stipendii:' noster 'Abdus ademtæ virilitatis.' *Salinerius.* Muretus, *ignavo animi.* Hoc ei assentior, et malo, quam quod ad marginem *ignavia. Ignavum animi*, perinde dictum, ut *deridiculum corporis.* Tamen etiam Taciti phrasis *ignavi animi.* Acidalius. Facile tolero vulgatum: sed non inductus iis, quæ disputat Salinerius. Quid enim simile? Thucydides poterat scripsisse παραπλέουσι, quod referres ad τούτοις, poterat et παραπλέοντας, ut referas ad ἐπιμεληθῆναι. Hoc maluit: *mandatum his*, et *Corcyræorum, qui urbem tenerent* (adversus eos, qui τὸ ὄρος τῆς Ἰστώνης insederant) *præternavigantes curam gererent.* Taciti autem verba, si placet ea scriptura, requirunt τελείαν στιγμὴν post τὸ *Æsernini:* neque enim ulla ratione copulari possunt, *Asinii et Messallæ, Arruntii et Æsernini provectos:* sed ante τὰ *ad summa provectos* dissimulatur pronomen *eos.* At hoc loco quod legitur, accipio, quasi scripsisset: homo ignavus atque imbellis, nec minus turpis distorto corpore. *Gronov.*

Deridiculo corporis juxta conspiciendus] Fecimus, *despiciendus.* Porro *deridiculi* vocem etiam lib. III. usurpat. 'Deridiculo fuit senex fœdissimæ adulationis.' Rursum l. v. 'Togonius Gallus dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridicu-

lum auditur.' *Rhenanus. Conspiciendus* cum Mureto non mutem *despiciendus.* Sic namque l. XIV. ' Marcellus Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur.' *Acidalius.* Me moratur hic, quod nollem, quibus Mss. copia fuit, silentio transiisse. Video euim fateri Rhenanum se fecisse *despiciendus*, nulla mentione vett. librorum. In quibus si erat *conspiciendus*, profecto mutandum non fuit: quippe quod sit insignis, insignitus, et non secus atque hæc tam in deteriorem quam in meliorem partem flectatur. Suetonius Claudio cap. 4. ' ne quid faciat, quod conspici ac derideri possit.' Homero *conspiciendus ἐπόψιος.* Ιλ. Γ. λώβην τ' ἔμεναι καὶ ἐπόψιον ἄλλων. Vide nostra Observata in Scriptores Ecclesiasticos c. 19. et ad Livii IV. 13. *Gronov.*

Cum privatus olim] Deprecor invidiam: sed profecto hunc locum, siquem alium, propitiis Musis restitui, hoc modo: *Cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret.* Claudius ante imperium vilis, abjectus, scurris et sordidissimis hominibus convixit: ' e quorum contubernio super veterem segnitiæ notam, ebrietatis quoque et aleæ infamiam subiit,' ait Sueton. c. 5. Inter eos hic Pelignus. Libri veteres, quorum vestigia institi, habent: *cum privatis olim conversationes curarct, iners otium objectaret:* unus Vatican. *cursationes*, pro, *conversationes.* Lipsius.

Cum privatus olim conversationes curaret; iners otium oblectaret] Quia Vatic. *cursationes*, velim, *curatione scurrarum.* Sic de Hadriano Spartianus, *curasse delicatos.* Palmerius Mellerus. Scilicet Claudius, cum nondum princeps, undique sui similes alliceret ad animi remissionem. Cur autem hæc senio fuerint eruditiss. viro, ego juxta cum ignotis scio. At quando Claudio iners ocium? is certe privatus et princeps, multus in historia scribenda, quod licet ocium, non tamen iners vocatur. Tacit. in Dialog. ' Si modo in hac studiorum parte oblectare ocium et nomen inserere possunt famæ.' Putem respectum ad illa tempora, quibus Claudius abjecit spem dignitatum. Suet. c. 5. ' tum demum abjecta spe dignitatis ad ocium concessit, modo in hortis, et suburbano, modo in Campaniæ sccessu delitescens, atque ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitiæ notam, ebrietatis, et aleæ quoque infamiam subiit.' At Pelignus iste unus eorum, qui corpore deformis, et in paucis ei carus, cui vel ante ἀποθέωσιν suus Vulcanus in deliciis. Hom. Iliad. Α. Ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν, Ὡς ἴδον Ἥφαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα: i. *infinitus autem excitatus est risus beatis Diis, Postquam viderunt Vulcanum per domos ministrantem.* Eadem de caussa Vatinius irrepsit in aulam Neronianam. Tacit. l. XV. ' corpore detorto, facetiis scurrilibus.' Serio tandem conjunctiones a nostro supprimuntur, quod expressæ venustatem procul summoveant. Suet. in Aug. ' quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent.' *Salinerius.* Non nihil variat Flor. *cum privatis olim:* ut facile appareat nugas illas de privatis conversationibus, in libris non haberi. Optime Lipsius et acute restituit: ac si ulla ipsius conjectura recipi merebatur, hæc certe præcipue est, eaque Taciti verba esse jurarem. Sed timore scrupulosiorum, eam in margine tantum apposui. Idem fere de Vitellio dixit, Hist. l. II. ' Aggregabantur e plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat.' *Pichena.* Quod facturus erat Pichena, in hac editione factum est, ut eximia hæc emendatio Lipsii in textum reciperetur: cum idem omnium doctorum judicium de ea fore videbatur, quod Pichenæ fuit, qui ea Taciti verba esse juraret. Quod

prius vulgabatur, nullo est aut ridiculo sensu. *Freinshemius.*

Ne cæteri quoque ex Peligno conjecta-rentur] Ne conjectura Peligni cæteri idem voluisse crederentur. *Ferrettus.*

Cap. 50. *Dein atrox hiems*] Flor. *Deinde atrox hiems.* Pichena.

Percellunt Vologesen] Reposui, *perpellunt.* Rhenanus. Restitui ex Flor. verbum, *percellunt.* Vulgo, *perpellunt.* Pichena. Rectius, *perpellunt.* Vide quæ notamus ad Liv. lib. III. cap. 36. *Gronovius.*

In tempore bellaturos] Meum secutus judicium, *bellaturos* mutavi in *rebellaturos,* id exposcente sensu. *Rhenanus.*

Armisque regiam circumeunt] Scripsi, *circumveniunt.* Idem.

Cap. 51. *Advertere pastores*] Sic l. II. 'Octo aquilæ petere silvas visæ advertere Imperatorem.' Id verbum ea notione reddendum Livio, l. I. de Metio Curtio in paludem conjecto: 'adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri:' id est, converterat illuc animos oculosque Sabinorum. Nam libris omnibus, *averterat,* scriptum, alio sensu. *Lipsius.* Fallitur Lipsius, qui locum sic accipiendum putat. *Advertere* hic nihil est aliud quam animadverterunt. In istam significationem scribendum fuerat: 'Zenobia spirans ac vitæ manifesta advertit pastores.' Vide supra ad lib. I. 41. *Acidalius.*

Cap. 52. *Quod stirpem hostilem iterum conservaret*] Melius sic Flor. quam vulgati, *qui stirpem.* Pichena. At mihi multo magis se probat aliorum *qui:* est enim quale Terentii Andr. IV. 1. 'nisi mihi Deos satis Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.' Heautont. III. 3. 'Dii te eradicent, Syre, qui me istinc extrudis.' Justinus lib. XXXIX. 'Ptolomæo regnum redditur, qui neque cum matre bellum gerere voluisset, nec a fratre armis repetere, quod prior possedisset.' Cicero Famil. Ep. I. V. 22. 'Neque enim est Spartiates ille Agesilaus perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse.' Et talia ὅσα κόνις. *Gronovius.*

Morte fortuita, an per venenum extinctus esset] Verba, *extinctus esset,* ejicit Muretus, et ego cum illo, nimis manifestum et insipidum glossema. Hæreo tamen, an non potius scribi: *mortem fortuitam; an per venenum, ut quisque credidit, vulgavere.* Acidalius. Mitius facerimus, *exstinctum esse.* Sed nihil mutandum: a fronte namque horum verborum subauditur τὸ *utrum:* quemadmodum in omnibus fere istis, ubi *incertum an,* vel *dubium an,* vel *an* solum in hanc sententiam interponitur. *Gronovius.*

Cap. 53. *Refertur de pœna feminarum*] Senatusconsultum hoc, Claudianum in jure appellatur, cujus quoque mentio in Institutionibus. *Alciatus.*

Statuitque ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute sui consensisset, et qui nati essent, pro liberis haberentur] * quod simul concepit et parit jam ancilla, servum est ex communi jure. Quod autem P. Faber, *ingrato* pro *ignaro* reponi suadet, quod sit invito, ut apud Terentium Donatus interpretetur; fallitur. Neque enim id procedit, nisi in uno *ingratiis:* sic enim loquimur *ingratiis meis, ingratiis alicujus fieri,* quod sit me vel aliquo invito: et de hoc agit Donatus. Illa vero *ingrata,* quæ ex Catullo et Plauto Turnebus explicat, non invita sunt, sed quæ sunt ingratis et non reddentibus vicem aut cum gratia excipientibus collocata. *Gronovius.*

Cap. 54. *Frater ejus cognomento Felix*] De hoc Felice et Ventidio vide Josephum. Hujus quoque Felicis mentionem facit Lucas in Actis Apostolorum c. 26. ad lib. V. Hist. plura. *Lupanus.* Nomen illi Antonio, cognomen *Felici* fuit, quem cohortibus et alis provinciæque Judææ præposuit Claudius, ut est apud Sueton. et infra l. V. Hist. 'Judæam provinciam

equitibus Romanis aut libertis permisit: e quibus Antonius Felix.' Uxores mihi tres sorores habuit e Cypro uxore Agrippæ regis, filias scilicet Berenicem, Mariamnem, et Drusillam, cujus et divus Lucas meminit in Actis Apostolorum 24. quamobrem Suetonius in Claud. 28. Felicem appellat, 'trium reginarum maritum.' *Vertranius.* Hoc commentum merum Vertranii est. In Suetonii loco sunt etiamnum, quæ me valde redduut dubium. Epist. 27. *Rupertus.*

Haud obtemperatum esset] De hac eadem sævitia Felicis idem Corn. infra Hist. v. 9. Sed locus hic corruptus est: nam illud, *Cognitæ cædes ejus*, non habet, quo se referat: tantum enim abest, ut occisus fuerit Felix, ut potius causa cognita, absolutus inter judices sederit: quod paulo post Corn. tradit. Referri vero ad motum factum, dum imperaret Caligula, haudquaquam commode potest. Itaque si conjectura sit utendum, ita ego legerim: *postquam cognita sævitia, cæde ejus haud temperatum esset: sed manebat metus.* Ferrettus. Aut legendum *post quam*, divisis vocibus sed expuncto verbo, *esset*, hoc modo: *Sane præbuerant Judæi speciem motus, orta seditione, post quam, cognita cæde Cai, haud obtemperatum. Sed manebat metus, &c.* Aut potius sic: *sane præb. Jud. spe. motus. Postquam, cognita cæde Cai, jussis haud obtemperatum esset, manebut metus, ne quis Principum eadem imperitaret:* inducta conjunctione *sed.* Hanc rem explicat Hist. IV. 9. Quia vero non præcessit, *sub Caio*, quo queat referre genitivus *ejus*, scribendum, aut *Cai*, aut *jussis haud obtemperatum esset.* Rhenanus. Faërnus legebat, *postquam cognito, Cai jussis haud obtemperatum esse, &c.* Sed locus videtur mutilus, et cui non ita facili medicina mederi possit. *Ursinus.* Locus manifesto mutilus, sed non manifesto, qua potissimum parte. Ego aio, post verba *ortu seditione*, paucula quædam deesse, quibus caussam seditionis auctor perstrinxerit, et eam plane, quam Lipsius in Commentario retulit. Hic igitur indicia lacunæ et hiatus facienda sunt. Reliqua sequentia sic conjungantur, abjecta vulgata distinctione: *postquam cognita cæde Caii* (vel *ejus:* ut libri veteres: verisimiliter; quia Caii ipsius nomen præcessisse debuit in iis, quæ nunc desiderantur) *haut obtemperatum esset, manebut metus, ne quis principum eudem imperitaret.* Dubites etiam an non *manebat* scribendum: quod magis etiam convenerit, si priora ita rescripseris: *post quum* (sc. seditionem) *quia cognita cæde ejus haud obtemperatum esset, manebat metus, ne quis p. e. imperitaret.* Acidalius.

Ita divisis, ut huic] Vide an scripserit Tacitus: *cui pars Provinciæ habebatur, ita divisæ, ut huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent.* Gronovius.

Damnutusque flugitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus] De sententia hic non ego, sed de verbis sollicitus. Illa enim satis apparet, hæc dubia. Novum quippe dicendi genus, *flagitia delinquere.* Arbitror verbum excidisse, *luit*, aut quid simile. Lege, *quæ duo deliquerant, unus luit Cumanus.* Acidalius. Frustra de his verbis sollicitus est. Nam *delinquere quid* utique dicimus, ubi quid intelligas, nisi *flagitium* vel *scelus?* Sed et Papinianus l. XXXVIII. §. 4. D. ad leg. Jul. de adulteriis: 'cum alias adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, non excusetur ætate.' Quo autem istud *luit?* An dubium est quemquam, qui *damnatus flagitiorum* dicitur, pœnas pependisse, nisi diserte addatur, unde veniam meruerit post sententiam? *Gronovius.*

CAP. 56. *Claudius triremes, quadriremesque*] Etsi numerum navium,

quibus navalem pugnam instituit Claudius in Fucino lacu, Tacitus non describat, nihilominus ex illius dictis facile conciliantur Dion et Suetonius in re hac valde prima facie discrepantes. Siquidem Suetonius Claud. 21. scribit: ' Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt duodenarum triremium singulæ.' Dion vero quinquaginta utrinque naves depugnasse tradit, quod et Xiphilinus confirmat. Qua in re ingens discrimen quis non videt? Lipsius in re hac se hærere fatetur. Læv. Torrentius suis in Suetonium Commentariis Tacitum ad Suetonii partes trahere contendit, et numerum armatorum, ad triremium numerum accommodare conatur, violenta certe quadam metamorphosi. Et virum doctum reprehendit, qui loco duodenarum *quinquagenum* legendum censuit, sic Suetonio Dionem concilians. Ego in eam venio sententiam in Suetonii textu deesse, &c.* *Marcellus Donatus.* Numerus omnino reponendus est, ut comparatio inter Claudii et Augusti apparatum constet. *Levibus* Augusti *navigiis, triremes, quadriremesque* Claudii opponuntur: quæ copia earundem hujusdem, copiæ minori illius? Scribe igitur indubitanter cum Lipsio; *Claudius c.* (id est, centum, hæc n. nota numeralis, occasio et caussa numeri aboliti) *triremes quadriremesque.* Idonei auctores Dio et Xiphilinus. *Acidalius.*

Cincto ratibus ambitu] Lipsius e Dione, qui muri lignei meminit, in Tacito hic pro *ratibus*, substituit *cratibus*, aut *trabibus.* Non possum probare. Vetant paullo inferiora verba: ' In ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant.' Et ne hic quoque verbum *ratibus* mutandum alterutro illo modo censeas, ligant te *tectæ* illæ *naves*, de quibus mox. *Acidalius.*

Attamen spatium amplexus] Magis placeret: *Ac tantum spatium amplexus, &c.* pro eo quod est in vulgatis, *Attamen sp. amplexus.* Ursinus. Muretus, *Ac tantum.* Vide ne fuerit potius, *Sat tamen spatium amplexus. Sat spatium*, ut *Parum fides* in Terentio, *satis consilium, satis otium* in Cicerone et alibi: de quibus Gulielm. quæstion. Plautin. ad Bacchides c. 3. Et nos item ad Plautum diversis locis. *Acidalius.*

Ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium, et prœlio solita] Expressi Florentini lectionem, aliquanto meliorem vulgata: *ad vim remigii, et gubernantium artes, impetusque navium prœlio solitos.* Pichena.

Agrippina chlamyde aurata] Plinius: ' Nos vidimus Agrippinam Claudii principis, edente eo navalis prœlii spectaculum, adsidentem ei indutam paludamento, auro textili, sine alia materia.' *Lipsius.*

Cap. 57. *Et incuria operis manifesta fuit*] *Et* connectens particula non est in volumine Budensi, nec ea est opus. Sed paulo post eam adjecimus, *aut fragore, et sonitu exterritis.* Rhenanus.

Ad lacus ima vel media] Muretus *ad lacus media;* reliquis delctis: haud satis intelligo quare. Si alterum delendum, potius inclinem ut *ima* maneat. Sequitur enim *altius* postea *effossos specus.* Acidalius.

Tempore interjecto, altius effossi specus] Interjectum tempus intelligit, inter navale prœlium, et spectaculum gladiatorium. Quod ait de pontibus inditis, significat, lacum, propter specus altius effossos, effluxisse quidem, sed non ad ima: unde ad pedestrem pugnam pontes super imponere necesse fuerit. *Pichena.* Haud scio, an Taciti mentem ceperit vir doctissimus. Non enim videtur spectaculum datum, postquam aqua jam erat emissa, sed antequam emitteretur. Nam si post specus altius effossos nondum tamen siccatus est lacus, novo erat

opus remedio, et denuo altiores effodiendi fuerunt: de quo altum hic silentium. Ergo cum essent effossi specus isti, adhuc tamen in lacu contineretur aqua cataractis, super eam pontibus stratis munus datum spectatoribus alliciendis: et eo finito amotis cataractis liber decursus aquæ permissus. *Gronovius.*

CAP. 58. *Romanam Troja demissum*] Deest aliquid implendo sensui. Mihi placeat *Romanum nomen:* ut exciderit vox posterior similitudine literarum præcedentium. *Grotius.* Nihil deesse ostendimus ad illud Livii: 'quod et Romanus ira odioque pugnabat,' II. 3. *Gronovius.*

Aliaque haud procul fabulis vera] Correximus, *Aliaque haud procul fabalis vetera.* Rhenanus. Non muto ego, tamen non inepte Muretus: *aliaque haud procul fabulis, verum* (sive, quod me judice e litterarum ductu facilius confiat, *ceterum*) *facunde exsecutas.* Sic et Lipsius in prima editione conjecerat, quod post omisit. *Acidalius.*

Impetrat, ut Ilienses] Flor. *perpetrat.* Pichena.

CAP. 60. *Ac ne fortuito prolapsus*] Ita scripsimus. Codex scriptus videtur quodammodo habere, *fortuita,* velut subaudiendum sit, *voce.* Rhenanus.

Bellarent] Mutavimus in *bellarunt.* Rhenanus.

Et qui vicerant, publice valebant] Flor. et Ven. *et quæ vicerant.* Ut ad studia referatur. *Pichena.*

CAP. 61. *Retulit dein de immunitate Cois restituenda*] Castigavimus, *Cois tribuenda.* Rhenanus.

Argivos vel cum Latonæ parente] Ex historia emendavit ingeniose Mercerus. Corrupte in vulgatis, *vel cum Latonæ parente.* Flor. aliquantulum juvat, qui habet, *parentem.* Pichena.

Sacram et tanti Dei ministram insulam colerent] Aliter legitur in exemplari scripto, nempe, *sacram et tantum dei ministram.* Tamquam adeo occupata ministerio dei foret insula, ut aliis rebus, quæ lucrum afferant, vacare non liceat. *Rhenanus.* Potior mihi hæc Florentini lectio, *tantum,* quam vulgata, *tanti.* Picheua.

Merita sociasque victorias patuisse. Claudias facilitate solita] Budense volumen sic: *merita sociasque victorias patuisse tradidisset. Claudius facilitate sol.* Hinc deprehendimus sic scripsisse Tacitum: *merita sociasque victorias potuisse tradi, sed Claudius facilitate sol.* Atque eam lectionem in contextum inseruimus. *Rhenanus.*

CAP. 62. *Orsi a fœdere, quod nobiscum icerant*] Flor. *jecerant:* et ubi lib. XI. legitur, 'fœdus repente faciunt,' nonnulli ex Manuscriptis habent, *jaciunt.* Pichena. Sequentia reliqua rectius distinguam, et levi emendatione melius concinnabo: *cuncta repetivere. Orsi a fœdere, quod nobiscum icerant, qua tempestate bellarimus adversus Regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum: missus post hæc* (alii: *impositum. Missas posthac*) *copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, et piratico bello adjutam Antoniam memorabant, quæque Syllæ,* (al. *Antonium memorabantque quæ Sullæ*) *aut Pompeio obtulissent: mox* (al. *obtulisscut. Mox*) *recentia in Cæsares merita, quando ea loca insiderent, &c.* Muretus hic nihil aliud notaverat, quam vocem *merita* delendam: de quo deliberandum amplius censeo. *Acidalius.*

CAP. 63. *Prævisa locorum utilitate*] An Chalcedonii, quamvis utilitatem locorum prævidissent, nihilominus sedem illam neglexerunt, pejoremque delegerunt, fortasse utiliorem rati, ideoque decepti? Potius Lipsii correctionem amplector, *parum visa,* quod cæcis optime convenit. *Pichena.*

CAP. 64. *M. Asilino, M. Acilio Coss.*] Legendum fortasse, *Asinio,* sic enim habet Seneca in mortem Cæsaris: 'Quid actum sit in cœlo ante diem

tertium Eidus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Aviola coss.' Idemque Tranquillus 45. *Vertranius.*

Fastigio Capitolii examen apium insedit] Ita scribitur in Florent. ca vox: vulgo, *apum.* Pichena.

Et suis fœtum editum, cui accipitrum ungues inessent] Illinc *erant* legitur, non *inessent.* Ipse vero suspicor pro *fœtum editum* scribendum, *fœtu edito. Biformes hominum partus*, subaudi, extiterunt, *et* (id est, etiam) *suis fœtu edito, &c.* Rhenanus. Ex eodem Florent. reposui, *inessent.* Vulgo, *erant.* Pichena.

Deminutus omnium magistratuum numerus] In Florent. semper, *deminutus*, quod etiam l. 1. notavi. Vulgo, *diminutus.* Pichena.

Perdita prius Domitia] Hæc fere scriptura est, quam Florentinus Pichenæ exhibet: cujus judicium cum probaremus, caussa nulla erat, cur non sequeremur. Prius vulgati: *Domitia levibus et mulicbribus caussis.* At certe leves hæ caussæ non erant, cum de potentia apud Imperatorem certaretur. *Freinshemius.*

Quia Lepida minore Antonia genita avunculo Augusto] Binas Lepidas apud Suetonium observamus, alteram in Calig. 1. Germanici sororem patris Agrippinæ natam ex Druso, et Antonia juniore, alteram ex Cn. Domitio, Neronis avo, et Antonia majore genitam, sororemque Domitii, Neronis patris, et Agrippinæ viri; quam incestasse eundem Domitium, tradit idem Sueton. in Ner. 5. De hac verba facere Tacitum constat ex ipsius textus scric. Siquidem hæc Domitia dicta, uti ex gente Domitia orta, non illa ex Druso ortum ducens: tum hanc mariti Agrippinæ sororem, et Neronis amitam vocat Tacitus. Ex cujus, &c. * *Marcellus Donatus.* De Lepida Drusi filia, Germanici sorore, haud scio unde habeat: nihil enim de illa Suetonius. *Gronov.*

Impudica, infamis, violenta] Malim, *violenta:* ut superba et commota animo utraque fuerit. De vini nota nihil legi. *Lipsius.*

Impudica, infamis, violenta] Vulgo, *vinolenta:* quod verbum rejiciebat Lipsius ex historia restituens, *violenta.* Optime, nam et Florentinus consentit. *Pichena.*

Quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat] Aut deest verbum ad ista, *quæ filio dare imperium:* aut negatio τοῦ *nequibat* ad ea ipsa non pertinebit: quod genus etsi rarum, tamen et alibi observatum. Atque ita locus ille forte lib. XIII. ad finem integer: *Decsse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.* Ubi Lipsius pariter et Muretus inseri volunt, *in qua vivamus, potest; in q. m. n. p.* Videri possit hic etiam legendum, *quæ filio dans imperium, tolerare imp. nequibat.* Acidalius. Attentum lectorem non fallit deesse hic aliquid sensui, quem quidem facile restituam; de verbis non promittam, nisi quod scio fieri ut quæ similem fere sonum habent sæpissime aut duplicentur in membranis, aut omittantur: quod hæc caussa accidisse putem, quia librariis ista describentibus dictari consuevisse consentaneum est, ut eo expeditius in describendo possent pergere: hi cum fere indocti essent, nec magnam in istis rebus diligentiam ponerent, ut qui non amore studiorum, sed in sordida mercede id negotium quærebant, quomodocunque audita temere inferebant chartis: et hinc tot loca corruptionis manifesta. Forsitan igitur hunc locum idem casus corruperit, ut legendum sit; *filio dare imperium volebat, tolerare imperitantem nequibat:* quod utrumque verissimum est, et posterius quidem exertis verbis hic pronunciatur: prius autem tot artes fraudesque et astuta consilia, flagitia quin etiam atque scelera, quorum et ipse meminit infra XIII. 14. satis affirmant, præter id quod infra traditur XIV. 9. audito

Chaldæorum responso 'fore ut imperaret Nero, matremque occideret;' dixisse, 'Occidat, dum imperet.' *Freinshemius.*

Cap. 65. *Ob hæc mors indita*] Forte, *indicta.* Rhenanus.

Pares iterum accusandi caussas esse] Hæc mendosa non sunt, sed obscura; quæ tamen parum juvat distinctio doctissimi viri, 'Pares iterum accusandi caussas esse si Nero imperitaret. Britannico successore nullum principi meritum.' Narcissus scilicet horrebat regnum Britannici, quod in eum beneficia nunquam contulisset: sciebat is profecto (indeque sibi metus) eo imperatore se certam perniciem manere, ob accusatam et convictam matrem Messalinam. 'Sponsus jam et gener Domitius æquari Britannico studiis matris, arte eorum, quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio metuebatur.' Ego alia puncta adhiberem: *pares iterum accusandi caussas esse; si Nero imperitaret Britannico successore nullum principi meritum.* Et is (ni fallor) est sensus: Parvi facere deberem (Narcissus ait) Nero an Britannicus regnet, nam mihi ab utroque exitium impendet: a priore propter odium, quo mater ejus me perditum cupit: a secundo propter cædem Messalinæ: verum tot me beneficiis Claudius prosecutus est, ut vitam potius ibi profundere debeam, ubi ei saltem caveam, et saluti sim: quod eveniet, si delatione pervertam Neronem et Agrippinam Claudio insidiantes. Is postea ex prospero similis accusationis eventu, colligit id operis esse tentandum: convictam Messalinam, et Silium, pares iterum accusandi caussas esse.' Postulavi Messalinam (inquit) insidiarum adversus maritum, et ream peregi: qua de re confidenter, et jure, hos deferre debeo et possum, qui eadem machinantur: 'si Nero imperitaret Britannico successore nullum principi meritum:' præsertim (addit) timore pœnitentiæ Claudii: nam qui filio (ut Nero) prælati sunt, semper timent, ne pater resipiscat; ob idque ei solent esse ingrati et insidiantur. Hæc Narcissus. Agrippina quoque (licet alia de caussa lentum venenum non delegit) verens, 'si lentum et tabidum delegisset, nec admotus supremis Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret,' ut infra scribit. *Salinerius.* Omnia hic luxata, distorta, corrupta: quapropter nemo mihi vitio vertet, si ut in corpore et morbo desperato uram et secem. Sic autem sibi constet oratio, si legas: *certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum seu Nero potiretur.* Nempe ob damnatam illius matrem, hujus inimicam, et forte damnandam. Postquam enim addidisset, *ita de se meritum Cæsarem, &c.* adjicit, *Pares iterum accusandi caussas esse:* quænam illæ? *novercæ insidiis domum omnem convelli, &c.* ita enim conjungam, abolitis intermediis, quæ si interroges cur aboleuda sint, quæram et ego cur aut quomodo retinenda? *Freinshemius.* Explicandum potius quam mutandum hunc locum existimo: et id tentavimus I. 22. Observationum. *Gronovius.*

Nullum principi meritum, ac novercæ insidiis domum omnem convelli, &c.] Sic distinguenda fuisse ait Lipsius: tamen etiamnum mendi suspecta. Vere. Quid enim sonant illa, 'nullum principi meritum?' Audeo pæne affirmare, vere a me emendatum, *nullum e principe metum:* accommodatissime profecto ad sensum: elegantissime item ad dictionem, quæ hujus generis sæpe Tacito usurpata, et exemplis aliquantis firmata Lipsio ad Annal. I. Sed et deinc scribe: *nullum e principe metum: at novercæ insidiis domum, &c.* Quod fatebor etiam Mureto notatum, ut *at* mutaretur. Sed id solum, et cujus sola ope locus non constituitur. *Acidalius.*

Ac novercæ insidiis domum omnem convelli] Totus hic locus, etiam apud

me, vitii aut defectus suspicione non caret: nec quid reponam habeo: tantum moneo, in Flor. legi, *ad novercæ*. Pichena.

Cuncta regno viliora habere] Erit rectius *haberi*. Grotius.

Cap. 66. *Sinuessam pergit*] Sinuessanæ aquæ Histor. lib. I. et Plinio lib. XXXI. commendatæ, ob vim quamdam salubrem. *Lipsius*.

Cap. 67. *Adeoque cuncta mox pernotuere*] Regium exemplar tantum habet, *notuere* a *notesco* verbo. Sic lib. V. 'Libertis quoque ac janitoribus ejus notescere pro magnifico accipiebatur.' *Rhenanus*.

Temporum illorum scriptores prodiderint] Seneca de eadem ait: 'Nec post boletum opipare medicamentis conditum, plus cibi sumpsit.' De ceteris diversa fama fuit, refertque Suetonius Claudio extremo. *Vertranius*.

Socordiane Claudii, an vinolentia] *Vinolentiæ* vox, quam Florentinus et alii habent, longe melior ad sensum videtur, quam, *violentia*, ut vulgati: ideo illam reposui. Nam de nimio Claudii potu, satis ab autoribus, et præsertim a Suetonio 33. At idem Florent. addit: *Socordiane, an Claudii vi, an vinolentia*. Quæ lectio fortasse non improbanda: ut tres sint causæ, cur veneni vis statim intellecta non fuerit. *Socordia* scilicet Claudii, quæ illi sensum adeo hebetasset, ut venenum non sentiret: an illius *vis*, id est naturæ corporisque robur: an quia largiter potasset. Livius lib. XXVI. 'Impletæ cibis vinoque venæ, minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt.' Nihil tamen affirmo. *Pichena*.

Simul soluta alvus subvenisse videbatur] Legitur in Regio exemplari: *Simul solutam alvum subvenisse videbatur*. Quid erat hoc opus mutare? Nam *videbatur* impersonaliter accipiendum. *Rhenanus*.

Ille tamquam nisus evomentis] Reposuimus, *nixus*, a verbo, *nitor, eris*. Rhenanus.

Cap. 68. *Tempusque prosperum ex monitis Chaldæorum adventaret*] Fœdus lapsus est, in verbo *adventaret*] Rectius in Budensi codice legitur, *attemptaret*. Tu scribe, *attentaret*. Sensus est: Agrippinam novercam Claudii liberos tamdiu attinuisse domi, mortemque mariti celasse, donec experiretur id tempus, quod Chaldæi sive magi novis cœptis accommodum prosperumque prædixerant. Neque enim quibusvis negotiis quævis horæ conveniunt, si illorum placitis habenda fides. Porro *attentandi* verbum convenit insidiantibus. *Rhenanus*. Nullam video caussam, cur Rhenanus spreverit verbum, *adventaret*, ab antiquioribus libris, ac præcipue a Flor. confirmatum; et ex Budensi, ut ille ait, Codice, reposuerit, *attentaret*. Priscam itaque lectionem restitui optimo sensu. Exspectabat, ut Chaldæi ex positu siderum prosperum imperii initium monerent. At verbum, *attentaret*, vix est, ut ad eam sententiam trahatur, aut Taciti mens ad eum. *Pichena*. Verbum *attentaret* nullo sensu capio. Mnretus notavit, *adventaret*. Ne id quidem mihi satisfacit, nisi legam *adventare;* quod verum omnino puto. Agrippina nempe vulgabat *adventare* prosperum tempus, quod Chaldæi promisissent. An legendum potius *attenderet?* miles scilicet. Utrunque verisimile, neutrum alteri præfero. *Acidalius*.

Cap. 69. *Tertio ante Idus Octobr.*] Castigavi ex Flor. ac Ven. *tertium*. Pichena.

Nero egreditur ad cohortem, quæ more] Ita castigavimus. Ubi prius legebatur, *a cohorte*. Rhenanus.

Ibi monente præfecto, festis vocibus exceptus] Ex Flor. ac Ven. reposui, *Ibi*. In aliis, *ubi*. Pichena.

ANNALIUM LIB. XIII.

CAP. 1. *Junii Silani*] *C. Junius. C. F. Silanus.* Consul fuit cum P. Cornelio Dolabella anno 762. sub Augusto; Proconsul Asiæ, sub Tiberio, damnatusque repetundarum et projectus in Cytheram insulam. Tacit. Anual. lib. III.

M. Junius. M. F. Silanus. Consul fuit sub Tiberio, 771. Proconsul Africæ fuit, auctore Tacito lib. IV. Histor. 'Mox C. Cæsar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens.' Socer fuit Caii Caligulæ, et ab eodem interfectus, Sueton. cap. 12. et 23. item Dio.

Paratur] Quid si, *patratur?* Melius, ut opinor: et puto veram scriptionem. Sed addit, patratum scelus *inscio Nerone*, quod puto verum. Quia 'novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama.' Tac. Hist. IV. *Aurelius.* Rectius fortasse *patratur.* Freinsh.

Exitum irritaverit] Sæpe *exitum* usurpat pro morte. Ut in calce lib. XV. de Nerone: 'Quod clam ad omen ac dolum sui exitus verteret.' Ita enim illic legendum putamus. Hist. lib. II. 'Exitu demum Neronis, positis odiis in medium consuluere.' Et paulo post: 'Vario super exitu ejus rumore.' Eodem libro: 'Sane ante utriusque exitum.' *Rhenanus.* Lego, *exitium:* hoc convenientius vicinis; 'non quia ingenii violentia exitium irritaverit.' Verbum quoque *irritaverit* præfert violentiam. *Aurelius. Exitium* rectius fortasse quam *exitum.* Freinsh.

P. Celerius] Infra, *P. Celer* dicitur: 'P. Celerem accusante Asia, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit senecta, donec mortem obiret. Nam Celer interfecto, ut memoravi, Silano proconsule.' Hic ergo corrige. *Lips.*

P. Celer eques Ro.] Correxi, monente Lipsio Vulgo, *P. Celerius.* Sic infra eod. lib. *Publium Celerem*, bis eundem appellat. Alius enim P. Celer Vespasiani imperio damnatus fuit. Hist. lib. IV. *Pichena.*

Ab his proconsuli] Sic Flor. Vulgo, *ab iis.* Idem.

Ad mortem agitur] Videtur legendum, *adigitur.* Ursinus. Muretus, *adigitur.* Quasi non idem alterum sit. *Acidalius.*

CAP. 2. *Pari in societate pot.*] Si quid mutandum, legam; *paris in societate potentiæ.* Sed vix opus, etsi alii conantur. *Lipsius.*

Pari in societate potentiaque concordes] Castigavimus, *pari in societate potentia concordes.* Expone: Pari potentia, in societate. *Rhenanus. Pari in societate potentiæ concordes*, id est, in pari societate potentiæ: transpositione Tacito usitata. Flor. corrupte: *et parum in societate potentia et concordes.* Pichena. An adeo necessarium est illud *pari*, ut brevitatis tantopere studiosus Cornelius id non potuerit hic omittere? Certe *societatis* vocabulum ejus vim sibi includit; quæ nimirum accipit omnes pares aut facit. Neque tamen tentarem hunc locum, &c.* *Gronovius.*

Cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans] Pro genitivo *malæ* reposuimus ablativum *malis.* Conjungit autem nonnunquam duo adjectiva, ut hic, 'cunctis malis cupidinib.' Et lib. XVI. de Ostorio: 'multa militari fama.' Aliis item locis complurib. *Rhenanus.*

Sed neque Neroni] Sed Nero non tam erat natura demissus, ut servos magni faceret: et ille tædium sui moverat. *Ferrettus.*

Signumque more militiæ petenti] Pro symbolo vel tessera, vulgo *pour le mot du guet.* Lupanus.

CAP. 3. *Quibus otiosum est*] Vulgo

quibus otium est: utrumque recte: tamen antiquiorem lectioncm, et Florentini, et aliorum anteposui. *Pich.*

Vetera et præsentia contendere] Comparare. *Ferrettus.*

Quæ deceret principem, eloquentia fuit] Legendum forte, *qua deceret:* i. quatenus. *Acidalius.*

Ac consulto ambiguus] Lectio scripti codicis, *aut consulto ambiguus.* De Tiberio loquitur. *Rhenanus.*

Cap. 4. *Cæterum peractis tristitiæ imitamentis Curiam ingressus*] Quid sibi velit Tacitus inquiens Neronem Curiam ingressum ‘ peractis tristitiæ imitamentis,’ haud facile est conjicere, si *tristitiam* in propria et communissima significatione acceperimus: at non ita, si *tristitiæ* vocem aliter interpretemur, cui rei potissimum ex Cicerone lucem afferimus. Nam illi *tristitia* aliquando severitas seu gravitas dicitur: item *triste*, grave et severum est. Sic lib. de Arusp. respons. ‘ Tristitia autem, et in omni re severitas absit;’ et lib. de Clar. Orat. ‘ Triste et severum dicendi genus.’ Iterum lib. de Orat. ‘ Severus ac tristis vultus.’ Et lib. de Republ. ‘ Qui numeros optimatum et principum obtulit his vocibus, et gravitatis suæ liquit illum tristem et plenum gravitatis sonum.’ Dum itaque Nero primis annis sub matris Agrippinæ præceptis, Burrhi et Senecæ disciplina vitam duxit, intra tristitiæ imitamenta, (nam non sua sponte, et ingenio,) decus Imperatorium, severitatem nempe et gravitatem servabat, sed juxta indita et præcepta ab his, qui illius curæ præerant; ideo non proprie severitas et gravitas illi inerant, sed simulatæ et tanquam ex imitatione moderatoribus inditæ et præceptæ. *Marcellus Donatus.* Non cepit ista Donatus, qui vult tristem fuisse Neronem, quamdiu sub pædagogo, &c. Imo indicat auctor, intrasse curiam, &c.* *Gronovius.*

Capessendi egregii imperii] Melior lectio scripti codicis, *Capessendi egregie imperii.* Rhenanus.

Cap. 5. *Né designatis quidem Quæstoribus edendi gladiatores*] Videtur abundare vox *quidem.* Sunt enim verba Senatus decreti. *Ursinus.* Movet hic emphatica particula *quidem* Lipsium, ut de mendo suspiciat in loco lib. xi. verbum *adipiscerentur:* ‘ P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur.’ Cur enim, inquit, *ἐμφατικῶς* hic scriptum, *Ne designatis quidem:* nisi quia antea ex ea sanctione dabant etiam Candidati? At tu scito particulam hanc hinc delendam, quæ iterata ex sequenti linea: ‘ Quod quidem adversante Agrippina,’ &c. ita totum illud concidit: et Tacitus sibi non dissentaneus. Ponit auctor hoc exemplum decretorum Senatus: ‘ Ne designatis quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset:’ eadem forma, qua alterum, quod præcessit: ‘ Ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur.’ *Acidalius.*

Quod visum arceret, aditus non adimeret] Lipsius mallet, *auditus.* Forte melius, *auditum:* vel si magis probes, *aditum;* cum præcesserit, *visum.* Pichena. Non dubitavimus in textum recipere certissimam emendationem Lipsii: prius erat *aditus non adimeret,* contra mentem auctoris. *Auditus,* ut *visus* infra xiii. 16. *Freinsh.*

Escendere suggestum] Probissima vox, et repperi ita in Farnesiano, sicuti paullo post in Vatican. *anquirebant.* Nemo autem tinctus hac meliori literatura, cui non ista hodie nota. *Lipsius.*

Escendere suggestum Imperatoris] Verbum, *escendere,* a Lipsio ex Farnesiano Codice restitutum, a Flor. confirmatur: sicuti paulo post, *anquirebant.* Vulgo, *ascendere,* et, *inquirebant.* Pichena.

Cap. 6. *Contra alii melius evenisse*

dixerunt] Videtur abundare verbum *dixerunt*, legendumque, *Contra alii melius evenisse, quam si invalidus senecta et ignavia Claudius, &c.* potest enim videri illud, *dixerunt*, adjectum esse. *Ursinus.* Malui, *disserunt*, ex Flor. quam *dixerunt*, ut vulgati. Sic lib. XII. 'plures tuta disserunt.' Lib. XIV. 'et mortc ejus accensum populi favorem disserunt.' Pichena.

Burrhum tamen et Senecam multarum rerum experientia cognitos, et imperatori] Legam levi trajectione, *Burrhum et Senecam m. r. exp. cognitos: et tamen imperatori, &c.* Acidalius.

Pluraque in summa fortuna auspiciis et consiliis, quam telis et manibus geri] Scribendum, *pleraque.* Ecliptica oratio est: nam adverbium *magis* aut *potius* subauditur. Hoc loquendi genere sæpenumero Tacitus utitur. Lib. XIV. 'Denique si rebus conducat, libens quam coactus acciret dominam.' Hist. lib. III. de Flavianis, 'Ne suas quidem legiones opperiebantur, ut prædæ quam periculorum socias.' Hist. lib. IV. de rege Ptolemæo; 'Ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum appetens.' In libello de Germanis: 'Cedere loco, dum modo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.' *Rhenanus.* Magis placet, *pluraque, &c.* et ita aptius ad sententiam. *Ursinus.*

Daturum plane documentum] *Datum*, habet exemplar Budense; quasi dicas objectum documentum sive oblatum experimentum, per istud bellum quod tum instabat. Sed magis quadrat, *daturum.* Rhenanus.

Honestis an secus amicis uteretur, si ducem] Castigavimus, *et si ducem*; subauditur, *daturum documentum.* Rhenanus. Sensus non constans sibi. Quomodo enim hinc, si egregium ducem amota invidia, non pecuniosum et gratia subnixum per ambitum, deligeret Nero, documentum ipsis, honestis an aliis amicis uteretur? Consequens sane id non videtur. Nec adeo particulæ illæ optime hærent, *si, quam si.* Melius erat posterius *si* omitti, ut *potius* vel *magis* Taciti more subintelligeretur. Sed Muretus bifidam sententiam facit; paullo alia lectione: *honestis an secus amicis uteretur, et si* (ita etiam in aliis libris) *ducem amota invidia egregium, an pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret.* Scilicet usum rariorem particulæ *si* pro *an* occasionem interpolandi dedisse. Quamquam ego profecto id ipsum *si* nolim hic agnoscere. Cur enim non addidit etiam præcedentibus sic, *si honestis an secus amicis uteretur.* Deleverim igitur etiam ipsum, ut plane concinna sit oratio in hunc modum: *honestis an secus amicis uteretur* (*et*, quod in aliis libris, possis hic si velis retinere) *ducem amota invidia egregium, an pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret.* Ulterius mutare vix mihi quidquam hic permiserim. Venit tamen in mentem commoda etiam alia sententia, quam verba sic concepta elegantissime effecerint: *Modestis an secus amicis uteretur, si ducem aut amota invidia egregium, aut pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret.* Acidalius.

CAP. 7. *Supplendis Orientis legionibus admovere*] Legendum puto, *admoveri:* nam sequitur, *collocari.* Pichena. Legam *admoveri*, ut *collocari.* Acidal.

Simul pontes per amnem Euphratem] Ita legebat Faërnus, non, ut est in vulgatis, *per pontem.* Ursinus. An ipsis regibus mandatum, ut pontes jungerent? potius ipsius imperatoris ducibus: nam alias, *jungere*, dixisset, non, *jungi.* Rectius ergo distinxi, *intrarent: simul pontes, &c.* Pichena. Muretus *amnem* delet. *Acidalius.*

CAP. 8. *Additis cohortibus alisque, quæ apud Cappadociam hiemabant*] Muretus, *cohortibus aliis, q. a. Cap. &c.* Vix abest, opinor, quin vere. *Acidalius.*

Apud Ægeas civitatem Ciliciæ] Ita

hujus oppidi nomen restituit Lipsius ex libris, et Florentinus concordat. Vulgo, *Egas*. Pichena.

Etiam specie inanium validus] Ante dixit, *Corpore ingens*, cur hic rursum subdit, *etiam specie?* Budense volumen habet, *spe inanium*. Lego, *spe*, aut *spei animum validus*. Hoc enim melius placet, quam *spe immani validus*. Rhenanus. Etiam validus ad spem commovendam inanium rerum, quales sunt apparatus familiares, vestes, equi, ornamenta, et cætera, quibus vulgus moveri solet, et quibus species inest magni animi, cum tamen inania sint et aliena. *Ferrettus*. Æmylius exponit pro eo, qui ad spem commovendam, vel rebus inanibus valeret: Beatus legit, *spe animum validus*, pro animorum: ego malim scribi, *spe immanium*, scilicet rerum, *validus*. Vertranius. Male antea, *spe inanium*. Emendavit Lipsius, credo ex libris, nam Ven. haud aliter habet. Flor. *Specie in unimum*. Sic de Cæcina, &c. * *Pichenu*.

Cap. 9. *Et Vologeses, quo bellum, &c.*] Faërnus legebat, *Et Vologeses quo bellum ex æquo mox appararet*. Ursinus. Corrupte in vulgatis, *ex æquo modo*. Flor. aliquid lucis ad veram lectionem dedit, habens, *ex qo modo*. Restitui ergo *ex commodo*, quod Mercero etiam ac Mureto probatur. Columell. VI. 2. 'ideoque robora corporum citra maciem conservant, qui ex commodo, quam qui festinanter mandunt.' Idem XII. 19. 'Ut ex commodo mustum ferveat.' *Pichena*. Lipsius superfluere vocem *modo* censet: Muretus mutat, *ex commodo*. Uter verius, non definio. Sed quæro, quomodo bellum parabat Vologeses, si obsides dabat? Finiebat imo, et pacem jungebat. Legam ego, *quo bellum ex æquo componeret*. Clara et vera sententiã. Possis forte etiam scribere, *quo bellum ex æquo patraret*: ac postea si lubeat leviter mutatum τὸ *modo*, sequentibus inserere: *an ut æmulationis suspectos domo amoveret*. Sed quod primum dixi, mihi verum est. *Acidalius*.

Ex æquo modo] Nisi fallor, τὸ *modo* παρέλκει: aut certe cum Mercero legam, *ex commodo*. Lipsius.

Centurio Hostorius] Vaticanus codex, *Centurio Histius*. Parum, aut nihil est: tamen infra, post triennium, in his locis *Istius Capito* est, *Castrorum præfectus*. Idem.

Accepitque eos Centurio Histejus] Ita scriptum in Flor. et Vat. Vulgo, *Hostorius*. Pichena.

Ab Vinidio] Recte Lipsius, *Numidio*: Muret. *Vindicio*: et sic ubicunque id nominis reperitur. *Acidalius*.

Priore de cuussa] Mureto accedo, *prior ea de caussu*, legenti. *Lipsius*.

Forte priore de causa adito rege] Notaverat Muretus, *forte prior ea de caussa*, quod non capio. Sed scribendum videtur, quomodo et ipse fortasse voluit: *Hostorius ab Numidio missus, forte prior, an ea de causa adito rege*. Accepit obsides Hostorius, sive forte fortuna prior in regem inciderat, sive de industria occupaverat. *Acidalius*. Muretus, *forte prior ea de causa, adito rege*, unica tantum litera adjecta, locum apte restituit. Male antea, *priore de causa*. Pichena.

Quod ne diutius externis spectaculo esset] Pronomen *quod*, potest abesse: et quidam in exemplari scripto superne adjecerat; tum ponendum punctum post *jurgium*, et subaudiendum verbum, *est*. Rhenanus. Venetus codex addit: *quod ne diutius, &c.* Pichena.

Et inclinatione quadam hostium] Idem Venetus, aliique veteres habent: *et inclinationem quandam*. Pichena. Nullum ista idoneum sensum admittunt. Legam: *inclinutione quadam etiam Hostorii*. Nam in aliis libris non *Hosteius*, sed *Hostorius* hic centurio vocatur. Hoc autem vult: Parthos Corbulonem prætulisse, partim ob recentem ejus gloriam, par-

tim, quod, pacis concordiæque causa, aliquatenus eo inclinare ipsum Hostorium, a Vinidio missum, observarent. *Boxhornius.*

Cap. 10. *Aut Julius Densus equester*] Muretus legit, *eques Rom.* Ego non muto, ut idem sit, *equester*, ac equestri ortus loco, vel equestris ordinis. Sic l. XII. 'Nam Divus Augustus apud equestres qui Ægypto præsiderent lege agi,' &c. *Pichena.* Insolens additio hæc *equester*. Recte opinor Muret. *eques R.* id est, eques Romanus. *Acidalius.*

Cap. 11. *Plautium Lateranum*] Supra l. XI. *Lipsius.*

Ordine remotum] Nimio mavolo simplex, *motum*. Acidalius. Suetonius Vitellio 2. 'Quintus caruit ordine, cum auctore Tiberio secerni minus idoneos senatores removerique placuisset.' *Gronovius.*

Causa jactandi ingenii] Addidimus *vel* particulam hic non otiosam, *vel causa jactandi ingenii*. Rhenanus. Vox, *causa*, quæ hic addita fuerat, etiam a Flor. abest. *Pichena.*

Cap. 12. *Penitus irrepserat*] Scribe, *irrepserant:* ad Senecionem enim pertinet et Othonem: non ad Acten. *Lipsius.*

Penitus irrepserant per luxum et ambigua secreta] Monente Lipsio, scripsi, *irrepserant*, non ut vulgo, *irrepserat:* de duobus enim sermo, Othone ac Senecione. *Pichena.*

Ne severioribus quidem] Florentinus: *ne senioribus quidem:* quod vulgatæ lectioni non antefero. *Pichena.*

Nobili quidem et probitatis spectatæ] Magis placeret *nobili quamquam, et probitatis, &c.* Ursinus.

Nurum ancillam] Quam *libertam* prius nominaverat, Sic sæpe apud auctores. Sallustius: 'Tarrulæ Scyrroque pessimis servorum divitiæ partæ sunt.' Licet non servi, sed liberti essent. *Aurelius.*

Senecæque permitteret] Malim, *se Senecæque permitteret.* Rhenanus. Addenda videtur dictio, *se*, legendumque, *Senecæque se permitteret.* Ursinus. Doctiss. vir suæ tantum hæsitationis nos participes facit: mihi autem verba et sententia in aperto sunt. Nero amoris vi matri jam minus minusque obtemperabat, quæ eum ab Acte distrahere contendebat, et se regendum Senecæ tradit, qui ejusmodi amoribus non erat adversus: 'ne severioribus quidem principis amicis adversantibus, muliercula nulla cujusquam injuria cupidines principis explente.' Immo ad eam rem ministros suggerebat: 'ex cujus familiaribus Annæus Serenus simulatione amoris adversus eandem libertam primas adolescentis cupidines velaverat.' Τὸ *Senecæque permitteret*, ut illud: Terent. Adelph. 'pater tibi permittimus, Plus scis quid facto opus est.' Utque Plaut. Rud. 'equidem suadeo ut ad nos abeant potius dum recipis.' Eadem est invenire apud Græcos. Thucydides l. II. δεδιέναι δὲ καὶ περὶ τῇ πάσῃ πόλει, μὴ ἐκείνων ἀποχωρησάντων Ἀθηναῖοι ἐλθόντες σφίσιν οὐκ ἐπιτρέπωσιν: i. *Timere quoque toti civitati, ne illis digressis venirent Athenienses, qui sibi non permitterent:* quæ sic explet scholiast. οὐ δώσωσιν ἄδειαν τοῖς Πλαταιεῦσιν ἐμμένειν τοῖς δόξασιν. Idem: καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες τεταγμένοι προσῆεσαν, καὶ διὰ φυλακῆς ἔχοντες· ubi scholiastes, ἑαυτοὺς δηλονότι. *Salinerius.* Absit ut Senecæ sanctum mihi nomen istis immisceam. Abnuunt quoque libri, quorum Farnesianus, *seque neci permitteret.* Vatican. *seque permitteret;* superpicto, *neci.* Nisi valde hallucinor debuit scribi, *Actæ:* ut esset, *seque Actæ permitteret.* Tandem, inquit, Nero Agrippinæ matri, cui odiosus ejus amor, obsequium omne negavit, dediditque se totum amatæ sibi Actæ. *Pontanus.* E Farnesiano citat Lipsius: *seque neci permitteret.* Vaticanus tantum habet: *seque permitteret.* Dubium mihi nullum, quin scripserit Tacitus: *seque Senecæ permitteret.*

Evincunt illa quæ statim sequuntur: ‘ Ex cujus familiaribus Annæus Serenus.’ Fuit enim is Serenus non tantum familiaris Senecæ, sed carissimus etiam, ut ipse fatetur Epistola 63. ad Lucillium. *Colerus.* Florent. *seque nece:* atque in margine, *Senecaque:* nam sequitur: ‘ ex cujus familiaribus Annæus Serenus,’ &c. qui inter primos amicus Senecæ, ut ex ipsius verbis, Epist. 64. colligitur. An, *seque Senecæ*, legendum, quasi in illum Nero transtulerit obsequium, quod in matrem exuerat? Vix credam? eo enim ingenio, ea jam ætate erat Nero, ut potius imperii potentem, quam obsequii patientem, crediderim, præsertim erga familiares, cum antea neque ipsi matri libenter se regi sincret. Mallem, *Senecaque permitteret:* id est, non adversaretur; sive Agrippinæ odio; sive metu, ne in stupra feminarum illustrium prorumperet Nero, si a muliercula Acte divelleretur, matrique obtemperaret. Sic supra: ‘ ne severioribus quidem principis amicis adversantibus:’ quæ verba Senecam ac Burrhum designant. Huic sensui lucem afferunt verba l. XIV. 1. ‘ Hæc atque talia lacrimis et arte adulteræ penetrantia, nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi matris potentiam.’ *Pichena.* Lipsius hæret: ego indubitanter cum Mureto, *Seque Senecæ permitteret.* Acidalius. Pichena meo judicio εἰς αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν τὸν κάλαμον βάψας, *Senecaque permitteret.* Gronovius.

Cap. 13. *Summa forma expeterent*] Reposuimus, *summa fortuna.* Rhenan.

Orabantque cavere insidias] Potius legendum, *caveret.* Rhenanus. Florent. *cavere.* Vulgo, *caveri.* Forte melius, *caveret.* Pichena.

Misitque domum matri] Scribendum, *donum matri.* Rhenanus.

Cap. 14. *A Claudio impositus*] Pallas Claudii Cæsaris libertus, a rationibus ejus fuit. Ex Sueton. 28. *Vertranius.*

Ne cujusque facti in præteritum interrogaretur] Emendavimus, *ne cujus facti:* alioqui stare poterat *cujusquam facti.* Rhenanus.

Ruere ad terrorem et minas] Sic Flor. et veteres editi: recentiores vero, *in terrorem.* Pichena.

Inde vilis rursus Burrhus] * Suspectum æque, τὸ *rursus*, quod hic nulli rei. Puto fuisse, *rufus:* glossema scilicet ad cognomen Afranii, Burrhus. Nam Latini Burrhum, rufum dicebant, a Græco. Glossæ: *Burrhum, Ξανθὸν, πυῤῥόν.* Vide Festum. *Lipsius.*

Inde vilis rursus Burrhus] Τὸ *rursus* non est inutile, si *hinc* et *inde* accipias pro dispositione locorum, unde Agrippina et Burrhus cum Seneca vicissim disceptaturi fuissent: id nominis enim sive *rursum* idem valet, quod *contra*, sive *e contrario.* Et hic respicit ad sententiæ diversitatem. Terent. Eunuch. ‘ Heus tu negato rursum:’ et ibi Donatus. Noster Ann. l. I. ‘ neque eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat.’ Et l. IV. ‘ ut nimia nuper coërcendo filio, ita rursum intemperanter demissa.’ Et Hist. l. II. ‘ rursus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus permissum.’ Ad hanc faciem Græci dixere τὸ ἔμπαλιν. Posidipp. l. I. Antholog. *αἱ δὲ νεότητες Ἄφρονες, αἱ πολιαὶ δ' ἔμπαλιν ἀδρανέες*· i. *juventutes insipientes, canicies rursus debiles.* Burrhus autem *vilis* dicitur, propter manum truncam: quod duces invalido corpore militibus contemptui sint: ‘ Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum.’ *Salinerius.* Mallem cum Lipsio, *inde debilis:* nam huc inclinat etiam Florent. in quo legitur, *indebilis:* ut librarii error fuerit in geminatione syllabæ. *Pichena.* Lipsius: *Inde debilis Burrhus.* Ingeniose. Nec mirum vitio datam debilitatem ab æmulis Burrho, cum ejusmodi homines

improsperi malique ominis æstimarentur. Plin. XXVIII. 4. ‘ Simili modo et fascinationes repercutimus sinistræ dextræque clanditatis occursu.’ Agricola, qui legit *tunicata manu*, nugas vendit. *Colerus.* De hoc loco erudite Lipsius, et veram omnino puto ejus lectionem, quæ et Mureto notata; *inde debilis Burrhus.* Nam vocem *rursus* quod idem Lipsius mutare voluit, *Rufus*, etsi probabiliter astruit, non placet tamen: quia levis nimium allusio, ad significatum nominis Burrhus, et inconcinna duorum adjectivorum junctio. Quid ergo ea faciendum? delenda. Nam nata ex geminata scriptione ipsius nominis *Burrhus.* Ceterum quod in Agricolæ lectionem deinceps inclinat Lipsius, ut pro *trunca manu* scribatur *tunicata manu*, satis ego mirari nequeo. Convellitur hoc recepto superior emendatio *debilis Burrhus:* quæ stabiliri eo debet omnino. Nec sane moribus et vitæ Burrhi convenit, mollitiam illi et tunicas manicatas objici: quod quare ita Lipsio visum, pariter miror. Supra longe aliud elogium homini tribuebat Tacitus, initio hujus libri: ‘ Diversa arte ex æquo pollebant: Burrhus militaribus curis, et severitate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, et comitate honesta.’ Et infra de eodem sæpius. *Acidalius.* Puto legendum: *inde vilis Rufulus Burrhus:* quod esset tribunorum militarium nomen vile. Livius IX. Nam hi non a populo, sed ab imperatore fiebant; nec suffragio, sed arbitrio: et quia Rutilius Rufus de his legem tulerat; ideo *Rufuli* appellati sunt. Et fuere primum creati Q. Servilio L. Genucio secundum consulibus. Vocat autem Burrhum *Rufulum* per despectum. *Aurelius.* Lipsii emendationem, Pichenæ et quodammodo Florentino ejus Ms. probatam, merito prætulimus vulgatæ lectioni, *inde vilis rursus Burrhus.* Freinshemius. Pro *rursus* Lipsio placet *rufus*, non male, si non tam ad nomen alluditur Burrhi, quam vultus notatur. Sed turbat adhuc vox præcedens, pro qua in Vaticano codice *bibil.* Ego legam *bili rufus.* Ex tali enim corporis concretione talis color. Neque extra rem id objicit Agrippina, cum ad regimen publicum minus apta sint ejus mixturæ ingenia. *Grotius.*

Trunca scilicet manu] Nonnulli Burrho ea verba applicant, dicentes eum manum truncam habuisse, quorum utrumque falsum censemus; nam haud verisimile est, virum militaribus artibus clarum, sub Claudio et Nerone Prætorianis militibus Præfectum fuisse, si manum obtruncatam habuisset, nec Dion, Suetonius, et Tacitus ipse, qui sæpe illius meminere, id reticuissent. Præterea ex verborum serie patet, ea verba Senecæ, cui proximiora sunt et conjuncta, attribuenda: quem quum nusquam legamus manu detruncatum, verba hæc non ad literam exponenda, sed abditiorem sensum habere conjiciendum, ita ut Agrippina Burrho, viro militari in castris apud milites verba facturo, natalium humilitatem ad infringendam illius auctoritatem esset objectura, mulier ex adverso nobilissima, et filia Germanici imperatoris exercitibus carissimi et amantissimi: Senecæ vero ignaviam et ad militaria munia tantam ineptiam, quasi manum non haberet, et quales sunt, qui mutilati manibus carent. *Truncum* enim semper in malam partem accipi, observamus apud Latinos. Sic homo dicitur *truncus*, quod quasi stipes stupidus sit. Cic. in Pison. ‘ Sed qui tanquam truncus atque stipes si stetisset modo, potuisset tamen sustinere titulum Consulatus.’ Vocat autem eundem Senecam Agrippina *exulem*, quasi facinorosum argueret, ex quo exul factus esset, ingratitudinis notam eadem voce inurens, quod ab ipsa redux ab exilio factus,

non modo suarum partium non esset, sed et contra ipsam cum Burrho conspiraret. Quod eidem quoque *Professoriam linguam* exprobrat, expositionem nostram confirmat, quod scilicet manu nihil, parum lingua, licet tamen eloquentiam maxime profiteretur, valeret: siquidem *Professoria lingua* dixit, hoc est, præceptoria et pædagogica. Nisi itaque Senecam manu mutilatum dixerimus, quod nullibi legimus, nec illius vitæ scriptores tradidere, jam dicta expositio erit recipienda; nisi malueris interpretari, *manu trunca*, id est, sine multitudine adhærentium, et amicorum consectantium turba destitutum, in qua Romæ innixa erat Senecæ potentia. *Manus* enim aliquando pro multitudine et copia accipitur. *Marcellus Donatus.* Frustra sudat Marcellus. *Trunca manu* omnino respicit Burrhum, et *Professoria lingua* Senecam. Nec necessum, totam ut manum præcisam habuerit: sufficit digito uno aut altero captum fuisse: idque incommodum accepisse, dum in acie sternit hostem, est verisimile. Ergo id insigne virtutis, &c.* *Gronovius.*

Tot irrita facinora] Vocabulum *irrita* sic erat rasum ut nemo sciret, an pro *irrita facinora* legendum foret, *inita facinora*, si modo Latine dicitur *inire facinus.* Rhenanus. Quorsum hæc pertinebunt? nam hic quidem incommode admodum hærent. Nescio si fallor, sed mirum, ni ex superiori illo loco exciderunt: ‘ Non abnnere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suæ inprimis nuptiæ, suum veneficium. Id solum Diis et sibi provisum, quod viveret privignus.’ Nam hic ego coner ita inserere: *Suæ in primis nuptiæ, suum veneficium, irrita tot facinora: id solum Diis et sibi provisum, quod viveret privignus.* Sed vereor ne audax hoc nimis facinus sit. *Acidalius.*

Cap. 15. *Ut quidem experimento cognitam*] Capio *ut* tanquam esset *utpote:* et malim tamen rescribere *vili.* Acidalius. Si bene examines hanc lectionem, non te fugiet in ea latens vitium: quo enim illa, quæ sequuntur, *quo tamen favorem?* Sensus autem clamat legendum esse: *modo ipsius indolem levi quidem experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quæsivisset:* id est, Leve id experimentum fuit, et ipsa re, et æstimatione Taciti, quippe qui affirmaverit Britannicum hunc ‘ periculis commendatum retinuisse famam [indolis bonæ] sine experimento:’ supra xii. 26. *Freinshemius.*

Ubi Britannico jussit] Lege, *uni Britannico*, et sequentia sic interpunge: *irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos, ignorantis. Ille constanter exorsus est carmen, quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur.* Acidalius.

Sede patria rebusque summis significabatur] In codice scripto legitur, *sede patria rebus summis.* Rhenanus.

Neque jubere cædem fratris audebat] Verbum *jubere* palam ab inepto glossographo est; qui phrasin illam apud Tacitum toties frequentatam aut non meminerat, aut non intelligebat. *Acidalius.*

Pararique venenum jubet] Copulam, *que*, ex Florent. restitui. Nam in vulgatis interciderat. *Pichena.*

Quod rumorem respiciunt] Hic particulam *dum* inseruimus, et *securitatem* vertimus in *securitate. Quod dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitate morarentur*, id est, ob securitatem. *Rhenanus.*

Quasi ferro urgeretur] Scripsimus, *quam si ferro urgeretur.* Rhenanus.

Cap. 16. *Delectus ministri gustu explorabatur*] Ita legendum, deleta dictione *ex;* quam tamen retinebat Danesius, legebatque *ex ministris, &c.* Ursinus.

Frigida in aqua] Ita factum et Alexandro, ab eadem caussa et cau-

tione. Justinus: ‘ In aqua frigida venenum habuerunt, quam prægustatæ jam potioni supermiserunt.’ Est error hac in re, opinor, Æliani in Var. Histor. l. v. qui diserte vult venenum ei in cibo datum, non potu. Μυρίοι γ'οὖν, inquit, καὶ πίνοντές τι κακὸν κατέπιον, ὡς Ἀλέξανδρος, καὶ ἐσθίοντες, ὡς Κλαύδιος ὁ Ῥωμαῖος, καὶ Βριτανικὸς, ὁ τούτου παῖς. Atqui de potu et Tacitus, et Suetonius, adfirmant. *Lipsius.*

Frigida in aqua infunditur venenum] Emendavimus, *affunditur venenum:* et est elegans verbum *affundo.* Lib. v. de Phœnice ave: ‘ Eique vim genitalem affundere.’ Lib. v. Hist. ‘ Ubi Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit.’ *Rhenanus.* Vett. editi, *infunditur.* Sic lib. XII. in fine: ‘ infusum delectabili cibo boletorum venenum.’ Sed Flor. *affunditur*, et Tac. l. I. ‘ venenum vulneri adfusum.’ Id veneni genus excogitatum videtur, ad exemplum illorum artificum, qui Alexandrum regem Macedonum necaverunt: Curt. l. x. ‘ Philippus itaque et Iollas, potum Regis prægustare soliti, in aqua frigida venenum habentes, eam prægustatæ potioni Regis supermiserunt.’ Iisdem fere verbis Justinus l. XII. *Pichena.*

Trepidatur a circumsedentibus] Reposuimus, *Trepidatum a circumsedentib.* subauditur *est.* Rhenanus.

Quo primum ab infantia afflictaretur Britannicus] Muretus delet nomen *Britannicus:* et hercle melius est hic subintelligi. Ego vero scribam etiam, *prima ab infantia.* Sic Ann. I. ‘ Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice.’ *Acidalius.* Vitium inesse credo ex compendio scripturæ, qualia passim compluria. Nam, *primum* istud videtur valere *plurimum*, ut sit: *quo plurimum ab infantia.* Freinshemius.

Ut perinde ignaram fuisse ac Octaviam] Faërnus legebat: *ut perinde ignaram fuisse atque Octaviam.* Ursin.

Octavia quoque] Scribe, *Octaviæ:* is pavor videlicet fuit. *Lipsius.*

Octavia quoque, &c.] Non sequendus Lipsius, *Octaviæ* scribens, et ad superiora illa trahens, *is* scilicet *pavor, ea consternatio fuit.* Pendent hæc non nisi ex seipsis; et alias tota turbatur orationis concinnitas. *Acidalius.*

CAP. 17. *In campo tamen Martis sepultus est*] Scripsi *Martis* ex Flor. Sic moris Tacito loqui: vulgo, *Martio.* Pichena.

Cui plerique etiam hominum ignoscebant] Meo animo non aptus sensus e verbo *ignoscebant:* et scripsit haud dubie Tacitus, *ingemiscebant.* Acidalius. Omnino ignoscebant, non ingemiscebant. Philo: περὶ πρεσβείας· Ἀπιστοῦντες εἰ οὕτως ἀθρόως ἐνδέδεκται τροπὴν ὁ πρὸ μικροῦ χρηστὸς καὶ φιλάνθρωπος ἴσος τε καὶ κοινωνικὸς εἶναι νομισθεὶς Γάϊος, ἀπολογίας ἐσκόπουν, καὶ διερευνῶντες εὗρισκον· ἐπὶ μὲν τῷ ἀνεψιῷ καὶ συγκληρονόμῳ τοιαῦτα φάσκοντες· ἀκοινώνητον ἀρχὴν, θεσμὸς φύσεως ἀκίνητος· οὗτος ἃ παθεῖν ἐμέλλησεν ἂν ὑπ' ἀδυνατωτέρου, προέθηκεν ἰσχυρότερος ὤν· ἄμυνα τοῦτ' ἐστιν, οὐκ ἀνδροφονία· τάχα δὲ καὶ προνοητικῶς ἐπ' ὠφελείᾳ τοῦ σύμπαντος ἀνθρώπων γένους τὸ μειράκιον ἐκποδὼν γεγένηται, τῶν μὲν τούτῳ, τῶν δὲ ἐκείνῳ προσκεκληρωμένων· ἐξ ὧν ταραχαὶ, ἐμφύλιοί τε καὶ ξενικοὶ πόλεμοι συνίστανται, &c. Sic enim legendum, ubi editur: ἠμύνατο, τουτέστιν οὐκ ἀνδροφονία. *Gronovius.*

Insociabile regnum existimantes] Pro *æstimantes.* Rhenanus. Ex Flor. scripsi, *extimantes.* Nam vulgo, *existimantes.* Pichena.

Illusum esse pueritiæ Britannici Neronem] Correximus, *illusisse pueritiæ Britannici Neronem;* hoc est, intulisse stuprum: et sequitur, *stupro prius quam veneno pollutum.* Rhenanus. In Flor. et Veneto legitur, *illusum esse pueritiæ:* quod corruptum censeo. *Pichena.* Bonum videri posset absque Florentino; in quo *illusum esse:* forsan fuit *illusum;* accessitque illud

esse a glossa: nisi fuerit, *illusum isse.* Gruterus.

Acerba funera] Id est immatura. *Ferrettus.*

Et tanto magis fovendum] In cod. Budensi deest *et* particula. Legiturque; *reliquas spes in rep. sitas. Tanto magis fovendum.* Rhenanus.

Cap. 18. *In subsidium corripiens*] Vel *corripere.* Lipsius.

Quæ ut conjugi Imperatoris soli] Emendavi verissime: *quæ ut conjugi Imperatoris olim, tum.* Jampridem, inquit, excubiæ Agrippinæ: Claudio quidem vivo, ut conjugi Principis: Nerone imperante, ut matri. *Idem.*

Quæ ut conjugi imperatoris soli, tum et ut matri servabantur] Lectio regii codicis: *Quæ, ut conjugis imperatoris solitum, ut matri servabantur:* quidam mutarat *ut* in *ita.* Rhenanus. Faërnus legebat; *Quæ ut conjugis Imperatoris solitum et matri servabantur.* Ursinus. Nihil Lipsii emendatione verius: corrupte antea, *quæ ut conjugi imperatoris solitum, et ut matri, &c.* Pichena.

Cap. 19. *Amore an odio incertum*] In regio cod. *amore an odia incertas.* Expone, incertas amore an odio adirent eam. *Rhenanus.*

Insignis genere, forma lasciva] Romana vetus editio, *forma, lascivia:* non displicet. *Lipsius.*

Insignis genere, forma, lascivia] Expressi lectionem Florentini, quamvis vulgata, *forma lasciva,* æque proba sit. *Pichena.*

Illa spe ultionis casu oblata] Ita legebat Faërnus. Non ut est in vulgatis, *ultionis causa.* Ursinus.

Audita deferens] Florentinus, *differens.* Sed nihil muto. *Pichena.*

Conjugioque ejus etiam imperio remp. rursus invadere] Faërnus legebat: *Conjugio ejus etiam imperium rursus, &c.* Nec displiceret, si ita legeretur: *Conjugioque petito remp. rursus invadere.* Ursinus. Muretus mutare voluit, *conjugioque ejus etiam petito.* Sed nihil mutandum: *remp. imperio invadere,* clara et elegans locutio. *Acidalius.* Turpe mendum in vulgatis omnibus erat, *etiam imperio remp.* Quid enim sibi vult, *invadere remp. imperio?* Nec vitium animadvertissem, nisi mihi Flor. indicasset, in quo legitur, *etiam perio:* unde correxi, *etiam pacto.* Adeoque vera mihi correctio visa est, ut eam textui inseruerim, frequens enim in matrimoniis verbum, *pacisci,* ut notum est. Sic infra eodem lib. 'nuptias ejus pactus:' et lib. præced. 'pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium.' *Pich.*

Cap. 20. *Lusus Principis intendere*] Nec male, *luxus.* Lipsius.

Quæ diversa prodiderint] In regio Codice legitur, *qui diversa prodiderint.* Rhenanus.

Sed vocem unius ex inimica domo] Hæsito num scrib. *vocem mimi ex mimica domo.* De Paride enim: et fatalis quidam librariorum in iis vocibus error. *Lipsius.*

Sed vocem unius ex inimica domo afferri] Hariolatur Lipsius, *sed vocem mimi ex mimica domo.* Meo judicio nihil mutandum. Nam et illud *unius* necessarium est: opponitur enim *accusatoribus,* et *inimica* non minus. Fidem enim elevat delationis, quæ ab inimicis. Quod si dem tamen, quod non do, pro *unius, mimi* debere substitui; illud plane nego *mimica* posse scribi. Quid enim? an mimica Domitiæ domus? Ad hanc enim et illa superiora, quæ de illa, respicitur: 'Quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa æmulatio exercebatur.' Nimis hoc temere Lipsius, et non pro sueta accuratione. *Acidalius.*

Refutare tenebras] Hæret sententia: quam explicari posse puto, si legas, *Reputaret tenebras.* Lipsius.

Refutare tenebras] Emendet Eruditissimus vir, mihi certe placent vulgata, quæ sic interpretor. Burrhus, promissa nece Agrippinæ, si ea facinoris convinceretur, addit sibi tamen non placere, quod Nero perpetem

noctem pergræcatus, desubito statueret de parentis morte: liquidius eum de die (postquam illam crapulam obdormierit) decernere de hac re posse. *Salinerius.* Hærentem sententiam explicari posse Lipsius putat, si legatur, *reputaret tenebras.* Sed fortasse vulgata lectio quoque defendetur. Nam cum dixisset Burrhus, &c.* *Pichena.*

Cap. 21. *Deinde et a Burrho*] Particulam *et* sustulimus, sicut mox, *et Agrippina*, eadem particula deleta, scripsimus tantum, *Agrippina ferociæ memor.* Rhenanus. Quo respicit *Deinde?* an ad *postquam?* Nugæ. Tu leg. *Proinde a Burrho.* Hoc dicit, quia Seneca et liberti aderant sermonis arbitri, ideo miuaciter a Burrho actum. *Acidalius.*

Anni rependunt] Insidet omnibus fere editionibus mendum typographicum, quod me monitore semel tollatur. Legendum enim non *anni*, sed *anui:* et intelligit Iturium et Calvisium consumpto patrimonio in colenda Silana, postremum modo ipsam captare, impensa delationis opera. *Gruterus.* Quas ego vidi Lipsii editiones, *anni*, omnes habent: et tamen claro meridie clarius est, *anui*, scribendum. Silanam dicit, quam paulo superius, *vergentem annis* dixerat. *Acidalius.* Haud dubie *anui* recte legitur: quamquam complures editiones *anni* pro *anui* exhibeant: vetustiores tamen nostram lectionem præferunt; quæ pulchre ostendit probrum muliebri æmulatione oblique in Silanam ab Agrippina jactum, quo ne antea quidem abstinuit, *vergentem annis* dictitans sup. XIII. 19. *Freinsh.*

At existat] Ex *at* fecimus *aut.* Rhenanus. Alias, *ut existat.* Ferrettus. Lego *at*, non *aut.* Acidalius.

Vivere ego Britannico] Rodolphus legit, *remp. invasurus.* Lipsius.

Vivere ego Britannico] * indicium regiæ potestatis. Plaut. Psend. Cæ. 'misere miser sum, Pseudole.' Pseud. 'id te Juppiter Prohibessit.' Cæ. 'nihil hoc Jovis ad judicium attinet. Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis.' *Salinerius.* Volo cum Lipsio; *vivere Britannico potiente rerum poteram?* Cætera sic lego; *aut si Plautus, aut quis alius remp. invasurus* (indubie verum hoc Rodolphi pro vulgato *judicaturus*, unde in prima edit. Lipsii *vindicaturus) obtinuerit; desunt scilicet accusatores, qui mihi non verba* (sic transpono. Vulgo, *desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba) impatientia* (an forte *impotentia) caritatis aliquando incauta, sed ea crimina objiciant, quibus nisi a filio mater absolvi non possim:* sine interrogatione. Nam ironicus sermo est. *Acidalius.* *Mox pro *judicaturus* rescribam *judicia dictaturus.* Raro judicabant Principes, præsertim de capite. Sed judicantibus aliis dictabant, id est, præscribebant, sententias. Sensus ergo est. Si Rubellius Plautus, &c.* quod concupiisse arguebatur. Error autem scriptoris natus omissione, ut sæpe, literarum similium. *Dictare judicia* idem est, quod Hist. 4. dicit Eprius. 'Non magis sua oratione Thraseam quam judicio senatus afflictum: sævitiam Neronis per hujusmodi imagines illusisse.' Et forte Agrippina crimen, cujus non nisi a Nerone poterat absolvi, intelligit Claudii mortem. *Grotius.* Corrigo; *Remp. obtinuerit, judicata res est.* Hoc est, si alius veniret ad imperium, facta res esset, sententia contra me pronunciata esset. *Harlæus.* Nullam in his verbis sententiam inesse dicit Advocatus, *remp. judicaturus obtinuerit:* ideo legendum putat, *remp. obtinuerit, judicata res est.* Quod est ineptissimum. Ille tamen nobis persuadere vult, sic planam futuram sententiam. Parva mutatione scribi melius est: *At si Plautus aut quis alius remp. vindicaturus obtinuerit.* Pessima fœmina cum se de crimine objecto purgaret, non potuit odium dissimulare in fili-

um, et satis aperte confessa est, vindicaturum eum remp. qui Neronem imperio deturbaret. *Salmasius.* Quid de vexatissimo loco mihi videretur, exposui Observ. I. 22. *Gronovius.*

Quasi diffideret] Rodolphus adnotavit, *quasi defenderet.* Lipsius.

Ubi nihil pro innocentia quasi diffideret] Lego et distinguo hæc ita: *Ubi* (id est postquam) *nihil pro innocentia quasi defenderet,* (omnino hoc Rodolphi mihi rectius, quam *diffideret*) *nec de beneficiis, quasi exprobraret, disseruit, sed ultionem in delatores et præmia amicis, obtinuit.* Acidalius.

Cap. 22. *Senio Rufo*] *Fenius* illi nomen: atque ita semper infra. *Lip.*

Præfectura annonæ Senio Rufo] Lego, *Fenio,* uti libris sequentibus constanter appellatur. *Vertranius.* Male vulgo, *Senio Rufo.* Emendavit Lipsius ex Tacito ipso, qui alibi *Fenium* semper nominat. *Pichena.*

Syria P. Anteio] Inepte vulgo, *Pantello:* errore duplici. *Lipsius.*

Syria P. Anteio destinata et variis] Commodius foret: *Syria P. Anteio destinata, qui variis.* Gronovius.

In exilium acta] Vocabulum extremum deest in scripto libro. *Rhenanus.*

Cap. 23. *Qui per nuptias Antoniæ, gener erat*] Melius scribas, *cui per nup. Ant. gener erat.* Idem.

Et tum vanitatibus manifestus] Castigavimus; *et tum vanitatis manifestus.* Hoc autem sermonis genere sæpe Tacitus utitur. Ut lib. XII. 'Interim Zenobiam, id mulieri nomen, placida alluvie, spirantem ac vitæ manifestam advertere pastores.' Hoc ipso lib. 'At criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coërceantur, quos beneficia non mutassent.' Lib. XIV. 'Supremis testamenti verbis ambitionis manifestus.' Lib. XV. 'Atque ipse mœstus et magnæ cogitationis manifestus erat.' Et infra 'Non quia conjurationis manifestum compererat.' Et paulo post: 'Sed verba sua præpediens, et pavoris manifestus.' *Rhenanus.*

Nec tam grata Pallantis innocentia] Puto voculam excidisse: *Nec tamen tam grata Pall* nimirum etsi vanitatis manifestus erat accusator: quod præcessit. *Acidalius.*

Ne vocem consociaret] Scripserat haud dubie Tacitus *consauciaret.* Quod si quis alius dixit, de meo disertus fuit. Sic Apulejus lib. VIII. de præcone: 'rauca voce saucius.' *Marcilius.* Habeant et qui dixit et qui de alieno disertus fuit; non invidebimus. *Gronovius.*

Monimenta retrahebat] Id est, perscripta debita fisci exigebat, vel jam soluta, iterum petebat. *Aurelius.* Diximus *obliterata ærarii nomina* legendum videri de Pecunia IV. 3. Zonaras de Romano Argyropulo: *Ἵνα γὰρ τῶν ἀπολωλότων ἰσοστάσια κτήσεται, πράκτωρ ἀντὶ κρατοῦντος ἐγένετο καὶ πικρὸς λογιστὴς, παῖδας πατέρων γεγηρακότα χρέα πραττόμενος, καὶ πυρκαϊὰς ἀνάπτων κατὰ τῶν ὑπηκόων, ὅσπερ ὁ χρόνος ἤδη πολὺς πρεσβευούσας κατέσβεσεν, ἢ τέως κατέχωσεν ὑπὸ σποδιᾷ. Ἐντεῦθεν πολλοὶ τῶν πατρῴων οἰκιῶν καὶ ἀγρῶν ἀπηλαύνοντο, καὶ τὴν πρὶν εὐκληρίαν ἐκδιδυσκόμενοι, εἰς πενίαν λαμπρὰν συνηλαύνοντο.* Gronovius.

Cap. 24. *Statio cohortis*] Non repeto quæ scripsi Epistolic. libro III. Epistola XVIII. *Lipsius.*

Et plebes daret experimentum] In Flor. semper fere, *plebes,* more prisco, sicuti etiam in aliis veteribus. *Pichena.*

Cap. 25. *Et ore præferret*] Vera lectio. Beatus Maurusque frustra adlaborant in scriptura codicis Budensis: quem ex hoc aliisque locis scias fuisse non optimæ notæ. Legunt tamen illi, *et ore se Cæsarem præferret.* Inepte. Hoc noster voluit clare, excepisse eum ab ignaris ictus, et læsa facie prætulisse. Plinius l. XIII. de Thapsia.* *Lipsius.*

Et ore præferret] Habet Budense volumen, *et fore se Cæsarem præferret.* Lego, *ore se Cæsarem præferret.* Rhe-

nanus. Os apud Virgilium Æneid. I. 161. 'Os humerosque Deo similis' pro facie accipitur: quo sensu Neronis facies exceptos ictus indicaverit. Verum chirographus habet, *et fore se Cæsarem præferret:* unde quo Beatum inclinat conjectura, eo te dare si velis, leges et melius, *ore se Cæsarem præferret.* Vertranius. Danesius ex v. c. legebat: *Et ore se Cæsarem ferret.* Ursinus. *talpa est, qui hoc non videat. Itaque vera illa quidem non est Taciti scriptura. Muretus notavit, *acciperet ictus, et ferret.* Sed forte non liceat abjicere reliqua illa prorsus, *ore præ:* scribaturque melius, *ut ipse quoque acciperet ictus ore, et perferret.* Ne quid dissimulem tamen, vocem *ore* etiam ego deleverim, et legerim, *acciperet ictus, et referret.* Acidalius.

Multi propriis] Melius, *inulti.* Lipsius.

Multi propriis cum globis] Ex *propriis cum globis,* ni conniveas, videre potes, quid hæc sibi postulent. At Doctiss. vir legit, *inulti propriis:* quam bene, ipse viderit. Quidam adscitis comitibus Neronis, (cum quibus solitus erat per urbem lascivire) eadem licentia grassabantur, multi propriis cum globis sine sui dissimulatione urbem raptabant. *Salinerius.* Melius in Flor. *inulti.* Vulgo, *multi:* quod etiam monuerat Lipsius. *Pichena.* Recte Lipsius, *inulti.* Acidalius.

In modum captivitatis] Divino scribend. *in modum captæ civitatis.* Ea enim facies potius quam carceris custodiæve. *Lipsius.*

In modum captivitatis nox agebatur] Delibero adhuc an melius Lipsius, *captæ civitatis.* Non satis inter se vincta oratio, quia nimis vincta. Copula aliqua detrahenda est, nec tamen satis clarum, ubi potissimum. Tribus locis videtur posse: sed ego paulo ante malim, ut scribatur, *augebantur injuriæ.* Certum mihi nunc, male Lipsium interpretari vocem *Captivitatis.* Non enim hic carcer et custodia, sed capiendi ipse actus notatur. Sic et Ann. XVI. 'In cladibus exercituum, aut captivitate urbium.' *Acidalius.*

Julius quidem Montanus] Particula *quidem* in Budensi volumine non legitur. *Rhenanus.* Xiphilinus aliter scribit, hunc uxoris causa commotum, Neroni plagas noctu inflixisse: cui, licet injuriæ acceptæ memor, nec iratus quidem Nero, quousque veniam ille per literas oravit. Quibus lectis ait Cæsar: 'Non ergo percussor Neronis se ipsum jam vita privavit?' quo responso factum opinor, ut sibi Montanus mortem consciverit. *Vertranius.*

Quia vim tentantem acriter repulerat] Exemplaris scripti lectio, *qui avia temptantem.* Lego: *quia vi attentantem acriter repulerat.* Rhenanus. Danesius ex v. c. legebat: *Quia vi attentantem acriter repulerat;* non ut vulgo, *vim tentantem, &c.* quamvis nec illud displiceat. *Ursinus.*

Deinde agnitum oraverat] In scripto exemplari scriptum est, *Deinde adagnitum oraverat:* ut possit *adagnosco* cuipiam dictum videri, sicut *Adalligo* Plinius protulit. Sed arbitror primo fuisse scriptum *adgnitus* more vetusto; quod interpretans aliquis ascripserit *agnitus:* unde postea conflatum *adagnitus.* Rhenanus. Miror hic silere, qui manu exaratorum codicum fuere compotes. Videtur enim scripsisse Tacitus, &c.* *Gronovius.*

Nero autem metuentior in posterum] Malim, *metu intentior.* Ita fere loquitur. Vide quæ olim ad Agricolam notavimus. Sequentia satis ostendunt Neronem non tam metuentiorem, quam metu intentiorem factum fuisse, magisque sibi in posterum cavisse. *Boxhornius.*

Et quasi privata sinerent] Muretus ex conjectura legebat; *et quasi privata sererent.* Quod mihi falsum videtur. Probabile enim est, milites et gladia-

tores Principem adsequntos, spatio aliquo interjecto, ac dissimulatos: illum vero tanquam solum prægredientem, ac nonnunquam rixas cum transeuntibus quærentem, jussisse, ut dum modice ac sine periculo res ageretur, ipsi absisterent, nec accurrerent; nam sine urgenti occasione cognosci nolebat. Sed si a læsis validius resisteretur, tunc subsidio adessent, armaque inferrent. *Pichena.* Non recte Muretus, *serarent.* Relinqui enim vulgatum *sinerent* sententia vult. *Acidalius.*

Arma inferrent] Scripsimus, *inferebant.* Rhenanus. Veneti codicis auctoritate scripsi. *inferrent.* Supra enim dixit, *sinerent.* Vulgo *inferebant.* Pichena. Recte Muretus, *inferrent.* Acidalius.

Et gravioris motus terrore] Nos reposuimus, *ex gravioris motus terrore.* Rhenanus.

Cap. 26. *Perscripsere tamen consensum*] Miror in exemplari regio esse *in consensum:* et *ille an auctor.* Mox non est, *vine an æquo,* sed tantum, *vi an æquo.* Quod sequitur; *consultarent,* malim ego, *confutarent;* et pro *impulere, implere vel pœnam.* Rhenan. Ut scirent an ille auctor constitutionis fieret, utpote quæ a pancis postularetur, et sententiæ plurium adversis. Scribit enim supra, *Nec decrant qui censerent,* tanquam si consensus senatus aliud decerneret. Deinceps quæ sequuntur ita legenda arbitror: *ut ne æquo cum patronis jure agerent, sententiam eorum conculcarent: ac verberibus manus ultro intenderent.* Nam cum major esset injuria quam pœna, satis dissuadebatur verberibus inferendis, et injuria lacessendis patronis. *Quid enim aliud,* inquit, &c. *Ferrettus.* Locus maculatus hic est, si quisquam in Cornelianis. Ita vero ex opinione nostra legetur, *ut jam æquo cum patronis jure agerent, sententiam earum conculcare, ac ut verberibus manus ultro intenderent, impellere vel pœnam suam dissuadentes.* Equidem ubi tam Beatus quam Æmilius operam scriptumque lusernut, magnopere me hæsitare confiteor, an aliquid extremæ clausulæ desit. Ut litera se habere potest, qualis qualis sensus hic est: Ex dissentientibus quidam, dum inclamarent per libertatem eo usque irreverentiam crevisse, ut jam omnia liberti, promiscuo jure, cum patronis agerent; aliorum sententiam conculcabant: et persuadebant vel pœnam suam dissuadentibus, ut sponte manus verberibus intenderent: et, ut Nonius exponit, innecterent et illigarent. *Vertran.* Mutilus censetur locus, et est fortassis: restitui tamen videtur ita posse, nihil ut deesse appareat. Tentavit Lipsius, &c. (Vid. Delph. Not.) Sed non placet; nec opus tanta mutatione. Levi particularum binarum trajectione sic res peragetur: *Perscripsere t. c. S. i. a. constitutionis ut fieret inter p. s. diversos, et quibusdam, &c.* Acidal.

Ille an auctor] Hæc lectio cæteris multum auteit; et sensus horum difficilis non est, da operam, scies. Consules metu principis abstinuerunt a relatione, licet major senatus pars pœnam decretura videretur: ad eum tamen singula perscripsernut: ille adhibitis paucis amicorum, dubitavit (ut solet in concilio fieri ubi pauci et dissidentes) an sibi decernenda esset nec ne pœna libertorum: τὸ *an* offert, *hæsitavit.* Solitum enim est nostro pleraque silere, quod ultro erumpant. Tac. Ann. xv. 'non ea imperatoris mandata habere Corbulo,' scilicet, dicebat. Terent. Eunuch. 'Omnia prius experiri quam armis sapientem decet.' Subauditur, *uti.* Tac. in Agric. 'at Britanni, non virtute, sed occasione et arte ducis rati:' nempe, se victos. Ibid. 'Officiis potius non peccaturos;' intelligitur, præficere. Nunc verba explicemus. Qui pœnas suadebant, sic in adversarios invehebantur: eo jam evasimus

impunita irreverentia libertorum, ut pro despectis ab iis semper habeamur, si nobis apud vos fides non est, libertos saltem interrogare, num patronis præstent officia debita, an potius eos despiciant, et aliquando verberent: quos non pudet pro iis (a quibus sæpe impulsi et percussi) advocatos agere, et pœnas deprecari. Ceterum libertorum impotentia non tunc primum orta, sed apud antiquiores jam licenter pervagabatur. Plaut. Pers. v. 2. 57. *Saliner.* Hoc Livii verbis l. 1. explicatur: ‘ decreverunt enim quem populus Regem jussisset, id sic ratum esse, si Patres auctores fierent.’ Sic occupata a Cæsare rep. auctores fiebant senatores, atque ante populo sciscente auctorem fieri Senatum oportebat. Apud nos ut constitutiones sanctionum vim habeant, in Curia Parisiensi sunt promulgandæ, ut ea auctor fiat, *homologare* nostrates vocant. *Lupan.* Hæc ut sequentia, aut mutila aut mendosa suspicor, præsertim cum Flor. habeat: *ille an auctor.* Aliquis tamen sensus fortasse constabit. Consules sententiam Senatus perscripsere Principi, ut, si libitum ei esset, fieret constitutionis auctor. Et est frequens Tacito hic absolutus et concisus dicendi modus: ut l. XII. ‘ spectaret populus hunc decore imperatorio:’ et l. XVI. ‘ de Lepida Cæsar statueret.’ Aliquid simile lib. XIV. ‘ At Consules perficere Senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari.’ *Pichena.* Lectionem Lipsii ex parte roborat Msc. Pichenæ. Sed hæc non satis capio, *ut inter paucos:* quid enim hoc ad rem, ut auctor constitutionis fiat? deinde ex toto hoc claret rem non inter paucos actam. Omnino crediderim, &c. * *Freinshem.*

Vi ne an æquo cum patronis jure agerent] Cum hic locus sit ubique corruptissimus, operæ pretium existimavi, totam Flor. codicis lectionem fideliter referre, ut unusquisque super ea cogitare possit: nam ut ipse aliquid proferam, non est mearum virium. Muretus sic ex ingenio: *ut nec æquo cum patronis jure agerent, sed jam coram consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent impune, vel pœna sua gaudentes.* Sed et ille operam ludit, sine ope librorum. *Pichena.* Ponam primo, ut legendum arbitror; deinde rationes dabo: *frementibus ut jam æquo cum patronis jure agerent, sententiam eorum conculcarent, manus ultro intenderent, illuderentve pœnam suam dissuadentes.* Verba, *æquo cum patronis jure agerent*, sic capienda, tamquam si eodem jure, quo patroni, viverent sive essent. Id enim hic est *agere* et *æquum*, par sive idem. Deinceps voculas binas delevi, *an verberibus:* quia certum mihi, insitas esse ab imperito nebulone. Et inserendi quidem τοῦ *an* occasionem dedit corruptum verbum *consultarent.* Alterum intrusit, qui intentionem manuum non intelligebat, de qua apud Tacit. crebra mentio. Nescivit, inquam, quid esset *intendere munus:* atque ideo addidit *verberibus.* At *manus intendere* sine verberibus est, tantum initium rixæ et causa verberum. De qua re elegantissime Lipsius ad Ann. IV. Postremo *illuderent* scripsi pro *impellerent:* quia omnino Tacitus hoc, nescio tamen si illo verbo, voluit: insultare libertos patronis, et pœnam, quam statim subdit auctor, spernere, irridere, eamque in ludibrium velut dissuadere aut deprecari. Hæc scripseram, cum respexi primum ad Mureti Eclogas. Illæ referebant in hunc modum, &c. In quibus multa dissentanea sibi, sed multa, ita me dii ament, egregia. Et jam horum ope audeo dicere, eo jam perveni, ut a vero proxime unus absim. Lego itaque: *irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut non, tanquam æquo cum patronis jure, agerent, sed jam coram insultarent, manus ultro in-*

tenderent, impune, vel pœnam suam despicientes, &c. His sequentia optime hærent. Ne illa verba ejicias, *an verberibus*, possis ita: *Sed jam coram insultarent verbis, ac manus ultro intenderent.* Sed mihi ejici magis placet: causa quam supra dixi. *Acidal.* Ego quid sentiam de his verbis, quo dictum est loco, videre potes, si libet. *Gronov.*

At criminum manifestos merito ad servitutem retrahi] Vulgo, *ac criminum.* Rectius, *at*, ex Flor. et interpretor, *retrahi*, id est, retrahi debere. *Pichena.* Muretus, *At.* Sane posset etiam ita. Sed non necessario. *Acidal.*

Quos beneficia non commutavissent] Emendavimus, *mutavissent.* Rhenan.

Cap. 27. *Si separarentur libertini*] Scripsimus, *si separentur.* Rhenan.

In commune nihil derogent] Muretus, *derogarent.* Hoc fortasse melius. *Acidal.* Muretus, *derogarent:* cum ante dixerit, *expenderent.* Sed Tacitus non adeo religiosus. *Pichena.*

Cap. 28. *Comprobavere patres*] Videtur legendum, *non probavere.* Contra supra, ex *non mutassent*, factum fuit, *commutavissent.* Ursinus. Quid *comprobavere?* certamen de quo præcessit? Non videtur: ac multo verisimilius legit Muretus, *Non probavere.* Sed nec hoc satisfacit ita nude positum. Mihi diligentius inspicienti, nectendum hoc superioribus videtur, et ita scribendum: *tribunus omitti jussisset, composuere patres, incusata Antistii licentia.* Acidal. Neque hic Mureto assentior legenti, *non probavere Patres:* immo, *comprobavere*, scilicet prætoris factum. *Pichena.*

Medio tempore contradicerent] In volumine Budensi est, *Medio temporis.* Sic et l. xiv. 'Medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti.' Itaque et nos scripsimus hic, *Medio temporis.* Mox reposuimus, *Obultronium Sabinum.* Rhenan.

Cap. 29. *Dein ambitu*] Flor. *Deinde ambitu.* Pichena.

Eum primum magistratum capessentibus] Id est, magistratum quæsturæ: qui cum tantummodo ad alios magistratus adipiscendos haberetur gradus, ætatis robur in eis minime requirebatur. Quæstoria enim ætas, annus xxv. ut probat Lipsius ad Ann. l. iii. *Pichena.*

Igitur Nero prætura perfunctos] Consensus interpretum, ac Lipsii præsertim auctoritas me impulit, ut vocem, *prætura*, reponerem. Vulgo, *præfectura.* Pichena.

Cap. 30. *Veneno damnationem antevertit*] Habet exemplar scriptum, *anteiit*, quo verbo alibi quoque Tacitus utitur: ut l. iii. 'Postremo suasmet ipse spes anteire parat.' *Rhenanus.* Flor. *anteiit.* Pichena.

Aminius Rebius] Uterque chirographus dat huic prænomen *Cajus.* Vertran. Muretus notaverat, *Caninius Robilius.* Ego nihil amplius scio. *Acidal.* Addidi ex Florent. prænomen *C.* Pichena.

Inoffensa tot Imperatorum malitia fuit] Tria digna animadversione Tacitus narrat de Volusio: spatium vivendi, divitias jure partas, rationem vitæ; qua vir princeps (quod tunc mirum) tot imperatorum monstra incolumis evasit. Ergo legendum, *malitia*, non *amicitia* cum doctiss. viro, neque *militia* cum Rodolpho: quod verbi significat τὴν κακότητα, scelus, flagitium. Plaut. Rud. 'Neque is adeo propter malitiam domo caret, Sed dum alios servat, se impedivit interim.' *Inoffensa malitia:* non data sæviendi occasione tot malis imperatoribus. *Saliner.* Lipsius et Rodolphus non recte. Inserta copula scribendum, *præcipuaque opes et bonis artibus inoffensa tot imperatorum malitia fuit.* Optima et perspicua sententia. Magna certe illius felicitas, qui Taciti illud effatum Hist. i. in se verum non expertus est: 'Nobilitas, opes, omissi gestique honores, pro crimine; et ob virtutes certissimum exitium.' *Aci-*

dal. Din est quod veni defensor huic lectioni, nunc lætor partes easdem mecum tueri sagacissimum Pichenam. *Gruterus.*

Cap. 31. *Ex dignitate populi Rom. repertum*] Muretus, *repertum*, delet. Ego dubito. *Acidal.*

Quadrigeni nummi] In exemplari scripto, *quadringenti*. Rhenan. Vulgo, *quadrageni*. Lipsius restituit, *quadringeni;* Florentino ac Veneto fere consentientibus, qui habent *quadrigeni*. Pichena. Altera summa decem Philippos vel ducatones, altera unum facit. *Gronov.*

Vectigal quoque quintæ et vicesimæ] * Plura ad hoc vectigal, in Excurs. C. et quæ ad Tacitum faciunt. Vide. *Lipsius.*

Aut procurator in provincia obtineret] Restituimus locum, *qui provinciam obtineret*. Rhenan.

Cap. 32. *Factum S. C. ultioni et securitati*] Vocatur id in jure civili, S. C. Pisonianum. Cujus Paulus meminit, l. viii. D. de Sc. Silaniano. *Alciatus.*

Redditur ordini Lusius Varius] Placeret, *L. Varius.* Ursin. Muretus, *L. Varius.* Acidal.

Qui ovans se de Britannis retulit] Indefinitus sermo. Quando enim? Sed idem nec Cornelianus. Omnino credo scriptum fuisse, et legendum, *quem ovasse de Britannis retuli.* Id tamen quo libro, non memini, nec sat scio, an in his qui exstant. In vita Agricolæ meminit quidem Plautii, sed non ovationis: ‘ Consularium primus Aulus Plautius præpositus, (Britanniæ sc.) ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius.’ *Acidal.* Quasi non Virgil. Georg. iv. ‘ fessæ multa referunt se nocte minores.’ Et Æneid. vii. ‘ Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis Sæva Jovis conjux.’ Horatius Sat. i. 6. ‘ inde domum me Ad porri et ciceris refero laganique catinum.’ *Gronov.*

Ac superstitionis externæ rea] Forte Christianam pietatem intelligit: nam apparet sanctam mulierem fuisse Pomponiam Græcinam. Tacitus loquitur ut ethnicus. *Rhenan.*

Insontem pronuntiavit] Ita legendum ut in V. C. non ut vulgo, *nuntiavit.* Ursin. Cur non *pronuntiavit?* Id repone. Notavit et Muretus. *Acidal.*

Continua tristitia fuit] Perspicua et indubitata lectio. Mirum tamen, ni Tacitus, *continua tristitiæ*, scripsit: ut l. vi. ‘ Haud multo post Cocceius Nerva continuus principis,’ &c. Sed non minus elegans illud alterum: quomodo etiam lib. vi. eodem est, ‘ Ipsi fluxam senio mentem, et continuo abscessu, velut exsilium objectando.’ *Acidal.*

Per quatuordecim annos] Ita Lipsius ex historia correxit. Falso libri omnes, *quadraginta.* Pichena. Probabili admodum conjectura rescribit Criticorum primus, *quatuordecim annos:* Sed cum minime adscveret Tacitus feminam istam diem suum obiisse anno, quo et accusata et absoluta est; et interim tribuat ipsi longum ævum; nescio an emendationi huic justa aliqua insit auctoritas. *Gruter.*

Cap. 33. *Quia absolvere nequibat Cæsar, traxit sententiam donec mortem obiret*] Ita Faërnus legebat. Nam illud, *senecta*, quod est in vulgatis, mendosum videtur et sine sensu. *Ursinus.*

Insonti periculum fecissent] Latine dici *facere periculum alicui*, pro, adducere in periculum, indicat locus alter l. xvi. ‘ Fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.’ Alioqui maluissem hic legere, *facessissent pericula*, a *facesso* verbo: quemadmodum lib. i. loquitur de Romano Hispone: ‘ mox clarissimo cuique periculum facessit.’ Item Hist. iv. ‘ qui perinde dives ac eloquentia clarus, nulli unquam sub Nerone periculum facessisset.’ Quin usurpat *pecuniæ periculum facere*, pro jacturam

facere, lib. XIV. ‘ Auxitque patrum honorem statuendo, ut qui a privatis ad Senatum provocavissent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii qui imperatorem appellavere.’ *Rhen.*

CAP. 34. *Simul init consulatum*] Scripsimus, *simul iniit.* Rhenan.

Cujus Proavum oratorem] Vulgo *auctorem*, pessime. *Lipsius.*

Avitas opes] Vulgo, *habitas*, errore tralatitio. *Lipsius.*

Habitas opes] Ann. lib. II. ‘ tum quicquid habitum Neronibus et Drusis.’ Doctiss. vir. in utroque loco legit, *avitas* et *avitum*. Me vero haud pœnitet vulgatæ lectionis : quis enim mendacii me coarguat, si dicam majores ejusmodi nepotum Iros fuisse? præterea parta Germanico et Claudio (quod absurdum) non continentur hoc verbo *avitum*. Saliner.

Mollibus adhuc initiis prolatum] Restitui *prolatatum :* nam etiam alibi Tacitus hoc utitur verbo l. v. ‘ Sed ubi diem ex die prolatabant.’ Lib. XV. ‘ interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum.’ Hist. l. II. ‘ Seu domum extruere seu prolatare agros.’ Hist. l. III. ‘ Sed omnem prolatationem ut inimicam victoriæ suspectabant.’ Usurp. et Liv. Paulo post : *Ac libertate ignota illic*, malim, *illuc*. Rhenan. Forte *illud*. Lipsius.

CAP. 35. *Munia Romanorum*] Translucet ineptia lectionis hujus, quomodocunque tegatur, præsertim si componas alteram illam, quam auctori restituo, *munia armorum*. Nihil clarius. Ecce *pacem* modo nominaverat : ei quid opponit quam arma? *pace longa segnes munia armorum agerrime tolerabant.* Sic ‘ munia belli’ Hist. II. 29. Hist. III. 59. ‘ militiæ’ XV. 11. Hist. I. 48. *Freinshem.* Ita accipio, tanquam hi Romani ita exuissent segni otio et longa pace mores militiæ disciplinamque Romanæ, ut vix Romani esse viderentur. Considera sequentia. Et sic loquuntur elegantissimi auctores. Ita, *ultimi Romanorum*, post quos tamen Romani plurimi supersint, illi vocantur, qui virtutes majorum expressere. Vononem ut externum habent et expellunt Parthi, quia *Romanis artibus* infectus. Annal. II. Italum Arminii fratris filium, eadem de causa Cherusci. Annal. XI. Si hæc interpretatio adsensum non mereatur, haud dubie verissima est doctissimi amicissimique viri, Joh. Freinshemii, cujus eximias dotes nuper hic nobis propius intueri contigit, et utilissimæ in Tacitum observationes jam publice leguntur, sententia, qui pro *Romanorum*, levi mutatione et Corneliana phrasi, *armorum* reponendum arbitratur. *Boxhorn.*

Truncis brachiis reciderent] Mutavi, *reciderent*, in *deciderent.* Rhenan.

CAP. 36. *Priores adirent, prædicit*] Probum quod in Romano libro est, *priores auderent.* Vellem etiam, *edicit.* Lipsius.

Ne pugnam priores auderent] Verbum, *auderent*, reposuit Lipsius ex Vat. Idem annuit Flor. in quo legitur, *audirent.* Male vulgo, *adirent.* Pichena.

Curam præsidiorum Pactio Orphito primipili honore perfuncto mandat] *Pactius* insolitum Romanis vocabulum. Muretus mutat, *P. Attio Orphito :* et paulo post item, ubi *increpitumque Pactium*, legit, *P. Attium.* Hæreo, et nec hoc admittere, nec vulgatum ferre possum. *Acidal. Paccii* et *Paccie* satis frequentes in vetustis lapidibus. *Gronov.*

Tendere omnes extra vallum] Quod pœnæ militaris genus antiquum. Livius l. X. ‘ Cohortes quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destituit.’ Valerius II. 7. ‘ Neve quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet.’ Vide et Polyb. l. VI. Sed proprie de hac ipsa re, sic Frontinus Stratagem. IV. ‘ Domitius

Corbulo in Armenia duas alas et tres cohortes, quæ ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum jussit tendere.' *Lipsius.*

Inque ea contumelia detenti] Credo Tacitum scripsisse, *Dinque ea* (in) *contumelia detenti.* Acidal.

Cap. 37. *Plura fama quam pugna exterrere*] Codex Budensis habet, *extrahere;* ut de tempore sit intelligendum: et præcedit, *eludere huc et illuc volitans.* Itaque castigavi locum. *Rhenan.* Sincera mihi sunt, quæ inter maculosa a doctiss. viro censentur: quid sit *extrahere plura fama quam pugna*, non e tenebris eruendum. Fixum Tiridati sese non dare in casum pugnæ, et vis Romana tamen erat ab Armeniis suarum partium prohibenda: itaque ut sic eos saltem juvaret, usurpat, quod olim factum Jugurthæ. Sallust. *neque prælium facere neque ocium pati:* quodque Tacfarinati Tacitus Ann. l. IV. 'spargit bellum, ubi instaretur, celeris, ac rursum in terga remeans:' quamobrem dando famæ se prælio adfuturum, sæpius milites Romanos e castris eduxit, quam accinctis pugnæ copiam fecit. Hæc his firmantur: 'igitur Corbulo quæsito din prælio frustra habitus.' Τὸ *plura*, adverbii vice, ut 'arguitur pleraque Caium Cæsarem quasi incestæ virilitatis.' Et ut Thucyd. lib. III. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἐβοήθουν ἡμῖν ἐναντία Θηβαίοις: i. illi autem nobis auxiliabantur adversa Thebanis: adversa vice adverbii. *Saliner.* Antea, *extrahere*, quod ex Budensi libro reposuerat Rhenanus. At Flor. et alii antiquiores habent, *exterrere*, ac Lipsio magis probatur. *Pichena.* Optime Lipsius: *hucque et illuc volitans, plura fama quam pugna exterrere.* Sic l. XV. 'arctis itineribus, hucque et illuc flexis.' Nam in illo *extrahere* nihil sani sensus, quicquid conetur Salinerius. *Gronov.*

Proditore suo] Scribo, *sui.* Lips.

Quasi proditore sui] Vox, *sui*, aut *suo*, ut in nonnullis, a Flor. abest. *Pichena.*

Tuncque primum illecti Insechi] Consentit cum Vat. noster in voce, *Insechi.* Vulgo, *Isichi.* Restitui etiam ex Flor. copulam, *tuncque:* nam in vulgatis interciderat. *Pichen.*

Ante alias socia] Nostro scilicet tempore socii et fidi super alios: etsi tunc illecti. Ita possis capere, fateor: nec displicet tamen meum vetus: *gens haut alias.* Lipsius.

Gens ante alias socia Romanis, avia Armeniæ incursavit] Non de nihilo doctiss. vir emendavit: *gens haud alias socia:* nam qui ante socii, si tum primum in societatem asciti? Verum ne quid inexpertum relinquam facillime credam hæc eo dicta fuisse, quod Isichi, qui tunc primum allecti in Romanorum societatem, munia sociorum curatius et promtius præstarent, quam cæteri, qui in eodem tractu Romanam amicitiam colebant. *Socia*, quæ serio socios juvabat, ut non vere consul, qui reip. non consulebat, 'quasi aut legibus cum Silio agcretur, aut Varro consul aut illud respub. esset.' *Salinerius.* Lectio hæc, *gens ante alias socia Romanis*, omnium librorum consensu confirmatur. Lipsius mutavit. Nam, ait ille, si tunc primum illecti, ergo non socii ante alios: neque ego judicium ejus improbo. Tamen subsistere videtur prisca lectio, si intelligamus, Tacitum loqui de suo sæculo, dum ait, Insechorum gentem fuisse sociam Romanis ante alias: at tunc, scilicet historiæ illius tempore, societatis et amicitiæ principium. Quod confirmare videntur verba, *tuncque primum illecti:* quæ indicant, eos sequentibus etiam temporibus sæpe adfuisse Romanis, atque in eorum societate et amicitia constanter perseveravisse, ante alios illius regionis populos. *Pichena.*

Ita consilia Tiridati in contrarium vertebantur] Muret. *vertebant.* Acid.

Quia causa quam vi agere mallent] Scripsi, *mallent*, auctore Florentino: nam de duobus, scil. Vologese, ac Tiridate intelligitur. Vulgo, *mallet*. Pichena.

Sæpius clade Romana expertam] Muretus inserit, *Sæpius jam clade R. expertam*. Acidalius. Ex Flor. addidi particulam, *jam*. Pichena.

Cap. 38. *Nihil in summa pacis proficiebatur*] Faërnus rectissime, ut opinor, legebat: *Nihil in summam pacis, &c.* Ursinus. Lego, *in summam pacis*. Notavit *in summam* Muretus quoque sed τὸ *pacis* idem delevit. Male. *Acidalius*.

Majorem afferri] Danesius legebat *offerri*. Ursinus. Lego, *offerri*. Acidalius. Si me audis scribe: *et hinc majorem ferri* hoc est, permitti, concedi, tolerari. *Gronovius*.

Ut dolus patraretur] Mihi magis arridet, quod in Codice Budensi legitur, *ut dolus pararetur*. Rhenanus. Vulgati, *patrarctur;* et utrique verbo sensus. Sed Florentinum sum secutus. Sic l. VI. 'tanquam dolus pararetur.' Lib. XIV. 'qui specie amicitiæ dolum parabant.' *Pichena*.

Nam equiti sagittarum usu exercito] Non erat hic opus adjicere particulam *nam*, quæ non est in exemplari scripto. *Rhenanus*.

Dissimulato tamen intellectu] Ad Taciti phrasim magis, *intellecta*. Lips.

Dissimulato tamen intellectu] Bene et recte Lipsius *intellecta*, uti quoque Muretus. Sed ego singulari numero malim, *intellectum*. Acidalius.

Cap. 39. *Cognomento vallandum*] In exemplari scripto legitur *volandum*, tamquam id sit castelli cognomentum. *Rhenanus*.

Isteo Capitoni castrorum præfecto mandat] De nomine *Istco* Lipsius disputat. Muretus notavit *Attcio*. Acidalius. In Florent. *Insteio Capitoni* scribitur et Lipsius ait ita appellari in lapidibus. Vulgo, *Isteo Capitoni*. Pichena.

Cap. 40. *Dato die prælium incipere*] Suspicor legendum, *claro die*. Subintelligendum est enim ante lucem exercitum a Tiridate motum. Sic paulo infra: 'propinquis jam tenebris abscessit.' Tamen vulgatam lectionem fero. Ann. l. IV. 'datoque tempore, vel in senatu, vel in concione non reticebo.' *Pichena*.

Sinistro sexta inscdebat] Castigavi, *incedebat*. Rhenanus.

In cornibus pedes sagittarius] Muretus, *pedes sagittariusque, &c.* Credo verius omnino. *Acidalius*. Muretus legit, *pedes sagittariique*. Pichena.

Productiore cornu] Scripsi, *productior cornu*. Rhenanus. Emendavit Lipsius, *productiore cornuum sinistro*. Vulgo, *productior cornu in sinistro*. Nonnihil etiam juvat Florentinus, qui habet: *productiore corn' in sinistro*. Simili fere modo, lib. XI. 'ceteras navium, ut quæque habiles, per æstuaria et fossas adegit.' *Pichena*.

Diversos consectari posset] In exemplari scripto scriptum *diversa:* nec magnopere refert, utro modo legas. *Diversum* usurpat pro *diviso*. Sic et alibi. *Rhenanus*.

Cap. 41. *Nam cuncta extra tecta hactenus sole illustria fuere*] Locus certo corruptus. Sed cui Lipsii medicina nihil subvenit. Ego audacter scribam, *Nam cuncta Artaxatis tenus sole illustria fuere*. Si exemplum meminissem præpositionis *tenus* cum casu accusandi, facilius fieret ex literarum ductu, *Artaxata tenus*. Omnino autem ex interpolato urbis hoc nomine nata illa *extra tecta*. Acidalius. Indicavit lectionem et distinctionem hanc, *Nam cuncta extra, tectis hactenus, sole illustria fuere*, Florentinus, in quo legitur, *tectis*. Male vulgo, *extra tecta*. Pichena.

Quis divina colerent] Reposui, *colerentur*. Item paulo post, *An gravius existimandum*. Rhenanus.

Cap. 42. *Livere iis*] Probavi verbum, *livere*, in Flor. repertum. Non

male etiam vulgo, *invidere*. Pichena. *Apuleio alibi et Petronio, item Martiali x. 12. 'Livebitque tuis pallida turba genis :' videantur ibidem notæ nostræ. *Gruterus*.

Illum domus ejus adulterum fuisse] Suilius exprobrat Senecæ, quod cum Agrippina Germanici filia, matrequc Neronis, rem habuerit : qua de re tandem Seneca reus factus est, ait Xiphilinus in Nerone. *Vertranius*.

Olim partam] Ex aliis libris liceat, *diu partam*. Lipsius.

Quam veterem ac olim partam dignationem] Quid si legas ? *Quam veterem adeo partam dignationem subitæ felicitati submittere*. Rhenanus. Faërnus legebat: *atque olim partam, &c.* et ita est in V. C. *Ursinus*.

Felicitati submittere] Lege, *submitteret*. Lipsius.

Cap. 43. *Aut versa*] Hæ duæ dictiones non sunt in codice Budensi, qui sic habet: *Nec deerant qui hæc iisdem verbis in deterius Senecæ deferrent*. Nec erat opus veterem lectionem hic interpolare. *Rhenanus*.

Inquisitionem annuam impetraverant] Vulgatis emendatior Florentinus. Illi, *impetraverat ;* ut ad reum Suilium referatur : at hic, *impetraverant*, de accusatoribus verius intelligens : qui idoneis testibus adhuc non instructi, impetravernnt annuam inquisitionem, ut in Asiam mitterent. Sed quoniam prolatio nimis longa videbatur iis, qui Suilium pervertere statim cupiebant, snaserunt accusatoribus, ut a suburbanis criminibus inciperent, quorum obvii testes Asiatica differrent. Confirmari videtur hic sensus infra eodem lib. 'Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque tempus evocandorum testium, reus illico defendi postulabat.' *Pichena*.

Neminem alium electum] Flor. *delectum*. Pichena.

Cap. 44. *Octavius contra modo conqueri*] In codice Budensi tantum est, *Octavius contra conqueri*. Rhenanus.

Libidine sepositа] Malim *libidini sepositа*. Rhenanus. Lego, *libidini*. Acidalius. Imo *libidini sepositа*. Agnosces Taciti lectionem tritus in eo lector. *Grotius*.

Injurias ultum esse] Mallem, *ultum isse*. Lipsius.

Commoveratque] Assuit quisquam, *que*, particulam. Quum in codice Budensi legatur tantum, *commoverat quosdam*. Rhenanus.

Lege Cornelia de sicariis condemnatur] Scripti codicis lectio ; *Lege de sicariis condemnatur*. Arbitror, additam dictionem e margine receptam in contextum, alibi tamen addit. *Rhenanus*.

Cap. 45. *Magnorum Reip. malorum initium fecit*] Scripsi, *magnorum*, ex Flor. Vulgo, *majorum*. Pichena.

T. Ollio patre] E Farnes. Lipsius ad marginem notavit *Ellio*. Muretus notaverat suo in libro *T. Ælio*. Acid.

Mulieri cuncta alia fuere] Forte *affuere*. Paulo post scripsimus, *potentiam ei adjiceret*. Rhenanus.

Nec absurdum ingenium, modestiam præferre] Ita aptius distinximus. Conjunctim antea, *nec absurdum ingenium modestiam præferre*. Pichena. Interpunge, *Sermo comis, nec absurdum ingenium ; modestiam præferre, et lascivia uti*. Acidalius.

Satiaret aspectum] Malo, *aspectu*. Acidalius. Hieronymus ad Marcellam : 'Quando in publico quasi per verecundiam, operit faciem, lupanarium arte id solum ostendit, quod ostensum magis placere potest.' *Aurelius*.

Cap. 46. *Otho sive amore incautus, laudare formam elegantiamque uxoris, sive ut accenderet, &c.*] Luxata orationis membra plane credo, et sic restituenda trajectione : *Otho, sive amore incautus sive ut accenderet, ac s. e. f. p. i. q. v. p. e. adjiceret, laudare f. e. uxoris apud principem*. Acidalius.

Ibi concessam dictitans nobilitatem] Volumen Matthiæ Corvini; *Ubi con-*

cessam dictitaret nobil. Legerim: *Ubi concessam dictitarent nobilitatem atque pulchritudinem:* nam connectentes particulas sæpe Tacitus omittit. *Rhenanus.* Corvinianus liber, *ubi concess. dictitaret.* Legerim, *ubi condictitarent.* Vertranius. Videtur legendum, *sibi concessam dictitans nobilitatem.* Ursinus. Τὸ *ibi*, id est, domi, quasi dicat, Illam nunc adeo, et ibi fruor femina, qua nulla nunc pulcrior neque nobilior. Cæterum glaucomam ob oculos suspicor habere; nam videre haud potis sum, quidnam impellerit eruditiss. virum ad hæc emendanda. *Dictitans* enim aptissime dicitur de Othone, qui uxorius, eoque frequens erat in uxoris mentione, præsertim ut accenderet animum Neronis. *Nobilitatem, pulchritudinem* κατὰ τὴν αὔξησιν pro femina pulcra et nobili. Curt. l. VI. 'Incidimus in superbiam, nec diis, quibus se exæquat, nec hominibus quibus se eximit tolerabilem.' De Alexandro superbo. Antiphil. l. I. Anthol. Ἄμφω μὲν πηροὶ, καὶ ἀλήμονες, ἄλλ' ὁ μὲν ὄψεις, Ὅς δὲ βάσεις, ἄλλου δ' ἄλλος ὑπηρεσίη· i. Ambo læsi, et mendici: hic visus, hic incessus, alter alterius ministerium. Noster Ann. lib. IV. 'receutem Liviæ conscientiam exagitare, ut superbiam fecunditate subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Cæsarem argueret:' quam tenuius si dixisset *ut Agrippinam superbam.* Vel *ibi* scil. in *Poppæa.* Liv. l. IV. 'Itaque sc dictatorem L. Quintium dicturum, ibi animum parem tantæ potestati esse.' Noster: 'illum animo et cultu magnificum, ibi se summa fortuna digno visere.' *Salinerius.* Corruptum hoc. Lipsius varie tentat. Mihi liquet τὸ *dictitans* e turpi glossemate esse; quo sublato, et quia in Budensi codice non *sibi* vel *ibi*, sed *ubi*, hinc *uni*, rescripto (quæ eadem menda sup. hoc lib.) puto locum persanari: *se ire ad illam: uni concessam nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium.* Acidalius. Lipsius mendum hic notat, quod ego non sentio: subintelligitur enim, *concessam* a Diis, vel a propitia sorte. *Pichena.*

Vota omnium, gaudia felicium] Inscriptio vetus apud Gruterum pag. DCXXXVII. *quod. omnes. rogant. sed. felices. impetrant.* Gronovius.

Accepto aditu] Scribendum est fortasse, ut est in vulgatis, *hac cepto aditu.* Ursinus. Muretus videtur voluisse (nam scriptura non plane liquet) *Sed hoc cæpto aditu.* Ego malim, *Sed oceæpto*, vel simpliciter, *sed cæpto aditu.* Etiam *capto aditu* scribi poterat. *Acidalius.*

Genus vitæ, quod nemo] Quasi recordaretur de Antonii et Cleopatræ fabulis, quod significat Plutarchus: Αὐτοὶ δὲ τὴν μὲν τῶν Ἀμιμητοβίων ἐκείνην σύνοδον κατέλυσαν· ἑτέραν δὲ συνέταξαν, οὐδέν τι λειπομένην ἐκείνης ἁβρότητι καὶ τρυφαῖς καὶ πολυτελείαις, ἣν Συναποθανουμένων ἐκάλουν. Scholiastes vetus Juvenalis ad Sat. II. vs. 99. 'Hunc incomparabilis vitæ bello civili Vitellius vicit apud Bedriacum.' *Gronovius.*

Summa fortuna dignam visere] Lego; *summa fortuna digna visere.* Rhenanus. In V. C. est *videri* pro *visere.* Faërnus tamen retinebat verbum, *visere*, et pro *digna*, legebat *dignam.* Ursinus.

Potestatis temperantior] Liber Pontificalis habet *egestatis temp.* et melius. *Vertranius.*

CAP. 47. *A Tiberio usque*] Vatic. *Tiberio avousque:* ex quo feccrim, *Tiberio abusque*, deleta priore præpositione. *Lipsius.*

Per juvenilem licentiam] Petron. 'juvenili impulsi licentia.' *Pichena.*

Maximeque despecta] Exciderat in vulgatis copula, *que:* nos ex Florentin. restituimus. *Pichena.*

CAP. 48. *Quas diversas senatorius ordo*] A Flor. abest vocabulum *Senatorius.* Judicent alii, an sit delendum. *Pichena.*

Cap. 49. *Præbuissetque materiem*] Ita Flor. Vulgo, *materiam*. Pichena.

Quibusque aliis Romana] Insero vocem, *res Romana continetur*. Sequentia emendavi, distinxi, sublata confusione, quæ in libris. *Lipsius.*

Quibusque aliis Romana continentur] Apparet ex scripto lib. legendum, *continerentur*. Rhenanus.

Suadere dissuadere licere patribus] Emendavimus: *Suadere dissuadereve licere patribus*. Rhenanus.

Relationem in ea postulare] * quo scil. uti Senator uteretur. Hoc de Vespasiani imperio æs incisum edocet, quale nos Romæ in Lateranensi legimus: 'Utque ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatusconsulta per relationem discessionemque facere liceat: ita uti licuit divo Aug. Ti. Julio Cæsari Aug. Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico.' Sed postulat hic locus (ut et hoc unum addam) fuisse meritissimos de Rep. principes, quibus honoris virtutisque causa daret Senatus, *jus tertiæ*, sed et *quintæ relationis:* id est, quo eorum sententia tribus, aut quinque senatorum relationibus sententiisve æquipolleret. De illo in historia Probi Vopiscus refert hæc verba: 'Addo proconsulare imperium, patris patriæ reverentiam, pontificatum maximum, jus tertiæ relationis, et tribuniciam potestatem.' Sic apud Ælium Lampridium Alexander Augustum nomen accepit, addito eo, 'ut et patris patriæ nomen, et jus proconsulare, et tribuniciam potestatem, et jus quintæ relationis, deferente Senatu uno die assumeret.' Hæc vero in tam multa contuli de industria, eoque libentius, quod Alciati jam pridem explosa, Zasii probabilior sententia non videatur, qui *jus relationis quintæ*, potestatem quinquies super re judicata ad senatum referendi, præjudiciis nihil obstantibus, existimavit. De conjecturis nostris et aliorum, judicabit posteritas. *Vertranius.*

Quam si non Nero] Lego, *quasi non Nero.* Ita enim usitatum, etsi *quasi* compositum ex *quam si.* Acidal.

Quæ si summa dissimulatione transmitterentur] Legam omnino ut et Muretus, *quod si summa dissimul. Summa inanibus* opponit; ne *summam dissimulationem* accipias. *Acidal.*

Cap. 50. *Sed impetum ejus attinuere Senatores*] Cum ita exstet in Mss. et editis omnib. putarem minime necesse esse *Senatores* permutare voce *seniorum:* nam, non solum quibus grandis ætas, hæc ipsa docere poterat Neronem, sed vel aliquis junior. Auribus tamen blandiretur magis, *attinuit Senatus*, ut mentem suam aperuerit senatui, cum spe futurum, ut approbaret: quod secus fuit. *Gruterus.*

Sublatis portoriis, sequens ut tributorum abolitio expostularetur] Muretus vult *sequi.* Acidalius.

Plerasque vectigalium societates] Malim, *necessitates.* Sic enim l. 1. legitur: 'Quantum civium, sociorum, in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones.' *Rhenanus. Socios* vectigalis Ulpianus appellat eos, qui una conduxerunt: *Societates* ergo vectigalium dicuntur de iis, qui vectigal conductum habent, ut *societates publicanorum*, quas ἑταιρίας Græci dixere. Sed Coss. Tribunive pl. non constituerunt eorum ordinem, qui vectigalia publica simul elocarent: ideoque legi hoc loco non potest, *vectigalium societates a cons. et trib. pl. constitutas.* Beatus malit, *vectigalium necessitates*, pro iis quæ necessario essent eroganda, quod aptius videtur. *Vertranius.* Muretus mutat, *vectigalium necessitates.* Vere. *Acidalius.*

Acri etiam populi Rom. libertate] Particulam *tum* hic addidimus: *acri etiam populi Rom. tum libertate.* Rhenanus. Videtur venustior lectio veteris libri, quæ est, *acri etiam tum populi Ro. libertate.* Ursinus. Muretus transponit, *acri etiam tum pop. Ro. libertate.* Vere. *Acidalius.*

Necessitas irrogationum] Correxi lo-

cum: *necessitas erogationum.* Rhenanus. Muretus falso legit, *irrogationum.* Acidalius.

Noris acerbitatibus ad invidiam verterent] An, ne publicani verterent ad invidiam, tot per annos tolerata? Potius interpretor, *tolerata*, primo casu, ac *verterent*, pro, verterentur, ut mos Tacito frequens. *Pichena.*

Cap. 51. *Ut leges cujusque publici*] Intelligit cujusque communis sive civitatis: ejus tamen abusive *publicum* dicitur. Sola enim *publica* dicta sunt, quæ populi Ro. sunt, ait Ulpianus. Unde principio, qui vectigal pop. Romani conductum haberet, *publicanus* dictus: quod *publica* appellatio in compluribus casis pop. Romanum respiciat, cæteræ civitates loco privatorum habeantur: ex Caio refertur in Digestis de verb. sig. l. XVI. *Vertranius.* Vir alioquin oculatiss. toto (ut aiunt) cœlo aberravit: nam *immodestiam publicanorum pop. Rom. arguebat*, ut inquit Tacitus, non provinciæ exteræ, civitatesve sociæ, aut vectigales pop. Rom. Quamobrem per *publicum* intelligendum *vectigal*, uti babemus apud Jurisc. l. XXXIV. D. Ex quibus causis major. Quin imo vectigalia absolute *publica* vocantur, l. I. §. 1. de public. Et, *publicorum conductores*, observamus in l. XXXIII. D. pro soc. Cic. et ipse Ep. I. ad Q. Fr. ait: 'Ut et publicanis satisfacias, præsertim publicis male redemptis.' Idem de provinc. Cons. 'An qui frui publico non potuit, hic ligetur ipsa lege censoria?' Addamus Quintilianum decl. 340. 'Ego non ea voluntate feci, ut hic liber esset, sed ut publica non solveret.' Et decl. 341. 'Ante omnia nulla lege comprehensum est, ut alienam rem non profiteri liceret; alioquin publicum eversum est.' Suetou. Cal. 40. 'Additumque ad caput legis, ut teneretur publico, qui meretricium fecisset.' Horatius Epist. I. 'Pars hominum gestit conducere publica.' Hinc vectigalium et publicorum conductores *Publicani* dicti Sueton. Vesp. I. et passim omnibus. Itaque per *publicum* hoc in loco interpretandum vectigal conjusconque generis: et erit sensus verborum Taciti, quod quum publicani immoderate vectigalia exigerent, legibus quibusdam jam in desuetudinem profectis innixi, eas in novum usum retrahentes suo commodo et populi Ro. dispendio; Nero cujusque vectigalis leges ad id usque tempus occultas proscribi et aboleri voluit, sicque populi iudemnitati consultum, ac illius crebris flagitationibus satisfactum; sanciens adhæc, ne publicani omissas petitiones ultra annum resumerent, hoc est, ne vectigal, quod sibi deberi dicerent, a die prætensæ exactionis post annum petere et exigere possent. *Marcellus Donatus.* Quid apertius? et tamen M. Donatus interpretatur, *abolerentur:* cum debuisset, *publice, unde de plano legi possent, proponerentur.* Consulatur Suetonius Calig. 41. nimirum omnes homines sumus. *Gruterus.*

Et quæ alia ex auctionibus illicitis] Reposuimus; *et quæ alia exactionibus illicitis.* Daudi casu. *Rhenanus.*

Frumenti subvectio] * e Taciti Agricola disces. 'Emere,' inquit, 'ultro frumenta, et vendere cogebantur. Devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferreut: donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.' *Lipsius.*

Cap. 52. *Qui proconsulare imperium illic habuerunt*] Scripsi, *habuerant.* Rhenanus.

Quorum ambitu evaserat] Faërnus legebat; *quorum impetum evaserat.* Ursinus. Quis putaret aliquem his offendi posse? adeo plana sunt et proclivia: et tamen Faërnus legebat, *quorum impetum evaserat.* Omnino bene, si de adversariis sermo esset, et non potius de advocatis Silvani.

Deridet enim vanitatem, &c.* *Gruter.*

Cap. 53. *Ante tres et sexaginta annos*] Muretus, *tres et quadraginta.* Acidalius.

Mosellamque atque Ararim] Scripsimus *Mosellam atque Ararim.* Mox est illic, *itineris*, pro, *itinerum.* Rhenanus.

In Rhenum, exin Oceanum decurrerent] Legendum puto, *in Rhenum, et in Oceanum.* Pichena.

Helias Gracilis] In scripto *Gracchus.* Vertranius. Muretus, *A. Gracchus.*

Deterrendo Vetere] Malim *Veterem:* exemplar scriptum habuit, *Veteres.* Rhenanus. Trajectio etiam hic sine dubio est. Legas, *deterrendo Veterem: formidolosum id imperatori dictitans, ne legiones alienæ provinciæ inferret, studiaque Galliarum affectaret: quomodo plerunque proh. c. honesti.* Acidalius.

In studiaque Galliarum affectaret] Et hic malim legere; *ne legiones alienæ provinciæ inferret, studiaque Galliarum affectaret:* nisi quis potius arbitretur scribendum, *incustoditaque Galliarum aff.* Rhenanus. Beatus hinc præpositionem demit, et recte. *Vertranius.*

Quo plerunque prohiberentur conatus honesti] Non sperno, sed suspicor legendum, *quomodo:* nam in vett. libris aliquando scribitur una tantum litera, q°. ut facilis fuerit error. *Pichena.*

Cap. 54. *In qua tum Germani regnabant*] Florentinus codex, *in quantum Germani;* optime: id est, Quatenus Germanis quidem est regnum, qui in semilibertate. *Lipsius.*

In qua tam Germanici regnabant] Legendum forte *nutu Germanici:* aut, *jussa Germanici.* Rhenanus. Alias *Germani.* Ferrettus. Legere *Germanici nuta*, vel *jussu*, quod ille tentavit, non est tutum: siquidem multo post necem Germanici, Frisii transrhenanus populus, pacem exuerant, Junio Silano Silio Nerva coss. supra l. v. Quare magis placet scriptum, *Germani*, quasi diceret, in Frisia non Romani, sed Germani regnabant. *Vertranius.* Majores et minores Frisii erant inter Germanos: cui rei ergo dicitur Germanos fuisse Reges Frisiorum? credo id factum, quod aliud sub Tiberio in usu, tunc enim permittebantur primoribus centurionum. Ann. IV. 'donec Olennius, e primipilaribus regendis Frisiis impositus,' donec Romanorum avaritia coacti et pacem et imperium exuerunt, non tamen sine multa tum strage dominorum: 'Clarum inde inter Germanos Frisiorum nomen, dissimulante Tiberio damna.' Nec mihi objicias, Corbulonem ultum isse injurias; remque publicam eorum composuisse. 'Et natio Frisiorum post rebellionem clade L. Apronii cœptam, infensa, aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos: idem senatum, magistratus, leges imposuit:' indigenas enim par est eum præfecisse, e quibus Verritus et Malorix in seditione duces, sive reges. *Salinerius.* Frisiorum gens semper fuit liberrima; nisi quod Romanorum jugo aliquamdiu pressa. Malim igitur sic legere: *qui nationem eam regebant, in qua tum Germani rebellabant;* hoc quippe a Frisiis factum, satis aperte atque clare clamat præsens historia. *Cluverius.* Lipsius tentat, sed majoris vitii suspectum locum habet. Vere. Non sanavit ille ulcus, et majus vitium latet: sed quod nos tamen facile hac emendatione pellimus; *qui in nationem eam tum Germani regnabant.* Reliqua verba, quæ circumcidi, ex glossis et deinde ex hæsitatione librariorum nata. Vult omnino eos fratres imperitasse, ei nationi. Frisios dicit l. XI. 'Advenæ in nos regnaverunt.' *Acidalius.*

Jamque fixerant domos] Castigavimus indidem; *Jamque finxerant domos.* Sic in lib. de Germanis: 'Quia et domos fingunt, et scuta gestant.' Mox est in exemplari scripto; *Atque patrium solum exercebant.* Rhenanus.

Immo *fixerant*, id est, posuerant, collocaverant. Juvenal. Sat. III. 'Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis Destinet.' *Gronovius.*

Dubius Avitus] Labor ut scribam, *Vibius Avitus*, inducente me Plinio, qui Neronis temporibus præsedisse Galliæ Germaniæque inferiori Vibium Avitum significat lib. XXXIV. 7. 'Statuam Arvernorum cum faceret, provinciæ Vibio Avito præsidente.' Antea suspicabar de Didio: fallebar. *Lipsius.*

Cum Dubius Avitus] Recte a doctis viris emendatum est, *Vibius Avitus*, nam ita in Ms. etiam libro. *Ursinus.* Immo male: nam et apud Plinium l. XXXIV. 7. optimæ membranæ, *Dubio Avito:* non *Vibio.* Gronovius.

Nisi abscederent Frisii veteres in locos] Deleo vocem, *Frisii*, quæ glossema, nulli hic usui. Per se enim clarum, de his intelligendum. *Acidalius.*

Armis aut fide ante Germanos esse] Reposuimus, *armis aut fide.* Rhenanus.

Degrediunturque, et inter patres considunt] Ita Flor. Vulgo, *digrediunturque.* Ex altioribus enim gradibus ad inferiores descendendum erat, ut inter Patres considerent. *Pichena.*

Bona æmulatio] Libri aliquot, *æmulatione:* ex quibus junctim tunc scribam, *quasi impetus antiqui et boni æmulatione:* et sane sic fuit. *Lipsius.*

Et bona æmulatione] Non dubito, quin Tacitus scripserit, *bonæ æmulutio*, contra librario *ne* syllabam a proxima dictione *Nero* perperam mutuante; proinde scripsimus: *Quod comiter a visentibus acceptum; quasi impetus antiqui, et bona æmulatio. Nero viritate Ro.* Rhenanus. Videntur restituenda verba illa ex usu sermonis historici: *quasi impetus antiqui, et boni æmulatio:* ut *antiqui* et *boni* substantive ponantur. Sic Terentius, 'antiquum obtinet.' *Muretus. Impetus* est repentinus animi ex honesto motus. Ut hoc libro: 'Sed impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere seniores.' *Antiquum*, quod quodammodo excedit modum sæculi, et antiquitati laudatæ par est. *Æmulatio* autem *bona*, ut alibi *prava.* Sic igitur accipe: *quasi* quod esset *impetus antiqui et bona æmulatione* fieret. *Gronovius.*

CAP. 55. *Stipendia meruisse, quinquaginta annorum obsequia. Id quoque*] Lego, *st. meruisse: quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere.* Acidalius. Addit Flor. *et quinquaginta.* Pichena.

Quotam partem campi] Forte, *Quo tantam*, aut, *quo eam.* Vulgatam etiam tolero, et capio. *Lipsius.*

Quotum partem campi jacere] Nos totum ita rescribimus ad veram sententiam: *Quotam partem campi jacere, e qua non pecora et armentu militum alimentis mitterentur? Saturarent sane receptis gregibus tot hominum* (et forte *interminam*) *famem; modo ne vastitatem et solitudinem m. q. u. populos.* Acidalius. Faërnus et Danesius legebant: *Servarent sane receptos gregibus inter hominum famem.* Ursinus. *Servurent s. receptos gregibus inter hominum famam.* Hæc undequaque pura sunt: agri a Frisiis occupati, prius fuerant militibus attributi: qui minimam eorum partem (reliquo neglecto) pecoribus et armentis destinaverant: finc Bojocalus ut usurpata retineret, ita contendit: Major agrorum pars unde nos exigitis, nunquam fuit a gregibus depasta: proinde nos iis deturbari, nec æquum est, nec vobis utile: non deprecor tamen, quin eam partem restituamus, in quam homines recordentur ullo unquam tempore pecora militum fuisse transmissa. *Receptos*, hoc est, exceptos, passim apud JCtos. Plaut. Trinumm. 'posticulum hac recepit quum ædes vendidit.' Gell. XVII. 6. 'Quando mulier marito dotem dabat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neque ad virum transmittebat, ea recipere dicebatur.' *Saline-*

rius. Corruptus videtur locus, nec juvant libri vet. tentavi tamen, an defendi posset, hoc sensu: *Servarent Romani campos receptos*, id est, sepositos pro gregibus: at servarent etiam *hominum famam*, ne scil. palam fiat meliori conditione esse bestias, quam homines, cum his desit terra in qua vivant, illis vero supersit. Sed non satis mihi facit. *Pichena.* Dubitatum de voce *receptos*, mutaturque in *exceptos*; non necessario: nam *recipere*, idem etiam notare quod *excipere*, docui pluribus ad Plautum meum in Suspicionibus. Ceterum optime *famam* migrabit in *famem*, ut placitum Lipsio. *Gruterus.* Plurimos exercuit hic locus. Lego; *Servarent sane receptos gregibus*, scil. agros, *inter homines tamen; modo ne, &c.* modica ac prope nulla mutatione, sententia aperta, phrasi Corneliana. Cl. Gronovius, *inter hominum famam*, legit, et erudite tuetur in Observ. ac *famam hominum*, ipsos homines interpretatur. Judicent docti, quorum arbitrio ista permittuntur. *Boxhornius.*

Servarent sane receptos] Scriberem, *exceptos*, et *famem*. Lipsius.

Sicut cælum Diis] Flor. *Sicuti*. Plurima nimis levia consequor; cuicunque tamen ea negligere in integro est, tamquam si monita non fuissent. *Pichena.*

Quæ sunt vacuæ] Emendavimus, *quæque vacuæ sint*. Rhenanus. Addunt vulgati: *sint*. Sed id verbum abstulimus Florent. auctoritate, nec necessarium, nec Taciti more. *Pichena.* Suspicor edidisse Tacitum: *quasque vacuas, eas publicas esse:* et hoc exemplum addendum iis, quæ notavimus Observ. II. 14. *Gronovius.*

Solem inde respiciens] In exemplari scripto legitur: *Solem deinde dispicieus.* Legerim; *Solem dein aspiciens.* Infra est, *quam se paterentur*. Rhenanus. Cum turbent manu exarati cod. in *respiciens*, fere est, ut eam voculam pronunciem, una cum altera *vocans*, suppositam a glossarchis. *Gruterus.*

CAP. 56. *Patienda meliorum imperia*] Sana omnino omnia, si distinctionem mutes, *patienda meliorum imperia, id Diis, &c.* Et subintelligas *respondit*, quod hic non statim auctor addidit, sed paullo post subjecit: 'Hæc in publicum Ansibariis respondit.' *Acidalius.*

Deesse nobis terra viva, in qua moriamur] Hunc locum non solum in vulgatis editionibus, verum etiam in Ms. volumine depravatum ac mutilum, sic audacter restitui meum secutus judicium: *Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest;* id verbum, in priori parte etiam subauditur. *Rhenanus.* Prorsus similis locutio supra, fine l. XII. 'Agrippina, quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.' Nam et ibi deesse videtur, *quibat*. Itaque nihil mutaverim. Simile est Hist. I. 'Et pacis artibus, belli inexpertus.' *Mercerus.* Eruditiss. vir hanc lectionem fovet. Verum si Phalereum consuluisset, non bis *τὸ potest* hic desiderasset. Σὺ δ' αὐτὸν καὶ ζῶντα ἔλεγες κακῶς, καὶ νῦν θανόντα γράφεις κακῶς: i. *Tu de illo vivo dicebas male, et nunc de mortuo scribis male.* Verba sunt alicujus scriptoris, ad quæ sic ille: χρῆσις δὲ τῶν τοιούτων κώλων ἐπισφαλὴς, οὔτε γὰρ δεινῶς λέγοντι ἐπιτήδεια· ἐκλύει γὰρ τὴν δεινότητα ἡ περὶ αὐτὰ τερθρεία καὶ φροντίς: h. e. *usus horum membrorum lubricus est, non enim aptus est acriter dicenti: nam nimia circa ejusmodi cura, dissolvit gravitatem.* Salinerius. Rhenanus emendavit, sed conjectura: nam libri omnes depravati. Florent. *Deesse nobis terram vivam, in qua morianur non potest.* Venet. *terra viva.* Forte: *Deesse nobis terra vivis.* Armati, inquit, terram occupabimus, ibique pugnando moriemur. *Pichena.* Placet Pichenæ *vivis;* de reliquo vide, quæ notavimus Observ. IV. 2. *Gronovius.*

Igitur assistentibus his] Correximus; *Igitur absistentibus his*, scil. Tencteris: nam *absistendi* verbum alibi Tac. usurpat; ut Ann. II. 'aut ille absistit.' Hist. III. 'Stantem pro gradibus palatii Vitellium, et preces parantem, pervicere, ut absisteret.' Hist. IV. 'Missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello.' *Rhenanus.*

Puri metu exterriti Bructeri; et ceteris] Aptior hæc Flor. lectio, quam vulgata, *exterritis Bructeris, et ceteris.* Pichena.

Et ceteris quoque aliena pericula deserentibus] *Quoque* conjunctio non est in libro regio: nam *et* hic pro etiam exponendum. Quod tamen illic *defendentibus* legitur, stare non potest, nisi quis *periculo* scribat. *Rhenanus.*

CAP. 57. *Super libidine*] Emendavimus, *super libidinem*, i. e. præter libidinem: quod sermonis genus Tacito familiare. *Rhenanus.*

Eluvie maris] Rutilius Numatianus l. I. Itinerarii: 'Subjectas villæ vacat aspectare salinas: Namque hoc censetur nomine salsa palus. Qua mare terrenis declive canalibus intrat, Multifidosque lacus parvula fossa rigat. Ast ubi flagrantes admovit Sirius æstus, Cum pallent herbæ, cum sitit omnis ager; Tum cataractarum claustris excluditur æquor, Ut fixos latices horrida duret humus.' *Aurel.*

Arescente unda, sed super ardentem, &c. concreta] Recte *concretum*: quod et Mur. notavit. Sed levis trajectio etiam hic: *eluvie maris arescente, sed unda super ard. &c.* Ita Lipsius quoque prima editione indicavit: nec caussa erat cur reprobaret. Vidit hoc quoque Muretus, sed repetit vocem *maris, sed undu muris super ard.* Acidal.

Ex contrariis inter se elementis] Delevimus præpositionem *ex.* Rhenan. Auctore Flor. addidi præpositionem, *ex.* Probavi verbum *Concretum*, suadente Lipsio, ut ad salem referatur: absurdum enim esset undam igne, atque aquis concretam. *Pichena.*

Cattis exitio fuit] Restitui ex Flor. *exitiosius.* Sequitur enim caussa, cur graviorem illis perniciem bellum attulerit, nempe, aciei consecratio. *Pichena.*

Cum ita victa occidioni] Placet Danesii conjectura, *cuncta viva.* Lipsius.

Cuncta viva occidioni duntur] Ita Faërnus legebat; non, *victa*, ut est in libris vulgatis. *Ursin.* Firmavi lectionem hanc, *cunctu victa occidioni*, ad Florum IV. 2. ex Historia Miscella, cui nunc addo locum Cæsaris Gall. VI. 17. * Nec *victa* placet nec *viva.* Forte, *cunctu victi*: i. quæ antea victus possedit. *Gronovius.*

In ipsos vertebantur] Quid si Tacitus scripsit, *in ipsos vertebant*, absolute, non *vertebantur?* Rhenan.

Civitas Juhonum] Hujus fit mentio supra l. I. 'Reductus inde Juhona miles lætus animi quod adversa maris expeditione prospera pensavisset,' quamquam illic in edit. Romana perperam legitur divisis syllabis *in Hiona* pro *Juhonu.* Arbitror Frisiis et mari Germanico proximam fuisse eam civitatem. *Rhenanus.* Pedem ne refcras, tutum est iter: frustraque scrupulos hic timemus: quis enim aptius τὰς μεταβάσεις faceret? *et minæ quidem hostiles in ipsos vertebantur:* sc. in Cattos ex voto Hermundurorum. *Sed civitas Juhonum socia nobis malo improviso afflicta est.* Institutum quod iterasse noster veritus non est. Ann. XVI. 'Agitur in exilium, tanquam quæ viderat pertuleratque, proprio odio. At Numisium Thermum prætura functum Tigellini simultatibus dedit.' Lib. II. Hist. adde: 'per socordiam præfecti, quem nota pariter et occulta fallebant. Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri præfecit.' Ejusmodi autem voti susceptio vel Gallis perquam familiaris fuit: adi ad doctissimum Imperatorum, l. VI. *Sulmerius.* Florent. *Civitas Vibonum.* Pichena.

Humore niterentur] Aiunt corruptum hoc verbi, *niterentur*: aut potius Florentiui codicis exemplo delendum. Dissentio, et promptum est, *niterentur exstingaere*, ordinari. *Lipsias.*

Humore niterentur] Forte, *reniterentur*. Rhenanus. Deest syllaba, *re*, ubi oportuit, *reniterentur*. Vertranius. Danesius legebat *reniterentur*. Ursin. Verbum, *niterentur*, aut corruptum, aut perperam additum censeo: nam a Flor. abest. Libenter igitur tollerem, ac legerem: *non flavialibus aquis, aut quo alio humore, donec, &c.* Pichen.

Quanto magis profana usu et viliori polluta] Habet codex Budensis tantum, *et usa polluta*. Rhenanus. Lipsius e prisca edit. recte inserit *viliori*. Scribe et dele *magis*: *quanto profana et u. v. pollata, &c.* ex perpetua Taciti et peculiari consuetudine. *Acidalius.*

CAP. 58. *Quæ super octingentos et quadraginta ante annos Remi*] Exemplar Ms. habet, *quæ supra octingentos et quadragiuta ante per annos Remi*. Quid si legas, *quæ supra octing. et quadraginta annos perennans, Remi Romulique, &c. Perennans*, h. e. continue edurans? *Rhenanus.* Superfuit *ante*. Vertranius. Proba et liquida Lipsii putatio de annis non *quadraginta*, sed *triginta*. Addam ego, unde *quadraginta* natum, et hanc lineam velut expoliam. Vera Taciti scriptura fuit, *arborem in comitio super octingentos, et quæ triginta ante annos Remi, &c. Quæ* illud additum voci *triginta*, fecit *quatraginta*. Ea particula post quia orationi necessaria videbatur, superius inculcata, ubi male hæret, et sensum intricat. Quid enim verbi aptes ad illa, *quæ super octingentos?* non potes profecto *texerat*. Sed in hac lectione, *arborem in comitio super octingentos*, omnia plana; et facillimum cuique videre, quid verbi subintelligatur. *Acidalius.* Lipsius ex chronologia restituit *et triginta*. Videturque juvari emendatio ista literarum etiam similitudine si pro *et quadraginta* legas *atque triginta*; et sane inter dictandum facile alterum pro altero exaudiri potuit a scriba. *Freinshemius.*

Revirescerel] Ita Flor. vulgo, *revivisceret*. Pichena.

ANNALIUM LIB. XIV.

CAP. 1. *Flagrantior in dies amore Poppææ*] Recte sane *flagrantior*. Malim tamen ego *flagrantiore*. Acidalius.

Dissidium Octaviæ] Ut sæpe supra, *discidium*. Gronovius.

Per facetias incusaret principem] Nisi in omnibus prorsus fallor, hoc loco transposita Cornelii verba sunt ab iis qui jam olim autographum exscripsere: sic itaque prius positum, et postlhac legendum reor, *crebris criminationibus incusaret principem, et aliquando per facetias pupillum vocaret*. Vertranius. Flor. *incusaret principem, et pupillum vocaret*. Pichena.

Fecunditatem et verum animum timeri] Jampridem Faërnus emendavit: *fœcunditatem et uterum annaum, &c.* quæ lectio eo mihi magis placet, quod eam video probari doctis etiam aliis viris, quibus sic emendare in mentem venit. Danesius vero, pro eo, quod est in vulgatis, *aperiat*, legendum putabat, *operiatur*. Ursinus. Lipsius

sua distinctione putat locum juvari, acutiusque quam verius Erricum Memmium conjecisse, *uterum annuum*. Quod quidem herele et ego. Quomodo annuam fecunditatem suam jactare Poppæa possit, quæ unicam ex Crispino prolem genuerit, ex Othone nullam. Auctores Tacitus, l. XIII. et auctor Octaviæ. Sed quid est *verum animum?* Ferri hoc profecto non potest. Deinde male per interrogationem oratio effertur, quæ debet per εἰρώνειαν. Itaque etiam illud *an* non integrum vocis reliquum fragmentum. Ego si meo modo liceat, sic restituam: *Formam scil. displicere et triumphales avos: ambiguam fecunditatem, et verum matrimonium. Timeri ne.* Pulcherrimo et aptissimo sensu. Ambigi de fecunditate et vero matrimonio: quod quale et quodnam sit, intelligunt omnes, qui vel etymon matrimonii. Sententia quidem ergo accommodata: Sed an et vestigiis literarum respondet? optime. Retrahe capitale *m.* a fine prioris vocis, et ex *mani* facillime habes *matri:* ex *mum* quid proclivius quam *monium?* Conjicere alias etiam liceat, *avos, aut fecunditatem. Verum enimvero timeri, &c.* Quid si legas? *An fecunditatem et uterum ambiguum? Uterum* eo modo, quo lib. XV. 'Jam Senatus uterum Poppææ commendaverat Diis, votaque publice suscepérat.' Et Ann. l. I. 'Arminium super, insitam violentiam, rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus, vecordem agebant.' Velleius lib. II. *Juliam* vocat *feminam neque sibi neque Reip. felicis uteri. Fecunditatem et uterum:* i. e. fecunditatem uteri. Talia sunt, quæ Douza F. notat ad Propert. c. 14. Propert. 'Ante Phrygem Æneam collis et herba fuit.' Virg. Æneid. XI. 'Volat igneus æquore Tarchon Arma virumque ferens.' Georg. II. 'Pateris libamus et auro.' Aeid. Plin. Epist. VIII. 6. 'Scio quam sit tibi verus et ingenuus animus:' i. a simulatione et dissimulatione remotus. Sic quoque locutus Tacitus: quem *verum animum* frustra mutes in *virilem* aut aleo *uterum annuum*. Gruterus. Nihil dubitem de emendatione Erricì Memmii. Nam hic non alia de re quam de fecunditate sermo est: *verus* autem *animus*, quid sit hoc loco, aut quomodo ejus aut Tacito aut Poppææ in mentem hic venerit, haud intelligo. *Freinshemius.* Quot sunt, qui de Tacito bene mereri studuerunt, tot exstant in hunc locum hariolationes. Sane corruptissimus est. Sunt qui probant quod Errico Memmio placebat. At illius locutionis exempla desidero. Sed pareant vano labori, quibus nostra hæc, vestigiis vulgatis proxime insistens, conjectura probabitur; *An fecunditatem, et Neronem alium*, scil. displicere? Certum enim est, hic agi de fecunditate. Neque minus notum est illud Didonis, apud Virgil. cujus Tacitus perpetuus imitator est; 'Utinam mihi parvulus aula Luderet Æneas.' Et suppetunt plurima alia ejusdem elegantiæ exempla. *Boxhorn.*

Posset, reddatur ipsa Othonis conjugio] Legas vel *possit*, vel *redderetur*. Acidalius.

CAP. 2. *Lascivia oscula*] Scripsimus, *Lasciva oscula*. Rhenanus.

Oscula, et prænuntias flagitii blanditias] Copulam, *et*, addidi ex Flor. eum in editis excidisset: non enim oscula tantum, blanditias vocat, sed et lascivas voces, lascivas contrectationes, et similia. *Pichena.*

CAP. 3. *Jussa sperneret, metuebat*] Malim *metuebant*, vel *metuebatur*, ut illud non de solo Nerone capias; quia et præcessit *nemo reperiebat:* nisi ibi rescribas etiam *non reperiebat*, aut *nemo* sic exaudias, ut *nullus* solet, ac *non* interpreteris: de quo memini aliquid dixisse ad Apuleium l. I. Metamorph. c. 9. *Acidalius.*

Cetera ostentandæ pietatis] Flor. *pietati:* utrumque Tacito usitatum. Vide notata III. 9. *Pichena.*

Cap. 4. *Tempore etiam juta*] Ita libri manuss. *Lipsius.*

Dictitans: quo rumorem reconciliationis efficeret, acciperetque Agrippinam, &c.] Legam: *dictitans, quo r. r. efficeret, acceperatque* (Scil. rumorem) *Agrippina, facili fem. credulitate ad gaudia. Venientem de hinc, &c.* Possis et sic: *efficeret acciperetque Agrippina, &c.* Acidalius. Suspicor legendum, *deciperetque Agrippinam.* Pichena. *Acciperetque Agrippina facili f. cred. ad gaudia. Venientem, &c.* Ita favente judicio restituisse locum hunc videbar socero meo, ut non dubitaret in textum recipere. Igitur emendationis etiam ratio reddenda est. Nam viri Clariss. ita putaverant sanari posse locum, si legeretur *deciperetque* (vel *alliceretque*) *f. c. f. ad gaudia venientem. Dehinc, &c.* Sed orta haud dubie est corruptio, ex neglectu distinctionis, quod in libris prioribus vox *venientem* præcedentibus cohæreret, quod etiam Agrippinæ fraudi fuit, ut rectus ejus casus *Agrippina* in obliquum *Agrippinam* mutaretur: Sententia autem jam et optima est, et clarissima. Nero ista fecerat, &c. * *Freinshemius.*

Obvius in litora] Non sum ausus mutare: malim tamen, *in litore.* Pich.

Stabat inter alias navis] Nescio quid alterius ordinis sententia requirit. Deliberandum censeo. *Acidalius.*

Baias pervectum] Muretus *provectam:* ut sit quasi porro vectam. Nec tamen opus. *Pervectam* subindicat quasi ad destinatum locum. *Acidalius.* Hæc duarum villarum nomina aliquid obscuritatis parinut, præsertim cum in Flor. et aliis veteribus legatur, *Baulos:* quod falsum colligitur, tum ex Sueton. c. 34. tum ex Tacito ipso, qui supra dixit, Agrippinam *Baias*, non *Baulos*, ad Quinquatruum solennia celebranda, evocatam. Ut autem clarior narratio reddatur, &c. * *Pichena.*

Blandimentum sublevavit metum, comiter excepta] Muret. *blandimentis.* Non adsentior. Et turbatiorem locum, quam vulgo opinantur, sic totum repono: *Ibi blandimentis sublevavit metum. Nam comiter excepta, superque ipsum collocata, pluribusque sermonibus, modo familiaritate juvenili Nero, &c.* Acidalius. Suspicabar: *Ibi blandimenta sublevarunt metum comiter exceptæ, superque ipsum collocatæ.* Gronovius.

Artius oculis et pectori hærens, sive explenda simulatione] Forte, *osculis*, pro *oculis.* Lipsius in prima edit. conjiciebat; *sive explendæ simulationi*, ubi vulgo, *explenda simulatione.* Muret. notaverat, *explenda simulatione.* Acidalius. Forte melius: *explendæ simulationi:* ut paulo sup. ‘ occultando facinori :’ l. II. ‘ augendæ dominationi :’ l. III. ‘ Firmandæ valetudini.’ *Pichena.* Corrigo: *convictu et artius pectori hærens prosequitur abeuntem oculis:* nam sine dubio verba sunt transposita: et hæc bona gradatio. Interdum eam oblectabat juvenilibus jocis, interdum compositus in serium quasi res graves cum illa communicaret; atque ita tracto in serum convivio, amplexus arcte, prosequitur oculis discedentem. *Harlæus.*

Cap. 5. *Reciperata matri gratiam*] Magis placeret, ut Faërnus legebat: *Recuperatam matris gratiam.* Ursinus.

Et statim exanimatus] Additur in Flor. ac Ven. verbum, *exanimatus est.* Sed quoniam Taciti phrasim minus olet, potius legerem, *exanimatus. At Agrippina.* Pichena.

Validioribus, quamvis oneri cederent] Recte, qui legunt, *quam ut oneri cederent.* Ego etiam vocem *parietibus* parum Lipsio firmam, muto, *partibus.* Acidalius. Cum in Flor. addita sit particula *ac*, nimirum *ac forte valid. quam ut oneri cederent;* facilis fuit emendatio. Sic lib. XIII. ‘ validiore apud libidines principis Paride, quam ut pœna afficeretur.’ *Pichena.*

Ignari, etiam conscios impediebant]

Adjecimus, *etiam*, ex Flor. *Pichena.*

Jussum dehinc remigibus] Reposui, *Visum dehinc remig.* Rhenanus. Muret. *Jussum.* Nondum assentior. *Acidalius.* Quamvis Flor. ac recentiores editi habent, *Visum dehinc;* mihi tamen magis probatur, *jussum*, juxta alios veteres. Nam sequentia verba, *in rem subitam*, perspicue videntur testari, rem jussam, neque credendum est, ipsos remiges, conjurationis ignaros, submergere voluisse navem, in qua Principis mater vehebatur. *Idem.*

Verum Aceronia imprudens] Flor. habet, *imprudentia.* Idem.

Et quæ fors obtulerat] Ita Flor. Vulgo, *et quæ sors.* Idem.

Nando deinde occursu lenunculorum] Mirum obsequium leunnculorum, qui nanti Agrippinæ nantes occurrerint: præsciebant ergo casum. Mendosa dictio est *lenunculorum*, reposui, *occursu lembunculorum*, hoc est, naviculorum, nam diminutiva vox est a *lembo.* Rhenanus. Licet, *lembunculorum*, bona lectio sit, *lenunculorum*, tamen reperiri in vet. codicibus, eamque lectionem confirmari testimonio veterum aliquot inscriptionum diximus in notis ad Salustium et Cæsarem. *Ursinus.*

Lucrinum in lacum vecta, villæ suæ infertur] Hæc Florentini lectio: at vulgata: *Lucrinum in lacum vectam villæ suæ inferunt.* Pichena.

Cap. 6. *Fallacibus literis accitam*] Magis meo animo convenerit hic antiqua vox, *pellacibus literis.* Tales enim revera erant, et ob id Suetonius *jucundissimas* vocat. *Acidalius.*

Solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur] Videatur excidisse participium *rata*, aut quid simile. Tamen et absque illo Tacitum sat capio *Idem.*

Cap. 7. *Hactenus addito discrimine*] Correximus, *hactenus adito discr.* Rhenanus.

Quod contra subsidium sibi] Romana editio, *suffragium sibi?* Nec damno. Sane Suffragari, adjuvare et opem ferre est: ut Refragari, obsistere. Inde et Refragium, quod Græcis ἐναντιότης. Hegesippus l. v. c. 37. 'Gubernator obliquat velorum sinus, et sine refragio scinditur fretum:' eaque voce et alii usi. *Lipsius.*

Quod contra subsidium sibi] Lectio in speciem vera: nam adulterum quid subrepsisse, arguit Romana edit. vetus, in qua *quid contra suffragium sibi?* recte; idemque vocis din est quod reddidi Senecæ; ubi enim hodie est l. I. de Ira, c. 11. 'Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffugia adversus perpetuum cæli rigorem,' &c. Legendum cum membranis autographis, *non suffragia*, neque enim *suffragia* vocis tantum, sed et rei, ut ostendi abunde in Suspicionibus. *Gruterus.* Malim una vocula transposita, *Quod contra subsidium sibi. Quod*, (nempe subsidium consiliumque reliquum,) *nisi Burrhus et Seneca expergiscerentur?* Est enim hic etiam ponenda interrogationis nota. *Boxhornius.*

Nisi quid Burrus et Seneca expergiscerentur] Codex regis Corvini hic habet, *expurgent*, sed erasa priori scriptura. *Rhenanus.* Interpunge, *amicos objiciendo: quod contra, &c. Nisi quid:* ad Plaut. dixi Mostell. cap. 4. *Acidalius.* Florentinus corrupte, *exigens.* Sunt qui substituunt, *expediret*, quod nec probo, nec improbo. *Pichena.*

Incertum an et ante ignaros] Scil. irriti cœpti, et tentamenta Aniceti frustra cessisse. Neque enim aliter sibi Cornelius constabit, qui lib. XIII. retulit Burrum Neroni 'necem Agrippinæ promisisse:' minusque conveniat alia interpretatio Senecæ, qui Annalis hujus initio, 'Actem libertam ad Neronem in Agrippinam' immisit, et ut apud Cassium a compluribus, fideque dignis dictum est, Neronem ad id facinus necandæ matris incitavit. *Vertranius.*

Et eo descensum credebant] In codice regis Corvini apparet fuisse scriptum, *an eo descensum credebant*. Legerim, *jam eo descensum cred.* Rhenanus. Ex Flor. restitui particulam, *an*. Vulgo, *et eo descensum*. Pichena.

Ac si scitaretur] Blanditur prima fronte hæc lectio, sed certe si penitius introspicias, sensum non habet commodum. Vult enim respexisse tantum Burrhum quasi interrogaturus esset, an militi cædes imperaretur: nullam autem vocem edidisse: quod mihi non videtur verisimile; modo enim longum utriusque silentium cum notasset, subjicit. *Post Seneca hactenus promptior:* at quomodo *promptior*, si pergit silere? Deinde non est credibile Burrhum aut statim ex obtutu illius intellexisse, quid vellet, aut si maxime intellexisset, responsurum fuisse, hominem negotiorum et aulæ peritissimum, cum adhuc liceret dissimulare, præsertim cum talis esset interrogatio, ut vel summa cum invidia summoque scelere affirmaturus viderctur; vel summo cum periculo negaturus. Ergo subjuncta quoque ea vox est, *respondit;* nempe interrogatus, quapropter scribendum arbitror: *respicere Burrhum, ac sciscitari.* Facile potuit scribi *siscitari*, quam vocem cum pro duabus haberet audaculus emendator, putavit propter istam particulam *si* sequens etiam verbum reformandum esse: quomodo in nota ad XIV. 4. ostendimus vocem *Agrippinam* fuisse corruptam, propter vocem *Venientem*. Freinshemius.

Ad illam vocem] Flor. *ad eam vocem*. Pichena.

Illos invidiæ dari imperium] Sic castigator quispiam semiliteratus, *illo sivi die*, quod scriba Hispanus opinor scripserat, restituendum putavit, quum *sivi* in *sibi* mutandum fuerit. *Rhenanus.*

CAP. 8. *Diversa rogantium*] Scribendum: *rogitantium*. Rhenanus. Danesius ex v. c. legebat, *rogitantium*. Ursinus. Flor. *rogitantium*. Pichena.

Aliam fere litore faciem nunc, solitudinem ac repentinos strepitus] Lego: *Aliam fere litore faciem: nunc solitudinem et repentino strepitus*. Acidalius. Quæ olim divinavi, nunc prorsus negligo, tantum moneo, in Flor. corrupte legi: *aliam fore lateret:* emendationem acutioribus relinquo. *Pichena.*

Jam in mortem centurioni ferrum distringenti] Sic Faërnus legebat: non, ut in vulgatis, *Nam in mortem, &c.* Ursinus.

Multisque vulneribus confecta est] Sustuli insigne glossema aliquot versuum, qui huc transcripti e Senecæ Octavia verbatim. Eaque omnia jure desunt Vaticano. Non visum id ante me, nec ab eo quidem qui codices Vaticanos inspexisse jactat, miror et indignor. Hæc Agrippinæ mors. At Philostratus l. IV. de Vita Apollonii, adfirmavit naufragio periisse Agrippinam solutili illa nave. Adeo ille et genere et partibus scriptionis suæ nugator est. *Lipsius.*

CAP. 9. *Convivali lecto*] * cum linteis positum, sequebatur: Liv. XLVIII. Appian. Civ. 2. et Servio ad 5. et 6. Æneidos, conjecturam suadentibus. At solitus honor pro familiæ nobilitate defunctis amplissime conferri, a filio matri datus minime fuit: exequiæ tantum viles nulliusque pretii: et in quo Agrippina cibum sumptura accubabat, eo ipso lectulo delata est. *Vertranius.*

Congesta aut clausa humus] Vulgati, *humo:* at scripsi, *humus*, Flor. indicante: quamvis literæ, *us*, delctæ sint, ac supra repositum, *O*, a recentiori manu. *Pichena.*

Libertus ejus cognomento Mnester] Ann. XI. admonui Dionis et Xiphilini vitiatos esse libros, qui Μνηστῆρα pro *M. Nestore* Pantomimo scriptum haberent. An igitur et hic *M. Nestor* reponendus erit? Quod non puto: auctorum siquidem consensu Pantomimus ille sub Claudio occisus legi-

tur. Hic ergo libertus Agrippinæ alter ab illo videri debet, qui Græco nomine *Mnester*, id est, *procus*, et *petitor* dictus est. *Vertranius.*

Cap. 10. *Reliquum noctis*] Emendavimus, *reliqao noctis.* Rhenanus.

Prehensantium manus] Flor. ac Veneto auctoribus reposui *manum.* Vulgati enim recte, *manu.* Pichena.

Morti parentis illacrimans] Florentinus et Venetus *morte*, sed nihil mutavi, nam Cicero de nat. Deor. l. III. ' Quid dicam de Socrate ? cujus morti illacrimare soleo, Platonem legens.' *Idem.*

Obversabaturque maris illius, et litorum gravis aspectus] Restitui copulam, *qae*, ex Flor. *Pichena.* Parum cohærens oratio : et aut hæc simul parenthesi includenda, aut potius abjecta parenthesi, et inserta vocula *igitur*, quæ perire perfacile potuit, sic reponendum : *obversabatur maris i. et l. g. aspectus ; et erant, qai crederent, son. t. collibus circum editis planctusque tumulo audiri. Igitur Neapolim concessit.* Acidalius.

Cap. 11. *Et luisse eam pœnam conscientia*] Addidimus pronomen, *ea*, *Et luisse eam pœnam ea conscientia.* Rhenanus. Hæc non mihi sana : neque etiam Mureto, qui notavit, *luisse eam pœnam consciam, quod scelus paravisset.* Recte ad sententiam : sed mihi cum verbis mitius agendum videtur et certa credo conjectura est, *luisse eam pœnam conscientia, quia scelus paravisset:* i. e. quia sceleris parati sibi conscia fuisset. Ita enim scenam hanc omnem criminis supra composuerat Anicetus : *Gladiumque dum mandata perfert, abjicit inter pedes ejus : tam quasi deprehenso, vincula injici jubet ; ut exitium principis molitam matrem, et pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumsisse confingeret.* Non minus πιθανῶς possit legi, *luisse eam pœnam ea conscientia, qua scelus paravisset.* Acidalius. Vulgati addebant, *ea conscientia :* quam vocem minime necessariam, Flor. autoritate sustuli. *Pichena.*

Posteaquam frustra oblata] Perspicuum mendum. Farnes. *ablata.* Forte intercisæ voces explendæ ; *frustra ab illa tentata sint.* Aut potius adhæreamus Romanæ lectioni, *optata sint.* Interpretor, Posteaquam frustra ea voluerit voveritque Agrippina. *Lipsius.*

Posteaquam frustra oblata sint] Forte *frustrata sit.* Offertur tamen sinprum et vitium. *Rhenanus.* Danesius legebat : *posteaquam frustrata, ut infensa, &c.* Ursinus. Τὸ *oblata*, depromptum est e prima antiquitate. Cæcil. Plot. apud Gell. II. 23. ' ita plorando, orando, Instando, atque objurgando me obtulit uti eam Veniam darem.' Agrippina rebus novis inhiaverat (delator ait) et omnium studia ad eam rem speraverat : verum tentando, et eos ad facinus impellendo, frustra fuit. Cæterum Thucydides etiam habitus est captator veterum verborum : cujus instituti Sallustium scimus non pœnituisse. Halicarnass. ad Amm. *Salinerius.* Bona sane Romani cod. lectio, *optata :* melior mea, *captata.* Muretus voluisse videtur, *hinc postquam frustra habita sit.* Videtur inquam : nam scriptura mihi non liquebat, in vocalis *hinc* pro qua dubie legebam et *hanc*, et *sit* pro qua *sint.* Acidalius. An subintelligendum, illas spes cogitationesque frustra Agrippinæ oblatas ? Potius Lipsio assenserim juxta Rom. edit. legenti, *optata :* respondet enim superiori verbo, *speravisset.* Pichena. Secuti sumus judicium Virorum Acutiss. Lipsii atque Pichenæ, qui Rom. editionem probaverunt : in aliis legitur *oblata*, contrario sensu. *Freinshemius.* Conjiciebam, *ac posteaquam frustra tentasset :* nempe quæ dixit speravisse. *Gronov.*

Obliqua insectatione] Vulgo, et libris scriptis, *oblita*, Ferrettus, *obita.* Nostra emendatio certe videtur, ex ratione prisca scribendi, *oblica.* Lipsius.

Oblita insectatione] Alias, *obita in-*

sectatione, i. e. insectando ea, quæ facta erant Claudianis temporibus. *Ferrettus.* Faëruus legebat, *addita insectatione*, sive, *abdita insectatus*, ut ex veteris libri vestigiis etiam legi potest. *Ursinus.* Non oblique, immo aperte mihi sordet *obliqua* in comparationem *oblita:* quum non circuitione, sed palam Nero Claudium carperet. Suet. 33. ' certe omnibus rebus verborumque contumeliis mortuum insectatus est, modo stultitiæ, modo sævitiæ arguens.' Oblitus ergo Nero quam multus olim fuerit in patris insectatione, omnia flagitia quæ ipsi jam vitio dederat, nunc matri impudenter affingit. *Salinerius.*

Namque et naufragium narrabat] Doctiss. Vir mallet *jamque*, qua de causa ipse scit; verum hæc de superioribus pendent: ' publica fortuna exstinctam referens: namque et naufragium narrabat.' Nero quo persuaderet matrem casu extinctam, qui in rem omnium esset, naufragium ut fortuitum narrabat. *Idem.*

Quod fortuitum fuisset] Scripsi, *Quod fortuitum fuisse.* Rhenanus.

Cap. 12. *Exiit tum Senatu*] Egregia Lipsii emendatio, ac digna quæ recipiatur: ipsum vide. Male vulgo, *exitium Senatui.* Pichena.

Sine cura Deum eveniebant] Ἐπικουρίζει et hic et alibi noster. *Lipsius.*

Prætura functos Val. Capitonem et Lic. Gabolum] Exules Nero restituit Juniam et Calpurniam, pulsas Italia sub Claudii principatu. Supra l. XII. Sed quod Valerium et Licinium restituisse dicitur, non probabit ingeniosus, et Cornelii diligentiam requiret; nusquam enim eorum cum in exilium pellerentur, mentionem habuit. Nisi forte Val. Capito, &c. * præterquam hoc loco memoratur. Ambos vero *præfectura functos*, Cornelius refert, sive illa urbis, sive annonæ, sive ærarii, sive castrorum, sive equitum, sive militum, sive fabrum, sive remigum fuerit: quod si tentes legere, ut alibi suasi, *pratura functos*, nihilo mihi notiores erunt. *Vertranius.* Nihil temere solicitaverim. Veniebat tamen aliquando in mentem, excidisse auctori vocem syllaba breviorem, *prætura.* Nempe plane *præfectura* sine adjuncto, incertos reddit, quod munus sustinuerint, militarene, an civile, an aliud. *Gruterus.*

Iturium et Calvisium] *Titurium*, habet V. C. *Ursinus.*

Cap. 13. *An obsequium senatus, an studia plebis reperiret anxio*] Budense exemplar habet, *repeteret:* ut intelligas dubitasse Neronem, ad Senatumne confugeret, an potius ad plebem, et utris magis fidendum: itaque sic locum emendavimus. *Rhenanus.* Corrupte antea, *repeteret.* Nos Flor. et aliorum veterum auctoritate correximus. Nero enim, si urbem ingrederetur, anxius erat, an in Senatu obsequium, an in plebe studia erga se, reperturus esset. Quod clarius apparet ex sequentibus familiarium verbis, suadentium nihil timeret, audacter pergeret, cum de populi favore, morte Agrippinæ aucto, non esset dubitandum. *Pichena.*

Repeteret anxio] Libri quidam, *reperiret:* quod merito Pichena probat. Dubitabat scilicet et angebatur, an Senatum obsequentem, plebem faventem reperiret. *Lipsius.*

Quorum non alia regio fœcundior] Scripsimus, *regia;* h. e. aula. Quod de deterrimis apud Neronem scribit, posset hodie de doctissimis apud Henricum VIII. Angliæ regem dici, quorum non alia regia fœcundior extat. *Rhenanus.*

Progredi exposcunt] Flor. habet, *prægredi.* Pichena. Imo *prægredi.* Rogant ipsi Romam mittantur, cuncta exploraturi. *Grotius.*

Qua incederet] Muretus *quaque.* Parum opus. *Acidalius.*

Cap. 14. *Vetus illi cura erat*] In Budensi cod. legitur; *Vetus illi copia erat.* Rhenanus. Lipsius mallet, *cupido;* et

Mureto probatur. Ideo in margine notavimus. Inferius etiam constat, adeo hæc Neronem concupisse, ut jam sisti non posset; propterea Senecæ ac Burrho visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. Sic l. xv. ‘ acriore in dies cupidine adigebatur Nero,’ promiscuas scenas frequentandi. *Pichena.*

Cithara ludicrum in̄ modum canere] Nam, ut ait hoc loco Tacitus, cani solebat cithara in conviviis, ut ex Virgil. patet l. i. Æn. ‘ Cithara crinitus Iopas Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas. Hic canit errantem lunam, solisque labores,’ &c. *Lupanus.*

Quod Regibus et antiquis ducibus] * protendere manum potuisset, præ Pisone. Sed et decimo nono ætatis anno scriptum hoc carmen: nam ait: ‘ Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas Cœperit, et nondum vicesima venerit æstas.’ Quod non convenit in ætatem Lucani, præsertim cum scriptum sit diu post consulatum Pisonis, et paullo ante detectam, ni fallor, conjurationem. Certe post consulatum diu: quoniam et eloquentiæ ejus specimen Neapoli præbitum celebrat: quod scimus contigisse nos quinquennali certamine, cum Nero in eadem urbe Græcanica copiam fecit suæ vocis, annis aliquot post Pisonis consulatum, quem iniit anno urbis DCCCX. Sed nec Statius hujus carminis mentionem facit: cum omnia minima scripta ejus recenseat. II. Silv. *Lipsius.*

Ne utroque pervinceret] Putarem, *ne utrumque:* id est, ne duo illa extorqueret, alterum indulgere, ut in eo acquiesceret. *Lipsius.*

Ne utraque pervinceret] Non damno vulgatam lectionem, *utroque:* alteram tamen ex Flor. magis probavi. *Utraque* enim intelligit illa duo, quæ ipse cupiebat. *Pichena.*

Laudibusque extollere] Adjecimus copulam, *que*, ex Flor. *Pichena.*

Et si eodem princeps trahat] Illinc reposuimus, *et si eo princeps*, &c. Rhenanus. Flor. *et si eodem princeps trahat:* at Vulgati, *et si eo princeps.* Pichena.

Vulgatus pudor] Castigavimus, *evulgatus pudor.* Rhenanus. Muretus, *vulgatus:* quod ego etiam malim. *Acidalius.*

Ratusque dedecus amoliri] Romana editio, *dedecus molliri:* quod ego præfero. *Lipsius.*

Ratusque dedecus amoliri] Flor. *molliri.* Sed nihil muto. *Pichena.* Eadem editio Romana, quin et Ms. Pichenæ, *molliri:* quod et Lipsius probat, et ego veram lectionem esse credam. *Freinshemius.*

Majoribus eorum tribuendum] * æternas maculas impresserunt. Sic igitur ex illo Xiphilinus inquit: ‘ Visæ sunt eo tempore veteres et illustres familiæ Furii, Fabii, Porcii, Valerii, cæterique omnes, quorum tropæa atque templa conspiciebantur, ea de inferiore loco facere, quæ ne ab aliis quidem hominibus fieri unquam visa fuerant. Itaque vicissim digito commonstrabantur. Dicebant enim Macedones, Hic est nepos Pauli: Græci autem, Ille Mummii: tum Siculi aiebant, Videte Claudium: mox Epirotæ, Vos vero Appium videte: Asiatici Lucium ostendebant, Hispani Publium, Carthaginienses Africanum, Romani vero omnes.’ *Vertranius.*

Subegit donis ingentibus] Effecit, et tamquam impulit douis ingentib. *Ferrettus.*

Cap. 15. *Instituit ludos Juvenalium*] * Alia huic ritui in Excurs. B. *Lipsius.*

Et posita vero] Emendavi, *et posita veno;* hoc est, ut venum dareutur. *Rhenanus.*

Irritamenta luxus] In Vaticani libris melius est *luxuriæ:* ut non male sup. l. i. dixisse videar legendum, non *luxus*, sed ‘ Vedii Pollionis luxu-

ria.' *Vertranius.*

Ipse scenam inscendit] Restitui ex libris. Vulgo, *ipse scenas incedit.* Lipsius.

Postremo ipse scenas ascendit] Scribendum, *incedit:* nam et hoc verbum Tacitus cum accusativo copulat; ut infra: ' Græci amictus, quos per eos dies plerique incesserant.' Et mox: ' Quia fontem aquæ Martiæ ad urbem deductæ, nando incesserat.' Sic l. 1. ' Incedunt mœstos locos, visuque ac memoria deformes.' *Rhenanus.* Dubito an vere Lipsius restituerit. Movet ipsa locutio, *scenam inscendere.* Nam quorsum hic inscensio? Ferri vulgata scriptura possit: *Postremo ipse scenas* (vel potius *scenam* ut in Vaticano) *incedit.* Inusitatior hæc, sed Tacito etiam alias usitata locutio. Nam l. 1. ' Incedunt mæstos locos.' Et infra hoc lib. ' Quia fontem aquæ Martiæ ad urbem adductæ nando incesserat:' quod tamen rectius ab *incessendo* ducas. *Acidalius.*

Assistentibus familiarib. abscesserat] Legerim, *absistentium facie abscesserat cohors.* De verbo *absisto*, monnimus ante. *Rhenanus.* In verbis *assistentibus familiaribus* magna dubitatio. Falsa Lipsius vult: et quia in Vaticano, Farnesiano, item Budensi fortasse, *facies*, supponit *facibus.* Firmat, sed locis parum firmis: quæ ne ego refutem, ipsa iterum phrasis lectionem istam refutet. Quis enim ita de facibus loquatur, *cas assistere.* Ac videtur ipse de restitutione dubitasse, cum alios divinos invocat, ad operam conferendam. Inter quos nescio si Muretus est, in cujus eclogis, &c. * *Acidalius.*

Et pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ] Muret. *in* delet. Assentiar, vel *spem* reponam. *Acidalius.*

Hi dies ac noctes] Pronomen *hi* non est in regio libro; ut sit continua lectio, *Et pars ingenio procaces, alii in spe potentes, dies ac noctes.* Rhenanus. Delere videtur voluisse Muret. voculam *Hi;* sine qua inconcinna tamen oratio. Nisi, quod mihi placeat continuanda hæc cum superioribus. *Tuncque* (vel *tunc quoque*) *primum conscripti sunt eq. Ro. cogn. Aug. ætate ac robore conspicui. Hi pars ingenio procaces, alii spe* (vel *in spem*) *potentiæ dies ac noctes plausibus personare, &c.* Acidalius.

Cap. 16. *Nec dum insignis ætatis nati considere*] Faërnus pro vulgatis illis legebat; *nedum, &c.* Sed Danesius ita totum locum restituebat, *Contractis quibus aliqua pangendi facultas, nedum insignis ætatis vatibus considere.* Ursin. Quod Lipsius de Mureti conjectura, idem ego de Lipsii: non damno: nec veram tamen esse credo. Mihi e veterum librorum lectione, quam Muret. hanc proponit: *Nec dum insignis ætatis nati considere simul et natos vel repertos ibidem versus connectere*, ut minimum a vestigiis abeatur, sic placet: *contractis quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat: ii varii considere simul et natos repente ibidem versus connectere; atque ipsius verba quoquomodo prolata supplere: quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu,* (an *indistincto*) *nec ore uno fluens.* In quibus postremis possis etiam scribere, *nec tenore uno fluens.* Sed ego non mutem. *Acidalius.* Leviter hic mihi placeo, sed ab instituto temere non est discedendum. Nero coævos adolescentes (nam ad id temporis inter eos erat) apud se cogebat, qui versibus ejus suos, vel contra, concinnarent. *Nati insignem ætatem, ἀντίπτωσιν,* ut Ann. v. ' nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur.' Notat vir erudit. discordiam inter Suetonium et nostrum, nec obviam it: mihi Cornelius suæ opinioni prætendit potiora: quod auctor e stylo præcipue deprehendatur, lituræ vero, et supplementa parum valent ad scriptorem conjiciendum. *Salinerius.*

Repono: *nec dum insignis æternitati. Hi consalere simul.* Hoc Tacitus dicit non admissos a Nerone in sodalitium illud Poëtas insignes æternitati, sive ad æternitatem, sive Poëtas, qui jam scriptis suis noti, ne notesceret in vulgus mimus ille compositus, et Nero laudem Poëticam in se ab aliis transferens. *Marcilius.* Non ita, sed *nedum insigniores ætatis. Adunati consedere simul.* Aurelius. Muretus l. xv. Variar. 11. hunc locum sic emendare tentavit: *contractis quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat. Ii considere simul, &c.* Ingressus est viam, sed non pergit. Nam cum ex voce, *ætatis,* restituat, *erat, ii:* bene ille quidem. Quod autem vocem, *nati,* ut supervacuam rejicit, ego potius leviter immutarem, ac rescriberem, *jussi.* Modus dicendi Tacito usitatus l. xv. 'jussi id accusatores objicere.' Hist. III. 'jussæ armari legiones.' Itaque sic legendum arbitror: *contractis qaibus aliqaa pangendi facultas, nec dum insignis erat: ii jussi considere simul, &c.* Vitiosa tamen hæc omnia suspicor. *Pichena.* Pro *nati* quod ferri non posse viderunt et alii, reponam *noti,* id est, amici, familiares, *nec dum insignis ætatis,* id est, adolescentes. *Ætas insignis* est ætas senatoria. Infra l. xv. et Hist. IV. *Grotius.* Meo judicio rem acu tetigit hactenus Muretus: post quem, quæ alii tentarunt quum considero, miror quemquam hiscere ausum; adeo nihil est, quod cum ejus conjectura putem comparandum. Quod si elidi τὸ *nati* ferre nequeunt, faciamus: *nec dum insignis erat ad famam:* vel *insignis erat: hi acciti considere simal.* Tales enim quæsivit, qui callerent, &c. * *Gronovius.*

Et allatos] Nihil sincere ex Flor. eruitur. In eo enim legitur, *et ablatos,* forte, *et oblatos.* Pichena.

Quoqaomodo prolata] Vulgo, *quoquae modo:* de eodem errore monui l. VI. *Pichena.*

Utque contraria asseverantium discordiæ ernebantur] Ms. exemplar habet, *merentur.* Forte, *ut contr. asseverantium disc. quærerentur.* Rhenanus. Non cuivis patent: post epulas adhibebantur, &c. * *Salinerius.* Legam, *rituque contraria asseverantiam, discord. er. &c.* Acidalius. Venetum cod. sequutus sum scribendo, *eraerentur:* nam et eo videtur inclinare Flor. qui corrupte habet; *utque contraria asseverant tam discordiæ rueret?* Sensus est: Neronem post epulas Philosophorum disputationibus operam dedisse, ut inde discordiæ eruerentur: quod ipsi oblectamento et deridiculo esset. *Pichena.* Lectionem Ms. quam exhibet Pichena, rectam esse puto si leviter distinguantur connexæ perperam literulæ, et in hodiernum scribendi morem formentur. Nam supra quoque alibi dixi, nullum fere in membranis usum esse diphthongi *æ.* Apparet ergo sic scribendum, *ut, quæ contraria asseverantiam discordia, eraeret;* dividenda, inquam, diphthongus est *discordiæ,* atque ita clarum istud *e* literam principem esse vocis *erueret.* Sensus, audisse disputationes, ut erueret quænam esset discordia contraria asseverantium: ut nempe in quibus, et quomodo dissiderent, cognosceret. *Freinshemius.*

Qui voce valtuque tristi] Nec male fortasse in Florent. *qui ore vultaque.* Pichena.

CAP. 18. *Nero probata Strabonis sententia*] Vulgati, *Princeps probata.* Florent. *Ne probata:* scripsi ergo, *Nero probata.* Pichena.

CAP. 19. *Et elegantia vitæ, quam clariorem*] Trajecerim, *et qaem elegantia vitæ clariorem effecit.* Lipsius.

Qaam clariorem effecit] Forte, *quæ clariorem effecit.* Rhenanus. Danesius emendabat, *quæ clariorem effecit,* non ut in vulgatis, *quam.* Ursinus. Trajicit Lipsius. Sed quis non videt inconcinnitatem structuræ se-

qui? Male enim hærent, *elegantia clariorem effecit; par ingenio, morum diversus.* Trajiciam et ego, sed alia: hæc enim ipsa ejicio. Nam quid aliud iis faciam, non video. Nihil huc quidem pertinent; ut clarum ex hac nostra restitutione: *Ille orando causas, et elegantia vitæ, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, ut par ingenio, ita morum diversus.* Servilium cum Domitio comparat, et id more suo rotunda brevique oratione, quæ syrma illud rejectorum verborum respuit. Tamen possis et illa leviter mutata retinere: *mox tradendis rebus Ro. celebris, quas clariores effecit.* Sed inepta talis additio, et quam Tacitus nunquam, me judice, usurpavit. *Acidalius.* Contenditur hic Servilius cum Domitio: ille doctrinæ et probitatis notæ, hic eruditus, sed impnrus; Domitius (supra animum postulationibus devotum) avidus erat Ann. IV. 'quoque faeinore clarescere,' illumque miratur nemo, 'quod diu egens et parto nuper præmio male usus, plura ad flagitia accingeretur.' Servilius autem totus ab eo discedebat *diversus morum:* nee dissimilis a Terentiano Micione in Adelph. 'Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus.' *Elegantia vitæ μεταφορικῶς*, quæ vitiis intacta, et a bonis electa sit. Quam ob rem genus vitæ Servilii per se clarum, clarius evadebat ex deterrima Domitii comparatione. Sic Cæsarem cum Alexandro si compares (militiæ alioquin pares) unius clementia per alterius sævitiam illustrior habetur. *Salinerius.*

Cap. 20. *Quinquennale ludicrum*] Sic Augustus morbo variante quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum Neapoli perspectavit. Scribit vero Strabo l. v. solitos Neapolitanos quinquennalem agonem celebrare, qui erat musicus et gymnicus, illisque agonibus æmulus, qui per Græciam maxima celebritate agebantur. *Lupanus.*

Si consideret] Danesius addebat dictionem, *ne*, legebatque: *Ne si consideret.* Ursinus. Notaverat Muret. *Ne theatro dies, &c.* ratus forte eam particulam desiderari, et omissam inde, quia paullo post repetita. *Ne spectaculorum quidem.* At ego aio indidem eam ipsam retrahendam, atque eo loco ponendam: *ne si consideret, th. d. t. ignavia continuaret.* Sequentia sic plane scribenda et distinguenda, ut vera seutentia enitescat: *spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quoties prætores ederent,* (ita recte Lipsius pariter et Muretus) *nulla cuiquam necessitate certandi* (al. *spectandi* quod defendere possis loco l. XVI. 'Quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent) ceterum abolitos paullatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam, &c.' Ac cave in his postremis verbum *everti* vel deleas, quod recte posse censuerunt Lipsius et Muretus, vel mutes, *et verti*, quod permisit etiam Lipsius. Credo ego Tacitum *verti*, non *everti* hic scripsisse, quia simplex ubique magis amat. L. XI. 'Ut versa Cæsarum sobole imperium adeptus est.' Lib. XV. 'Sed provisum quonam modo pœnas versæ Reip. daret.' Et Taciti hæc mens hoc in loco: patrios mores, qui paullatim antea aboliti sint, nunc funditus everti hac lascivia: quomodo paullo superius in eandem formam: 'Nec ulla majoribus corruptis olim plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies.' Mores, inquit, qui jam olim corrupti, tum libidinibus in omne flagitium exarserunt. *Acidalius.* Mallet Muretus, *ne si consideret:* cui non assentior. Sunt enim ineusantium verba: qui postquam dixissent, vetustis temporibus populum stantem spectavisse ludos, sequuntur: nam si consideret, ignavia populi dies totos in theatro continuaret; atque accipio vocem, *igna-*

via, primo casu, non sexto, ut in postrema editione notatur. *Pichena.* Vox una excidit, qua reposita implebitur hiatus sensus: *stantem spectasse populum, ne, si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret.* Grotius.

Quoties P. R. sederet] Faërnus legebat *Quoties P. R. ludos ederet.* Ursinus. Hæc dicuntur, ut nec prætextu antiquitatis Nero uti valeat: quasi dicant: Quid ad ista Nero? num se defendet quod sedens olim populus spectaverit? esto: sed nobis obsecro respondeat, an antiquitus (quod nunc fit) homines spectare cogereutur. Potes igitur præterire castigationes. Verum qui novum Romæ hujusmodi certamen? 'Varia fama ut cuncta ferme nova.' Vel quo pacto Nero id primus celebravit? 'Instituit et quiuquennale certamen primus omnium Romæ more Græco, triplex, musicum, gymnicum, equestre.' Pompeius certe in dedicatione sui theatri, edidit musicum, gymnicum, et equestre certamen. Dio l. 39. καὶ ἐν τῷ ἐκείνῳ θέαν καὶ μουσικῆς, καὶ ἀγῶνος γυμνικοῦ, κἀν τῷ ἱπποδρόμῳ καὶ ἵππων ἅμιλλαν: i. et in eodem spectaculo musicæ, et certaminis gymnici, et in hippodromo equorum certameu exhibuit. Nero primus sanxit ut quolibet quinquennio celebraretur. *Salinerius.* Lipsius vere correxit. Corrupte autea, *quoties P. R. sederet.* Pichena.

Funditus everti] Libris meis abest τὸ, *everti:* et omiseris recte. Scribi etiam possit, *et verti.* Lipsius.

Per accitam lasciviam] Accitam undecunque, sed præcipue ex Græcia. Sic paulo infra: 'effiagitandi Græca certamina.' *Pichena.*

Proceres R. specie orationum et carminum scena polluantur] Verba non bouæ nec expeditæ sententiæ. Neque enim concessio esse potest. Censeo particulam *ut* excidisse: qua reposita nectantur superioribus: *Principe et Senatu auctoribus: qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant, ut Proceres Romani, &c.* Aut mutandum: *Proceres Romanos sp. or. &c. scena pollui.* Acidalius.

Cæstus assumant] Servius in Æn. v. ait, *Cæstum*, per diphthongum, pugilum arma significare. De Cæstu plura l. XVI. *Lupanus.*

An justitiam augurii] Vitium; cui medendo impar ego. *Lipsius.*

Justitiam augurii] Faërnus me hujus mendi admonuit: lego igitur, *jus augurum.* Vertranius. Faërnus reponebat: *An jus augeri, et decurias equitum, &c.* Ursinus. Corruptissimus locus: cui medendo se imparem Lipsius simpliciter fatetur, qui in prima edit. conjecit: *justitiam augeri.* Ego sanare posse videor, sed audaci medicina. Omnino quidem hæc trahenda ad equites illos, quos conscriptos supra memoravit ad celebrandos in scena plausus Nerone cantante. Ii *Augustani* vocati: quod nomen hic librariorum iguorantia au oscitantia interpolatum prius hoc modo, *Anjustitiam:* pro quo mox deinde hæsitantes alii scripserunt, *augurii*, donec receptum in textum utrumque. Nam mihi non dubium, quin vera scriptura sit *Augustanos.* Sed totus locus etiam porro sic emendandus: *Augustanos* (ironia est, sine interrogatione) *et decurias eq. egregie judicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite edidissent.* De his supra: 'Tuncque primum conscripti sunt equites Ro. cogn. Augustanorum.' Sueton. de iisdem, sed paullo aliter, Ner. 20. *Acidalius.* Securus corruptionis hæc attrecto. Res Romana stabat legibus et armis. Virg. Æn. VI. 'pacique imponere morem, Parcere subjectis et debellare superbos.' Hinc spectaculis detrahentes dicunt, his utraque pessum ire; de armis: *nisi ut corpora quoque nudent, et cæstus assumant, easque pugnas pro militia et armis meditentur:* de legibus: *an justi-*

tiam augurii, et decurias eq. egregium judicandi munus expleturos? leges enim divina humanaque complectuntur. Chrysipp. de legib. ὁ νόμος πάντων ἐστι βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων : i. *Lex est omnium divinarum humanarumque rerum regina.* Recensent vero patricios ac equites, quod hos Nero præcipue scena dehonestavit, quodque hi tunc temporis humani divinique juris judices erant. Cæterum *justitia* pro *jure : πρωτότυπον ἀντὶ τοῦ παραγωγοῦ.* Ulp. l. 1. DD. de just. et jur. 'Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat : est autem a justitia appellatum :' idque noster fecit Thucydidis auctoritate l. 1. καὶ ἐλθόντων τῶν πρεσβέων ἀπὸ τῆς συμμαχίας : ubi Scholiastes, *ἀντὶ τοῦ ἀπὸ τῶν συμμάχων.* Nostri eadem, 'ignaviam, et vana ingenia.' Adde si placet : 'ibi concessam dictitans nobilitatem.' Sed nihil opus circuitione : audi Virgil. unde noster sibi sumpsit Æneid. lib. 1. ''O Regina novam cui condere Juppiter urbem, Justitiaque dedit gentes frenare superbas.' Hæc Æneas, quo vidente ipsa 'Jura dabat legesque viris.' Optime *frenare* quia jura vinculum, ne in flagitia ruamus. Consentaneum est igitur eos sic dixisse : an proceres, id est patricios, curatius executuros, quæ pertinent ad augurii jus, an equites quæ ad munus judicandi? *Salinerius.* Vere vitiosus locus ; atque ego vereor, ne temeritatis arguar, qui desperatis manum adhibere audeam : tamen quid super eo divinaverim, non reticebo. Paulo supra dixit conscripsisse Neronem Romanos equites, cogn. Augustanorum. Ad hos derisionis causa fortasse alludit his verbis, quæ mihi sic corrigenda videntur : *An institutos Augustanos, et decurias equitum, &c.* certe non longe a vitiosæ scripturæ vestigiis. *Pichena.* Corrigo : *an peritiam augurii,* aut, *jus totum augurii.* Quasi diceret : num juventus Romana, postquam aures imbuerit peritia judicandi de modis numerisque cantus et de dulcedine vocum, melius tractabit scientiam auguralem, munia militaria, officium judicum? *Harlæus.*

Perite audissent] Alii, *edidissent.* Male : nam infra ait : 'nec cuiquam judici grave, aures studiis honestis, et voluptatibus concessis impartire ;' quæ verba ad hæc referuntur. *Pichena.*

Per diem concupiverit] Legam *conceperit.* Acidalius.

CAP. 21. *A Thuscis accitos histriones*] Nisi Tacitum sui oblitum velis, aut hic *ab Oscis* legendum est, aut supra IV. 14. 'Thuscum quondam ludicrum.' Sed potius inclinem, ut hunc locum corruptum dicam, cum histriones aliis quoque auctoribus Oscum spectaculum dicantur, ut Ciceroni Epist. fam. VII. 1. 'Non enim te puto Græcos aut Oscos ludos desiderasse.' Strabo lib. v. Osco sermone mimos agitatos fuisse scribit, cum gens ipsa defecisset. Hinc Atellanæ etiam fabellæ dictæ sunt, quod genus ludorum ab Oscis inventum prodit Livius VII. 2. et Valerius Max. II. 4. 6. qui tamen turbat, dum histriones Etruria accitos diserte affirmat. Sed videndum, num ita possit conciliari reliquis, ut dicamus non primum initium ludorum eorum respexisse, sed instaurationem. Nam, ut narrat Cluvius Rufus apud Plutarch. in quæst. Rom. 107. C. Sulpicio et L. Stolone Coss. pestem Romæ grassatam omnes ad unum scenæ ministros extinxisse : itaque alios requirentibus advenisse ex Etruria multos bonosque ejus rei artifices. Unde apparet id ludicrum ante etiam Romæ fuisse, quamquam nomine histrionum nondum recepto, cujus diversam originem iidem scriptores citatis locis adnotarunt, et Livius indicato capite qui tamen iis Coss. rem eam novam fuisse tradit, ut ita satis hæc obscura sint. *Freinsh.*

Ludos curatius editos] Germana Cornelii vox, non, *accuratius*, ex libris. *Lipsius.*

Ac ne modica quidem] *Immodica* legendum videtur: quæ videlicet excitari solebant Pantomimorum certamine. Supra I. 77. et XIII. 25. *Gronovius.*

Eloquentiæ primas partes] Farnesiano abest, *partes*, recte. *Lipsius.*

Eloquentiæ primas nemo tulit] Additum perperam fuerat in editis, *primas partes*, quam vocem abstulimus, cum a Flor. absit; et aliis, Lipsio teste. *Pichena.*

Græci amictus, quos per eos dies plerique incesserant] Ne admitte particulam *ctiam*, quam Lipsius inserit, *Græci etiam umictus.* Orditur novam narratiunculam auctor, quæ nihil superioribus hæret. Porro pro *quos*, *queis* lege cum eodem; non quod probari etiam posse credidit, *quos per eos dies plerique ingesserant.* Acidal. Declino vestigia corrigentis. *Quos plerique incesserant;* conviciis scilicet; hæc ea de causa dicuntur, quod sub Nerone Græci habitus usurpatio, desuetudine vitio dabatur, postquam scil. Pompeius Græcos ludos Græcorum (ut reor) apparatu celebravit. Dio l. XXXIX. *Suliner.* Florentinus, *q° per eos dies:* unde, *quomodo*, legendum suspicor: quod alibi in eodem lib. observavi. *Pichena.* Scribo, *incessirant:* Quos, inquit, per eos dies toga posita gestatos plerique arguebant, jam vulgares tum erant, et sero reprehendebantur. *Gronov.*

Rubellius Plautus celebratur] Lego cum Mureto *celebrabatur.* Acidalius. Vulgo, *celebratur.* Sententia vero exigit, ut Mureto assentiar legenti, *celebrabatur.* Pichena.

Hunc illum numine Deum destinari credebant] Malim, *hinc illum.* Rhenan. Imo *hinc:* respondet ea vox voci *quia* quæ præcessit. *Grotius.* Quasi non alterum multo sit elegantius. Virgilius in quarto: 'Hoc illud germana fuit? me fraude petebas.' Petronius: 'hic est Cyclops ille et archipirata, cui vecturam debemus.' *Gronov.*

Consuleret sibi et turbis] Volebam, *sibi et urbi:* sed notat in Flor. legi *consuleret q et urbis:* ex quo apposite Pichena, *quieti urbis.* Sed sic tamen prius illud deest, *sibi:* nec abeo a mea conjectura. *Lipsius.*

Consuleret quieti urbis] Vulgati, *consuleret sibi et turbis.* Vitium indicavit mihi Flor. in quo corrupte, *consuleret qeturbis:* unde facilis fuit emendatio. *Pichena.* Repugnat Lipsius passus ἀνθρώπινόν τι. Neque enim τὸ *sibi* vel Neronis vel Taciti oratio necessario requirit, ut si absit illud, manca vel vitiosa debeat putari. Posset id tenere locum, si constarent cætera. *Sibi et turbis* tolerari nequit: et arguitur ab antiqua manu, ex qua corrector indoctior fabricavit vulgatum, cum faciendum haberet, quod Pichena. Tum *consuleret urbi* quam laxum! at *consuleret quieti urbis* tale, nihil ut possit expressius aut definitius. *Gronov.*

Aquæ Marciæ] Vera lectio: frustra turbant libri, qui partim, *aquæ marginæ*, partim, *morgio*, referunt. *Lipsius.*

CAP. 23. *Ad occupandum Tigranocerta*] Scripsimus *ad occupandæ Tigranocerta.* Rhenan.

CAP. 24. *Carne pecudum propulsare*] Addo, *carne pecudum pecudum.* Non enim ad ultimam necessitatem redactus videri potest exercitus, qui ovilla se sustentat, sed qui ovilla exigua. Modus exiguus debilitabit eum inter graves labores. *Hurlæus.*

Alterum impetu captum] Vox addita, auctore Vatic. *Lipsius.*

Improvisum periculum vitavit] Inserenda mihi particula videatur, *vix vitavit.* Acidal.

CAP. 25. *At præsidium regium*] Volumen regium habet, *At præsidium legerat.* Forte, *At præsidium alterum.* Rhenan.

Quod ferox juventus clauserat] Muret. notavit; *clausa erat*. Accipio: sed addo, præpositionem etiam addendam, *in quod ferox juventus clausa erat*. Acidal. Muretus legit, *quo f. j. clausa erat*. Alii, *quo f. j. se clauserat*. Sed fortasse communis lectio se recte habebit, si accipiamus, *præsidium*, pro ipsis regiis castris, quæ clausa essent, id est, munita ac firmata a feroci juventute. *Pichena.*

Demum irrumpentium armis cessere] Addunt Flor. et Ven. *demum et irrumpentium*. Pichena.

CAP. 26. *Spem belli amittere coëgit*] Melius, *mittere*. Acidal.

Additum et præsidium] Sic Flor. et magis ex more Taciti. Vulgo, *additum etiam præsidium*. Pichena.

Et quo facilius novum regnum tueretur, pars] Hæc quoque distinctione potissimum laborare contendo, non enim pars Armeniæ aliis regibus tradita, ut Tigranes novum regnum facilius tueretur, nec etiam ideo profecerit, sed in præmium navatæ operæ: relata autem verba ad superiora pertinent, hoc ordine atque scriptura: *Additum et præsidium, &c. duæque equitum alæ quo facilius novum regnum tueretur. Pars, &c.* Ita se res habet, ad continendum regnum novum atque turbidum adhuc copiis et viribus opus. Vide locum parallelum XXV. 15. quem ideo notavi: et infra XV. 4. 3. et 5. *Freinsh.*

Pars Nipolique et Aristobolo] In volumine regio tantum est, *Nipuli et Arist.* Quid si legas, *pars populi Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt?* Rhenan. Lipsii prim. edit. conjicit, *Ut cuique finitima Arsinoë, Polemonique et Aristobolo.* Sed latet omnino nomen alicujus regis, sed non in sola voce *Nipolique*, verum hanc præcedente etiam *pars*: quæ per se nihil orationi confert, imo etiam turbat, nisi ex hac simul et sequenti nomen confletur ignoti regis: quod esse *Thrascypolique* Lipsius censuit, nec me judice a vero abhorret. Nam mutilum locum nequaquam esse puto. Perfectus enim ita sensus: Armeniæ pars Thrascypoli, Aristobolo, et Antiocho, ut quæ cuique finitima, data: reliqua tota nimirum Tigrani permissa. *Acidalius.* Multa regum nomina apud omnes perierunt: quædam uni alterive tantum dicuntur, ita ut forte *Nipolis* iste soli Tacito memoratus est: quapropter non dicam maculas hic irrupisse: immo μεταξυλογία (quam etiam parenthesim dicunt) vulgata sic juvem: *Pars Armeniæ ut cuique finitima (pars Nipolique et Aristobolo atque Antiocho) parere jussæ.* Τὸ *jussæ* ex mera significatione rei: nam in plures partes Armenia tunc divisa Thucyd. ὁ δῆμος ἐν πολλῇ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν· i. *populus autem Syracusanorum multum invicem contendebant.* Ad quæ Halicarnasseus: προθεὶς γὰρ ἐνικὸν ὄνομα τὸν δῆμον, ἀπέστρεψε ἀπὸ τούτου τὸν λόγον ἐπὶ τὸ σημαινόμενον πρᾶγμα· i. *præposito enim singulari nomine populum, convertit orationem ad rem significatam.* Eadem poëta: 'Pars Scythiam, et rapidum Cretæ veniemus Oaxem.' Verum non parum turbat illa prima conjunctio *Nipolique*. Tu tamen haud ignoras conjunctiones magnum quid facere in compositione. Phaler. οἱ μὲν σύνδεσμοι τὴν σύνθεσιν μεγαλοπρεπῆ πονοῦσι· i. *conjunctiones autem structuram magnificam reddunt:* scisque τὴν μεγαλοπρέπειαν nostro in deliciis esse; cujus Thucydides ejusmodi commodavit: ἀφικομένων τῶν τελευταίων πρεσβέων ἐκ Λακεδαίμονος, Ῥιμφίουτε, καὶ Μελησίππου, καὶ Ἀλησάνδρου. Sed quid moror externa? Terent. Adelph. 'quod mihique, heræque, filiæque herili est.' Tac. Ann. l. I. 'Dum Augustus ætate validus, seque et domum et pacem sustentavit.' *Saliner.* Bene videntur a Lipsio restituta *pars Armeniæ ut cuique finitima, Trascypolique, &c.* Freinshemius. At ego divinabam: *Pars Armeniæ, ut cui-*

que finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt. Iberus est Pharasmanes jamdudum per filium Rhadamistum insidiatus fratris Mithridatis regno, Armeniæ: unde cum absterreretur a Romanis, partim ut horum gratiam mereretur, partim proprio metu filium interfecit, et ex eo adversus Tiridatem Corbuloni militavit. Vide nostrum l. XII. 44. &c. Item l. XIII. 37. ubi et mentio de Antiocho, quemadmodum sæpius alibi. Polemo notissimus rex Ponti, Josepho Κιλικίας, Ant. II. 56. et Hist. III. 47. commemoratur. Aristobulus XIII. 7. Josephus XX. 5. Τὴν Μικρᾶς Ἀρμενίας προστασίαν Ἀριστόβουλος, Ἡρώδου τῆς Χαλκίδος Βασιλέως παῖς, ἀπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται. *Gronov.*

In Syriam abscessit] Ita emendavit Lipsius. Male antea, *accessit*. Pich.

CAP. 27. *Putcoli jus coloniæ et cognomentum a Nerone adipiscuntur*] In Italiæ regione Campania, Cumæorum emporium Dicæarchia, sic ab justo imperio dicta fuit, ubi deinde Puteoli colonia: de qua Livius l. XXXIV. Facit ex marmore Puteolano sic exscriptum, 'ab. colonia, deducta. anno. XC. N. Fusidio. N. F. M. Fullio. duo vir. P. Rutilio. Cn. Mallio. Coss.' a quibus retro dueta ratio cum Livio aptissime convenit: adeo ut nulla jam occasio dubitandi apud Velleium superesse videatur, ubi de M. Fulvii Nobilioris, Cn. Manlii Volsonis consulatu traetans, priore lib. sic habet: 'Eodem temporum traetu, quamquam apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque et Buxentum missi coloni.' Fuerat autem Puteolos ante quinquennium colonia dedueta, quam Fulvius et Manlius gererent una consulatum. Sane si Romana colonia Puteoli, uti profecto est, non satis scio, quid causæ sit, cur jus coloniæ et cognomentum a Nerone adipisci voluerit. Cum præsertim id ademptum Puteolanis minime constet. Verum liber de Coloniis: *Putcoli colonia Augusta, Augustus deduxit, &c.* Quæ ita quoque scripta legit Volaterranus Geographiæ l. VI. at Alciatus sic retulit, 'Puteolis col. Augusta. Augustus Nero deduxit.' Ego ex Lud. Miræi chirographo produxi, quæ mihi sunt: et verendum ne quisquis auctor illius libelli fuerit, *Augusti* vocabulo potius Octavium intellexerit, quam Neronem; illum enim idem ita sæpe, hunc *Neronem* vel *Claudium* vel *Cæsarem* frequenter nominat. Quo magis putem Alciatum hujus nomen addidisse de suo. Quod si Cæsarianis militib. Puteolanus ager assignatus est, ne possessorib. ademptus dicatur, infrequentiæ loeorum subventurum novis legibus novam coloniam deduxisse Augustum probabile est; cum e veterib. colonis nemo superstes foret, qui jus Rom. civitatis ex lege coloniæ veteris habuisset. Sed si res ita se habet, Puteolis colonia Augustalis est: quid igitur sibi voluit, cum jus coloniæ et cognomentum a Nerone postulavit? cirea dubitationem hanc tollendam deficit ingenium. Potuit enim coloniæ jus petere vicus, municipium: colonia non debuit: nisi ejusmodi esset, quæ ut ait Ulpian. I. de Censibus, 'nihil præter coloniæ nudum nomen haberet.' At vix est ut in Italia fuerit colonia, quæ jus, ne dicam coloniæ, Italicum non habuerit. Subtiliores viderint: neque enim me pudet in re præsertim non protrita illud nescire confiteri. De cognomine tentari potest, fueritne ut *colonia Agrippina*, sic *colonia Neroniana:* qualiter Veronæ inscriptum legimus, 'Colonia. Augusta. Verona. Nova. Gallana. Valeriano. II. et Lucillio Coss.' *Vertran.*

Veterani Tarentum et Antium adscripti] Lectio codicis veteris, *Veterani Tarentum asscripti.* Rhenanus. Corvinianus liber *Antii* non meminit: sed vulgaris lectio Tranquillum fau-

torem habet, ubi de Nerone inquit: ' Antium coloniam, &c. * *Vertran.*

Cap. 28. *A privatis judicibus ad Senatum*] * In Excurs. C. atque illinc lucem istis pete. *Lipsius.*

Favore enixus] Quidam libri, *opibus enixus.* Lipsius.

Vibii Crispi fratris opibus enixus] In vet. cod. legitur, *fratri sororibus enixus.* Lego, *Vibii Crispi fratris honoribus enixus.* Rhenan. Vulgo, *fratris favore enixus.* Flor. mihi viam ad emendationem aperuit. In eo enim corrupte, *frisoribus:* unde restitui, *fratris opibus:* idque clare scriptum reperi in alio recentiori Ms. quem deinde contuli, et est phrasis Tacito usitata: ut supra l. II. ' pulsus haud multo post Hermundurorum opibus:' et alibi pluries. Sic Liv. lib. v. dixit, duos tribunos pl. creatos, ' haud dubie patriciorum opibus.' *Pichena.*

Cap. 29. *Successor Veranius*] Ita in libello de vita Agric. Male vulgo, *Verannius.* Pichena.

Silvus populatus] Emendo, *Siluras populutus;* cum ea enim Britanniæ gente tunc maxime bellum. Consule Tacitum, l. XII. *Lipsius.*

Silvas populatus] Meo periculo repudia *Siluras.* Τὸ enim *populari Silvas* nil aliud est, quam Britannos populari, qui Silvas incolebant. Tac. in Agric. ' Veniunt a lateribus suis extrusi.' Et, ' nam ut superasse tantum itineris, Silvas evasisse.' Hæc de Agricola, qui (ut Veranius) morte prohibitus non est, quin bellum ulterius proferret: immo cæsis fortissimis in Silvis, cæterisque tandem profligatis, aperuit Caledoniam. ' Quomodo Silvas' (alloquitur milites, et simillima comparatione in hostes accendit) ' saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal robore, pavida, et inertia ipso agminis sono pelluntur, sic acerrimi Britannorum jam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum, et metuentium.' Cæsar l. v. ' Cum Silvas impeditas, vallo atque fossa munierunt.' Strab. l. IV. πόλεις δ' αὐτῶν εἰσὶν οἱ δρυμοὶ, περιφράξαντες γὰρ δένδρεσιν καταβεβλημένοις εὐρυχωρῆ κύκλον, καὶ αὐτοὶ ἐνταῦθα καλυβοποιοῦνται: i. *Eorum autem civitates silvæ sunt: circumsepientes enim arboribus dejectis latum ambitum, et ipsi tuguria sibi ponunt.* Saliner. Emendavit Lipsius ex Tacito ipso. Corrupte vulgo, *Siluas.* Pichena.

Supremis testamenti verbis] Glossematium est τὸ *verbis:* et statim, *subjecturum ei provinciam fuisse,* lego: capioque Britanniam ipsam quæ nondum perdomita. *Lipsius.*

Supremis testamenti verbis ambitionis manifestus] Lipsius τὸ *verbis* delet: ego cum Mureto etiam *testumenti.* Leg. *Supremis ambitionis manifestus.* Id est, fine vitæ. Lib. XII. ' Ne admotus supremis Claudius, et dolo intellecto, ad amorem filii rediret.' *Acid.*

Breve littus] Non profundum. *Ferrettus.* Delenda plane vox *litus,* Mureti etiam judicio; quam Lipsius prim. edit. abfuisse testatur a suis libris: et quidni, ait, *Breve,* sic dicamus, ut *brevia maris?* Mirum cur hoc postea spreverit. *Brevia* enim hic omnino Tacitus intelligit. *Acidal.*

Cap. 30. *Crinibus dejectis*] Forte an melius *disjectis* vel *rejectis.* Acidal.

Perculere milites] Ita Flor. nam sequitur, *præberent.* Vulgo, *militem.* Pichena.

Præsidium post hæc impositum victis] Reposuimus, *vicis.* Rhenan. Concordant Flor. et Ven. in voce *victis.* Vulgo, *vicis.* Pichena. Rectius, *vicis.* Sic appellat, quæ habebant pro captu gentis oppida. *Vici* Marsorum Annal. I. 50. Adde quæ scripsimus Observ. I. 20. *Gronov.*

Cruore captivo adolere aras] De hac Britannis, Gallis, Germanis, communi immanitate, dicam ad libellum De Moribus Germaniæ. *Lipsius.*

Cap. 31. *Longa opulentia clarus*] Nihil opus refingere vocem *longu.* Ita enim vocat opes multo tempore coacervatas. Sic supra, XII. 29. ' Vis innumera Ligii aliæque gentes adven-

tabant, fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos prædationibus et vectigalibus auxerat.' *Gruter.*

Uxor Boodicia] Mox proprium hujus nomen erit, *Boudicea*, quæ Dioni et Xiphilino *Baudaica*, et Cornelio in Agricola *Voadica:* adeo in nomine barbaro jure Latii donando, non auctores inter se dissimiles tantum, sed ipse Tacitus sui dissimillimus est. *Vertran.* Addidi vocem, *ejus*, licet non necessariam, quia in Flor. extat: *uxor ejus Boudicca.* Pichena.

Commotis ad rebellationem Trinobantibus] Sic Flor. vulgo, *ad rebellionem:* proba enim vox *rebellatio*, et a Valerio Maximo non semel usurpata. *Pichena.*

Servitio assuefacti] Scripta veraque lectio, *servitio facti.* Lipsius.

Nondum servitio facti] A Flor. etiam confirmatur verbum, *facti.* Vulgo, *assuefacti.* Sic Cic. Off. l. 1. ' Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur.' Livius l. 1. ' factus ad imitationem stultitiæ.' Tacitus etiam infra eodem lib. ' factus natura et consuetudine exercitus.' *Pichena.*

Templum divo Claudio] De eo Seneca in Menippæa: ' Parum est quod templum in Britannia habet, quod nunc [lego, *hunc*] barbari colunt et ut deum orant.' Quod in Tacito est, *ara dominationis*, libenter scripserim, *arra:* quasi id templum pignus et arrabo æternæ servitutis. Quamquam et aras sane habuisse Claudium in Britannia fateor: Poëta ejus ævi ad ipsum: ' Oceanusque tuas ultra sc respicit aras. Qui finis mundo est, non erit imperio.' Nec tamen hic in Tacito, Templum ideo dixeris Aram. *Lipsius.*

Cap. 32. *Feminæ in furore turbatæ*] Faërnus legebat: *feminæ in furorem turbatæ.* Ursinus.

Externosque fremitus] Legerim, *externos quippe fremitus.* Acidal.

Notam esse subversæ coloniæ] Vitio non assignem τὸ *subvertendæ* doctissimi viri castigationem: verum vulgata non deleo, nisi cum jam fuerit conclamatum. *Subversæ* pro *subvertendæ*, ut ἀπωλόμην loco ἀπόλλυμαι· quia ἐναργέστερον αὐτῇ τῇ συντελεία ἐστί· i. quia evidentius est propter ipsam perfectionem, ut ait Phalereus. Plaut. Pæn. ' jam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, Quam mare est olim cum ibi alcedo pullos educit suos.' Noster de Messalina adhuc viva: ' suadebat ne percussorem opperiretur, transisse vita.' Vel malus ille dæmon, simius (pro viribus) prophetarum, usurpat eosdem dicendi modos. Illi enim, ' filia Babylonis vastata,' Psal. cxxxviii. de Babylone a Dario Medo et a Cyro Persa vastanda. Ad hanc faciem quoque fœmina illa sapiens verba facit cum Joab Davidis duce: ' ecce caput ejus projectum ad te,' 2. Reg. xx. Loquitur de Seba, qui nondum fuerat capite truncatus. *Salinerius.* Muretus mutaverat, *visamque speciem mœstam subversæ coloniæ.* At Lipsius ex Dione, *visamque ædium speciem in æstuario notam esse subvertendæ coloniæ.* Ex eisdem Dionis verbis liceat et mihi nulla insigni mutatione proxime ad vestigia vulgatæ lectionis rescribere: *visamque speciem in æstuario, nomine Tamesa, submersæ coloniæ:* quod etsi plane cum Dione non consentit, Tacitum tamen sic scripsisse ego non dubito. *Acidalius.*

Manus, tutela templi freti. Et impedientibus] Apparet ex hac distinctione, sensum auctoris hactenus assequutos non esse editores, alias enim sic interpunxissent: *manus. Tutela templi freti, et impedientibus, &c.* nimirum duæ caussæ proponuntur negligentiæ et incuriæ veteranorum istorum, quarum singulæ singulis effectibus respondent: *neque fossam aut vallum præduxerant*, nempe, *tutela templi freti: neque motis senibus, &c.* nempe *impedientibus qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant.* Freinshemius.

Qui occulti rebellionis conscii consilia

turbabant] Sic Flor. Male vulgo, *occultæ rebellionis:* nam rebellio non jam occulta erat, ut ex superioribus patet, sed conscii. *Pichena.*

Fossam aut vallum produxerunt] Scripsimus, *præduxerunt.* Item paulo post, *in Galliam transiit.* Rhenanus.

Neque motis senibus] Faërnus restituebat legebatque, *Neque amotis senibus.* Ursinus.

Restitit: quasi media pace incauti] Puto inserendum: *restitit. Ita quasi media pace incauti.* Acidalius.

Pæto Ceriali] Scribe, *Petilio.* Ita enim statim dicitur: estque ille qui bellum Germanicum sub Vespasiano administravit. *Lipsius.*

Petilio Ceriali legato legionis nonæ] Ita reposui, monente Lipsio, et historia ipsa. Vulgo, *Pæto Ceriali:* nam et paulo infra ait, 'temeritatem Petilii coërcitam.' *Pichena.*

CAP. 33. *Medius inter hostes*] Emendavimus, *medios inter hostes.* Rhenan.

Copia negotiatorum, et commeatuum maxime celebre] Ex Flor. ita restitui. Vulgo, *commeatu.* Pichena.

Quin daret profectionis signum, et comitantes in partem agminis acciperet] Et sententia, et orationis structura melior erit, si cum sequentibus ita hæc nectuntur: *quin d. p. signum. Et comitantes in partem agminis acceperat.* Acidalius.

Omissis castellis præsidiisque militarium] Corrigit Muretus, *militum:* ego mallem *militaribus.* Forte scriptum erat *militaribus,* unde facilis error. *Pichena.*

Quod uberrimum spoliant] Reponit Lipsius scriptam lectionem, *et defendentibus intutum.* Recte: at sequentia per me, inquit, in mendo manent. Etiam præcedentia, o bone. Nos totum locum sic persanamus: *quod uberrimum spoliantibus, et defendentibus intutum, læti præda, et aliorum segnes, petebant.* Clarissima elegantissimaque sententia. Vox *segnis* eodem modo usurpatur l. XVI. 'Inquies animo, et occasionum haud segnis.' *Acidalius.*

Et deferentes in tutum] Repone lectionem scriptam, *et defendentibus intutum:* quæ in prima recensione, mea culpa, me fugit. Cetera etiam Mercerus ingeniose sic concinnat: *quod uberrimum spolianti, et defendentibus intutum, læti præda et aliorum segnes, petebant.* Alacres ad prædam, segnes ad cetera. Mihi tamen probaretur, *et laborum segnes.* Lipsius.

Et deferentes in tutum, læti præda, et aliorum insignes petebant] Possumus absque castigationibus hæc interpretari. Barbari Verulamium populantur præsidiis non firmatum, spoliisque depositis in loca tutiora, sese accingunt ad municipia ejus generis diripienda, læti copia prædæ et clarissimi Britannorum ob tot felices eventus. Sic inter Germanos Frisii post cædem Romanorum Ann. l. IV. 'Clarum inde inter Germanos Frisiorum nomen dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret.' At positivum pro superlativo accipiendum est, ut contra fit. Plutarch. in Hom. πότε δὲ τὸ ὑπερθετικὸν ἀντὶ τοῦ ἁπλοῦ, ὡς τὸ δικαιότατος κενταύρων: i. *aliquando superlativum pro simplici, ut istud, justissimus centaurorum.* Sane Plautus id usurpat vice comparativi. Mostell. 'speculo claras; clarorem merum.' Vel *insignes aliorum* pro *insignes aliis:* nempe gloria famaque fusæ legionis, totque successuum. Tertull. de Pall. 'Physconem et Sardanapalum tacendum, qui nisi insignes libidinum alias reges nemo nosset:' quæ Tertulliana mutuavi a doctiss. viro. Ad ultimum adtexere libet τὸ μεγαλοπρεπὲς hic a Tacito neglectum non fuisse, *spoliant,* deinde *petebant.* Exemplo Thucydides sit l. III. qui dicto ἐλειποψυχήσατο: i. *animi defectu captus est:* non addit, καὶ ἔπεσεν: i. *cecidit:* sed καὶ πεσόντος αὐτοῦ: i. *eo cadente* quod (ait Demetrius) πολὺ μεγαλειότερον, ἢ εἴπερ τῆς

αὐτῆς πτώσεος ἔφη, ὅτι ἔπεσεν: i. multo magnificentius, quam si eodem casu dixisset quod cecidit. *Salinerius.* Locus varie habitus et emendatus. Ergo nihil aliud nisi puram Flor. cod. lectionem reposui: *quod uberrimum spoliant et defendentibus intutum*, sublatis, quæ in libris editis irrepserant. Mercerus acute et vere. *Pichena.*

Et aliorum segnes] Hæc est correctio Merceri Lipsio pariter atque Pichenæ laudata: quanquam Lipsius mallet; *et laborum segnes.* Alii vitiose; *et aliorum insignes.* Freinshem.

Occidisse constitit] Flor. *cecidit.* Pichena.

Tanquam reddituri] A doctissimo viro habemus *reddituris.* Sed a vulgatis non divellor: *dare* enim *supplicium* alicui est pœnas luere. Terent. Enn. 'et te ultro accusabis et ei dabis ultro supplicium.' Heaut. 'Interea usque illi de me supplicium dabo.' Quis igitur erit impedimento, ne accipiamus *reddituri* dandi significatione? Id vel IC. fecere, quibus est cordi proprietas verborum: 'Hæres meus damnas esto L. Titio Stichum servum meum reddere. Cascellius ait deberi: neque id Labeo improbat, quia qui reddere jubetur, simul et dare jubetur.' Quam Plauto quoque præcipue debemus: Trinum. 'Non ego illi argentum redderem? M. non redderes.' Cæterum ex illis verbis *damnas esto* disce, quam proprie et signanter Virgilius locutus sit, 'damnabis tu quoque votis.' *Salinerius.* Assentior Lipsio legenti *reddituris.* Mureto non possum, qui aliquo item sensu sed a Taciti, ut opinor, diverso notaverat: *tanquam redemturis supplicium, ac præterita interim ultione fest.* Lipsius prima edit. conjiciebat etiam *redemturi.* Acidal.

Cap. 34 *Quartadecima legio cum vexillariis vicesimariis*] *Vexillariis vicesimanis.* Acidal.

Cap. 35. *Sed tunc non ut tantis majoribus ortam*] Videndum an legi debeat: *Se tunc non ut, &c.* nam fieri potest, ut illud *set*, quod ita scribebant antiqui pro, *sed*, ex prima litera sequentis verbi *tunc*, factum sit. *Ursinus.* Muretus inserit, *sed se tunc.* Recte. Estque tum alius denuo versus, *Sed se tunc non ut tantis majoribus ortam.* Acidal. Hæc ut sana transeunt: nec movent quidquam aut mutant eruditi. At locus palam mendosus est. Quid enim sibi hic vult *sed tunc?* Omnino legendum est: *Se nunc, non ut tantis majoribus ortam, &c.* Hoc vult: Non esse novum Britannis sub fœminarum ductu bellare, cum Britanni sexum in imperiis non discernant: non tamen se nunc in bello præire aliis ac præesse, tam ut reginam, tantis ortam majoribus, et pro regno pugnaturam, quam ut unam e vulgo, plebeio homini non ferendis contumeliis ac injuriis affectam a Romanis. Quæ oratio inprimis facit ad augendam invidiam in Romanos, et plus habet gravitatis. *Boxhornius.* Nodum in scirpo. *Gronovius.*

Cap. 36. *Ne Suetonius quidem*] Paulini Suetonii Bundaciæque reginæ orationes ad milites extant apud Xiphilinum ex Dionis Nerone. *Vertranius.*

Spernerent sonoras Barbarorum] Vatic. *sonores:* atque ita scripsisse Tacitum pertendo. Alibi: 'sonorem alterius prælii non audirent.' *Lipsius.*

Ut spernerent sonores barbarorum] Ex Vat. restituit Lipsius priscam vocem, *sonores*, mutatam in, *sonoras*, et Florentinus consentit. *Pichena.*

Quod modica manu, universi exercitus famam adipiscerentur] Prorsus mihi persuasi Tacitum scripsisse, *quod modica manus universi exerc. f. adipiscerentur.* Acidal.

Ut certus eventus] Quod alibi, *eventi*, legimus. *Ferrettus.*

Cap. 37. *Propius suggressus hostis certo jactu tela exhauserat*[An, *certa*, id est, constituto? Potius dubito,

num sit legendum, *incerto jactu*. Mens enim Taciti est ostendere, barbarorum tela frustra exhausta, atque omnia fere in irritum jacta. Idque vel ex eventu prœlii discas, cum circiter octoginta millia Britannorum in ea acie ceciderint, Romanorum vero ferme quadringenti. *Pichena*. Non videtur percepisse mentem autoris Vir Eruditus, qui *incerta* substituit, atque hæc ita exponit, quasi de hostium telis intelligenda essent: quod ne ista quidem sinant, *propius suggressus hostis*. Sensus ergo est, &c. * *Freinshemius*.

Velut cuneo erupit] Fecimus, *ut cuneus erupit*. Rhenanus. Vocem, *cuneo*, reposui, veterum librorum consensu, præsertim Vat. et Florentini. Vulgo, *cuneus*. Pichena.

Cap. 38. *Cohortes alæque*] In prioribus edit. hæc dirimebantur a præcedentibus, non sine damno sententiæ, cui hac distinctione lucem addidi: pendent enim hæc omnia ab istis verbis ‘ quorum adventu :’ quæ ideo a prioribus puncto majori divelli cupiam. *Freinshemius*.

Incuriosos, et omni ætate ad bellum versa] Casuum varietas hæc adduxit in maculæ suspicionem; sed quam bene Thucydides dicat l. III. τοῦ τε χωρίου τὸ δυσέμβατον ἡμέτερον νομίζω, ὃ μενόντων ἡμῶν σύμμαχον γίγνεται· ὑποχωρήσασι δὲ καὶ χαλεπὸν ὂν, εὔπορον ἔσται μηδενὸς κωλύοντος: i. *asperitas autem loci est in rem nostram: nam ea nobis resistentibus pro nobis militabit; cedentibus vero licet difficilis, facilis erit nemine prohibente*. Latine eadem casuum diversitas discerni non potest: at a secundo ad tertium transitur, *μενόντων*, *ὑποχωρήσασι*. Erit autem sensus: Britanni laborabant inopia commeatuum, quod erant suopte ingenio alieni ab agricultura, et ea tempestate omnes arma induerant, unde serendi neglectus. *Omni ætate ad bellum versa* Græci dixissent παυδημεί. Non temere igitur *incuriosos et omni ætate ad bellum versa*. Salinerius. *Serendis frugibus incurioso hoste*, ea indubie vera lectio. *Acidal.*

Gentesque præferoces tardius ad pacem inclinant: quia] Hæc aliter scribe et distingue: *sibi destinant: gentesque p. t. ad p. inclinabant, quia, &c.* Acidal.

Simul in urbe mandabat] Corrcximus, *Simul in urbem mandabat*. Rhenanus.

Nullum prœlio finem] Ἀκύρως. Legerim, *bello:* aut certe, *prœliorum*. Lipsius.

Nullum prœlio finem expectarent] Non ἀκύρως *prœlio*, verum pro ea pugna, qua *octoginta millia Britannorum cecidisse tradunt*. Tot enim occidione sublatis, quid restabat nisi ut cæteri se suaque Romanis permitterent? quæ res finis prœlii bellique penitus fuisset. Quapropter Julius Classicianus Suetonio discors, adversus eum scribebat: deditionem minime futuram, propter sævitiam et superbiam legati: proinde si eam desiderent, Suetonio a se esse succedendum, qui mollibus consultis hostes alliceret: ‘ disperseratque novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira, et superbia victoris, clementer deditis consulturum.’ Vel *prœlio* usurpative pro *bello*, ut *bellum* pro *prœlio*. Noster, ‘ quibus tam anceps belli fortuna quamvis prospero fine equites afflictaverat.’ Dicuntur de pugna inter Flavianos, postquam bellum inter eos non est exstinctum. Homer. Iliad. l. III. Ἦλυθες ἐκ πολέμου· ὡς ὄφελες αὐτόθ' ὀλέσθαι, Ἀνδρὶ δαμεὶς κρατερῷ: i. *Venisti e bello, utinam illic periisses, a viro domitus forti*. Helena increpat Alexandrum, quod singulari pugna ignaviter cum Menelao certavisset. *Salinerius*. Scio quidem uno alteroque loco irrepsisse in Tacitum *prœlium* pro *bello;* sed et id exturbatum statim, ceu minus legitimum, etiam scio: quare heic faciendum, aut rescribendum, *nullum prœliorum finem*. Sane *prœlium* auc-

tori aliud a *bello*, aliquoties ipsemet indicat; ut cap. 30. de morib. Germ. ‘ Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum,’ et alibi. *Gruterus.*

Cujus adversa pravitati ipsius] Iniquam conditionem ducum! Ab hac injusta imputatione Carthaginienses non abhorruere: at Pericles ab cjusmodi barbaria remotos esse voluit Athenienses: ita enim dicit ad invidiam declinandam ob morbum divinitus immissum: Immerito ea de re vobis odio sum, Thucyd. l. II. εἰ μὴ καὶ ὅταν παρὰ λόγον εὐπράξητε, ἐμοὶ ἀναθήσετε: i. *nisi etiam quando res inopinato succedunt, id mihi acceptum fertis.* Felicitatis vos me auctorem vestræ non facitis, qui itaque mihi mala vestra imputare libet? *Salinev.*

Ad fortunam Reip.] Budensis codex: *Ad fortunam ipsius referebat.* Rhenanus. Quorsum hic addi opus vocem *Reip.?* Ego sane quia in Romana edit. *prospera fortunæ*, nec satis concinna lectio, *referre fortunæ* vel *pravitati;* scribendum conjicio, *prospera fortunæ accepta referebat.* Modius Epist. 5. Novantiq. *Pravitati ipsius, prospera fortunæ Reip. referebat.* Acidalius.

Cap. 39. *Cognita libertorum potentia*] In Budensi codice est, *libertinorum.* Rhenanus.

Detentusque rebus gerundis Suetonius] Faërnus legebat: *Demotusque rebus gerundis.* Ursinus.

Qui post paucas naves in littore, remigiumque in iis amiserat] In voluminc regis Corvini, non est pronomen *qui*, et pro *post paucas* legitur, *perpaucas.* Proinde locum sic restituimus. *Detentusque rebus gerundis Suetonius, qui perpaucas in littore naves remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello, &c.* Rhenanus. Muretus *quamquam.* Recte. Sed me etiam *post* illud torquet, cujus nullum usum hic video; vereorque ne paucula quædam alia eo loci desint. Tale forte quid, *quod hostium prædatu paucas, &c.* vel *quod tempestate paucas, &c.* Certum quid non video in tota ista parte. Etiam de quo litore loquitur? quomodo si naves amisit, remigium in iisdem amisisse dicitur? *Acidalius.*

Cap. 40. *Ejus propinquus*] In voluminc regis Corvini est, *et propinquus.* forte, *ei.* Rhenanus. Legi cum Mureto, *Ei.* Idem.

Vicio Rufino] Exemplar Manuscriptum, *Vincio Rufino:* forte, *Vinicio.* Rhenanus. Scribe, *Vinicio.* Mercerus. Faërnus legebat, *Vinicio Rufino.* Non, *Vicio Rufino.* Ursinus.

Tabulariis quos memoravi] In tabulis scribebantur testamenta: ideoque *Primæ* sunt dictæ, et *Secundæ tabulæ;* inde *Tabularii* scriptores et obsignatores testamentorum: hoc est, testes: nam neque tunc tabellionibus utebantur, neque testamenta aliter, quam scriptura, conficiebantur. *Ferrettus.* Olim testamentum epistolamve scripturi stilo in tabulis incidebant, quibus cera superimposita, et has lino deinde obligabant, et demum tabulas ceratas obsignabant, uti Chrysalus Plauti Bacchidibus indicat. Inde, qui adhibitus a testatore literarum ignaro, testamentum scriberet, quive rogatus ab amico tabulas contractus exararet, *tabularius* ab Ulpiano dicitur: neque enim tum erant, ut nunc nimio plures sunt, qui tabulariam profiterentur. Illo sane modo Valerius Fabianus testamentum Domitio Balbo subjecturus, ita ae si ex illius rogatu tabulas scripsit, ideoque *tabularius* Cornelio, deinde ascitis testibus signandum obtulit. Quod ita sentio ne plurium manu scriptæ testamenti tabulæ videantur. Est igitur vitio repurgandus hic locus, et ita legendum, *Fabianus tabularius iis quos memoravi, et aliis minus illustribus obsignat*, id est, falsum testamentum signat ipse, tum fraudis participibus signandum offert, quæ juxta solemnia juris accommodata, fit verisimile. *Vertranius.* Emendavit Lip-

sius ex Vat. eum antea corrupte legeretur, *tabulariis quos memoravi*. Idem videtur a Flor. confirmari, in quo apparet scriptum fuisse, *tabulasiis;* sed recentiori manu erasa litera, *s*, et repositum *tabulariis*. Pichena.

Lege Cornelia damnantur] Testamentariam intellige, ex qua falsi pœna deportatio est, bonis confiscatis, auctore Marciano, 1. Vide L. Cornelia de falsis. *Vertranius.*

CAP. 41. *Perculit is dies Pompeium quoque Ælianum*] Sic veteres quos vidi, et ratio ipsa. Male vulgo, *Pompeianum*. Pichena.

Interim specie legum] Non satis scio cur *specie legum* Valerius Ponticus ad prætorem et non ad præfectum urbi reos falsi dicitur detulisse: est enim persuadens conjectura ex Ulpiani scripto de officio præfecti urbis, ab ipsa institutione Augusti, omnia crimina intra urbem admissa ad curam præfecti urbis pertinere: ejus igitur notio de falsi crimine fuit. *Vertran.*

Vendidissetve] In exemplari manuscripto tantum, *vendidisset*. Sed tamen apparebat rasura. Melius autem placet, *Senatusconsultum*, quam quod illic legitur, *senatusconsulto:* Rhenanus.

Perinde pœna teneretur, ac si publico judicio] Faërnus delebat particulam *si*, legebatque: *Ut perinde pœna teneretur, ac publico judicio, &c.* Ursinus. Additum in vulgatis fuerat, *ut perinde*. Nos illud, *ut*, expunximus, in Flor. vacans, et omnino superfluum. Sunt enim obliqua verba ipsius Senatusconsulti. *Pichena.*

CAP. 42. *Sive amori exoleti infensus*] Emendavimus, *sive amore exoleti infensus*. Rhenanus. *Exoletus* dicebatur adultior cinædus, et qui passiva libidine prostitueretur. Exoletos in animo habuit vetare Alexander Imperator. Hoc verbum frequens est Suetonio. *Lupanus.*

Senatusque, in quo] Expeditior sententia, *Senatuque in ipso*. Lipsius.

Senatus in quo ipso erant studia] Scripsimus, *senatusque:* et sic distinximus verba, *senatusque in quo ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium) pluribus nihil mutandum censentibus*. Expone, *pluribus senatus*, hoc est, pluribus e senatu nihil mutandum censentibus. *Rhenanus.* Optima, verum sic distincta: *Senatusque (in quo ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium) pluribus n. m. censentibus:* priora de seditione plebis, posteriora de discordia patrum: alterum per hæc: 'Sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine, saxa ac faces minitante.' Alterum his clarum fit. 'Sententiæ Cassii ut nemo unus contraire ausus est, ita dissonæ voces,' &c. *Salinerius.* Lipsius legendum conjecit, *senatuque in ipso*, cum ederetur, *senatusque in quo:* quam lectionem suspectam reddunt etiam vet. edd. in quibus: *senatus in quo ipso:* ita non immerito dubiæ scripturæ certam emendationem Lipsii prætulisse videamur. *Freinshem.*

Pluribus nihil mutandum censentibus] Hic Florentinum codicem non audio, in quo legitur *nihil multandum:* falso: cum dicat, Cassium inter illos fuisse, qui nihil mutandum censebant, id est, legis executionem suadebant. *Pichena.*

Ex quibus C. Cassius] Flor. *ex quis C. Cassius*. Pichena.

CAP. 43. *Quod hodie venit*] Scribendum videtur, *quod hodie evenit*. Rhenanus.

At quem dignitas sua defendet] Volumen Budense, *ut quem*. Posset etiam legi, *ecquem dignitas sua defendet*, Rhenanus.

Avertit] In volumine Budensi est, *advertit*. Legerim, *quæ ne in metu quidem*, sive *motu, pericula nostra advertit*. Cum dativo construit hoc verbum l. III. 'Ne princeps antiquæ parsimoniæ durius adverteret.' Alibi usurpat *advertere*, pro *in se vertere*, sive *commovere*. Ut l. IV. 'Atqui illic ea-

dem actitando recentia veteraque odia advertit.' Lib. v. 'Ut vulgum miseratione adverteret.' *Rhenanus.* Quicquid codices manuscripti contineant, *quæ me in morte*, non autem *in metu*, aut *in motu* legendum esse contendo. *Vertranius.* Faërnus legebat, deleta, *in*, præpositione, *Quæ ne metu quidem.* Ursinus.

Quia de paterna pecunia] Abite sinistræ manus: nihil mutandum. Εἰρωνικῶς ista et ἐξ ἀντιστάσεως capienda sunt. *Lipsius.*

Libet argumenta conquirere] Negationem addendam scio, *Non libet.* Quod sequitur *sed et*, forte legendum, *sed ut*, id est, tanquam. *Acidalius.*

Cap. 44. *Deliberatum est*] Videndum an addenda sit interrogationis nota ad verba illa: *deliberatum est?* Illud autem, *jure cæsum videri*, ex antiqua judiciorum formula Tacitus sumpsit. *Ursinus.*

Sed et si nunc primum statuendum haberemus] Liber regius, *sed si.* Conjicio leg. *deliberatum est, ac si nunc primum stat. h. creditisne servum interficiendi domini animum sumpsisse.* Sic enim scripsimus pro *insumpsisse.* Rhenanus.

Sane consilium occuluit] Flor. habet, *consilium occultavit.* Pichena.

Telum inter ignaros paravit] Hoc interrogatione efferri placeat: *telum inter ignaros paravit?* Atque etiam repeti hoc verbum, eadem concessionis figura: *paravit: num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, &c.* Acidalius.

Multa sceleris indicia præveniunt, quæ si servi, &c.] Ita Danesius legebat: nam in vulgatis deest illud, *quæ.* Ursinus. Muretus distinxit, *præveniunt: servi si prodant, possumus singuli inter plures, &c.* Vere. Sed nec dum veram sententiam assequere, ni etiam scribas: *Multa scelus indicta præveniunt.* Acidalius.

Non inulti inter nocentes agere] Videtur delendum illud, *non.* Ursinus. Haud exputo, cur optimus Ursinus abesse cupierit negativam *non*; cum, meo quidem judicio, in ea, veluti in cardine, versetur totius argumentationis salus. Si, inquit, servorum cohors in nos omnino conjuraverit, hoc erit tamen mortis nostræ solatium, quod severe vindicabimur, ipsis nobis, morte sua, parentantibus. *Gruterus.*

Num et ex fuso exercitu] Castigavi, *Nam et ex fuso exercitu.* Rhenanus. Videatur et hic negatio reponenda cum hac lectione: *Non et ex fuso exercitu, &c.* Sed non est. Eadem ratio objiciendi et respondendi, quæ infra hoc lib. 'Bello et periculis meruerant. In his enim juventa Augusti versata est.' *Acidalius.* Placuit reponere lectionem Veneti Codicis, cum nota interrogandi: et ex Flor. *fusti*, pro *fuste. Nam et ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui non sortiuntur.* Vulgati sic: *Nam et ex fuso e. c. d. quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur.* Pichena.

Etiam strenui non sortiuntur] Negativam particulam, *non*, abstulimus. Quippe recte habet sententia: *Nam et ex fuso exercitu, quum decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur.* Usurpat autem hic *sortiuntur* passive. *Rhenanus. Sortiuntur* passive, quod perrarum iuventu est. *Ferrettus.* Neque interrogationis notam admiserim, nec negandi particulam, quam fatetur satis Pichena in Florentino non apparuisse, quum ex Veneto arcessit. Est autem oratio brevis, continens rationem ejus, quod non ponitur, sed intelligitur ex præcedenti. Quasi foret: *At quidam insontes peribunt.* Pereant sane; neque id hoc solum casu contingit: *nam et ex fuso exercitu, &c. etiam strenui sortiuntur:* id est, sortem trahunt inter decimandos, et sæpe accipiunt iniquiorem, pereuntque insontes. Neque enim *sortiuntur* παθητικὸν, ut volunt. Cicero in Verrem II. 20. 'Dic, inquit, illi

adesse non possunt. Nam hercle, inquit Minucius, me quoque Petilius, ut sibi in consilio essem, rogavit: et simul a subselliis abire cœpit.' Intelligitur, Immo et ego, inquit Minucius, adesse non possum: *nam hercle me, &c.* Pluribus alibi hoc in sermone compendium illustramus. *Gronovius.*

CAP. 45. *Et saxa ac faces*] Particulam, *et*, induximus. *Rhenanus.*

Saxa ac faces minitante] Flor. ac Venetus habent, *minante.* Pichena.

Per sævitiam incenderetur] Malim, *intenderetur.* Rhenanus. Scribe, *intenderetur*, quod Tacito et huic sæculo perpetuum, pro augeretur. Nam quod *incendi* annona dicitur, nihil ad vulgatum. *Mercerus.* Credo omnino *intenderetur* hic ab auctore scriptum, quo verbo frequenter usus alias: etsi illud eodem sensu. *Acidalius.* Vulgo, *incenderetur*: ego Rhenani ac Merceri judicium secutus, reposui, *intenderetur.* Pichena.

CAP. 46. *Statilium Taurum proconsulem ipsius*] Florent. habet, *proconsule*, ut sæpe alias. *Pichena.*

CAP. 48. *P. Mario, L. Asinio coss.*] Nomen hujus primi consulis corrupte legas in vetusta Persii vita nuper cum Juvenalis Scholiaste edita: 'Decessit Persius VIII. Kalend. Decembr. Rubrio Mario, Asinio Gallo Coss.' Scribe, *Publio Mario*: cui cognomen fuit, Celsus. *Lipsius.*

Quem in Tribunatu licenter egisse memoravi] Lib. XIII. *Idem.*

Revocata ea lex credebatur, (quæ haud perinde] Pugnat sequens narratio, suadetque rescribendum *qua*: non enim lex quæsivit gloriam principi: sed Capito eo consilio legem revocabat, non exitio Antistii, sed ut damnatus a Senatu beneficio Principis faceret locum. Scelestum hominis consilium subversum Thraseæ sententia et Senatus adsensu. *Mercerus.* Nero admisit delationem Cossutiani, non ut Antistium perverteret, sed ut damnatum sua intercessione liberaret, indeque sibi clementiæ gloriam conciliaret, *quæ* scil. revocatio majestatis ob carmen famosum *quæsivit.* Sed id frustra cecidit, prævaluit enim sententia Thraseæ, qua exilium, non mors, irrogabatur. *Intercessione tribunicia.* Nimirum Neronis, qui eo modo tribunus, quo Augustus. Tac. Ann. l. I. 'Et ad tuendam plebem tribunicio jure contentum.' Nec falsus est animi Cossutianus, qui conjecit ea revocatione Neronem clementiæ decus affectasse, 'Cæterum sequi severitatem decernentium impediturus fuerit.' Postremum quid nos urget ut cum ingeniosissimo Mercero legamus, *qua?* et faciamus Capitonem gnarum hujus Neronianæ calliditatis? An is ubique (ut in nequitiis) apertus? *Revocata ea lex credebatur, quæ*, ut Sallustius Cat. 'sed antea item conjuravere pauci contra remp. in quibus Catilina fuit, de quo quam verissime potero dicam.' *Salmerius.* Æstuat hic Lipsius, nec quenquam reperit huic nodo, quem sola particula *quæ* nectit. Expedit tamen Josias Mercerus, *qua haut perinde, &c.* ut ad accusatorem referatur, non ad legem. Bene profecto: sed eandem in sententiam ut de lege quoque ipsa acciperetur, voluerat Muretus, notaveratque legendum, *quæreret.* Mihi alterum horum satisfaceret, nisi locutio ista dissuaderet: *Tunc primum revocata ea lex credebatur.* Quid, *credebatur?* inepte, quasi id non certum. Revocata tunc primum lex Majestatis fuit, quæ tam diu sub Nerone acquieverat. Removendum igitur hinc illud *credebatur*, et cum sequentibus jungendum: quomodo eorum expeditissima sententia, verissima Taciti scriptura confiet: *Tum primum revocata ea lex: credebaturque haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloriam quæsisse:* quamquam hoc postremum variam admittit mutationem: necdum satis constitui, quid potissimum reci-

piendum. Possit, *gloriam quæsitam, gloria quæsita; gloriam quæri; gloria quæri:* denique et *gloriam quærere.* Acidalius. Quam levi mutatione Mercerus hunc locum optime sanavit! Legit sane (ut sciant quibus ipsius notæ non sunt ad manum) *qua haud perinde, &c.* Sensus est, Capitonem, &c. * *Pichena.*

. *Ne condemnatus a senatu*] Scripsimus, *ut condemnatus a senatu.* Rhen.

. *Obstricto senatui*] Castigavi, *senatu.* Rhenanus.

. *Quin in insulam*] Emendavimus, *Quin insula:* nam Tacitus frequenter omittit præpositiones, *in, de, ex, a,* vel *ab.* Rhenanus. Legendum, *Quin in insula.* Vertranius. Murctus optime ut et Lips. prima edit. *in insula:* et paulo post *miseriorem.* Acidalius. Aliquid hic deesse videtur: nam si attendas, Thraseæ sententia integra non est; nec juvant libri. Vulgati, *quin insula.* Venetus, *quin in insula:* quæ lectio a me reposita, convenit propius cum Florent. qui habet, *qui in insula.* Muretus pro, *miserior,* legit *miseriorem.* Sed nihil ad rem. *Pichena.*

Eo privatim miserior] Lego: *eo privatim miseriorem:* et sermonis textus ita postulat. *Lipsius.*

. *Publicæ clementiæ maximum exemplum futurum*] Faërnus legebat, *futurus* pro *futurum:* quod magis placet. *Ursinus.*

. Cap. 49. *Libertas Thraseæ servitium aliorum rupit*] Depravatum hic vocabulum est *servitium.* Correximus, *silentium aliorum rupit.* Rhenanus. Vulgata lectio suffragio exemplaris non destituitur, sed contrariis oppositis illustrior erit, si sic ex fide libri Palatini legas, *Libertas Thraseæ servitium aliorum rupit.* Similis est phrasis l. xv. 'Qui sæpius libertatem Senecæ quam servitium expertus esset.' *Vertranius.* Confirmatur hæc lectio, omnium fere librorum consensu: et tamen Rhenanus reposuit, *silentium aliorum:* an recte, alii judicent. Ego certe, *servitium,* malui: qua voce ostenditur, Senatores adeo servilem animum induisse, ut fere loqui non auderent. *Pichena.*

Paucis exemtis] Flor. habet, *exeptis.* Forte, *exceptis.* Pichena.

Data etiam absolvendi] Melius e priscis, *datam etiam abs. licentiam.* Lipsius.

Datam et absolvendi licentiam] Reposuimus, *data etiam absolvendi licentia.* Ubi *licentium* vides in bonam quoque partem accipi. Sic l. i. 'Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benc faciendi licentia.' *Rhen.* At mihi magis probatur lectio, quam restitui ex Flor. Ven. aliisque antoribus, *datam et absolvendi licentiam:* aptius enim exprimere videtur principis indignationem, ac responsum cum stomacho redditum: quin, inquit, etiam potestas, eum penitus absolvendi, vobis fuit. Ideo statim: 'et offensionc manifesta.' *Pichena.*

Cap. 50. *Quod multa et probrosa*] Ita scripsi ex Flor. Vulgo, *qui multa.* Pich. Legendum *quia,* vel *quod,* quorum hoc Muretus notaverat. *Acid.*

Iis libris quibus nomen codicillorum dederat] Illic, *iis libris codicillorum quibus nomen dederat:* nec refert, si recte distinguas. *Rhenanus.*

Adjicicbat Talius Geminus accusator] Mur. *T. Allius.* Habet et Lips. prim. edit. Postea sprevit et forte merito. *Acidalius.*

Venditata ab eo munere principis] Exemplar regium, *vendicata ab eo munere principis.* Paulo post videtur ex scriptura regii codicis potius legendum, *incertum valitudine an veneno.* Rhenanus.

Cap. 51. *Quod in se tumescentibus*] Muret. *quod intumescentibus.* Ego vulgatum non mutem. *Acidalius.*

Illitum palatum ejus noxio med.] Genitivus *ejus* non est in Budensi volumine. *Rhenanus.* Addidi vocem, *ejus,*

ex Florent. ac Ven. quamvis non necessariam. *Pichena.*

Cum ad visendum eum princeps venisset] Accusativus *eum* non est in Budensi voluminc. *Rhenanus.* Et hic iidem libri auctiores: nam vox, *eum*, a vulgatis abest. *Pichena.*

Aspectum ejus aversatum, sciscitantique hactenus respondisse, Ego me bene habeo] Hæc saue sunt inepta. Quid enim in hoc responso Burrhi, id est, spiritus est generosi? Quomodo eo Nero perstringitur? quod tamen non obscure indicat Tacitus. Et quid sibi vult illud, *hactenus respondisse?* Non est nisi erecti ingenii, quid tantus vir dixerit, quidve voluerit, observare. Itaque ad incomparabilem Heinsium rursus nobis eundum est. Scribit ille, ac distinguit: *sciscitantique, Hactenus, respondisse, ego me bene habeo.* Verba, inquam, Burrbi sunt, &c. * *Boxhornius.* Acute: et illud *Hactenus*, ut Burrhi, non Taciti, etiam præfert Aurelii lectio, verba ista, *Hactenus ego me bene habeo:* alio charactere formata exhibens. Commode tamen, *Hactenus respondisse*, potest exponi, hoc tantum, &c. * *Gronovius.*

Alterius flagrantissima flagitia et adulteria] Notatum in Mur. excerptis, *et ad ultimum:* quod supponi voluerit pro illis, *et adulteria*, an interseri, *flagitia, et ad ultimum adulteria*, nescio. Neutrum quidem mihi probabile. Illud non potest omnino; hoc possit; sed nulla necessitate, aut levi saltem caussa. *Acidal.*

Sine quæstu tractabat] Posset etiam legi, *tractaverat.* Rhenanus.

Sofonium Tigellinum] * Plura illic vide, sed hæc corrige: *a Vinicio et Lucio:* itemque, *Agrippinæ et Liviæ, sororum C. Cæsaris.* Nihil certius. Nam M. Vinicius Liviam Germanici filiam uxorem habuit, et L. Domitius Agrippinam. Tacitus l. VI. Idem Tigellini nomen corruptum odoror in Egesippi l. IV. c. 20. ubi de Nerone. *Et ideo*, inquit, *nequissimis se Nymphidio et Gemellino præcipue credendum putavit.* Gemellinum hunc nusquam reperias, et suppone fidenter *Tigellino.* Adprobat, quod ipse subdit desertum Neronem ab utroque: quod historiæ, et nominatim de Tigellino Tacitus, prodiderunt. *Lipsius.*

Ofonium Tigillinum] Xiphilinus vocat Σωφρώνιον, ubi fortasse debuit Σωφώνιον scripsisse: ceterum hic et lib. Hist. I. *Sofonium* legendum esse contendo. *Vertranius.*

Atque infamiam secutus] Nero amabat eos, qui flagitia Venerea dissimulabant: eaque de causa iis cætera scelera plerunque missa fecit, ut patet ex Suet. c. 9. Tigellinus itaque apertæ et perditissimæ luxuriæ vir, ea de re præfectura donatus est. *Salinerius.*

Ac quæ illi pro cognatis moribus] Non displicet Farnesiana scriptura. *Atque illi procognitis moribus fuere:* id est, præscitum antea, qui mores utrinsque. Vatic. refert, *progcnitis moribus:* tentabam, *pro gentis majoribus;* quasi commendatione vitiorum pro natalibus usus. Humilitatem quidem generis ejus notat idem Tacitus I. Historiar. 'Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia.' Forte et sic leg. *ut qui illi pro geminis moribus faveret.* Geminum, simile. Emeritus ergo Tigellinus favorem Neronis similitudine morum vitiorumque. Sed ne dissimulem, Farnesiana lectio firmari omnino a Victore videtur, phrasim hanc æmulante, imo sumente a Tacito, in Othone: 'Qui potentia dies fere quinque et octoginta, præcognitis moribus, potitus, postquam a Vitellio pulsus est, mortem sibi conscivit.' Atque ita Victor: tamen ingeniosus Mercerus divisim illa Farnesiani codicis legebat: *illi pro cognitis:* tales, quales jam ante noti. *Lipsius.*

Et quæ illi pro genitis morib. fuere] In exemplari regio legitur, *atque illi.* Legerim, *ac quæ illi:* pro *genitis*, vero *cog-*

natis. Igitur emendavimus, *pro cognatis moribus fuere.* Rhen. Faërnus legebat, *quæ illi pro gente et majoribus fuere,* pro illis, *Ac quæ illis pro cognatis moribus fuere.* Ursinus. Nihil certius est scriptura Farnesiani codicis, si eam distinctione juves: *Atque illi pro cognitis moribus fuere; validior Tigellinus, &c.* Dixerat causas quibus evecti ad præfecturam Fenius et Tigellinus: subdit utrumque fuisse *pro moribus cognitis,* id est, ita apud principem valuisse, ut ratio vitæ prioris et morum pristinorum ferebat. Nam adscitus per libidines Tigellinus, per easdem vim retinuit apud Neronem. Fenius favore vulgi et commendatione innocentiæ lectus, gratiam populi retinuit, non principis. *Mercerus.* Multum defero μεταξυλογίᾳ et Hermogenes suadet καὶ τῷ σχήματι χρῆσθαι τῷ κατ' ἐπεμβολήν: i. e. *uti etiam figura, quæ interjectio vocatur.* Scribo igitur: *Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam, atque infamiam secutus, ac quæ illi (pro cognatis moribus) fuere.* Hæc *pro cognatis moribus,* id est, propter similes mores, ad impudicitiam referenda sunt, et ad alia vitia Tigellini, ut caussa præcipua, qua ei Nero sic indulserit: ambo enim crudeles et impudici: de Nerone tonsoribus notum est. Tigellinum hic habes impudicum, crudelem l. I. Hist. 'crudelitatem mox, deinde avaritiam, et virilia scelera exercuit.' Dixi, pro *cognatis moribus:* dictum vice, propter similes mores, affirmo. Tereut. Enn. 'Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar.' In culpa autem Cornelius non est, si nonnunquam metaphoras usurpat. Demetr. αὐταὶ γὰρ μάλιστα καὶ ἡδονὴν συμβάλλονται τοῖς λόγοις, καὶ μέγεθος: i. e. *ipsæ enim orationem impertiunt magnificentia et voluptate.* Nec nimis remota metaphora is usus est: quando *Germani* sic appellati sunt propter morum similitudinem cum Gallis. Strabo l. VI. διὸ δίκαιά μοι δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τοῦτο αὐτοῖς θέσθαι τοὔνομα: i. e. *qua de re merito mihi videntur hoc nomine a Romanis nuncupati.* Salinerius. Torquent se viri docti in hoc loco. Lips. e Vat. tentat: *pro gentis moribus.* Mureto notatum, *pro gente et moribus.* Lipsius iterum: *ut qui illi pro geminis moribus faveret.* Sed labitur denique idem, ut veram Farnesiani libri putet scripturam, *Atque illi procognitis moribus fuere:* ductus eo potissimum, quod P. Victor velut a Tacito mutuatus, eadem phrasi in Othone usus sit, *præcognitis moribus:* quod mihi leve adeo videtur, ut nihil supra. Amplector et ego in parte Farnesianam lectionem: sed jungenda hæc moneo cum sequentibus, a superioribus avulsa: et legendum denique post tot errores: *ac infamium in eo secutus. Atque illi pro cognatis moribus fuere, &c.* De utroque Tacitus l. XV. 50. Malim tamen nunc: *infamiam in eo secutus, ac quia illi pro cognatis faveret:* id est, propter morum cognationem, similitudinem, congruentiam, ut Suetonius de Othone in re simili 2. Illud *ex intimis libidinibus assumptus,* possis mutare *Et intimis lib. assumptus.* Acidalius. Varii hic codices. Farnesianus *pro cognitis morib.* Vat. *pro genitis morib.* Inde Lips. *quæ illi pro gentilib. morib.* Mirum ni ex vulgari lectione, tantum ejecta glossa, legendum: *quæ illi pro majoribus fuere.* Nam ad vocem *majoribus* aliquis interpretationem illam *pro cognatis* adscripserat, quæ postea in textu quasi Taciti verba valuere. Fuerat Tigellinus obscurus, patre Agrigentino egentissimo. Proinde ait Tacitus impudicitiam atque infamiam ipsi pro majorib. fuisse. Istis enim egregiis artibus, quasi præclaris majorum meritis alii solent, ad id honorum fastigium adscenderat. *Colerus.* Alter Manuscriptus proxime ab optimo Flor. distans, hanc lectionem comprobat, quam Mercerus, ex Farnesiano amplectitur. Sensus: Fenium ac Tigellinum minime ab opinione homi-

num degeneravisse, talesque in eo muuere se præstitisse, quales pridem cogniti fuerant. Vulgo, *ac quæ illi pro cognatis morib. fuere.* Pichena.

Ex intimis libidinibus] Vatic. *in intimis*, esset, ad intimas libidines electus. *Lipsius.*

Ex intimis libidinibus ussumptus] Scripsimus, *et intimis, &c.* Rhenan.

Quamquam nec Neronem adversum experiebutur] Sic hæc emendanda, pro quibus vulgo nulla sententia, *quod apud Neronem.* Vitii origo, quod pro *quumquam* primo sumptum *quodquod*, quorum alterum postea mutatum in *upud*; et *nec* facile omissum propter *Ner.* Acidalius. Apud Domitianum etiam, maxime. Tac. in vita Agric. ' militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.' *Pichenu.*

Cap. 52. *Et privatim supra modum evectas opes*] Mutavimus *privatim* in *privatum.* Rhenanus.

Illudere voces] Magis placeret, *vocem.* Ursinus. Muret. *vocem:* melius. Nisi fuerit *Vocei*, id est, *Voci.* Acidalius.

Cap. 53. *Studia, ut sic dixerim, in umbra educata? e quibus claritudo venit*] Legam, *in umbra educuta? et quibus.* Acidalius.

Innumeram pecuniam dedisti] Codex Budensis, *circumdedisti.* Subauditur hic *et* particula, *grutiam immensam et innumeram pecuniam circumdedisti*, scil. *mihi.* Rhenanus. Faërnus legebat: *innumeram pecuniam circumdedisti, &c.* nam in vulgatis deest illud, *circum.* Ursinus.

Tules hortos instruit] Flor. *extruit.* Sed non mutavi. *Pichena.*

Cap. 54. *Et tot per annos nixum fastigii regimen*] Putem rectius *enixum fastigio:* id autem est ad fastigium. *Grotius.*

Possumus seniores amici, quiete respondere] Conjicio legendum; *poscimus seniores amici quietem respondere:* nam volumen regium habet, *quietem.* Rhenanus. Beatus legit *poscimus*, et ex Corviniano *quietem* reponit: ego malim, *possimus seniores animam quieti per te spondere.* Vertran. Intricata verba, e quibus sententia tamen utcunque elucet. Varii varie mutarunt. Muretus nihil hic juvat: qui *poscimus* saltem adnotaverat. Nos persanabimus etiam hunc locum, post tot præstantium virorum irritos conatus. Lego et distinguo: *et tot per annos nixum fastigii regimen possumus seniores amici reponere*, vel *deponere.* Quod verum probant, quæ subsequuntur: *Hoc quoque in tuum gloriam cedet, eos ad summa vexisse, qui et modicu tolerarent.* Sed referebat mihi Dn. Pinellus, Joannem Petrum Maphæum, virum doctissimum, qui nunc Romæ ageret, et in Tacito, Livio, aliisque auctoribus multa observasset, hunc locum sic interpretari, ut nihil mutetur. Esse enim metaphoram ab agricultura: ut terra respondet agricolarum votis, si aliquando quiescat: ita amicos seniores Neronis satis facturos ei etiam in ista ætate, si otium sibi concedatur. Quod præcedit, *Nixum fastigii regimen*, sic capiebat Pinellus: Superesse Neroni robur et per tot annos jam sustinuisse imperii onus, ut et sciret et solus sufficeret. *Acidalius.* Lege; *quieti nos spondere*, vel *quieti respondere.* Anrel. At tu vide, si lubet, Observ. II. 4. *Gronov.*

Qui et modica tolerarunt] Castigavimus: *qui et modica tolerarent.* Rhenanus.

Cap. 55. *Sed in ea ipsa ætute, cujus auctoritas, &c.*] Totus hic locus ita legi commodius posset: *Sed in ea ipse ætate, cujus auctoritas tueretur quicquid illi*, vel (ut Faërnus) *illis, et qualecunque tribuisset, ac tamen neutrum datis a se præmiis exuit, &c.* Ursin.

Attamen neutrum datis a se præmiis exuit] Malim, *Ac tamen:* quod et

Muretus. *Acidalius.* Flor. *ac tamen.* Pichena.

Bellis et periculis meruerant] Scripsi, *Bello et periculis meruerant.* Rhenan. Præponi velim *at*, ut objectio clarior et robustior sit: *At bello et periculis meruerant. In his enim juventa Augusti versata est.* Acidal.

Pudet referre libertinos, qui te ditiores sunt] Ita Danesius legebat, addito, *te*, quod in vulgatis deest. *Ursin.*

Cap. 56. *Nisi forte aut te Vitellio*] Vitellius ter consul, malis artibus plurimum potuit apud Claudium: a quo, cum illi pudendum in modum adularetur, honores opesque maximas assequutus est. Sed cum inquit, *me Claudio proponis:* malim, *mihi Claudium præponis:* alioqui nullus bonus elici potest sensus. Nisi ergo, inquit, aut te plus adeptum esse putas quam Vitellium, ter consulem, summis hominem opibus, et alterum fere imperatorem; aut mihi Claudium præfers, addictum mulieribus, et libertis, et vix mentis compotem. *Ferrettus.* Faërnus legebat, *aut me Claudio postponis, &c.* non, ut in vulgatis, *præponis.* Ursin. Senecæ verba fuerunt: 'Sed uterque mensuram implevimus, et tu quantum princeps tribuere amico posset, et ego quantum amicus a principe accipere.' Quæ Nero studens impugnare, his innititur: Tu (quæ tua modestia) dicis me tibi ea donasse, quæ princeps in amicum conferre valuit; ego vero conscius mihi sum, idem vero procul esse, quia nonnullos libertinorum te video multo ditiores: sed quod a me nondum factum est, fiet utique, nec in longum ducetur. An fulgore, &c. * In his multus fui, quod obscura visa sunt doctissimo viro. *Saliner.* Muretus voluerat, *aut mihi Claudium præponis.* Recte, sed in parte. Rectius Lipsius *postponis*, vel addita negatione, *non præponis:* quorum illud ego malim. Sed et sequentia, *Sed quantum Volusio longa parcimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest*, leviter mutanda, et cum antecedentibus nectenda hoc modo: *Nisi forte aut te Vitellio ter Consuli, aut me Claudio postponis: et quantum V. L. p. quæsivit, t. in te m. l. e. non potest.* Acidal.

Claudio præponis] Siquid video, aut negatione insita scribend. *non præponis:* aut mutandum in *postponis.* Certe et Nero judicio ante Claudium: et Seneca omni re ante Vitellium. *Lips.*

Innatumque robur] Ita Faërnus legebat, non ut vulgo legitur, *inornatumque, &c.* Ursinus. Non placet et mihi *inornatum:* sed magis utique quam aut *inordinatum* Lipsii, aut *innatum* Mureti. *Acidalius.* Lucianus Icaromen. πρὸς τοὺς κανόνας ἀπευθύναντας τὰ ξύλα. Amussitato ligno contrarium, *robur inornatum.* Ut si diceret: Superest mihi robur, sed *inornatum* sive indirectum, sive non amussitatum. Quin tu illud diregis, amussitas, exascias, ornas. *Marcilius.* Vide quot vulnera veteres correctores intulerint. Nam hic locus recte quidem legebatur in Flor. Sed a recenti quodam interpolatore sensum non percipiente, ante verbum, *ornatumque*, additum fuit, *i*, ut fieret *inornatumque*, quomodo scriptum erat in omnibus vulgatis. Sed non fefellit, qui recentem manum agnoscerem, ideoque textum suæ integritati restitui. Ait enim: postquam robur ætatis meæ præceptis tuis ornasti, nunc tuo subsidio impensius regis. *Pichena.*

Unde amico infamiam parit] Reposuimus, *parat.* Rhenan.

Factus natura] Libri ita. Vulgo, *facetus.* Lipsius.

Seneca, qui finis omnium cum dominante sermonum, grates agit] Non video cur vox *sermonum*, ex omnibus recentioribus libris sublata fuerit, cum et Flor. et Ven. et alii Manuscripti, quos viderim, eam constanter habeant. Itaque restitui: et optima est sententia: omnium sermonum, qui cum Principe habentur, finem

esse, gratias agere. Hist. l. I. ' Finis sermonis in eo, ut quina millia nummum singulis militibus numerarentur.' *Pichena.*

Cum dominante sermonum] Quibusdam abest vox, *sermonum:* nec ego requiram. *Lipsius.*

CAP. 57. *Præsentia*] Flor. corrupte, *præsentiora.* Pichena. Suspectam sua sponte lectionem, magis etiam falsi ream arguit Ms. Florentinus, in quo aiunt reperiri *præsentiora;* unde alii excudunt, *præsenti opera:* alii *præsenti ore:* mihi verum videtur *præsenti cura.* Freinshem.

Nec minus suspectos Asiæ populos] Lipsius corrigit, *suspensos.* Sed mihi *suspicionis* verbum, aptius ad Taciti mentem videtur. Intelligit enim, Asiæ populos, haud minus quam Gallos, suspectos, ne Plauto præbeant aures, si forte eos ad rebellionem solicitet, præcipue ob memoriam avi Drusi. *Pichena.*

Sullam, simulatorem segnitiæ] * Seneca in Œdipo: ' Certissima est regnare, &c. Ejusdem sententiæ illud Nostri est: ' cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.' Histor. lib. IV. in extremo. *Lipsius.*

Quæ turbidos, et negotiorum appetentes faciat] Faërnus legebat, *facit.* Ursinus.

Relatum caput ejus] Flor. habet; *prælatum caput ejus.* Forte, *perlatum.* Sic infra, *Perlatum, et paludamento opertum.* Tamen paulo infra ait; ' Caput interfecti relatum.' *Pichena.*

Quia a pluribus salus ejus curabatur] Præpositionem *a* delevimus. *Rhenan.*

Magnis tum exercitibus præsidentem] Talium transpositionum amator est Tacitus. Vulgo, *tum magnis exercitibus,* contra veteres libros. *Pichena.*

Hæc in ore famæ, credentium otio agebantur] Sane acute Modius, *more famæ credentium otio augebantur.* Muretus non minus, *Hæc more famæ præsentium odio augebantur.* Sed utrumvis accipias, *in ore famæ* nolim mutari, quæ elegans dictio. Plin. Panegyr. ex Lipsii emendatione, ' Sunt in ore hominum, et in ore famæ magna nomina,' &c. Tac. Hist. l. II. ' Erat tamen in ore famaque Vespasianus:' id est, in ore famæ. Curtius, nescio quo libro, ' Rumorem' dixit ' otiosi militis vitium;' et alibi, ' Otium alendis vel serendis rumoribus natum.' *Acidal.* Quod Lipsius ait, a Modio legi, *more famæ,* a Flor. confirmatur, et a Tacito Hist. l. IV. ' veraque et falsa more famæ, in majus innotuere.' Locum ergo correximus: vulgo, *in ore famæ.* Scripsimus etiam, *augebantur,* pro *agebantur* eodem Modio autore, ac sententia suadente. *Pichena.* Non placet mihi illud *una,* sub finem periodi contra Taciti morem, et numeros plerumque ab eo observatos. Itaque rescribo, *vana,* et cum sequentibus conjungo. *Ad spes novas transisse. Vana hæc, more famæ, credentium otio augebantur.* Erant enim hæc revera falsa et vana, sicut ex toto contextu liquet. *Boxhorn.* Vix est, ut non scripserit Tacitus *odio.* Sic Histor. lib. I. ' Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris odio, metu, et, ubi vires suas respexerant, securitate.' *Gronov.*

Effugeret segnem mortem, otium, suffugium, et magni nominis miserationem] Melius sit legere, *et magni nominis miserationem reperturum bonos:* id est, ob miserationem. *Rhenan.* Suspecta Lipsio, *otium, suffugium:* quæ Muretus mutabat, *effugeret segnem mortem hostium suffugio.* Sed parum convenienter. Mihi, si hæc deleantur, recte habitura reliqua videntur. *Acidal.* Hæc omnibus merito suspecta. Tentem sic ordinare: *effugeret segnem mortem: otium* (subaudi *esse,* quod usitatissimum) *suffugiis et magni nominis miserationem reperturum:* hoc est, spatium et tempus suffugii superesse, intereaque posse eum clari

generis commiseratione multos ad propulsandam injuriam inlicere, &c. *Freinshem.* Illa, *otium, suffugium*, merito Lipsio, aliisque sunt suspecta. At certissimum est, quod reponit Heinsii illa felicissima manus: *odii suffugium.* Effugeret segnem mortem, qua nihil aliud, quam odium hostium effugeret, et magni nominis miserationem pararet. *Boxhorn.*

Otium, suffugium] Suspecta. *Lips.*

Tot enim veniebant] Scripsimus, *tot enim adveniebant.* Rhenan.

Quæ ad usque bellum evalescerent] Quid si quis legat? *quoad usque bellum evaleseeret.* Rhenan.

Cap. 59. *Constantiam opperiendæ mortis*] Imo, *oppetendæ mortis.* Ita legendum me monet idem Heinsius: quo nemo genium Taciti altius inspexit. *Boxhorn.*

Centurioni et manipulo] Manipulus constat sexaginta militibus. *Ferrett.*

Cujus aspectu, ipsa principis verba referam] Parenthesi hæc aptius includantur: *cujus aspectu (ipsa pr. v. referam) quin, inquit, Nero, deposito metu, nuptias Poppææ ob ejusmodi terrores dilatas maturare parat.* Melius secunda persona fuerit, ut hæc ad seipsum, *paras:* quod et Mureto visum. *Acidal.*

Maturare parat] Muretus, *paras*, ut sint verba Neronis sibi ipsi loquentis. Sed et vulgata lectio recte se habet. Nam etsi Nero de se ipso loquitur, fingit tamen alium aliquem ea verba oblique dicentem. *Pichena.*

Quamvis modeste agat] Flor. *ageret.* Idem.

Et ad senatum literas misit] Ita Faërnus legebat, non, *sed ad senatum.* Ursinus. Mur. *Sed et ad Senatum.* Acidal.

De cædibus Sullæ Plautique] Scripsimus, *de cæde Sullæ Plautique:* nec erat hic opus vocabulo plurativi numeri. *Rhenan.*

Cap. 60. *Postquam cuncta scelerum suorum*] Vocem, *suorum*, video abesse, salva sententia, potuisse, neque erat in vulgatis: ex Flor. tamen reposui. *Pichena.*

Eucerus natione Alexandrinus] Idem mox tibicen Ægyptius dicitur: ancilla vero quæ Octaviæ sanctitatem defendit, Pythias, apud Xiphilinum. *Vertran.* Flor. Ven. et alii, *natione Alexandrina.* Pichena. Quod supra dixi diphthongos non in usu fuisse librariis, qui Mss. nobis reliquerunt, id etiam suspicionem hoc loco movet, ut corruptum hoc nomen videatur, et scribendum *Eucærus*, Εὔκαιρος, *Opportunus:* quod nomen Latinum etiam non memini fuisse mihi lectum. *Freinshem.*

Amovetur tamen primo] Ita Faërnus legebat, non, *movetur*, ut in vulgatis. *Ursin.* Malim, *Amovetur tamen, primo civilis dissidii specie.* Acidal. Forte aptius, *amovetur.* Pichena.

Movetur tamen civilis dissidii specie] Non dubie legendum: *discidii*, id est, divortii. Loquitur enim de Octavia, quam Nero amoverat, et Poppæam substituerat. Sic Ann. xi. 28. 'Dedecus quidem illatum, sed excidium procul abfuisse:' nugatoria lectio propagatur hactenus. Quis enim non videt corrigendum esse? *sed discidium procul abfuisse:* quippe cum et in Florentino exaratum fuerit: *sed et scidium.* Tacitus alibi: 'An discidium tuum nosti?' Martialis l. x. de divortio Proculeiæ: 'Dissidium non est hoc Proculeia, lucrum est.' Male, pro *diseidium.* Glossarium vetus *discidium* διαχωρισμός, χωρισμός. Apud Sueton. quoque in Domit. 3. lege: *Impatiens discidii.* Colerus.

His haut quaquam Nero] Mutila, fracta: et in quibus restituendis, sine libris frustra allaborem. In eadem noxa, sequentia. In Agricolæ tamen codice notatum: *His motus Nero, an pœnitentia flagitii:* sed ingenio, ut opinor, duce. *Lipsius.*

His, haudquaquam Nero pœnitentia flagitii] In regio volumine legitur: *His tamquam pœnitentia flagitii.* Malim, *His Nero tamquam pœnitentia fla-*

gitii. Rhenan. Aldus et Puteolanus ita distinxere, *His, (haudquaquam Nero pœnitentia flagitii) conjugem Octaviam revocavit,* quod potius est emendationibus e regio codice deductis. Mens est, Nero abhorrens ab Octavia, et perditus amore Poppææ, ea instigante uxorem amolitur, et in Campaniam pellit: postea revocat, non quod facti pœnitet (erant enim etiamdum integræ caussæ expulsionis) sed populum verens cui talia non probabantur: ‘ inde crebri questus, nec occulti, per vulgus cui minor sapientia, et ex mediocritate fortunæ pauciora pericula.’ Non ergo sua sponte revocavit, sed timore populi, nam si ultro, sententiam mutasset, quod exigit τὸ *pœnitentia flagitii.* Gell. XVII. 1. ‘ pœnitere tum dicere solemus, cum quod ipsi facimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis demutamus.’ *Saliner.* Locum mutilum et fractum clamat Lipsius, et in quo frustra sine libris allaboretur. Forte est ita: et saue frustra Agricola: *His motus Nero, an pœnitentia flagitii.* Frustra et Muretus, qui transponit tantum: *His, haudquuquum pœnitentia flagitii Nero conjugem, &c.* Requiritur enim verbum omnino ad voculam *His.* Nos tamen, ut spero, feliciter et vere sic: *His uuditis, tanquam pœnitentia flagitii, Nero conjugem revocavit Octaviam.* Ita est: simulabat Nero pœnitentiam. Verbum *auditis,* truncatum, ut multa in his libris alia. Ex *quaquam* nihil facilius, quam *tanquam* rescribi. Nomen Neronis sive trajicias, sive delcas prorsus, perinde est. *Acidal.* His scil. vulgi questibus motus non pœnitentia flagitii. Sic l. XI. ‘ His atque talibus, magnas copias coëgere:’ nam et ibi subintelligitur, his moti. *Pichena.*

CAP. 61. *Deosque tandem venerantur*] Valla negat *tandem* ornatus caussa apud veteres inveniri, idque adversus auctoritatem Quintiliani. Ego litem meam non facio. Doctiss. vir ei favet dum in notis ad annales ait se nescire quo *tandem* pertineat: mihi vero pertinere videtur ad intentum populi desiderium, ut Octavia revocaretur; cujus tandem compotes diis gratias egerunt. *Suliner.* Non fero hic *tandem.* Lego, *Deosque adveneranturt.* Damnavit hoc *tandem* etiam Lips. prim. edit. sed nihil extricavit. *Acidal.*

Repetitum venerantur] Emendavimus, *repetitum venerantium.* Rhenan. * dictum quadragies.’ Vel, si id mavis, dicta sunt per Synecdochen. Quidam *συνεκδοχὴν vocant, cum et in contextu sermonis, quod tacetur accipimus: ut curmen* sive quid simile suppressum sit. Sic Ælian. Var. XII. 3. ἐτρώθη καιρίαν, non addito πληγήν. Ejusdem generis sunt, Hom. Iliad. VI. πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ· i. *multa in divitis:* ubi desideramus, *domo.* Similia sunt Thucyd. l. III. ἐσηκόντιζεν ἐς τὰ γυμνά: ubi scholiastes μέρη δηλονότι. *Saliner.* Corrigendum puto; *repetitur veneratio:* Deorum scilicet, ut in re læta. Præcesserat enim ‘ Deosque tandem venerantur.’ *Grotius.* Emendo, *repetitu veneratione.* Tum nimirum, cum populus dejiceret Poppææ statuas, et Octaviæ restitueret. *Harlæus.*

Et Poppææ honos repositus est] Addidi ex Florent. *et,* quod in vulgatis exciderat. *Pichena.*

Quæ semper odio tumens, metu atrox] Reposuimus ex Budensi: *quæ semper odio, tum et metu atrox.* Rhenan.

Qui motis rebus facile reperiretur. Omitteret modo] Distinctione ista pleniore, obnubilatur prorsus auctoris sensus. Interpungendum erat, *reperiretur; omitteret modo.* Dux, inquit, non deerit, modo Octavia propius accesserit relicta Campania. *Gruter.*

Tibicinis Ægyptii] Enceri, de quo supra. *Ferrettus.*

At si desperent] Dubitat, an integra,

Lipsius. Idem legit, *An si desperent?* Unde sententiam nullam expedio. Mihi integra sunt, levissima mutatione, *ac* pro *at* scribenti. Facile, inquit, motus illi componentur, et in se consident. Atque ubi de Neronis nuptiis desperatum erat, alium Octaviæ maritum quærent. *Acidal.*

Cap. 62. *In servitio*] Scripsimus, *servo.* Rhenan.

Quæstionibus ancillarum eluserat] Jacobo Lectio erudito juveni adsentior scribenti, *elusa erat.* Lipsius.

Quæstionibus ancillarum illuserat] Reposuimus, *eluserat.* Rhenan. Faërnus legebat: *elusa erat, &c.* Nisi magis placeat, *illusum erat.* Ursin. Placet et mihi, Lipsio placita Lectii conjectura, *elusa erat*, magis quidem quam Mureti, *illusum erat.* Acidal. Probat Lipsius, *elusa erat*, id est, suspicio in servo. Vulgo, *cluserat.* Pichena. Viris doctissimis videbatur rescribendum, *elusa erat:* sed certe nihil mutandum putavimus, cum hoc usitatissimum sit auctori, verbis activis, ut vocantur, ad neutrorum formam uti, sic *vertere, mutare, &c.* pro *verti, mutari*, frequenter hic reperias. *Freinshem.*

Graviorum facinorum ministri] Flor. *malorum facinorum.* Sed nihil muto; nam vox, *graviorum*, quodammodo respondet præcedentibus verbis, *graviore odio.* Pichena. Omnia sana videntur. Cum tamen extet in chirographo Bibliothecæ Medicææ, *quia malorum;* videri poterat prius fuisse, *majorum facinorum;* sed idem sensus resultat ex illo *graviorum*, quapropter nihil temere mutabimus, nisi consentiant et alii codices plutearii. *Gruter.* Itane tam obtusæ cuiquam aures, ut non offendantur illa fatua repetitione vocis: *graviore odio, quia graviorum.* Nos vero sine dubitatione recipimus scripturam Florentinam. Plautus Menæchm. v. 7. 'O facinus indignum et malum.' Tibullus II. 4. 'Illa malum facinus suadet.' Noster lib. XII. 'At Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret.' *Gronov.*

Plura etiam quam jussum erat fingit] Malim, *jussus.* Acidal.

Cap. 63. *Præfectum in spem sociandæ classis corruptum*] Sic melius Flor. quam vulgo, *spe sociandæ.* Pichena.

Dicto memorat] Legendum hic, *edicto memorat*, idem Lectius, quem nominavi, docuit me vere. Nam principes per edicta populum adfabantur, ut notum. *Lipsius.*

Edicto memorat] Lipsio assensi, qui, *edicto*, reposuit. Vulgo, *dicto.* Omnia enim fere per edicta fiebant a principe. Lib. seq. 'edicto testificatus.' Hist. I. 1. 'laudatus per edictum.' *Pichena.*

Melioris olim fortunæ recordatione allevabant] Emendavimus, *elevabant*, id est, minuebant, quæ elegantissima verbi hujus significatio satis nota est. *Rhenan.* Flor. et Ven. *allevabant.* Pichena.

Huic primum nuptiarum dies] Cave mutes, *primus.* Illud verum. *Acidal.* Correxi, *primus*, monente Lipsio: vulgo, *primum.* Pichena.

Cap. 64. *At puella vicesimo ætatis anno*] Scripsimus, *Ac puella.* Rhenan. Muret. *At.* Vulgatum *ac* retineo. *Acidal.*

A vita exemta] Lege, *e vivis.* Apuleius I Miles. *Ipse mihi supervivens.* Pricæus.

Communesque Germanicos] Faërnus legebat: *Cumque Germanici, et postremo Agrippinæ nomen cieret, &c.* non, ut in vulgatis, *Communeque Germanici.* Ursin. Octavia nuntio mortis accepto, ut aliqua sese illinc redimeret, ait, se spem matrimonii cum Nerone penitus abjecisse, nec unquam postea uxoris, sed solum sororis, nomen usurpaturam: hæc jacebat, sed apud surdas aures: inde in desperationem versa, Germanicum invocabat; solent enim miseri inter extrema dejecti eos desiderare, per quos (si viverent) certa spes evadendi. Sen. in Troad.

'Servire Græco pateris Andromachen jugo, Crudelis Hector?' Nec finem in Germanici nomine faciebat, sed Agrippinam quoque appellabat. Viveres utinam, o Germanice, columen familiæ nostræ, vel tu saltem, o Agrippina, qua viva si non omnino felix fui, mihi tamen exitium non imminebat. Plus igitur (ut vides) sibi pollicetur de Germanico, quam de Agrippina, ille undique pius, hæc noverca: nec amens Octavia, (Ann. l. XIII. 'Quæ quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat,') ut fictæ Agrippinæ caritati fidem haberet. 'At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere.' *Salinerius.* Mur. *communesque Germanicos;* Lipsius, *cum manesque germani.* Neutrum placet præ vulgato, cujus sententia, quam Lipsius idem tetigit, optima. *Acidal.* Flor. ac Ven. *communesque Germanicos.* Mercerus nihil mutat, atque interpretatur. *Pichena.* Vulgo, *communeque Germanici.* Sed Florentini Ms. veterisque editionis Venetæ lectio est, quam restituimus, *Communesque Germanicos;* quod haud dubie proba sit. Nec enim unus tantum fuit Germanicus, &c. * *Freinsh.*

Additurque atrocior sævitia] Malebam *atrocius sævitia,* hoc est, gravius ludibrium crudelitate. Sic libro sequenti: 'Adjecisse Deos dignum Arsacidarum.' *Dignum, atrocius,* res digna, res atrocior. *Gronov.*

ANNALIUM LIB. XV.

CAP. 1. *Defectione Hyrcanorum*] Scripsimus, *dissensione Hyrcan.* Rhenanus. Faërnus legebat, *deditione.* Ursinus.

Proxima trahi: et nisi, &c.] Transpositione copulæ sententia explicanda: *proxima trahi, nisi defendant Parthi: et levius servitium.* Acidalius.

Per silentium haut modice querendo] Cuivis mendum hic suboleat. Quomodo enim per silentium, et nec modice, querebatur? Nec tamen hoc adverterunt viri magni: nisi Muretus ante nos, cum quo vere scribimus, *per silentium, aut modice querendo.* Acidalius. Si *immodice* querebatur: quomodo *per silentium?* An cum aspiceretur, quamvis silens, ignaviam exprobrare videbatur, ideoque gravius silentium ipsius, quam Monobazi voces? Ita videtur: ac sequentia verba, *non enim ignavia, &c.* repetita intelligo a primoribus illis gentium: quæ cum ad aures Vologesi pervenissent, commotus est, concilium que advocavit. *Pichena.* * Sup. XIV. 62. Seneca ad Helv. 16. 'nunquam te fecunditatis tuæ, quasi exprobraret ætatem, pœnituit.' Plinius epist. I. 'Mala emptio exprobrare stultitiam domino videtur.' Tacitus XV. 16. 'non eam speciem insignium et armorum prætulit, ut diversitatem exprobraret:' et XVI. 22. 'rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent:' et XVI. 10. 'tanquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium.' Expressit tale quid Martialis lib. I. epig. 69. 'Si tacet, hanc loquitur.' Male alii in Tacito rescribendum putarunt; *aut modice querendo:* subjicitur enim querela, haud modica tamen. *Freinshemius.* Nihil hic est mutandum. Silentis

orationem et questus exponi ac subjici, non est novum apud elegantissimos auctores. Nam silentio non minor vis inest indicandi interiores animi motus ac cogitationes, quam sermoni. Itaque haud sine ratione ex eo orationem colligunt et proponunt Scriptores. Cauti inprimis et callidi, qualis Tacitus. Neque aliter Lucanus l. I. ' Gelidos pavor alligat artus, Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.' Plane eodem modo, quo hic Tacitus. Vide etiam quæ ad hunc locum notat Cl. Freinshemius. *Boxhornius.* Excmplum vivum est apud Cæsarem lib. I. Gall. 32. in Sequanis. *Gronovius.*

Cap. 2. *Et certamen*] Emendavi, *contra veterum fratrum odia et certamina.* Rhenanus.

Et a Diis æstimatur] Non satis capio, quid sibi velit iste Parthus hac sententia. Putabam olim legendum: *et ab imis æstimatur.* Crebro hæc componuntur apud auctores, *summa et ima.* Freinshemius.

Dum ipse positis adversus Hyrcanos discordiis] Reposuimus, *Dum ipse compositis, &c.* Rhenanus.

Cap. 3. *Festinatius agerent*] Nos, *festinantius.* Rhenanus.

Congestu terræ obdidit] Scripsimus, *abdidit.* Rhenanus. In v. c. est, *congestis arenæ obdidit,* non *abdidit.* Ursinus.

Cap. 4. *Inerantque milites, et provisi ante commeatus*] Copulam, *que,* ex Flor. reposui: nam a vulgatis abest. *Pichena.*

Cap. 5. *Omitteret potius*] Lego, *ocius,* non, *potius.* Lipsius.

Omitteret potius obsidionem] Faërnus legebat: *Omitteret ocius, &c.* Ursinus. Lipsius mallet, *ocius.* Sed et, *potius,* recte se habet, ut ostendat utilius id Vologesi esse. *Pichena.* Lege, *Omitteret protinus obsidionem.* Boxhornius.

Casperius centurio] Muretus, *C. Asperius.* Acidalius.

Cap. 6. *Patrata magnifice extollebant*] Reposuimus, *ac magnifica extollebant.* Rhenanus. Mur. *Patrata magnifice extollebant.* Assentiar, nec tamen vulgatum damnem; *Patrata et magnifica, &c.* Acidalius.

Exercitum Rom. a Tigranocertis deductum] Editio decrepita non agnoscit præpositionem, *a,* neque requiritur. *Gruterus.*

Cosennius Pætus] Qui male in Dionis eclogis, quas nuper Fulvius Ursinus dedit, Σέννιος scribitur. Enimvero Κεσέννιος Πέτος etiam in Josepho scribitur, diciturque libro Excidii VII. c. 21. An hic ipse, qui sub Nerone præfuerat, etsi parum bona fama? ætas haud negat. *Lipsius.*

Cesennius Pætus] Vide supra notam ad XIV. 29. *Freinshemius.*

Cap. 7. *Famisulanus Vectonianus*] Codex Budensis, *Fimisulanus Vectonianus.* Rhenanus.

Calavius Sabinus regebat] Nos, *regebant.* Placeret, *Flavius Sabinus.* Ursinus. Vide supra notam ad VI. 9. *Freinshemius.*

Turbatus equus qui] Mos infrequens, et inobservatus, de hoc equo. Geminum tamen locum habes in Plutarchi Crasso, &c.* *Lipsius.*

Cap. 10. *Si Pæto aut in suis, aut in alienis consiliis constantia fuisset*] Deesse vocem credo post *in suis.* Neque *constantia* accommodari illuc videtur posse, si sequentia ista spectentur: *Verum ubi a viris, &c.* Forte verum, *Si Pæto aut in suis vis, aut in alienis consiliis constantia fuisset.* Acidalius.

Ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat] Vox prima et ultima, si non sunt ab aliena manu, haud tamen multum habent, quod heic agant; hoc est, sede ista ejici poterant. *Gruterus.*

Tria millia delecti peditis, proximo Tauri jugo] Placuit hæc lectio a Flor. indicata: in quo, *tria millia delecti pedites.* Vulgo, *delectorum peditum.* Sed et in peditibus, et in equitibus, Tacitus plerunque singularem nume-

rum amat. *Pichena.*

Imposuit, quo transitum regis arcerent] Mur. maluit, *quæ.* Mihi utrumque eodem loco. *Acidalius.* Ego *qui* mallem. *Gronovius.*

Castello cui Asamosata nomen est] Correximus, *Arsamosata.* Rhenanus.

Qui in uno habitus] Ita Flor. Vulgo, *in unum.* Pichena.

Et ægre compulsum ferunt] Sustulimus particulam *et:* non autem hæc sola supererat, sed mox item particulam *ut, ægre compulsum ferunt, instantem Corbuloni fateretur,* subauditur autem *ut.* Rhenanus. Ex libris veteribus, præsertim ex Flor. addidi illud, *et.* Verbum autem, *instantem,* refertur ad superiora, *vagum hostem.* Pichena.

Ut instantem Corbuloni fateretur] Vel hostem, vel metum ex hoste. *Ferrettus.*

Et alarios octingentos] Vel *ex alariis octingentos.* Sed dubito an eadem sententia. *Acidalius.*

CAP. 11. *Hinc peditatu, inde equite*] Codex Budensis, *Hinc peditatu, hinc equite.* Rhenanus.

Nihil mututo consilio, vi ac minis alares exterruit] Ita Faërnus legebat, delebatque particulam, *sed.* Ursinus.

Facta sæpius eruptione] Et hic excidit, aut sublata fuit copula: quam ex Flor. repone: *factaque sæpius eruptione.* Pichena.

Per longinqua et avia] Præpositionem *per* expunximus, sic distinguendo sententiam: *peditum si quis integer, longinqua et avia: vulnerati castra repetivere.* Subauditur ante, *petiit.* Rhenanus

Missis item ad Corbulonem precibus] Scripsimus, *Missis iterum ad Corb. pr.* Rhenanus. Florentinus et Venetus, *item:* si conjecturæ locus esset, facerem, *identidem,* hoc est, crebro subinde; quod quidem sensus velit. *Freinshemius.*

Se fidem interim, donec vita suppeditaret, retenturos] In vulgatis, *retenturum:* at magis placuit, *retenturos,* ex Flor. ac Ven. nam ad ipsum ducem, et ad exercitum refertur. *Pichena.*

CAP. 12. *Regionem Comagenam*] Syria dividitur in plures partes, cujus una pars Comagena, quæ ad Amanum et Taurum montes extenditur. *Lupanus.*

Comitabantur exercitum] Mur. *Comitabatur.* Ad quid vero? *Acidalius.*

Præter alia assueta bello] Flor. *sueta.* Pichena.

Se nisi victoribus immitem esse] Corbulo primipilarem hortatus, et ceteros milites, qui Pætum in bello deseruissent, ut illius potius misericordiam experirentur, quam ut a se deprehensi in eodem perfugium haberent, dixit, se disciplinæ militaris diligentissimum exactorem, qua deserentibus nisi a victoria militibus non parceret, ut supra lib. XIII. Suadebat autem Corbulo militibus, &c.* *Vertran.* Milites, qui ducem Corbulonem cum Pæto mutaverant, falsis nominibus utebantur: Corbulo sævus dicebatur, quia veram militiam revocabat: Pætus, mitis, quod legiones 'promiscuis militum commeatibus infirmaverat.' Hæc omnia Corbulo nunc ulciscitur: Redite (ait amara irrisione) ad vestrum clementissimum ducem: quid rei vobis est cum me sævo, qui solis victoribus æquus, victos angue pejus semper odi? *Salinerius.* Frustra exercet acumen suum homo optimus, quum obscuri nihil sit. Non enim si lib. XIII. *Pactius Orphitus primipilaris* jussu Corbulonis præsidio præpositus commemoratur, et hic *Pactius centurio primipili* a Pæto venire dicitur, ideo et omnes milites hic obvios Corbuloni ducem eum cum Pæto mutasse necesse est. Lib. XIII. 40. sunt cum Corbulone tertia et sexta legio et decuma: easdem obtinet hoc lib. c. 6. Pætus quartam et quintam et duodecimam. Nec *diversas fugæ causas*

obtendere est falsis nominibus uti Corbulonis sævi, Pæti mitis. Eoque nec ulciscitur hic Corbulo quicquam privati doloris, neque amara irrisione ludit: sed voce plena gravitatis et disciplinæ profugos redire ad signa et duci, cui a Cæsare attributi essent, causam probare jubet, si forte veniam det ille; se nullam fugæ excusationem accipere, nec desertoribus ignoscere. *Gronovius.*

Si singulis manipularibus] Ita Plinius lib. XXII. c. 4. 'Si civicæ honor uno aliquo ac vel humillimo cive servato præclarus sacerque habetur, qui tandem æstimari debet unius virtute servatus universus exercitus?' *Aurelius.*

Numerus adipisceretur] Malo, *adspiceretur:* etsi non ignorem Plautum, et Tacitum ipsum alibi, adipiscendi verbum παθητικῶς esse usos. *Lipsius.*

Ubi par eorum numerus aspiceretur] Ita emendavit Lipsius: male vulgo, *adipisceretur:* facilis enim fuit lapsus, præsertim cum in veteribus legatur, *apisceretur.* Pichena. Etiamnum proba mihi Lipsii correctio, quam et Pichena amplexus est, *adspiceretur.* Freinshemius.

CAP. 13. *Modo castellum, quo imbellis ætas defendebatur, adpugnare*] Restitui ex Flor. *adpugnare.* In vulgatis, *oppugnare.* Pichena.

Ne aliud quam munimenta propugnabant] Emendavimus, *nec aliud q. m. pr.* Rhenanus.

Aut metu] Ablativum, *metu,* delevimus, et pro *aut* scripsimus, *ut,* hoc modo, *et alii propria ignavia, ut Corbulonem opperientes.* Siquidem in Manuscripto libro tantum est *Ut* pro *Aut,* librarius ultimam præcedentis vocabuli quod est *ignavia* literam, cum *ut* conjunxit, ut fieret *aut:* deinde quispiam ablativum adjecit *metu.* Rhenanus. In v. c. est: *Et alii propria ignavia, aut metu Corbulonem opperientes:* nam in vulgatis desunt illa, *aut metu.* Ursinus. Flor. ac plerique veteres habent, *aut Corbulonem:* ut sit sensus: Corbulonem opperientes, non ignavia se intra munimenta continuisse: sed fortasse prudenti consilio, cum se hostibus impares viderent. Tamen vulgatam lectionem præfero. Venetus, et nonnulli alii addunt, *aut metu Corbulonem opperientes.* Pichena. Editio Veneta, *propria ignavia, aut metu,* aliæque veteres probo sensu, quem aliæ pervertunt, *propria ignavia, ut Corbulonem, &c.* nec minus illi, inter quos et Ms. Picbenæ, qui legunt, *propria ignavia, aut Corbulonem, &c.* Freinsbemius. De lectione hujus loci optime Rhenanus. Ex *ignavia ut,* litera male repetita, *ignavia aut,* factum. Suppleverunt *metu,* qui nesciebant *ignaviam* hic nihil aliud esse quam metum. Sæpe veteres has voces, *ignavus, segnis, ignavia, segnities,* usurpant in illis, quibus abest virtus aut viro digna audacia, quos *poltrons* dicimus. Illis, inquit, abunde magnum erat, &c.* *Gronovius.*

Aut Pœnis Rom. imperii æmulis] Mirum omnes editiones ita conspirare in hanc lectionem, cum palam vitiosa sit. Nullæ enim hic Pœnorum partes, &c.* *Freinshemius.*

Contra daret] Hoc mihi magis probatur quam quod verbum in regio volumine est scriptum, nempe *contradiceret.* Sic Hist. lib. I. 'Si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur.' *Rhenanus.*

Quod pro Armeniis semper Romanæ ditionis] Videtur legendum omissa, *pro,* dictione: *Quod Armeniis semper Romanæ ditionis.* Ursinus.

Pacem ex æquo utilem, nec præsentia spectaret] Non est inepta Budensis exemplaris lectio, *Pace ex æquo utili, ne præs. t. sp.* Rhenanus.

CAP. 14. *Illum locum, tempusque consilio destinatum*] Deinde, *quid de Armenia cernerent adjecisse Deos:* ubi etiam clauditur, qui sequitur, sensus. Postremo, quando a Diis decretum

fuit, quid futurum Armenia sit, quam in manu Parthorum posuere, cedentibus legionibus Romanis, dignum esse Arsacidarum vel memoria fœderum vel commiseratione fortunæ, ut etiam de legionibus Rom. statuerent. Perinde est itaque ut si scripserit, exspectare sibi esse in animo fratres, et in id tempus consilium et locum rejicere : Deos adjecisse tamen quid cernerent de Armenia : dignumque esse Familiæ nominisque sui, statuere una de legionibus Romanis. *Ferrettus.*

Adjecisse Deos dignum] Locus de quo tria verba non possum hiscere. *Lipsius.*

Adjecisse Deos dignum Arsacidarum simul et de legionibus Rom. statuercnt] Scribendum apparet, *Adjecisset eos, dignum Arsacidarum, &c.* Sensus est: Rescripsit Vologeses se adhibuisse fratres suos in consilium, Pacorum ac Tiridatem, ut digne Arsacidis simul et Romanis statuerent. Cur enim non possim docendi gratia sic loqui, quum Cicero dixerit, ‘ convenienter naturæ vivere.’ Arbitror autem *dignum Arsacidarum* imitatione Græca protulisse ἀξίως τῶν Ἀρσακιδῶν· nisi quis malit, *dignum Arsacidarum* pro *dignitatem Arsacidarum :* hoc est ; pro dignitate Arsacidarum simul et de legionibus Rom. statuerent. *Rhenanus.* Si quis me audiet, ita leget, *Adjecisse eos, dignum Arsacidarum, simul ut de legionibus Rom. statuerent :* hoc sensu ; Adhibuisse fratres in consilium, dignum esse Arsacidis, ut una de legionibus Rom. deliberarent quid fieri oporteret. *Vertranius.* Videtur ex v. c. ita legendus hic locus : *Quo de Armenia decernerent. Adjecisse deos dignum Arsacidarum, simut ut de legionibus Rom. statuerent.* Ursinus. Morbis desperatis quale quale remedium non dedecet adhibere : illudque inde mihi petam, unde toties suggestum est : scil. a parenthesi : *Quid de Armenia cernerent (adjecisse deos dignum Arsacidarum) simul et de Romanis legionibus statuerent.* Fratres (inquit) expecto : etenim inter nos jam convenit, ut hic omnes de rebus Armeniæ decernamus, (cujus possessionem dii ut rem dignam Arsacidarum, iis tradiderunt) simulque statuamus de legionibus Romanis. Subobscure quidem hoc in loco Vologeses apertius alibi : Se priora, et toties jactata super obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam Dii quamvis potentium populorum arbitri possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent. Τὸ *adjicere* sive *addere*, pro *dare*. Terent. Eun. ‘ Quam inique comparatum est, ii qui minus habent Ut semper aliquid addant divitioribus!’ *Salmerius.* Desperatus Lipsio locus, qui tria de eo verba hiscere non potest. Ego aliquid, imo multum possum, sed certi tamen nihil. Visum est primo transponere : *Illum locum tempusque consilio destinatum, quid de Armenia, regno Arsacidarum, cernerent : adjecisse Deos simul ut de legionibus Rom. statuercnt.* Postea sine transpositione legebam saltem, *Adjecisse Deos fastigio Arsacidarum, simul et de leg. R. statuerent.* Fastigium Arsacidarum initio etiam hujus libri dixit : *Spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens.* Possit etiam : *Adjecisse Deos, de regno Arsacidarum simul et de leg. R. statuerent.* Quid si legatur? *Illorum* (fratrum scil.) *consilio locum tempusque designandum, quo de Armenia cernerent. Adjecisse Deos Arsacidarum fastigio dignum, simul ut de leg. R. statuerent.* Acidalius. Trajectione et mutatione haud multa sensum Vologesis epistolæ congruentem sic eruo : *Allegisse Deos illum locum, tempusque dignum Arsacidarum consilio destinatum, quid de Armenia cernerent, simul et de leg. R. statuerent.* Grotius. Ausim sponsionem facere ita recte locum habere, *qui de Armenia cernerent :* et, *simul de legionibus. Qui* pro *Quo* sive *Ut* positum. *Cernere* hic certare est. *Dignum Arsacidarum,* recte, æque

ac si esset, dignum Arsacidis. *Statuerent*, pro, *ut statuerent:* quamvis ἀπὸ κοινοῦ subaudiatur τὸ *Qui*. Zinzerlingus. Vulnus turpe, cui medeor: *Adjecit sese, et eos, de genere regum Arsacidarum*. Aurelius. Scribe: *Adjecit esse regnum Arsacidarum, de eo simul et de legionibus R. st.* Barthius.

Vasatem præfectum] Et mox, *Vasates*. Scripsimus, *Vasacem* et *Vasaces*. Rhenanus.

Et si qui duces obtinendæ donandæve Armeniæ egerant] In Flor. legitur: *et si qua ces obtinendæ, &c.* unde suspicor restituendum, *et si qua Cæsares:* id est, quæcunque gesserint Cæsares, super obtinenda, donandave Armenia, refert. *Pichena.*

Imaginem retinendi donandive penes nos] In Flor. legitur, *retinendi largiendive*. Pichena.

Cap. 15. *Fluvio Arsameti*] Non alibi lectus nobis hic Arsametes: et omnino arbitramur falsum. Magis, quia in Dionis fragmentis (edidit haud ita pridem Fulvius Ursinus) hic ipse fluvius *Arsanias* dicitur. Verba Dionis: Ἀφῆκεν αὐτὸν, προδιομολογησάμενος ἵνα τὸν ποταμὸν αὐτῷ Ἀρσανίαν ξεύξωσι: *Parthus dimisit Pætum, prius cum eo pactus ut ponte sibi jungerent fluvium Arsaniam.* Nominat et ante, Ῥανδεῖαν τῷ πρὸς Ἀρσανίᾳ ποταμῷ οὖσαν. *Randeian* (opidum, sive vicum, ubi Pætus obsessus) *ad Arsaniam fluvium sitam.* Plinius quoque Arsaniam agnoscit, et in Euphratem labi facit, lib. v. c. 24. Sed et Plutarchus in Lucullo. Itaque corrigi prorsus velim in Tacito: *Fluvio Arsaniæ (etenim is castra præfl.)* litteris postremis in aliam voculam reformatis. Emendabis iterum infra. *Lipsius.*

Interim fluvio Arsameti (is castra præfluebat) pontem imposuit, &c.] Feliciter e Dione Lipsius sententiam veram loco reddidit: ego tamen, ne oratio Taciti languidiuscula sit, paullo aliter ita malim: *Interim fluvio Arsaniæ (is castra præfluit) pontem imposuit, specie sibi illud iter expedientis* (ita Muretus, et in aliis credo Lipsii editionibus ad marginem, in editione certe prima ita conjecit idem): *sed Parthi, quasi documentum victoriæ jusserant: nam neque iis usui fuit, et nostri per diversum iere.* Acidalius. Ex historia a Lipsio nomen fluminis emendatum. *Interim flumini Arsaniæ, &c.* Vulgo, *Arsameti, is castra, &c.* Idem et paulo infra correximus. *Pichena.*

Is castra perfluebat] Malim, *præfluebat*. Rhenanus.

Specie sibi illud iter experientis] Imo *expedientis*. Sic *expediit copias, arma, tela*, alibi sæpe. *Experiendi* hic nec tempus nec locus. *Grotius.*

Namque iis usui fuit] Quamvis pontem pauci fortasse Parthorum transierint, tamen aliqui: at ex Romanis nullus. Non ergo falso dictum, Parthis usui fuisse. Nihilominus malim cum Lipsio, *neque iis.* Pichena. Non male isthæc mutantur ab aliis, verum cum varia oriatur corruptio, nisi a vocabulo minus usitato, suspicari libet, fuisse, *namque iis inusus fuit;* quæ dictio frequentata Sallustio, a cujus imitatione minime abhorret noster. *Gruterus.*

Addidit rumor] Cui rumori Suetonius etiam fidem habet, c. 39. *Lipsius.*

Nam et munimenta ingressi sunt] Flor. ac Venetus, *Namque et munimenta*. Pichena.

Antequam agmen Romanum excederet] Emendavimus, *decederet*. Quod illic sequitur, *aut jumenta adnascentes*, in vulgata editione est *agnoscentes*, nec refert. *Rhenanus.* Muretus, *excederet*. Aptius paullo. *Acidalius.* Flor. ac Venetus, *excederet*. Pichena.

Proximus quisque regi vi equorum] Suspicor de loci defectu. Nonne plerique Parthorum in equis (talis illorum militia), non solum proximi regis? certe. Adde quod Dio disertim narrat, *regem quidem elephanto, alios sine usu ullo pontis, ut prius, transisse:*

Αὐτὸς μὲν (ὁ βασιλεὺς) ἐπ' ἐλέφαντος, οἱ δὲ ἄλλοι, ὅσπερ καὶ πρότερον, ἀνεχώρησαν. Itaque fidenter, fortasse et feliciter, expleo; *et proximus quisque regi, alii vi equorum perr.* Hac mente rex quidem in elephanto, et in simili bellua ejus exemplo primores transmisere, aliud vulgus in equis. *Lipsius.*

Regi vi equorum perrumpere] De mendo suspicatur Lipsius: nec Florent. variat, nisi quod habet; *et proximus quisque regem.* Pichena. Aliter editio prima; *insidens proximus quisque regem vi, &c.* non male, dummodo interpungamus, *insidens; proximus quisque regem, vi, &c.* Vocem *proximus*, accusativum regere, satis notum. *Gruterus.*

Validum et firmum intellexere] Reposui, *Validum et fidum intellexere.* Rhenanus.

CAP. 16. *Neque se plus tridui itineri abfuisse*] Nos, *itinere.* Rhenanus.

Donec referrentur litteræ Neronis] Sic Flor. et Ven. Vulgo, *referantur.* Pichena.

Quæ ut augendæ infamiæ composita, sic reliqua] Non puto affirmare hic Tacitum, quæ modo narraverat a Corbulone ficta fuisse; sed hoc velle, etiamsi fides forte iis derogaretur, non ambigua esse alia haud minus fæda. Quæ mens hanc potius scriptionem desideret: *Quæ ut augendæ infamiæ composita sint, reliqua, &c.* Freinshemius.

Non eam speciem insignium et armorum prætulit] Liber manu descriptus, *Non eam speciem insignium armorum pr.* Rhenanus.

Ne lachrymis quidem temperare] Scripsimus, *temperavere.* Rhenanus. Flor. ac Ven. *temperare.* Pichena. Jocundior sonus emergit ex scriptura vetustiss. *temperare.* Gruterus.

CAP. 17. *Hoc conquerentium*] Castigavimus, *Hæc conquerentium.* Rhenanus. Faërnus legebat: *hoc conquerente.* Ursinus. Scil. *irritum laborem.* Corbulo se ita composuerat, ut Pæto insultare non videretur. Et Pætus inter adversa dedidicerat æmulatus. Quapropter (aliis missis) ambo lamentantur injuriam fortunæ, quod temporius eo non potuerit perveniri, certissimaque victoria defraudati sint. Addit Pætus, ut res ceciderint, esse in eorum manu omnia integra, si conjunctis legionibus Armeniam aggrederentur. Ea Corbulo non probat, ejusmodi mandata prætexens ab imperatore non habuisse. Hæc mallem quam tot emendationes. Verum nonnihil me sollicitat *respondebat.* Quid si usurpative pro *loqui* ut Plautus? Merc. 'Instare factum simia, atque hoc denique respondet.' Et forsan Hebræorum exemplo, qui verbo *Ngana* credunt utrumque significatum: unde in *N. T.* habemus Marc. 12. καὶ ὁ Ἰησοῦς ἰδὼν αὐτὸν, ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη. Nec mirum tibi videatur, si gentes imitati sunt Hebræos. Homerus enim non aliunde doctus est, cum facit nuncios iis ipsis verbis agere, quibus ad aliquem legantur. Is etiam inde sumpsit εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν. Præcesserat enim sacer ille Moyses: 'Et dixit Dominus ad cor suum.' Quid Herodotus? δράκοντες δὲ ἦσαν ἐν τῷ Καυκάσῳ μέγεθος μέγεθος. Judæos æmulatur, quibus frequens verba duplicare ad aliquid augendum. Psalm. LXXXVII. 'Nunquid Sion dicetur, homo, et homo natus in ea?' Lamentat. 'Et multiplicavit in filia Sion dolorem, et dolorem.' Ad ultimum noster Ann. l. XVI. 'ejusdem animæ est Poppæam divam non credere,' illi Levitic. II. 'quando anima obtulerit.' *Salinerius.* Liquida sententia in turbatis verbis: quæ varii varie interpolant, nimia hercule licentia. Scribe servatis proxime vestigiis: *Ducum inter se brevis sermo secutus est: hoc conquerente irritum laborem, &c.* Acidalius. Flor. et alii veteres, *hoc conquerentium.* Suspicor legendum, *hoc conquerente, suum irritum laborem:* hoc scil. Corbulone:

nam deinde sequitur. *Ille*, id est, Pætus: quæ Mureti etiam fortasse sententia est. *Pichena.*

Amnemque ut olim medium faceret] Scribendum, *Amnemque ut omnium medium faceret.* Item *Diruptaque quæ ultra Euphratem communierat Corbulo.* Rhenanus. Expulit Rhenanus adverbium, *olim*, reposuitque, *ut omnium*, contra veterum librorum auctoritatem. Nos Florentinum præcipue secuti, locum restituimus. *Pichena.*

Diruptaque quæ Euphratem ultra communierat Corbulo] Aptius mihi verbum, *diruta*, ex Flor. aliisque veteribus, quam, *dirupta*, ut in vulgatis. *Pichena.*

Cap. 18. *Frumentum plebis*] Fortasse legendum, *frumentum publicum:* nam in V. C. est, *frumentum publ.* sed corrupte. *Ursinus.* Frumentum plebis non alibi memini me legisse. Itaque assentior Mureto legenti, *frumentum publicum.* Acidalius.

Annonæ sustentaret] Scribe: *sic ostentaret:* nam *sustentare*, quicquid Julius cantet, alienum; *sistentare* verbum nihili. *Gronovius.*

Fortuitus ignis assumpsisset] Emendavi, *absumpsisset.* Rhenanus.

Ducennium Geminum] Qui sub Galba Præfectus urbi, Histor. l. I. *Lipsius.*

Cap. 19. *Adeunt, ibi naturæ munus, labores educandi*] Exemplar Matt. Corvini habet, *Adeuntib. naturæ:* proinde lego, *Qui magna cum invidia senatum adeunt, jus naturæ, labores educandi, adversus fraudem, et artes, et brevitatis adoptionem enumerant.* Dele ergo vocabulum *munus* quod castigatores infulserunt, *ibi* pro *jus* scribentes. Hic locus feliciter, ut puto, restitutus est, atque in contextu mutatus. *Rhenanus.*

Ac ne usurpandis quidem hæreditatibus prodesset] Particula, *quidem*, in Matt. Corvini exemplari non est, et potest abesse. *Rhenanus.* Vide quæ notavit Lipsius ad l. III. super verbis, 'de moderanda Papia Poppæa.' *Pich.*

Cap. 20. *Cæteris criminibus*] Malim, *certis.* Ferrettus.

Cinciam rogationem] Quænam fuerit lex Ciucia, jam a nobis dictum est l. XIII. qua cavebatur, ne quis ob causam orandam, pecuniam donumve acciperet. Ambitus olim duplex fuit, &c.*

Ergo adversus novam provinciarum superbiam] Faërnus legebat, *provincialium*, pro, *provinciarum.* Ursinus. Vulgo, *provinciarum:* ego ex Flor. *provincialium.* Sic paulo supra, 'ut solent prævalidi provincialium:' et infra, 'maneat provincialibus, potentiam suam tali modo ostentandi.' *Pichena.*

Qualis quisque habeatur, alibi] Quis unquam ita loquutus est, *alibi quam in civium judicio:* cum *alibi* locum demonstret. Malim igitur, *haud quaquam*, ut ita legamus: *Qualis quisque habeatur alibi, haud quaquam in civium judicio esse.* Ferrettus.

Cap. 21. *Decernaturque, et maneat*] Si non fractus locus, scribo sententia ducente, *decernatur ne maneat.* Nisi per ironiam hæc dicta capies, et simulata quadam concessione. Quo sensu nihil mutem. *Lipsius.*

Et maneat] Neque fractus hic, ut suspicari videtur Lipsius, neque legendus, ut censuit idem, *decernatur ne maneat:* sed ut idem postremo dubitanter ponit, simulata quadam concessione capiendus; quod ut eluceat magis, distinctio illa adhibeatur; *promtius accusatio decernitur; decernaturque; et maneat provincialibus, &c.* Decernantur sane et accusatio et grates ad eorum nutum, et reliuquamus illis potentiam suam provincialib. tali modo ostentare: falsa tantum et precibus exambita laus cohibeatur. Phrasis *maneat ostentandi*, Taciti est: et de ea nos ad Val. Max. IV. 3. *Acidalius.* Corrigit Lipsius. Mihi autem vulgata lectio facile defendi posse videtur, imo aliquam majorem vim habere, cum sit invidiosa quædam

concessio; hoc est, Decernatur accusatio, &c.* *Pichena.* Frustra hæc mutata voluit Vir Doctiss. *decernatur ne maneat:* nam quæ mox sequuntur *sed laus falsa, &c.* aperte volunt hanc postremam consuetudinem aboleri, priorem, de decernenda accusatione, relinqui, non per simulationem facta concessione, sed serio, ut eo modo cohibeantur libidines provincias regentium. Porro ista phrasis, &c.* *Freinshemius.*

Potentiam suam tali modo] Non est in exemplari Matt. Corvini, *suam.* Rhenanus.

Laus falsa et precibus expressa perinde cohibeatur] Sic lego, non *cohibeantur.* Acidalius.

Cap. 22. *Consulibus ea de re relatum*] Ad ea accuratiss. Lipsius: Jus relationis solis Consulibus; nec sine relatione perfici potuit ullum Senatusconsultum. Scribe ergo cum Heinsio: *Non tamen Senatusconsultum perfici potuit. Nec, abnuentibus Consulibus, ea de re relatum:* i. e. nec, quod Consules abnuerent, ea de re relatum. Non dubito quin hanc ejus de hoc loco sententiam magno adsensu celebraturi sint eruditi. Et utinam ei nunc fuissent ad manum, quæ plurima alia eaque pulcherrima notasse olim ad Tacitum scimus, iis præsertim in locis, in quibus aliorum ingenium aut eruditio hactenus defecit. Quæ ut aliquando in lucem ipse producat, tanti scriptoris, totiusque eruditi ordinis nomine, identidem privatim, nunc etiam publice rogamus. *Boxhornius.*

Agendas apud Senatum propratoribus proveconsulibus grates] De hac gratiarum actione, jejuna quædam, hoc loco Marcellus Donatus; at meliora multo poterat ex supellectili Latinorum Græcorumque auctorum; imo vel ex nudis Inscriptionibus. Sane qui Epigraphas illas veteres negligit, eum vix censendum inter solide doctos, solide ingenuos, juxta censeo cum Scaligero, cum Velsero; quicquid oggrunniant e terra nati suesne, an scarabæi; stercora tantum vorare dociles. *Gruterus.*

Et motu terræ celebre] Dixi ad l. I. 68. (ubi *prorupere* non *prorumpere* volui in verbis Curtii,) apud bene Latinos semper ποιητικῶς poni τὸ *proruere.* Auctor quidem Ætnæ vulgo, ver. 308. 'rupes aliquas penitasque cavernas Proruere.' Sed cum Scaliger ibi testetur vett. lib. habere *Provehere,* censeo scribendum, *Procidere.* Quemadmodum et apud Valerium Flaccum l. VII. 600. 'In caput inque humeros ipsa vi molis et iræ Procidit;' ubi editur *Proruit.* Tale vitium et hic oblatum Tacito, qui scripserat, *Et motus terræ.* Ut Livius, l. XXII. 'Eum terræ motum, qui multarum urbium Italiæ magnas partes prostravit, montes lapsu ingenti proruit.' Senec. nat. q. VI. 1. 'hic motus Campaniam magna strage vexavit.' *Gronovius.*

Cap. 23. *Locus puerperio colonia Antium fuit*] Abest in Matt. Corvini exemplari verbum *fuit,* quod nos quoque dispunximus. *Rhenanus.* Verbum *fuit,* ex Flor. ac Ven. addidimus. *Pichena.*

Jam senatus interim uterum Poppææ] Adverbium *interim* sustulimus. *Rhenanus.*

Atticæ religionis] Lipsio aliorum commenta hic non placent, mihi nec ipsius. Non probare possum, quia et res et locutio vetant. Scil. Tacitus *Actiacam regionem* diceret, cum vellet ludos Actiacos intelligi. Et quis ita loquatur, *ad exemplar regionis.* Deinde quæ ratio similitudinis inter causas hujus, et illius ab Augusto certaminis? Nullam ego certe video. Sed melius ad hunc locum afferre nihil ipse possum, nisi quod Muretum notasse memini: *Antilanæ religionis:* quod quia non capio, nec firmo, nec refello. *Acidalius.* Muretus *Antianæ religionis,* ut vox ab Antio colonia dicta sit. Ego nihil: sed monco in

Flor. corrupte legi, *actiercæ religionis*. Pichena. Frustra nos in Græciam trahunt viri eruditi. Farnesianus codex habet *Anciatæ*. Legendum haud dubie *Antiatis*. Fortuna Antii maxima religione colebatur, ut notum ex Horatio et aliunde. Eam imitati Romani, nempe quia Poppæa, ut jamjam dixerat Tacitus, peperierat Antii. *Grotius*.

Adnotandum est] Scripsimus, *Adnotatum est*. Rhenanus.

Unde gloriæ egregiis viris et pericula gliscebant] Nescio si delendum *et*: capiendumque, pericula gliscebant viris gloriæ egregiis: non, gloriæ et pericula gliscebant egregiis viris. Quid si? *Unde gloriæ egregiis viris*, (scil. gliscere vel provenire solent) *pericula gliscebant*. Unde pericula tum provenisse. *Acidalius*. In vulgatis, *gloriæ*, numero plurium. Nos, *gloria*, scripsimus, Flor. ac Ven. auctoribus. *Pichena*.

Cap. 24. *Inter quæ veris principio legati Parthorum*] Sic Flor. ac Ven. Vulgo, *interim*. Pichena.

Cap. 25. *An pax in hoste*] Fortasse rectius, *an pax inhonesta placeret*. Lipsius.

Bellum anceps an pax in hoste] Ut *honestum* dignitatis plenum, ita contra *inhonestum* dedecoris ac turpitudinis. Apud Tacitum duobus locis hæc vox esse debuit: ubi enim in impressis lib. xv. 'An pax in boste placeret,' in antiquissimo libro *inhosta:* quare *inhonesta* arbitror legendum. Item Hist. l. II. 31. Ubi in excusis *ventre et gula sibi ipse hostis*, in eodem *sibi inhostus*, ego *inhonestus* lego. Et ut plenius intellegatur negligentia librarii, qui imminutas voces scribebat, has maculas exortas, Hist. l. IV. 62. pro *innexa signa* legi debet *inhonora:* in illo enim *in hora*, ad Catonem *P. Victorius*. Magis omnino placeat Lipsii conjectura. Alias Taciti phrasis et sensus suadebat mihi scribere *pax in hostem*. Acidalius. Recte, opinor, emendavit Lipsius: nam in Flor. legitur, *an pax in hosta*. Pichena. Vox Latina *hostus*, unde *hostorium*, quo modius æquatur et cumulus deruitur: et verbum *hostire*, quod est æquare, et *hostimentum* ἀμοιβή: unde et *redhostire* par pari referre. *Hostus* igitur æquum vel æquatum significat: inde *inhostus* pro iniquo et injusto, quam vocem Arnobio ex scriptis alibi restituimus: etiam usus Tacitus Hist. l. II. et Ann. l. XV. *Hostus* χωστός. *Salmasius*.

Quam populus Rom.] Castigavi, *quem:* subaudi *modum*. Rhenanus. Amplector lectionem Venetam: *quam pop. Rom.* simillimo Curtii loco persuasus: sic enim ille VI. 5. 'Artabazum deinde geminato honore, quam Darius habuerat ei, remittit domum,' quamquam et hunc locum in recentioribus editionibus corrumpi videam. *Freinshemius*. Nentrius auctoris his in verbis particulæ commodum esse locum censeo. *Gronovius*.

Cap. 26. *Apud Melitenen*] Ptolemæo, Μελιτινή, Susianæ pars. *Lips*.

Adversa in inscitiam Pæti declinans] * adversorum istorum culpam conferret. Hæc ergo mens est auctoris, quam ex sensu potius quam verbis vulgatis assequutus est interpres Germanus et Italus; qui ambo Pætum a Corbulone reprehensum agnoscunt. At non hoc exprimas ex istis verbis *adversam inscitiam declinans:* sed id potius quod Gallus reddidit: *se donnant garde de parler de la miserable ignorance de Petus:* et optimus Hispanus: *sin tocar en el mal govierno de Peto:* quæ tamen sententia falsa est: nec enim pepercisse infamiæ Pæti Corbulonem satis apparet ex pluribus Taciti locis, ut XV. 16. et XV. 28. *Freinshemius*.

Cap. 27. *Non enim adhuc eo ventum*] Flor. *nec enim adhuc*. Pichena.

Scire quantum] Sententiam adjuveris, si scribas, *Sciret*. Lipsius.

Simul consilio] Comptiora hæc om-

nia sint, si sic legas : *simul, ut consilio terrorem adjiceret, Megistanas, &c.* Freinshemius.

Cap. 28. *Ergo Vologeses neque atrox in summam*] Doctiss. vir stellula nobis ostendit defectum sive corruptionem loci. Quid si *atrox* ab A privativo et τρεῖν tremere. Plaut. Capt. ' Nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam.' Vologeses amplectitur consilium Corbulonis ut fidum, et quia timens prævidebat, (nisi a bello desisteretur,) non de Armenia tantum certamen fore cum Romanis, sed de summa suarum rerum, quod semper caverat. ' Vologesi vetus et infixum erat arma Romana vitandi.' Τὸ *in summam* eodem significatu Hist. l. II. ' Sed Corsicam prope afflixit Decimi Pacarii procuratoris temeritas, tanta belli mole nihil in summam profutura.' *Salinerius.* Vitii manifestus locus : nec quisquam dum subvenit. Lego *neque atrox in summam, et quibusdam præfractior.* Vera et clarissima emendatione : id est, neque omnino atrox, et in parte præfractior. *Acidalius.*

Operiri reliquias malæ pugnæ imperavit] Imo, *operire*, id est, terra tegere insepulta suorum corpora. *Grotius.*

Minister bello datus] Suspicor legendum, *minister bello clarus*, ut idem fuerit error, quem supra notavimus ad l. XIII. ' et dato die.' Sic Hist. l. III. ' quod illic secundæ legioni a Claudio præpositus, et bello clarus egerat.' In vita Agric. ' clari bello, ac sua quique decora gestantes.' Similiter Hist. l. II. dixit, ' militia clarus.' Tamen vulgatam lectionem non sperno. *Pichena.* Vide Observat. II. 20. *Gronovius.*

Nondum Senatoria ætate] Quæ est annus vigesimusquintus, ut alibi monui. *Lipsius.*

Nondum senatoria ætate] Plutarchus in Pompeio scribit minoribus quinque et viginti annis non licuisse in Senatum venire. *Lupanus.* Anni vicesimi quinti initium tam in urbe quam in provinciis, ætas legitima fuit, per quam in curiam ingredi licuit. *Vertranius.*

Honori ejus] Sic emendavit Lipsius. Vulgo, *honore.* Pichena. Atqui Hist. l. I. 44. ' non honore Galbæ.' Adde Observ. IV. 16. *Gronovius.*

Cap. 29. *Omissis præcipitibus tuta et salutaria capessentem*] Præcipitium locus præruptus, e quo facile quis præcipitari potest : hic vero translatitie sumitur, quod omisso bello, quo privari a Nerone Tiridates regno poterat, paci et suorum quieti consuleret. *Lupanus.*

Ponere apud effigiem Cæsaris insigne regium] *Ponere* pro deponere. *Rhenanus.*

Cap. 30. *Et rogitanie rege causas*] Videtur edidisse Tacitus, *rogitantem regem.* Id enim requirunt his respondentia, *admiratione prisci moris adfecit.* Gronovius.

Per centurionem enunciari] Scripsimus, *nunciari.* Rhenanus.

Ante auguralem aram subdita face accendi] Castigavimus, *et structa* (hoc est, struem lignorum exstructam) *ante auguralem aram subdita face accendi:* subauditur, *ligna*, vel simile quippiam. *Rhenanus.* Legendum : *Structam ante auguralem aram, &c.* non, *structa*, quod mendosum est. De *augurali* autem *porta*, mentio est supra, ubi scriptum est, *augurali egressus.* Ursinus. Nihil certius Lipsii correctione : nam præter historiæ fidem, a Flor. etiam fere confirmatur, in quo legitur, *et structam.* Male vulgati : *et structa ante auguralem aram.* Pichena.

Cuncta in majus extollens] Florent. ac Ven. *attollens.* Idem.

Postremo die] Forte, *postero.* Nam noctem eam mansit, uti apparet ex vigiliis nunciatis. *Lipsius.*

Postero die spacium oravit] Emendavi, *postremo die.* Quamquam si quis de biduo ultimo tantum intelligat, recte scripserit *postero die;* id quod

secutus est castigator hujus loci. Quod si quis totum tempus respiciat, quo semel atque iterum congressi sunt, præsertim quum præcedat, *Dein paucis diebus interjectis:* non absurda lectio erit *postremo die*, quam nos Budensi codici debemus, cui cætera ferme omnia. *Rhenanus.* Lipsii correctionem Flor. confirmat. Vulgo, *postremo die.* Pichena.

Cap. 31. *Tantusque ei Romæ, quantus Consulibus, honor esset*] Addidi istud, *ei*, ex Florentino. *Pichena.*

Non erat notitia nostri] Flor. habet: *non inerat. Pichena.*

Apud quos jus imperii vulet, inania transmittuntur] Leviter dubito, num, *vis imperii*, legendum sit. *Vis* enim magis proprie opponitur ad, *inania*, quam jus; quasi dicat: Illi inania sectabantur, nos rerum substantiæ insistimus. Lib. II. ‘ favorabili in speciem oratione, vim imperii tenuit.’ Lib. III. ‘ Sed Tiberius vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis Senatui præbebat.’ Lib. XV. ‘ Ad vim dominationis conversus.’ *Pichena.*

Cap. 32. *Equitum Rom. locos sedibus plebis anteposuit*] Scripsimus, *sedilibus plebis.* Rhenanus.

Ad eam diem indiscreti ibant] Reposui, *indiscreti inibant.* Rhenanus.

Puri magnificentia ac priori] Castigavimus, *pari magnificentia; ac priora.* Rhenanus.

Sed feminarum illustrium senatorumque plures per arenam fœdati] Quid faciunt *feminæ* illustres in arena? Deest hic genitivus *filiorum*, quem inseruimus: *Sed feminarum illustrium senatorumque filiorum plures per arenam fœdati.* Rhenanus. Propugnat hanc lectionem non sine grandi probro sexus sequioris ordinis nostri Lucifer. Interim mihi eripi non potest, loco *feminarum*, substituendum *familiarum*, literis non nimium diversum ab altero: intelligendumque de *Equitibus*, quibus proprium quasi cognomen *illustrium*, eoque ipso insignivit Tacitus haud semel; ut videre licet in indice. Feminarum, nullæ hcic partes, nullum jus. Ubi enim supra mentio de feminis? nusquam. Et tamen respicere isthæc ad ea, quæ facta sunt anno priore; aperte urget illud quod præcessit; ‘ Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora.’ At annorum priorum memoriis, nulla mentio mulierum: contentus dicere auctor Ann. XIV. 14. ‘ Notos quoque equites Rom. operas arenæ promittere subegit donis ingentibus:’ ubi minime id tacere debebat, si eodem redactæ feminæ, et quidem illustres. Et ut ipse hoc forsan neglexisset, cur tam novum et hactenus non visum flagitium, seu principis seu matronarum, non annotatum alibi Suetonio, non Dioni, non Zonaræ, non uni alicui vel extra ordinem. *Gruter.*

Cap. 33. *Non tamen Romæ incipere ausus*] Vulgati auctiores, *incipere scenas ausus.* Nos eam vocem Florent. autoritate, ac Lipsii judicio, sustulimus. *Pichena.*

Ut transgressus scenis in Achaiam] *Scenis*, id est, per scenas. *Rhenanus.*

Ejus rei fama civerat] Scripsimus, *acciverat.* Rhenanus.

Cap. 34. *Ubi gladiatorium munus*] Ita Flor. Vulgo, *gladiatorum munus.* Sic l. XII. ‘ gladiatorii muneris magnificentia.’ Lib. XIV. ‘ gladiatorio spectaculo.’ *Pichena.*

Primo in contumelias assumptus] Mur. *inter:* dubito. *Acidalius.*

Etiam aliis præmineret] Reposuimus, *etiam malis præmineret:* quasi diceret primum facetiis scurrilibus, deinde flagitiis sceleribusque præminuit. *Rhenanus.* Ego *magis* legendum conjeci, hac sententia: præminebat gratia, præminebat potentia; at magis vi nocendi præminebat. Apuleius mil. VI. ‘ præminentes silices.’ *Pricæus.*

Cap. 35. *Jussi id accusatores objicere*] Pronomen *id* non est in libro

manuscripto, nisi postea additum. *Rhenanus.*

Qui ne ignobiles haberet, quos ab epistolis] Volumen regium habet, *qui ne innobiles habere quos ab epistolis et libellis et rationibus appellet.* Conjicio legendum, *Quin eum*, sive, *quin etiam nobiles habere, quos ab epistolis, et libellis et rationibus appellet.* Quare sic emendare contextum ausi fuimus. *Rhenanus.* Vox illa, *nobiles*, suspecta est doctiss. interpreti, ut necessario aut mutandum censeat, aut ejiciendam. At rationes, quas adfert, nullæ sunt. Qui enim isti, inquit, tam viles nobiles, &c. Atqui Torquatus hic Silanus erat inter nobiles clarissimus, &c. * *Boxhorn.*

Nomina summæ curæ et meditamenta] Addere Lipsius velit, *meditamenta imperandi*: vel potius scribit, *meditamenti.* Nihil ego in vulgato mutem, cujus sensus, ab epistolis, ab libellis, et rationibus esse nomina et meditamenta summæ curæ. Et firmat vulgatum hoc geminus locus l. XVI. ' Ipsum dehinc Silanum increpuit, iisdem quibus patruum ejus Torquatum, tanquam disponeret jam imperii curas, præficeretque rationibus et libellis et epistolis Libertos.' Muretus supra scribebat, *appellaret, omnia s. c. et meditamenta.* Sed nec huic assentiar. *Acidalius.* Defectus locus Lipsio videtur, mihi sanus et integer. Interpretor enim, nomina summæ curæ, et etiam summæ curæ meditamenta. *Pichena.*

CAP. 36. *Secretis imaginationibus agitans*] Nihil mutandum, quamvis fortasse melius legeretur, *machinationibus*, pro, *imaginationibus.* Ursinus. Mur. *machinationibus.* Neque hoc admittam, non magis, quam quod paullo post pro *necessitudinibus*, mutat *necessitatibus.* Acidalius.

Cuncta in rep. perinde immota ac prospera fore] Antea, *exinde immota.* Flor. *periende*: ex quo ego, *perinde.* Subintelligitur enim, perinde ac si ipse adesset. Sic paullo infra: ' quo fidem acquireret, nihil usquam perinde lætum sibi:' et inferius: ' non perinde solis vapore perrumperentur.' *Pichena.*

Illic veneratus Deos, cum Vestæ quoque templum inisset] Vulgata lectio et distinctio erat: *adiit Capitolium, illic veneraturus Deos. Cum Vestæ quoque templum, &c.* Meliorem indicavit mihi Flor. qui habet, *veneratus.* Pichena.

Hæc atque talia plebi valentia fuere] Budense exemplar hic rasis aliquot literis, habet *volentia.* Scripserim ego, *Hæc atque talia plebi volenti f.* Similem locutionem usurpat in vita Agric. ' Eoque initio erecta provincia, ut quibus bellum volentibus erat.' Hoc sermonis genus Græcis familiare. Plato; Ἀλλ' ὅρα εἴ σοι βουλομένῳ εἴη ἃ λέγω: id est, *Sed vide num tibi volenti sint quæ dico.* Gregor. Nazianzenus, ἐνέπαιζον ὅσα βουλομένοις ἦν: id est, *Illuserunt quæcunque volentibus erant.* Sic Hist. l. III. ' Cæterisque remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit.' Quo loco nos dictionem *liberum* a castigatoribus infultam submovimus. Expressit hanc figuram amator Hellenismi Macrobius, quum inquit, 'Si vobis volentibus est.' Hujus generis et illud quod Ann. l. I. ' Ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat:' quod auctores Græci dicunt ἀχθομένοις ἦν, et ἡδομένοις ἦν. Nec est admodum dissimile quod eodem l. I. infra legitur: ' Volentibus Armeniis præfecit.' Item Hist. lib. II. ' Mutiano volenti scripsere:' quamquam in vulgatis editionibus male legitur *volentia.* Sed de hac figura admonuimus sub initium operis, et suis deinde locis. *Rhenanus.* Cornelius frequenter utitur hac forma dicendi, sumpta a Græcis. Sallust. prope fiuem Jugurth. ' Non tam diffidentia futura, quæ imperavisset, quam uti militibus exæquatus cum Imperatore labor volentibus esset.' *Ferrettus.* Reposui ex Flor. verbum,

volentia, id est, grata, accepta. Idem Hist. l. III. *Muciano volentia scripsere:* vide quæ ibi notat Lipsius. *Pichena.*

CAP. 37. *Nihil usquam perinde lætum sibi*] Mihi hoc lucet. Vertranium malle, *nihil usquam periculosum sibi*, insipientia est. Clare hoc ait: Nero uti reipsa ostenderet nullum sibi locum præ Roma esse: struxit in publico convivia, &c. *Lipsius.*

Nihil usquam perinde lætum sibi publicis locis] Hic locus est prorsum vitiatus. Liber manuscriptus habet: *Quo ipse fidem acquireret nihil usquam perinelocum sibi locum publicis locis.* Divinatione est opus. Legerim: *Ipse quo fidem acquireret, nihil usquam periculosum sibi, lætus publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti:* hoc est, struebat, atque utebatur. Id nimirum simplicius est, quam legere, *periculosum sive turbulentum*, pro *sibi lætum.* Rhenanus. Legerim, *Nihil usquam periculosum sibi, lætus publicis locis, &c.* Vertranius. Faërnus legebat: *Nihil usquam periculosum sibi publicis locis, &c.* Ursinus. Id est, Lætiorem vitam se nusquam agere, quam Romæ. *Pichena.*

Quasi Tigillino paratæ, ut exempla referam] Et hic depravata verba sunt. Emendavimus; *Quas Tigillino paratas, ut exemplum feram.* Ubi *feram* dixit pro *referam.* Rhenanus. Mur. *Quas a Tigellino.* Clariore sensu, sed quo eodem et vulgatum. *Acidalius.* Florentini lectio, *Quas a Tigellino paratas ut exemplum referam.* Vulgati etiam bene: *quas Tigellino paratas.* Pichena.

Cui superpositum convivium, navium aliarum tractu moveretur] Vox, *navium*, a vulgatis abcrat: recte enim subintelligi poterat. Sed cum in Flor. sit, negligenda non fuit. *Pichena.* Idem de Domitiano Plinius in cœlesti Panegyrico, ubi hujusmodi naves 'religatas, revinctas, et quasi captas' vocat. 'Itaque procul ab omni sono, inconcussus ipse et immotus, religato revinctoque navigio, non secus ac piaculum aliquod, trahebatur. Fœda facies, cum populi Rom. Imperator alienum cursum, alienumque rectorem, velut capta nave, sequeretur.' *Boxhornius.*

Illustribus feminis completa] Corrigo in hac sententia Suetonium cap. 27. 'Insignes ganeæ et matronarum institorio copas imitantium.' Legoque, *institoria*, pro locis ipsis. *Lipsius.*

Et contra scorta visebantur] Particula connectens, *et*, non est in volumine Bud. *Rhenanus.*

Et postquam tenebræ incedebant] Malim, *incidebant.* Rhenanus.

Misit auspices duos] Sic in volumine Bud. legitur. Forte melius: *Visi auspices duo:* nam sequitur, 'cuncta etiam spectata:' sive ut in scripto codice legitur, *aspectata.* Rhenanus. Alias, *missi auspices duo.* Ferrettus. Lipsius correxit ex Sulpitio Severo; quo nihil certius puto: nam Flor. etiam præ se fert veræ lectionis vestigium; qui habet: *Missi auspices dos.* Picbena. Ut recte legendum vidit Lipsius, ita et Torrentius ad Sueton. Ner. 28. ex Sulpitio Severo. Sed et Florentinum suum adstipulari Pichena testatur. Merito ergo hæc lectio præfertur vulgatæ, *missi auspices duo.* Freinshem.

Cuncta denique spectata] Manuscriptus liber, *cuncta etiam aspectata.* Plusque est *aspectata* quam *spectata.* Verbum *aspectandi* lib. I. usurpat, 'Omnis, exuta æqualitate justa principis adspectare.' *Rhenanus.* Danesius ex v. c. legebat, *aspectata.* Ursinus.

CAP. 38. *Omnibus quæ huic urbi*] Parenthesi sublata conjunctionem *sed* inseruimus: *Sed omnibus quæ h. u. p. viol. i. acciderunt, gravius atque atrocius.* Nova sententia est: subauditur, *id incommodum.* Rhenanus.

Et rursus inferiora populando] Particulam *et* delevimus. *Rhenanus.* Copulam, *et*, addidi ex Flor. Pichena.

Hucque et illuc flexis] Nec hoc loco codex manuscriptus particulam *et* ha-

bet. Opinor Tacitum scripsisse, *huc illuc flexis*, quemadmodum alibi sæpe loquitur. Lib. I. 'Sed exterruit Cæcina huc illuc ferens arma.' Lib. IV. 'Sed persequi incertum fuit, quum ex usu temporis huc illuc mearent.' *Rhenanus.*

Ad hæc lamenta paventium feminarum] Scripsimus *Adhoc:* qua voce etiam alibi utitur. *Rhenanus.*

Fessa ætate senes, aut rudis pueritiæ ætas, &c.] Ita ex v. c. legendum. In vulgatis deest verbum *senes*. Ursinus. Quam aperte senes designasset si sic dixisset *fessa annis, aut rudis pueritiæ ætas*. Idem autem sunt *ætas fessa ætate* et *ætas fessa annis*. Scil. seniores. Virgil. Georg. III. 'At tribus exactis cum quarta accesserit ætas, Carpere mox gyrum incipiat.' Fit igitur mentio de feminis, de senibus, et de pueris, quippe qui infirmiores sint. Vel recensentur feminæ seniores tantum, *feminarum fessa ætate*, et pueri: sequiturque Homerum noster, qui senes etiam prætermisit. *αἰ κ' ἐλεήσῃ Ἀστυ τὲ, καὶ Τρῶων ἀλόχους, καὶ νήπια τέκνα*: i. *si forte misereatur civitatis et conjugum Trojanorum et infantium puerorum*. Ad ultimum *ætas* tam brevi repetita intervallo castigationes allicere non debuit: nam de *suo* loco similia non decessere. Curt. l. III. 'Contra si quis aciem Macedonum intuerctur, dispar acies erat.' Neque hæc. Plaut. Trinum. 'nam ego talentum mutuum Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.' Multo minus hujusmodi Suet. Aug. 28. 'Dubium eventu meliore, an voluntate, quam voluntatem.' *Salinerius.* Delet Lipsius vocem, *ætate:* quæ si non supervacua, saltem vitiosa. Ego si librum auctorem haberem, libenter restituerem, *fessa annis aut rudis pueritiæ ætas*. Certe similis aliqua vox requiritur, quæ voci *pueritiæ*, respondeat. Rhenanus etiam ad Hist. l. I. 'fessa jam ætate Galbæ:' corrigendum suadet, *fessa annis ætate Galbæ*. Pichena. Sensit corruptionem Vir doctiss. et amoliri sategit superfluenti voce inducta. At videsis an concinnius ita subvenerimus; *fessa ætas, aut rudis pueritia:* pingue enim nescio quid sonat *ætas pueritiæ:* deinde ista trajectio *fessa, &c. ætas*, haud placet, nec Taciti genium resipit. *Freinshemius.*

Cap. 39. *In irritum cadebant*] Codex Budensis, *irritum cadebant*. Sic infra: 'Dum merita erga Neronem sua, et quam irritum cecidissent,' aperit. At utrobique legitur in vulgatis editionibus, *in irritum*. Rhenanus.

Nec dum posito metu satis credebatur, cum levis] Reposuimus, *Nec dum posito metu, redibat. Levis rursum grass. ignis*. Rhenanus. Muretus: *Necdum posito metu satis credebatur, cum rursum gr.* sed major hæc licentia, quam ut probanda. Malim transponere: *Nec dum posito metu, redibat ignis, rursumque grassatus, levius, et patulis magis urbis locis*. Acidalius.

Cap. 40. *Quia prædiis Tigillini Æmilianis proruperat*] Suet. Claud. 18. 'Quum Æmiliana pertinacius arderent.' Videnda quæ scripsimus ad verba illa Varronis ex lib. III. de re rustica 'Qui habitant extra portam Flumentanam, aut in Æmilianis,' &c. ubi inscriptionem etiam protulimus, quæ apud me est in ænea tabella, 'De navi oneraria, quæ servit in Æmilianis.' *Ursinus.*

Quippe in regiones XIV. *Roma dividitur*] Convenit hoc cum aliis Scriptoribus, et antiqua etiam inscriptione, in qua est: MAGISTRI. VICORUM. URBIS. REGIONUM. XIIII. *Ursinus.*

Tres solo tenus dejectæ] Regiones dejectas non aptc, credo, dixeris; veriusque hic forte sit, *detectæ*, ut solo tenus denudatas dicat, cui sequentia pulchre respondent: 'Septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera et semiusta.' *Acidalius.*

Cap. 41. *Ser. Tullius Lunæ*] Suspicabar de Lua matre antea: sed falso. *Lipsius.*

Multa seniores meminerint] Castigavimus, *meminerant.* Rhenanus. Vulgo, *meminerant.* Rectius ex Flor. *meminerint:* nam de suo tempore Tacitus loquitur, et de senioribus, qui tunc vivebant, viderantque Romam ante Neronis incendium. *Pichena.*

Quæ reparari nequibant] Videndum an legi debeat, *reperiri,* pro eo, quod est in vulgatis, *reparari.* Ursinus.

Quo et Senones] Forte, *et quo Senones capt. urbem infl.* Ursinus.

Inter utraque incendia numerent] Potius *numerarent.* Acidalius.

Cap. 42. *Effodere proxima Averno juga connixus est*] Codex Budensis, *enisus est.* Forte, *annisus est.* Rhenanus.

Cap. 43. *Quæ domus supererant*] Sic interpretari possunt. Nero usus ruinis decem regionum, excitavit immanem illam domum, de cujus spatio Sueton. Ner. 31. Vestibulum ejus fuit in quo colossus CXX. pedum staret, tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad Urbium speciem. Et versus: 'Roma domus fuit: Veios migrate Quirites. Si non et Veios occupat ista domus.' Quidquid itaque ruinarum superfuit tam laxæ domus ædificationi, Nero ad normam et dimensionem novis domibus explevit. *Salinerius.* Recte vitium loci vidit Lipsius; pugnat enim in se omnino sententia: nescio an et medicinam: legit, *quæ domus perierant.* At convenienter dixeris, easdem, quæ perierant erectas fuisse, quod in prima editione Lips. post priorem conjecturam suam hisce verbis innuit: nisi tamen placet Neronem etiam stantes domus omnes diruisse et rursus erexisse. Itaque potius est, ut paucula verba, post verbum *supererant,* desint: in hanc forte sententiam: *Ceterum urbis quæ domus supererant dirutæ, aliæque* (sive *novæque*) *non ut post Gallica, &c.* Dirutas quæ superfuissent, inde suspicere: quia si mansere, videntur impediisse dimensos illos vicorum ordines, obstitisse etiam alicubi latis viarum spatiis: ut non ad mensuram et composite urbs tota, quod Tacitus innuit, ædificari potuerit. *Acidalius.* Nonnihil dubitaveram, an illud, *supererant,* quodammodo respiceret verbum, *erectæ:* id est, postquam Nero suam domum extruxit, erectæ fuerunt urbis domus, quæ erigendæ supererant. Nuper autem doctissimi Salinerii acuta interpretatio mihi valde arridet: ideo sic a Tacito dictum, quia tam immensa fuit nova Neronis domus, ut totam fere urbem complecti, ac paucæ admodum privatorum domus, sive domuum ruinæ, superfuisse viderentur. *Pichena.* Nihil me movet acuta Salinerii interpretatio, quin verissimam censeam emendationem Lipsii, quam etiam in textum recipere ego non dubitassem *Freinshemius.* At movere debuit, et movisset, opinor, si paullo explanatius tradita fuisset. Quod videndum, an possimus assequi. Hoc dicit Tacitus: Ceterum, &c. * *Gronov.*

Sed dimensis vicorum ordinibus] In codice Budensi legitur, *diversis ordinibus:* hoc est, *separatis.* Sic infra: 'Et diversi interrogantur.' *Rhenanus.*

Hostienses paludes destinabat] Forte melius, *destinavit.* Pichena.

Quæ frumentum Tiberi subvectæ essent] Emendavimus, *utque naves quæ frumentum Tiberi subvectassent.* Rhenanus. Flor. et alii veteres, *subvectæ essent.* Pichena.

Quod is lapis ignibus impervius est] Correxi, *Quod is lapis igni imper. est.* Rhenanus. Flor. et alii veteres, *ignibus;* sed non muto. *Pichena.*

Quo largior in publicum flueret, custodes, &c.] Faërnus addebat particulam, *ut,* ad sensum necessariam, legebatque: *Ut custodes, et subsidia repri-*

mendis ignibus, in propatulo quisque haberet. Ursinus. L. *intercepta est restituta, quo pluribus locis in publicum flueret: Custodes et subsidia.* Custodes, familiæ, de quibus l. 1. D. de Officio Præf. Vigilum. *Aurelius.* Vitiosa distinctio totum locum corrupit, ansamque nonnemini præbuit iusereudi spurium istud *quo*, explendæ, ut putabatur, sententiæ. Sed eo nihil opus: vides omnes istas leges, &c.* *Freinshemius.*

Cap. 44. *Et lectisternia ac pervigilia celebravere feminæ*] Exemplar regium, *Sellisternia.* Rhenanus. Etiam Flor. habet, *Sellislernia,* ut Budensis. *Pichena.*

Quos per flagitia invisos] Hic et mox, quum pietatem Christianam 'exitiabilem superstitionem' vocat, loquitur ut ethnicus, et mysteriorum nostræ religionis ignarus. *Rhenanus.*

Qui Tiberio imperitante] Illud, *qui*, a Flor. abest, et abesse salva sententia potest. *Pichena.*

Haud perinde crimine incendii, quam odio generis] Ita Faërnus legebat, deleta, *in*, particula. *Ursinus.* Quomodo vero *humani generis?* Muretus *humani* vocem delet, hoc sensu: Non revera convicti sunt crimine incendii, sed tamen damnati odio in illorum genus. Sed nescio an phrasis, *convinci odio*, vel *in odio*, gignere non coacta possit hanc sententiam, *damnari ob odium.* Credam potius legendum, *odio Romani generis.* Ita non convicti sunt incendii crimine, sed odio in Romanos. *Acidalius.* Magis placuit verbum, *conjuncti*, ex Flor. quam, *convicti*, ut in vulgatis: neque ingentem illam multitudinem convictam constat, sed, cum aliis confessis conjunctam, et quasi cumulo additam. *Pichena.*

Et pereuntibus addita ludibria] Reposuimus, *Ea pereuntibus addita ludibria.* Rhenanus.

Aut flammandi] Faërnus legebat, *ut flammandi.* Ursinus. Nisi defectus sit locus, ego sic intelligo: crucibus eos affixos, ut vel ibi cruciatibus interirent, aut flammandi per tenebras reservarentur. *Pichena.* De his scribit Sulpicius Severus, qui Tacitum sæpe transcribit: 'Multi crucibus affixi, aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum uocturni luminis urerentur.' Unde cogitandum, ne concinnius fuerit in Cornelio: *aut flamma usti; aliquis ubi defecisset.* Isac. Pontanus.

In sævitiam unius adsumerentur] Castigavi, *absumerentur.* Rhenanus.

Cap. 45. *Omnis populi Rom. ætas prospere aut in metu sacraverat*] Lego, *prospera re aut in metu.* Acidalius.

Simulacra numinum abripiebantur] Plinius ait, lib. xxxiv. clarissima quæque signorum 'violentia Neronis in urbem convecta, et in sellariis domus aureæ disposita fuisse.' *Lipsius.*

Secundo Carinate] Flor. *Caprenate.* Pichena.

Hic Græca doctrina ore tenus exercitus] *Oretenus* non est in volumine Budensi. Qui addidit, motus est, quod sequitur, 'animum bonis artibus non ind.' quum possit stare sententia sine eo adverbio, quod hic minime locum habet. Nam *oretenus* significat usque ad os. Sic Ann. lib. 1. 'Permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo oretenus extantes.' Rhenanus.

Ferebant Senecam] Scripsimus, *ferebatur Senecam.* Nam sæpenumero hoc verbum usurpat impersonaliter. Porro melius cohærebit sententia si legas: *Ferebatur Seneca oravisse, et non egressus.* Rhenanus.

Cubiculum non egressus] Subaudi *est.* Rhenanus.

Dum pro simplici victu, &c. vitam tolerat] In libro regio non est præpositio *pro*, sed pro *tolerat*, est *tolerabat.* Itaque legendum, *Dum simplici victu et agrestibus pomis, ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat*, sive *tolerabat.* Rhenanus. Restitui ex Flor. vocem, *persimplici*; vulgo *simplici*,

et male alii veteres, *pro simplici*. Sic paulo inferius, ' perseverum imperium.' *Pichena.*

Cap. 48. *Silius Nerva*] E Fastis et lapidibus, *Silanus Nerva*. Lipsius.

Cap. 49. *Subrium Flavium*] Dioni dicitur, Σούβιος Φλάβιος : et statim, Σουλπίκιος Ἄπρος, qui nostro est, *Asper*. Lipsius.

Prohibueratque ostentare, vanus assimulatione] Quinquennali ludicro, cum Orpheum Lucanus recitasset, coronatus contra Neronem est ; quod ægre tulit citharœdus Princeps. Statius : ' Ingratus Nero dulcibus theatris, Et noster tibi præferatur Orpheus.' Sed quid sibi vult hic, *Vanus assimulatione?* An quod Nero, &c.* *Lipsius.*

Vanus assimalatione] Vanus in eo quod similitudinem suis esse credebat Lucanique carminibus : id enim est *assimulatio*. Idem supra : ' Præterita mala vetustis cladibus assimulantem.' *Ferrettus.* Videndum an potius sit legendum, *vana æmulatione*. Ursinus. Legendum olim conjeci, *Vanissima æmulatione :* postea vidi Lipsium eodem inclinare. Nam legit : *vanus æmulatione*. Freinsh.

Quinctianus molli corpore] Farnes. *mollitie corporis*. Ita Latinis dicta, ἡ θηλεῖα νόσος. Ovidius : ' Mollis erat, facilisque viris Pæantius heros.' *Lipsius.*

Quintianus mollitia corporis infamis] Ita Flor. Vulgo, *molli corpore*. Pichena.

Cap. 50. *Super Subrium*] Libri mei, *per Subrium*. Lipsius.

Aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret] Murctus mutabat : *aut cum aurea e domo per noct.* Nihil necesse : *Ardentem domum* cape, crebris luminibus et facibus illustrem, cum nocturnas scenas domi iniret. *Acidal.*

Cap. 51. *Interim contantibus prolatantibusque spem ac metum*] Omnino legendum *spe ac meta :* quomodo Lipsius non male ait legi posse. Aut inserenda præpositio *inter*, quæ perire ea occasione potuit, quia *interim* præcesserat. Leg. *Interim contantibus prolatantibusque spem inter ac metum*. Acidalius.

Spem ac metum] Nec male, *spe ac meta*. Lipsius.

Quonam modo sciscitata] Legendum *suscitata*. Vertranius.

Ergo Epicharis plura et omnia] Mendum hic esse arbitror ; sed sensus fortasse talis est : Epicharis plura scelera orditur, et omnia facta a principe : ut sit, plura scelera orditur, et omnia principis. ' Neque senatui quod inane esset provisum : sed provisum, quonam modo pœnas,' &c. vulgo enim ita codices habent, *Neqae senatui quod inane esset, sed provisum*. Ergo cum certissima sint, quæ parentur a senatu in exitium principis, accingeretur modo, &c. *Ferrettus.* Id est, Complura ex sceleribus principis, sed et omnia Epicharis incipit pandere et aperire. Quod pono, nc quid cum aliis hoc loco deesse putes. *Vertranius.* Rectius, ni fallor, distinxi, *plura : et omnia scelera*. Cum antea conjunctim legeretur, *plura, et omnia scelera*. Sensus est : Tentavit callide mulier Proculi animum, eumque haud alienum a scelere cognovit : ergo illi *plura*, subintellige, locuta est, conjurationemque aperuit : ac simul *omnia scelera principis* memorare cœpit, quo magis illum accenderet. *Pichena.* Puto ex compendiosa scriptione natum errorem, ut fuerit *populi iram et omnia scelera Principis*. Neque enim bene connectas *plura et omnia*. Grotius. *Plura et omnia*, meo judicio, non bene hic conjunguntur. Emenda : *et communia scelera Principis orditur. Communia*, sunt publica. Ita Tacitus et optimi Auctores passim loquuntur. Communia ejusmodi scelera erant : *quod nihil maneret senatui, eversa Rep.* Contra Volusius Proculus privata tantum scelera produxerat. Considera antecedentia. *Boxhornius.*

Neque Senatui, quid manere] Vatic. codicis scripturam expressi : nec dis-

sentit Farnesianus, nisi quod refert, *quod manere*. Quis Castor aut Pollux liberat me ab hoc æstu? Forte, *Neque se nautam, &c.* * Lipsius.

Neque senatui quod inane esset, sed provisum] Adversativam particulam exemimus, quæ ex posteriori syllaba proxime præcedentis dictionis nata est. Emendavimus itaque, *Neque senatui quod inane esset, provisum quonam modo pœnas versæ Reip. daret.* Rhenanus. Epicharis ista, quo Proculum facilius in partes traheret, ait, senatum quoque adversus Neronem conspirasse, omnibusque jam providisse, quæ ad eandem rem conducere viderentur, *immo provisum quonam modo pœnas versæ Reip. daret.* Sit igitur *manere* idem quod *restare* ad eam faciem, qua Hist. lib. I. ' sed quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque conscientia:' qua Catullus: ' Scelesta tene, quæ tibi manet vita:' qua Virgil. lib. X. ' Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat Sors rerum) movet.' Et qua tandem Curtius lib. IX. ' Iter qua manet navigiis, in tenuem alveum cogitur.' *Salinerius.* Ex v. c. legendum: *Neque Senatui, quod in manus esset, provisum, quonam modo pœnas eversæ reip. daret, &c.* nam in vulgatis corrupte est. *Ursinus.* Rhenani conjectura insana et jam pridem explosa. Modius XV. Novantiq. notat Agricolam reponere, *Neque se novum quid monere:* in desperato loco tamen et Lipsius, &c. Sententia, quam obolo ærato non permutem, et quæ pugnat cum sequentibus. Lego, *Neque se natam quid movere: sed provisum, &c.* Ea mente, Neque se eam esse, quæ quid moveret, utpote femina nata: ceterum jam provisum aliis. Hæc mens et lectio auctoris: quæ nescio an omnibus sit arrisura. *Acidalius.*

Quonam modo pœnas eversæ reip. daret] Scripsimus, *eversæ*, ex Flor. Vulgo, *versæ*. Pichena.

Et multum acerrimos duceret in partes] Castigavi, *et militum acer. d. in partes.* Rhenanus.

Cum iudice composita] Vulgo pragmatici dicunt *confrontata.* Lipsius.

CAP. 52. *Metu proditionis permotis, placitum*] Sublatum a vulgatis fuerat verbum, *permotis:* nos ex Flor. aliisque veteribus, ut non supervacuum, restituimus. *Pichena.*

Cujus amœnitate captus Cæsar, crebro ventitabat] Aliquid hic deest, ut integra sit sententia. Legendum puto, *quo, ejus amœnitate captus.* Eravit fortasse librarius, cum pro, *quo ejus*, scripserit, *quojus*, quod antiqua scriptura valet, *cujus.* Pichena.

Ne L. Silanus] De quo inferius lib. XVI. *Lipsius.*

Qui a conjuratione integri essent] Codex Budensis, *qui conjurationem integri.* Lego *conjuratione*, aut potius, *conjurationis integri.* Rhenanus.

Ne a libertate moveretur] Piso, ex ingenii acritate, merito suspectabat Vestinum esse libertatis amatorem: quem etiam eadem de caussa Nero ipse metuebat: nam homines præfracti spiritus, libertatis non raro studiosi deprehenduntur. Quamobrem ille damnatur, ' quod ferociam Asinii Pollionis avi attineret,' qui vel in scriptis foverat libertatem. Ann. IV. ' Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem,' scil. Bruti et Cassii, ' memoriam tradunt.' Cæterum Vestinus haud minus, quam Silanus, deterruit Pisonem, ne in sua villa principem trucidaret: is enim Nerone sublato inter sacra mensæ, vel populum (ut amator patriæ) in libertatem vindicasset, vel alium imperatorem Pisonis odio dedisset: quæ omnia sacris hospitii violatis consuli facilia fuissent. Quod memoravi de odio Pisonis, hinc patet: ' Vel delecto imperatore,' &c. additis c. 68. ' quidam vetustis in eam simultatibus.' *Salinerius.* Lipsius bene. Muretus, *Ne ad libertatem moveretur.* Æque bene. Et eadem uterque sententia. *Acidalius.* Cum Flor. habeat, *ne ad libertate moveretur*, legendum

olim putavi, *ne ad libertatem oriretur;* id est, ne ad libertatem instituendam insurgeret. Nunc dubito, num verius sit ad Taciti mentem, et ex communi librorum scriptura, *ne ad libertatem moveretur*, scil. ad libertatem populo Rom. restituendam. *Pichena.* Divertunt alii ad conjecturas, mihi proba videtur scriptura vulgata, ut velit ipsammet libertatem varie movere potuisse animum Vestini, ut eam reductam cuperet. Libertatem etiam inter Numina cultam, patet ex Inscriptionibus nostris, pag. XCIX. 2. CI. CXIII. 2. Sed et de *modestia*, tanquam una Dearum, locutus est noster Ann. l. IV. 7. ' Precandam posthæc modestiam,' &c. *Gruterus.* Videndum an fuerit: *ne a libertate moneretur.* Justinus II. ' Hujus virtute cum admonita civitas libertatis esset.' *Gronovius.*

CAP. 53. *Circensium ludorum die, qui Cereri celebrutur*] L. *celebrantur.* Acidalius.

Domoque aut hortis clausus] Addidi copulam, *que*, ex Flor. *Pichena.*

Genibus principis accedens] Emendavimus, *genibus principis accidens.* Est ab *accido*, quod est ab *ad* et *cado.* Rhenanus.

Animi validus, et corpore vigens] Codex Budensis, *et corpore ingens.* Sic Hist. lib. I. ' Cæcina, decora juventa, corpore ingens, animi immodicus.' *Rhenanus.*

Et cæterorum ut quique audaciæ plus habuisset] In Budensi, *et cæterorum ut quisque audivisset, accurrerent.* Rhenanus.

Ut quisque audentiæ] Lectio a Vatic. est, Farnes. *auduciæ habuisset:* corrupte triti libri, *audivisset.* Lipsius.

Gestabatque velut magni operis sacrum] Omnino aliud verbum fuit quam *gestabat.* Lipsio placebat, *servabatque*, vel *jactabatque.* Mihi proximum ad literas videtur, *custodibatque.* Acidalius. Vulgo, *magni operis:* et utrumque recte: tamen Flor. sequor, qui habet, *magno operis:* litera, *s*, redundante. *Pichena.*

Magni operis sacrum] Pichena ex Flor. colligit, *magno operi.* Neque ego olim male, *magnis operis*, multitudinis numero. *Lipsius.*

Quamvis absurdum videretur et inane, aut ipsi Antoniam uomen et periculum commodavisse] Rodolphus peracute: *aut inani spei Antoniam.* Hi tales homines, si ad Criticam serio se dedissent, quid non pervidissent? Et tamen nos Pelei placemus nobis in hac

Quamvis absurdum videretur, aut inanem ad spem Antoniam] In vulgatis legitur, *quamvis absurdum videretur, et inane, aut ipsi Antoniam.* At Flor. qui habet, *aut inane aut spem*, prætulit mihi lucem ad correctionem, quam restitui. *Pichena.*

CAP. 54. *Dirites, pauperes*] Pro *diritcs* scripsimus, *dites:* quam vocem usurpat crebro. Ut Hist. lib. II. 1. ' Dites dominos in prædam, aut si repugnatum foret, ad excidium destinabant.' *Rhenanus.*

Et mucronem ardescere jussit] Flor. *et in mucronem.* Pichena. Lucanus lib. VII. ' nisi cotibus asper Exarsit mucro.' Forte tamen Cornelius: *et mucrone urdescere jussit.* Gronov.

Quibusque sistitur sanguis parare eumdem Milichum jubet] Liber Matthiæ Corvini: *Quibusque sistitur sanguis sarciebat eumdem Milichum jubet.* Lego, *sarcienda eumdem Mil. jubet.* Dicimus enim, *jubeo te aliquid.* Mox est illic, *in hortos servianos.* Rhenanus. Nescio an a libris verbum, *parare*, et an aliquis lateat error: aliter enim in veteribus. Rhenanus ait, in Matthiæ Corvini codice legi: *sarciebat eundem Milichum.* In Flor. *partiebatque:* in alio Man. *partiebatur.* Alii cogitent. *Pichena.*

Parare eumdem Milichum] Sententia apta est: tamen libri illud verbi redarguunt: quorum partim, *sartiebat eumdem;* alii *partiebatque;* nonnulli, *purtiebatur.* Quid veri, quæro. *Lips.*

Ut plerique tradidere de consequentibus] Sensus nullus est. Conjicio: *de*

conscientibus: id est, consciorum plerique. *Grotius.*

Multosque astitisse libertos ac servos] Dele copulam *que* a voce *multos.* Id enim ipsum est, per quod intentabat: ut et sequentia statim. *Acidalius.*

CAP. 55. *Graves conjurationes*] Flor. *graves conjuratos.* Pichena.

Adjungere crimen visum, se pariter indicem et testem facere] Exemplar scriptum habet, *vixisse.* Forte legendum, *Adjungere crimen nixum, se pariter indicem et testem facere.* Rhenanus. Hæc nullus capio, et videtur nec Muretus, qui stellulam hac regione appinxerat. Legendum forte, *Adjungere crimen, cujus se pariter indicem et testem faceret:* quod nec ipsum satis placet. Modius XV. Novantiq. notat Rod. Agricolam legere: *adjungere crimen, ut sese pariter indicem et testem faceret.* Idem probat. Ego alteri non præfero. *Acidalius.* Nihil hac lectione certius, *Adjungere crimen, ut sese pariter indicem et testem faceret,* quam ex Flor. verbis licet corruptis elicui: is enim habet: *adjungere crimen l 3 sisse pariter indicem et testem faceret.* Pichena. Mihi sedet Acidalium rem acu tetigisse: *adjungere crimen, cujus.* i. Adjicere hanc quoque calumniam, quam et deferat ipse, et sibi tanquam testi credi velit. *Gronovius.*

Crimen visum] Non erat hoc crimen, fomenta parasse; sed conjurasse. Itaque legam, *crimini, cujus se pariter indicem et testem faceret.* Et vero libri etiam quidam, *faceret,* præferunt. *Lipsius.*

Ac secreto collocutum] Farnes. *secreta,* et ad oram, *Seneca:* non probo. Statim e libris edidi, *An cuncta jam patefacta credens:* non ut obtinuerat, *ante.* Notum et creberrimum Tacito dicendi genus. *Lipsius.*

Ac secreto collocutum] Flor. *ac secreta:* sed vulgata magis placet. *Pichena.*

CAP. 56. *Ergo accitur Natalis*] Scripsimus, *Ergo accitus Natalis:* subaudi *est.* Rhenanus.

Simul arguendi pevitior] Faërnus parva mutatione legebat: *simul arguenti paratior.* Ursinus. Non ausim dubitare legendum cum Faërno, *simul arguenti,* (vel, si malueris, *urgenti* Neroni) *paratior.* Lib. XIV. 'incesto parata.' Apul. lib. VII. 'parati morti.' *Pricæus.*

CAP. 57. *Senatores in tantis tormentis*] Faërnus legebat: *Senatoresque intacti tormentis.* Ursinus. Leviter maculata sunt. Lege, *intentis,* et hoc sensu: Senatores, et equites, visis modo tormentis, animis cecidere: cum libertina iis propemodum laniata, nil interea mutiret. Juvant hæc de iisdem viris dicta: 'et tormentorum aspectum ac minas non tulere.' Nec non sequentia, 'intento mortis metu subegerunt.' *Salinerius.*

Charissima suorum quisque pignorum proderent] Castigavi, *Charissima quoque suorum pignorum proderent.* Rhenanus. Muretus, *quisque,* quod malim et ipse. Notat id ipsum ex Rom. editione Modius lib. XV. Novantiq. *Acidalius.* Flor. ac Ven. *carissima suorum quisque pignorum.* Vulgo, *carissima quæque suorum pignorum.* Pichena.

CAP. 58. *Lætatum erga conjuratos*] Reposui, *lætatum ergu conjurutos.* Rhenanus. Corrupta: quæ nunc non sano. Conjeci sed leviter, *certatim arguere conjuratos.* Sententia et emendatio vera e sequentibus verbis elicienda. *Acidalius.*

Sed quo fidem inscitiæ pararet] Malim, *et quo fidem.* Acidalius. Scripserim; *et quo fidem.* Freinsh.

Assistenti, annuentique] Malim, *innuentique.* Acidalius.

Retinuit, infregitque] Faërnus dudum, *renuit,* legebat: probaturque a quibusdam libris, et rectum est. Annuerat Flavius, iste renuit. *Lips.*

Retinuit infregitque impetum] Non est dubium, quin, *renuit,* legendum sit, pro, *retinuit;* et ita Faërnus emendabat. *Ursinus.* Verbum, *renuit,* ex Flor. et aliis Manuscriptis restitui. Male antea, *retinuit.* Flavius enim Fe-

nio annuit, et Fenius Flavio renuit. Ann. lib. I. ‘ renuit Tiberius.’ *Pich.*

Cap. 59. *Rostra escendere*] Libri scripti. *Lips.*

Multa experiendo confieri] Negligere nolui verbum, *conficri*, quod est in Florent. et ab optimis autoribus usurpatur. Vulgo, *fieri*. Pichena.

Auxilia libertati invocat, dum miles potius decsset, &c.] Legam, *auxilia libertati invocat. Miles potius decsset, &c.* Acidalius.

Animum adversum suprema firmabat] Nos, *firmat*. Rhenanus. Melius ex Flor. ac Ven. *firmabut*, quam, *firmat*, ut in vulgatis. *Pichena.*

Quanquum favore imbutus] Mutavi meum secutus judicium, *quamquam*, in *tamquam*. Rhenanus.

Et sola corporis forma commendatam] Volumen regium, *et solu corporis fama com.* Rhenanus.

Nomen mulieris Arria Galla] Lego, *mulieri:* quod quilibet videt. Et est forte mendum typographicum. *Acidalius.*

Domitius filius] Scripsimus, *Domitius Silius.* Rhenanus.

Cap. 60. *Quando venenum non processerat*] Codex manuscriptus, *quoniam venenum non processerat.* Nec magnopere refert. *Rhenanus.*

Suaque responsa nosceret] Videatur forte melius *adnosceret.* Sed illud firmatur loco Ann. lib. XIII. ‘ Itur ad Agrippinam, ut nosceret objecta dissolveretque, vel pœnas lueret.’ Ubi omnino malim veterem lectionem, quam Modius XCIX. Novantiq. annotat, *pœna.* Acidalius.

Villam globus militum sepsit] Sive *globis.* Acidalius. Vulgo, *globus*, suo quidem sensu. Sed melius, *globis*, ex Flor. ut ad Tribunum ipsum referatur, qui globis militum villam sepsit. *Pichena.*

Cap. 61. *Quod a viscndo eo prohiberetur*] Emendavimus, *quod viscndo co prohiberetur.* Solet enim tales præpositiones omittere Tacitus. *Rhenanus.* Suspecta alicui esse posset vox *visendo*, tanquam partus librarii. *Grut.*

Se ratione valetudinis et amore quietis] In Cod. manuscripto legitur, *rationes valitudinis et amorem quictis excusarisse.* Rhenanus. *Seque rationem valetudinis, et amorem quietis excusavisse.* Lectio hæc ex Flor. at vulgata: *se ratione valetudinis, et amore quietis, &c.* Pichena.

Nec sibi promptum in adulatione ingenium] Pluralitatem hanc non sperno: mallem tamen, *adulationem:* de simili lapsu dixi ad Ann. lib. III. in principio. *Pichena.*

Cap. 62. *Quod unum jam et tamen pulcherrimum*] Mutavi, *quod unum jam tamen et pulcherrimam habebut.* Rhenanus. Faërnus legebat: *Quod unum tantam, et pulcherrimum habebat*, pro eo quod vulgo legitur: *Quod unum jum tamen et pulcherrimum hab.* Ursinus. Lege; *quod unicam tamen et pulcherrimum habeat.* Acidalius. *Quod unum jam, attamen pulcherrimum, &c.* hanc Florentini ac Veneti lectionem prætuli. Vulgo, *jam tumen, et pulcherrimum.* Pichena.

Bonarum artium] Faërnus hæc verba delebat. *Ursinus.* Lego, *bonarum artium famam, tum constantis amicitiæ laturos.* Atque ita fere etiam Muretus. *Acidalius.*

Cap. 63. *Complectitur uxorem paulum adversus præsentem formidinem mollitus*] Hic inseruimus particulam *et. Complectitur uxorem, et paulum adv. pr. form. moll. orat rogatque.* Rhenanus. *Mollitus* hercle Senecæ non convenit. Mur. voluit, *molitus.* L. *et paullo adversus præsentem formidinem mollius rogat oratque, &c.* Paullo nunc mollius, quia ante intentior in modum coërcentis, ad firmitudinem revocarat. *Acidalius.* Scribendum, *paullulum adversus præsentem formidine mollitus,* diximus Observ. II. 20. *Gronovius.*

Sibi quoque destinatam mortem adseverat] Conjunctio *quoque* non est in volumine Budensi. *Rhenanus.*

Invertere supersedeo] Quod factum fuisset, si hic aliis verbis retulisset;

alloqui posset etiam legi, *innectere superscdeo*, quæ lectio mihi summopere probatur, nam superior sensus plane frigidus est. *Idem.*

Cap. 64. *Inhiberi mortem imperat*] Verbum *imperat* non est in libro manuscripto: quare Tacitum scripsisse suspicor, *At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, inhibere mortem. Inhibere*, id est, inhibebat. *Rhenanus.* Testatur Rhenanus, abesse a suo Msto verbum, *imperat.* Ego item a Flor. atque a duobus aliis veteribus. Forte scripsit Tacitus, *inhibet mortem.* Pichena. Alii; *inhiberi mortem imperat:* sed *imperat* istud nec in Ms. Florentino, aliisque duobus Pichenæ veteribus; nec item in Ms. Rhenani comparet. Ergo non dubitavi scripsisse Tacitum *inhibere*, pro inhibebat, aut inhibuit, forma loquendi ipsi, aliisque Latinis Scriptoribus usitatissima. *Freinsh.*

Obligant brachia, premunt sanguinem] *Premere* idem hic, quod cohibere Anu. lib. I. ' multaque indicia sævitiæ, quanquam premantur, erumpere.' Hist. lib. IV. ' pressit iras.' *Pichena.*

Incertum an ignaræ] Dubites an *ingratæ;* i. e. invitæ: ut Donatus ad Terentii Ennuchum eam vocem interpretatur. Et voluit P. Faber idem hoc verbi reponere in Tacito sup. lib. XII. ubi de pœna feminarum, quæ servis conjungerentur: 'Statuiturque ut ignaro domino ad id prolapsa;' legit *ingrato:* i. e. invito. Sed non probo. Hoc autem loco *ignaræ* nescio qui convenire possit. Inscienti enim obligare brachia, sistere sanguinem non potuerunt. Et sententiam alteram juvat, quod infra sequitur: 'Deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitæ evictam.' *Acidal.*

Et lenitudine mortis] Placeret magis, ut Faërnus legebat: *lentitudine mortis.* Ursinus.

Diu sibi amicitiæ fide et arte medicinæ probatum] Muretus, *et amicitiæ fide et arte medic.* Acidalius.

Damnati publico Atheniensium judicio extinguerentur] Apparet ex regio volumine legi posse; *damnatus pub. Ath. jud. extingueretur.* Rhenanus. Cicuta venenum est, publica Atheniensium pœna invisa, inquit C. Plinius XV. 11. cujus absorptæ exemplum in Socrate superest apud Ælian. Var. lib. I. et apud alios. *Vertran.*

Frigidis jam artubus et clauso corpore adversus vim veneni] In regio volumine legitur, *Frigidus jam artus et cluso corpore adversus vim veneni.* Græca constructio est, sed Historicis permissa. *Rhenanus.* Danesius emendabat; *Frigidus jam artubus, &c.* non, *frigidis.* Ursinus. Brevitati auctoris non admodum faciunt tres voces postremæ, *adversus vim veneni:* invexit eas forsan glossa. *Gruterus.* Quod calefacto corpore vim suam exserit, cum natura sua sit frigidissimum, ut ostendit Plinius XXV. 13. Ideoque Athenis, qui cicutam bibere debebant, ambulare jubebantur, ut apparet ex Phædone Platonis in fine. *Freinsh.*

Ita codicillis perscripserat] Supposui, *præscripserat;* quamquam me non latet elegans esse verbum *perscribere;* et hic locum habere posse. *Rhenanus.*

Cap. 65. *Occisum opera Pisonis Neronem*] Ita Flor. Vulgo, *ope Pisonis.* Pichena.

Quasi insonti, claritudine virtutum ad summum fastigium dilecto] Hic quidem copulam Tacitus non omisit. Leg. *quasi insonti, et clar. v. &c.* Acidalius. In Flor. legitur, *insontib':* quam additionem ego arbitror fuisse copulam pertinentem ad sequentia. Lege ergo: *quasi insonti, et claritudine virtutum, &c.* Pichena. Sic hæc conjungenda, *insonti claritudine virtutum.* Male, qui distinxerunt; sextus enim casus hic est, non tertius. *Freinsh.*

Cap. 66. *Accensis indicibus ad prodendum Fenium Rufum*] Vocem addunt Flor. ac Ven. *Accensis quoque indicibus.* Pichena.

Instanti minitantique renidens Scevi-

nus] Flor. ac Veneti fide reposui, *renidens*, procul dubio aptius, quam *renitens*, ut in vulgatis. *Pichena.*

Renitens Scevinus] Imo, *renidens*: et statim; ' redderet jam bono Principi vicem.' *Lipsius.*

Pavoris manifestus, ceterisque] Sic distinguendum fuerat: *pavoris manifestus, ceterisque*: nam istud *manifestus* a sequentibus verbis *corripitur, vincitur*que. Freinshemius.

Cum inermibus effeminatis tantum facinus consociaturum] Hic copula intermittenda, *inermibus et effem.* Acidalius. Exciderat in vulgatis copula, *et*, quam ex Flor. restitui. *Pichena.*

Cap. 67. *Auriga, et histrio, et incendiarius extitisti*] Priorem particulam *et* submovimus, *auriga, histrio, et incendiarius fuisti.* Rhenanus. Hic restituimus copulam *et* ante vocem *histrio*, ex Flor. *Pichena.*

Et incomtos, et validos] Assentior Rhenano, *incomtos, sed validos.* Lips.

Incomptos et validos] Hæ duæ voces, *et validos*, non sunt in libro Matthiæ Corvini. Legendum arbitror, *Nec minus nosci decebat militaris viri sensus, sed incomptos.* Facile est videre, quid induxerit castigatorem, ut adderet clausulam, *et validos.* Nempe *et*, conjunctio, pro qua *sed* scribendum erat. *Rhenanus.* Scriptum oportuisse, *sed validos*, Beatus censet, quod nobis placet. *Vertranius.* Lipsius Rhenano assentitur. Etiam ego: nisi potius credam, *sensus ut incomtos, ita validos.* Acidalius. Vulgo, *et incomptos et validos.* Emendatio a Rhenano, quam nonnihil juvat Flor. *in* eo enim vacat particula, *et*, ante vocem, *incomptos.* Pichena.

Quamvis Flavius ut humilem et angustam increpans] Non aliter illic legitur, nisi quod *angustum* exemplar habet. Verum attentius inspecta scriptura deprehendisse mihi videor pro *quamvis* scribendum simpliciter *quem.* Mox est illic, ' Ne hoc quidem, inquit, ex disciplina.' Sentit autem disciplinam militarem castrensemque. Quare sic emendavimus locum: *Is proximo in agro scrobem effodi jussit, quem Flavius ut humilem et angustum increpans, circumstantibus militibus, Ne hoc quidem, inquit, ex disciplina.* Porro *scrobem* in masculino quoque genere usurpari non est ignotum ex auctoribus. *Rhenanus.* Faërnus ex v. c. legebat: *Quam Flavius ut humilem et angustam, &c.* ad *scrobem*, referens. *Ursinus.* * tellus impio capiti incubet.' Hæc libuit depromere ex Suspicionum loculis, ob monstrosam explicationem super isto alioque loco Corneliano nuperi scriptoris, ne deinde et alio loco ceteri longius abirent a via veritatis regia. *Gruterus.* Vulgo, *quem Flavius ut humilem et angustum*, utrumque recte. Sed antiquiores codices secutus sum. Sic l. I. ' quot patibula captivis, quæ scrobes.' *Pichena.* Venetus: *quamvis Flavius:* forte legendum: *qua visa Flavius.* Freinshemius.

Admonuitque fortiter] Copulam, *que*, ex Flor. restitui.

Sesquiplaga interfectum] Hoc a G. Budæo explicatur in principio de Asse. *Lupanus.* Plaut. in Capt. ' Inde ibis porro in latomias lapidarias. Ibi cum alii octouos lapides effodiut, Nisi cottidianum sesquiopus confeceris, Scxcentoplago nomen indetur tibi.' *Sesquiopus* dixit, id est, ubi alii octonos lapides, ille duodenos effoderit. *Pichena.*

Cap. 68. *Flagitiis ejus subveniri potuisse*] Scripsi, *posse.* Rhenanus. Flor. *potuisse.* Simile Suet. Tib. 66. * Noster lib. VI. ' Perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret.' *Gronovius.*

In perpetiendis suppliciis denegavere] Crassum erratum est: emendavi, *degeneravere.* Sane quisquis fuit, qui supposuit verbum *denegavere*, respexit ad id, quod dictum supra de Subrio Flavio, ' Confessionis gloriam amplexus.' Verum quod hic præcedit, ' in perpetiendis suppliciis,' et quod sequitur, ' at non Fenio par animus,'

indicant legendum, *degeneravere*. Neque enim *denegare* absolute usurpatur. *Rhenanus.*

Violentum et infensum ratus] Leve nimis hoc *ratus*. Non rebatur enim Nero, sed sciebat. Legam *narus*, sive *gnarus*. Acidalius.

Ferociam amici] Haud dubie, *animi*. Lipsius.

Ferociam amici metuit] Indubie *animi* legendum ait Lipsius. Non dubito ego, sed nego. Principem et amicum Tacitus opponit. *Acidalius.*

Statiliam Messallinam] Quæ postea Neroni uxor. Sueton. c. 35. *Lipsius.*

Inter adulteros ejus ad Cæsarem esse] Castigavi, *inter adulteros ejus et Cæsarem esse*. Rhenanus.

Cap. 69. *Quia speciem judicis induere non poterat*] Reposui, *quia speciem judicii ind. non poterat*. Rhenanus. Optime Venetus, *speciem judicis:* alii depravate *speciem indicii*. Nero exspectabat, ut supra traditur, ut Vestinus quoque inter conjuratos nominaretur, ut specie judicis inimicum adversus eum animum expleret. Hic hujus capitis sensus est. *Freinsh.*

Convivium celebrarat] Feci, *celebrat*. Rhenanus. Lego *celebrabat*, ut et Muretus. *Acidalius.* Melius ex Flor. et Venet. *conviviumque celebrabat*. Vulgo, *convivium celebrat*. Pichena.

Nihil metuens aut dissimulando metu] Nos, *nihil metuens an dissimulando metu*. Rhenanus.

Emissi sunt] Venetus *omissi sunt:* haud minus probe. *Freinsh.*

Et mensæ exitium opperientium] Enorme mendum hic est, correximus: *et imminens exitium opp.* Postquam pavorem eorum et imminens exitium opperientium et imaginatus et irridens Nero. Budense exemplar habet *immense exitium*, hinc ansa conjiciendi data est. *Rhenanus.* Flor. corrupte, *et mîsæ exitium.* Hinc Franc. Medices ingeniosa conjectura legendum putabat, *ex mensa exitium:* hoc est, vice epularum, mortem: tamen et vulgata lectio ferri potest. Sic Hist. l. I. *Sed latebra imminens exitium differebat*. Pichena. Pro *imminens exitium* reposuimus optimam conjecturam Franc. Medicis *ex mensa exitium*, quam veram esse Taciti scripturam, et ipse sensus, et Florentinus Codex arguit; ibi enim teste Pichena; *et mensæ exitium*. Venetus etiam diserte præfert; *et mensæ*. Freinsh.

Cap. 70. *Exin Mannio et Lucani cædem imperat*] Id videtur sic dictum, quasi *Mannio* centurioni cuipiam etiam Lucani necem imperarit: sed si quis attentius consideret, apparebit scribendum, *Exin M. Annæi Lucani cædem imperat:* et sic nostrum secuti judicium mutavimus. Nam a codice regio nihil erat hic præsidii. Sic supra: ‘Et Lucanus Annæus Plautiusque Lateranus consul designatus, vivida odia intulere.’ *Rhenanus.*

Cap. 71. *Genua ipsius advolvi, et dextram osculis fatigare*] Hinc observabis veterem supplicum morem. De genibus sæpissime Tacitus, et alii. Quod ait, ‘dextram osculis fatigare,’ antiqua fuit adorandi consuetudo. Qui enim Deos adorabant, dextram labiis admovebant, eam osculantes, primore digito in erectum pollicem residente, capite submisso, ac corpus dextrovorsum circumagentes. Hoc diligenter docent Pithœus Advers. I. 7. et Lipsius Electorum II. 6. ad quos ego lectorem delego. Addam tamen locum Senecæ, Controv. VIII. 1. ubi ad hunc adorandi morem alludens, ait: ‘Commodavimus, qui posset facere Deos; recepimus, qui ne adorare quidem possit.’ De Phidia loquitur, quem Athenienses Eliis commodarunt, ut Jovis statuam faceret. Illi postea sacrilegii insimulatum, præcisis manibus remiserunt. Adorantibus, flectere etiam genua mos. Seneca Suasor. 1. ‘Quæ tam feræ gentes, quæ non Alexandrum posito genu adorarint?’ Tacit. lib. seq. de Nerone: ‘Flexus genu, cœtum illum

manu veneratus, sententias judicum opperiebatur ficto pavore.' *Pichena.* Ritus ille adorandi alibi opportunior memoratu: nam Tacitus Neronis dextram intelligit. Suetonius Domitiano: 'Cænidi patris concubinæ ex Istria reversæ, osculumque, ut assuerat, offerenti, manum præbuit.' *Gronov.*

Vanitate exitus corrupit] Faërnus rectissime, *velocitate* legebat, pro *vanitate*. Ursinus.

Pellitur et Rufrius Crispinus] Melius erit *Rufus*. Sic enim dicitur sup. l. XIII. et ejus filius non *Rufrianus*, sed *Rufinus* est Suetonio. *Vertranius.*

Verginium et Rufum] Non dubium est sic esse legendum, quod Lipsius vidit et probavit: alii enim scribebant *Vergiuium Rufum*, tanquam non duorum hominum ea nomina, sed unius fuissent. *Freinsh.*

Virginius studia juvenum] Hoc a Plinio Cæciliano prætermissum esse miror, qui lib. II. Epist. Romano, et lib. IX. de Virginii laudibus scripsit. *Vertranius.*

Cæsonius Maximus] Hoc verum ei nomen, ut monuit Lipsius ex historia. Vulgo, *Cesennius.* Pichena.

Reos fuisse se, tuntum pœna experti] Ut recte capias, sic distingue; *reos fuisse se tantum, pœna experti:* id est, pœna illa nihil aliud experti, nisi reos se fuisse. Sententia similis superiori nescio quo libro. *Acidalius.* Male distinguit, nam in justis judiciis multa præcedunt, quibus aliquis reum sese intelligat, antequam pœnæ subjiciatur. *Gronovius.*

At illa mater] In regio codice est; *Acilia mater.* Rhenanus. Non monerem, nisi in multas editiones irrepsisset hic error. Legendum *Atilla.* Vide supra. *Grotius.*

Sine absolutione, sine supplicio dissimulata] Vulgati corrupte, *in supplicio.* Correxit Lipsius ex libris. Idemque indicat Flor. qui habet, *sin supplicio.* Pichena.

In supplicio] Romana editio, *sine absolutione, sine supplicio*, probissime. *Lipsius.*

CAP. 72. *Apud palatium quoque effigies eorum sisteret*] Nos, *apud palatium effigies eorum quoque sisteret.* Rhenanus. Hoc ordine legitur hic locus in Florent. ac Ven. *Apud palatium quoque effigies eorum sisteret.* Alii minus apte transponunt: *apud palatium effigies eorum quoque sisteret.* Pich.

Dedit etiam consularia insignia] Verba, *dedit etiam*, absunt a Flor. et a Ven. et abesse salva sententia possunt: nam subintelligitur verbum, *tribuit*, supra positum. Sed nihil mutavi. *Pichena.*

CAP. 73. *Tanquam viros insontes*] Faërnus addita voce, *claros*, legebat: *Tanquam claros viros et insontes, &c.* Ursinus. Flor. et Ven. *viros et insontes.* Suspicabar legendum *claros et insontes:* id enim præcipue ad invidiam, de qua sequitur, pertineat. *Freinsh.*

Donec consensu patrum deterritus est, ne] Versus. *Acidal.*

Neu compositam et obliteratam mansuetudinem principis novam ad sævitiam retraheret] In regio codice non habetur particula connectens, *et:* quare suspicor hanc fuisse germanam Taciti lectionem, *Neu compositum, obliterata munsuetudine principis novam ad sævitiam retraheret. Neu compositum*, hoc est, sedatum et qui jam placidus factus esset, subaudi Neronem. Porro *compositum* etiam alibi usurpat pro sedato. Ut Hist. lib. I. 'Compositique ad præsens, qui coërceri non poterant.' Sed et *obliterandi* verbo rursum utitur lib. sequenti: 'Quæ obliterari non sinebat Capito Cossutianus.' Et Hist. lib. I. 'Ac ne reverentiam imperii exuere viderentur: in S. P. Q. R. obliterata jam nomina, sacramenta advocabant.' Item in prioribus libris sæpe. *Rhenanus.* Lego, *immansuetudinem*, pro ferocia sedata et composita. *Vertranius.* Faërnus addita voce, *iram*, legebat: *Neu*

compositam et obliteratam mansuetudinem principis, iram novam ad sævitiam retraheret. Ursinus. Insane bene Lipsius: *neu composita et oblitterata mansuetudine Principis novam ad sævitiam traheret.* Nec ego muto, nisi quod eodem sensu legi etiam poterat: *neu composita et oblitterata mansuetudinem Principis novam ad sævitiam traherent.* Acidalius.

Cap. 74. *Grates Deis decernuntur*] Τὸ *decernuntur* redundat, ut opinor. *Lipsius.* Cum modo præcesserit vox *decreta*, eam iterasse statim Tacitum haud crediderim, adeoque hoc loco id *decernuntur* pro insititio habuerim. *Freinshemius.* Dubius sum tamen utrum *decreta* an *decernuntur* aboleam: neque enim minus belle: *Tum dona et grates Deis decernuntur.* Gronovius.

In præsens haud animadversum est] Sensus est, Huc usque minime animadversum fuit ad auspicium, postquam arma Julius Vindex moverat: tametsi præsagium futuræ ultionis trahebatur. At mireris Cornelium, qui Galliarum defectionem referre lib. XIV. oblitus sit, C. Vipsanio et Fonteio Coss. 'Eo anno Neapoli de motu Galliarum cognovit [Nero], ipso die, quo matrem occiderat; [deficientium] duce Julio Vindice, qui tum [Galliam] provinciam pro Prætore obtinebat,' ut ait Suetonius. Illius autem edictis contumeliosis et frequentibus permotus Nero, Senatum epistola in ultionem sui reique publicæ adhortatus est, excusato languore faucium, propter quem non adesset. Eam excusationem sive accepit sive non probavit Senatus. Inde Neronem timor mali ominis incutit, puta, quum organa hydraulica se prolaturum omnia in theatrum affirmavit, si per Vindicem liceret, vel cum noctibus plerique jurgia cum servis simulantes, crebro Vindicem poscebant. Illudque diri præter cætera fuit auspicii, quod ex Neronis oratione, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos, conclamatum est ab universis, *Tu facies Auguste.* Sed auspicium illud animos non adverterunt, et tamen 'ad præsagium futuræ ultionis trahebatur,' ait Tacitus. Quod si Cornelium ad extremum libri consequentis retulisse C. Julii Vindicis motum existimare malis, simili ordine quo Dio scripsit, ego non impediam, si modo per hujus perque Tranquilli scriptum liceat ita conjectari. Hoc enim loco tempus præsens, quo hæc scriberet, Tacitus non inepte dicetur exprimere; qui an verum dixerit, ejus æquales viderint. *Vertranius.*

In præsens haud animadversum] Credo voculam intermittendam, *quod in præsens.* Acidalius. Ut hæc cohæreant superioribus, adjiciam voculam: *Id in præsens.* Freinshemius.

Venerationem hominum item merito] Adverbium *item* submovimus, quod non sit in libro manuscripto. *Rhenanus.* Verbum, *hominum*, licet retineri possit, magis tamen pro eo placeret, *numinum.* Ursinus. Adsentior Mureto legenti, *venerationem numinum merito.* Sed et postea particulam insero necessariam: *Sed quod ad omina olim.* Acidalius.

Quod ad omina olim sui exitus verteretur] Liquida apertaque sententia. *Olim*, tantum sit significatione futuri: quod pueris non ignotum. At nostri Critici ex Budensi Codice, *quod clam ad omen ac dolum*, legunt, non sine meo risu. *Lipsius.*

Quod ad omnia olim sui exitus verteretur] Budense volumen: *Quorumdam ad omnia dolum sui exitus verteretur.* Legerim: *Quod clam ad omen ac dolum sui exitus verteret:* ubi *sui* pro *ejus* usurpat, more Ciceronis et veterum autorum. *Rhenanus.* Corrupte Flor. *quorundam ad omina dolum sui exitus verteretur.* Pichena. Pro *sui exitus* malim etiam *sequuturi.* Ut jam ante dixit, *futuræ ultionis.* Boxhor-

nius. Suspicabar ex scriptura Florentina: *Fuerunt tamen, quos id omen propinqui exitus adverteret.* Tertio enim post anno periit. Hist. II. ‘ Lætus ultro et tam propinquæ sortis ignarus.’ Eodem lib. ‘ exitu demum Neronis positis odiis in medium consuluere.’ Eodemque: ‘ mereri se festinato exitu clementiam victoris.’ *Gronovius.*

Nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit] Tertullianus pulchre et apposite huic rei: ‘ Si non de mendacio erubescit ejusmodi adulatio, hominem Deum appellando: timeat saltem de infausto. Maledictum est, ante Apotheosin, Deum Cæsarem nuncupare.’ *Lipsius.*

Nam Deum honor] Ex hujus autoritate Ælianum sophisten ridere licet, qui ad Adrianum imperatorem scripto libello de instruendis aciebus, δίων illum appellavit. Sed in eo videatur adulatus, more quem Domitianus induxit, sibi nomen Dei adscribens, quo ab aliis appellari vellet. Quare Apologetici 13. ait ille, ‘ Digne imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus et viventibus eum addicitis.’ At vero quid de Octaviano dicemus? Numisma æreum habeo, qua facies ejus refertur, ita inscriptum, DIVUS AUGUSTUS PATER: quod S. C. cusum sub templi fronte providentiam Augusti testatur. Verum opinari mortuo Augusto, dum cunctarctur Tiberius an imperium acciperet, Senatum illud numisma formari jussisse, melius erit et tutius. Neque vero scio an illi assentiri debeam qui Antoninum Pium *Divum* appellatum scribit, initio imperii sui: est certe apud me numus qui eum *Divi* inscriptione, ejus faciem oculis spectandam præbet. *Vertranius.*

ANNALIUM LIB. XVI.

CAP. 1. *Et promissa*] Ita Flor. ac Ven. Vulgo, *ex promisso.* Pichena.

Cesellii Bassi] Is eques Romanus est Suet. Ner. 31. *Vertran.*

Quæ per tantum ævi occulta, augendis præsentibus bonis latuerint] Verbum *latuerint* non est in volumine Budensi: atque potest abesse, si quis verbum *fuerint* subintelligat, aut simile quippiam. De quo monui lectorem, ut videat, quam multa sint in autoribus passim interpolata. *Rhenan.* Verbo auctior Venetus: *augendis præsentibus bonis latuerint:* sed glossema videtur, et a Flor. abest. *Pichena.*

Ceterum ut conjectura demonstrat] Lego, *demonstret.* Refert enim oblique Tacitus orationem Cesellii. *Acid. Ut conjectura demonstret:* ita legi postulat totus ordo narrandi: hactenus edebatur, *demonstrat,* contra loquendi leges. *Freinshem.*

CAP. 2. *Nec missis visoribus*] Nisi legissem Annal. lib. primo, ‘ simul Segestes ipse ingens visu.’ Deinde lib. III. ‘ Et tot adstantium visum.’ Rursum l. IV. ‘ Numeroque et robore, et visu inter se, fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur:’ potuissem hic scribere, *jussoribus,* pro *sponsoribus,* atque *expromissoribus,* quos non miserit Cesellius ille Bassus. *Rhen.*

An vera afferrentur] Scripsimus, *assererentur*. Rhenan. Legendum omnino *afferrentur;* ut et Muretus. *Acidalius.*

Mittitque qui velut partam prædam aveherent] Lego, *paratam*. Idem.

Dantur triremes, et delectum navigium, juvandæ festinationi] Cur triremes et navigium hoc loco distinguuntur? An non navigii nomine etiam veniunt triremes? Malim igitur: *et delectum remigium, juvandæ festinationi. Remigium* hic idem est, quod remiges. Ita Ann. XIV. ' Detentusque rebus gerundis Suetonius, quod post paucas naves in littore, remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello, tradere exercitum Petronio Turpiliano jubetur.' Neque aliter Ann. l. III. ubi Agrippinæ in Italiam ex Oriente adventus describitur, ' non alacri remigio,' dixit. *Boxhorn.* Valde placet Boxhornii conjectura. Vide quæ notamus ad Liv. XXVI. 51. *Gronovius.*

Nec aliud per illos dies populus plus credulitate] Comparativum *plus* delevimus. *Rhenanus.* Recte cape, *aliud credulitate:* id est, aliud quam credulitatem. *Acidulius.* Suspectus mihi locus. Venetus et nonnulli alii veteres addunt, *populus plus credulitate prodentis.* Florent. pro, *tulerat*, habet, *tulere.* An populus cum Bassi credulitatem, ac spem haud dubiam videret, nihil aliud per illos dies sermonibus tulit? Potius suspicor, credulitatem ad Neronem referri, qui ea non tantum in vulgus prodidit, sed auxit ultro rumorem. *Pichena.* Cujus vero *prodentis?* Luxatum sensum sana levi mutatione: *credulitate prudentis diversæ fumæ.* Grotius. Merito suspectum hunc locum habet Pichena, quem sic restituam: *populi credulitate protenus divisa fama.* Hoc ait famam, ut solet, credulitate audientium ubique statim sparsam fuisse, ut non alia de re per eos dies sermo crebrior esset. Vide Hist. I. 12. Vulgus enim credulum est, et vocatur nostro Hist. II. 72. Hist. IV. 49. Ergo etiam quod audit creditque, protenus divulgat. Egregie id expressum est supra II. 82. ' Statim credita, statim vulgata sunt, ut quisque obvius quamvis leviter audita in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt.' Vulgata autem lectio contrarium sensum habet, in his *diversa fama*, non certe vult diversam famam fuisse, sed omnibus fidem factam; deinde cujusnam *prodentis* ista credulitas, quis ita aut quo loqueretur. *Freinsh.* Recte eruditiss. Gronovius notaverat, populi et prudentium judicia hic, ut et alibi, a Tacito distingui. Qui proinde sic rescribit: *Nec aliud per illos dies populus, plebs credulitate, prudentes diversa fama tulere.* Nempe quia Mss. habent, *populus plus credulitate.* Vide ipsum c. 14. elegantissimarum Observationum. Ego jam ante, nobili et egregio juveni, Nicolao Heinsio, in his litteris judicii incorrupti, ad oram Codicis mei notatam hanc emendationem ostenderam: *Nec aliud per illos dies populus credulitate, prudentes diversa fama, tulere.* Quæ, nisi fallor, ipsa Taciti scriptura est. *Populus* et *prudentes* fere a Tacito opponuntur. Non *plebs* et *populus*, quod sciam. Distinguere videtur Annal. I. ubi de testamento Augusti, sed videtur. Est enim corruptus iste locus. In quem vide doctiss. Freinsh. Sed et ibi de aliis potius, quam de judiciis hominum agitur. *Boxhornius.* Fefellerat me optimus Pichena, opinatus in Ms. esse *populus plus:* unde tentabam, quod dictum est: nam *populum* et *plebem* sæpe distingui ex Livio Plinioque notavimus ad Senecam de ira, III. 18. Sed ipso libro Florentiæ inspecto inveni nil aliud quam *popls:* quod est *populus*, non *populus plus;* statimque emendavi conjecturam meam aliquot annis ante, quam suam Marcus proderet, cui tamen laudem suam non invidemus. *Gronovius.*

Oratoribusque præcipua] Vatic. *abaratoribus oratoribusque.* Legerim, *ac rhetoribus oratoribusque:* vel *ac vatibus oratoribusque.* Certe, et vates et oratores, Musico illo agone certasse scimus. *Lipsius.*

Oratoribusque præcipua materia] Mendosam vocem libri veteres inculcant. Flor. *anaratoribus oratoribusque.* Lipsius varie emendat. Ego leviter dubito, an sit legendum, *adulatoribus, oratoribusque;* nam paulo infra ait, *summa facundia, nec minore adulatione:* quæ verba, ad hæc fortasse respondent. *Pichena.*

Provenire terras] Flor. *terram.* Pichena. Mirum certe est, hæc ut sana hactenus esse ab omnibus transmissa. At vero quis Latine dixerit, *provenire terras,* ubi de iis agitur, quæ ex terra proveniunt et enascuntur? Mihi haud dubium est, quin aliter scripserit Tacitus. Ad oram codicis mei sic rescripsi, neque nunc muto: *Non enim tantum solitas fruges, nec metallis confusum aurum gigni, sed nova ubertate provenire. Æternas et obvias opes deferre Deos.* Distinguendum esse, sicut nos distinximus, quivis videt. *Æterna* veteribus dicuntur, aut quæ vere talia, ut dii; aut quæ spe ac voto talia facimus, ut Principes et Respublica: aut quæ continua, diu durant, et prope inexhausta sunt: ut servitus, discordia, Annal. XII. et opes, hoc loco. Nam, ut paullo ante Tacitus, Cesellius Bassus, exprompsit apud Cæsarem, repertum in agro suo specum, altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur. Magna et immensa, æterna fere vocantur. *Boxhornius.*

CAP. 3. *Gliscebat interim luxuria*] *Luxuria* hic non ponitur pro libidine venerea, ut Ecclesiastici usurpant, sed pro nimia profusione, abundantiaque nimia. *Lupanus.*

CAP. 4. *Adjicitque facundiæ coronam*] Restitui ex Flor. copulam, quæ a vulgatis aberat. *Pichena.*

Se æquum] Quasi diceret, se æqualem et parem in hoc certamine. Sed non displicet, quod olim conjeci, *seque unum adversus æm.* Lips.

Se æqnum adversus æmulos] Lipsio perplacet: *Seque unum advers.* vel *seque imo:* neutrum mihi. Legam, *seque adversus æmulos religione ducum, &c.* abjecta copula *et.* Acidalius.

Ea quam indutui gerebat veste] Apuleius Florid. l. II. 'Habebat indutui ad corpus tunicam interulam.' Et statim: 'habebat cinctui balteum: amictui pallium candidum.' Cic. Tusc. Quæst. l. v. 'Mihi amictui est Scythicum tegmen.' *Pichena.*

Excrementa viserentur] Exemplar Budense, *viserent,* subaudi, *ipsi spectatores.* Rhenanus.

Et plebs quidem verbis histrionum gestus juvare solita] Emendavimus, *Et plebs quidem urbis.* Rhenanus.

Certis modis, plausuque composito] * Dio, Εὐρύθμως, ἐκβοᾷν, in Pertinace: Ὅσα τε εἰώθησαν ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ τῇ τοῦ Κομμόδου θεραπείᾳ εὐρύθμως πως ἐκβοᾷν, ταῦτα τότε μετασχηματίζοντες ἐς τὸ γελοιότατον ἐξῄδον. Vide quædam hujus rei ad Hist. I. *Lips.*

Per injuriam publici flagitii] *Injuriam* ægre hic tolero; nec enim capio. Mutem *incuriam* quod sane valde accommodatum sententiæ. *Acidalius.* Vix video quid hæc sibi velint. Reponam: *per incuriam publici flagitii.* Talis semper fuit indoles populi; hic præsertim Romani, qui principis sui indecoris factis (quæ, hercle, merito vocantur *publica flagitia*) velut majestatis Principis ac imperii incuriosus lætabatur. *Boxhornius.*

CAP. 5. *Severamque adhuc*] Rod. Agricola legebat: *severaque,* et, *retinente Italia.* Lipsius.

Severamque adhuc, et antiqui moris retinentes Italiam] Legendum omnino cum Rod. Agricola, *severaque adhuc et a. m. retinente Italia;* et deinceps cum Mureto, *longinquas.* Acidalius. Rodulphus Agricola, ut ait Lipsius, le-

gebat, *severaque adhuc, et a. m. retinente Italia.* Sed, opinor, ex conjectura. At vulgatæ etiam lectioni constructio fortasse constabit; ii scilicet, qui remotis e municipiis advcniebant, retinentes sive inhabitantes Italiam, adhuc sevcram, et moris antiqui. *Pichena.* Corrigo: *severique adhuc et antiqui moris retinentes Itali.* Vult enim auctor, qui e partibus remotioribus advenissent, eosque, qui retinerent adhuc aliquid priscæ gravitatis et consuetudinis, non potuisse applaudere fœdis factis Principis. *Harlæus.*

Quique per longinquas provincias lasciviæ inexperti] Haud dubium, quin ita sit legendum: et Flor. indicat, qui habet, *per longuas.* Sic l. XII. 'longinquas in provincias commeatus portabant.' Corrupte hic in vulgatis, *per longas provincias.* Pichena.

Qui per cuneos stabunt] De cuneis theatri vide Lipsium de amphitheatro c. 13. *Idem.*

CAP. 6. *Corpus non igni abolitum, &c.*] Corpora primum terra condebant Romani, postea cum cognovissent erui longinquis bellis obrutos, cremandorum corporum morem sumpscre. Apud Syros et Ægyptios, &c. * *Lupanus.*

CAP. 7. *Ita recordantibus lætam*] Eleganter Muretus *recondentibus:* quod illi *palam* opponitur. *Acidalius.*

Quod primum indicium mali, neque in longum dilatum est] Scripsit Tacitus: *officio exequiarum: quod primum indicium muli. Neque in longum dilatus est, &c.* Idem.

Etiam C. Cassii effigiem coluisset] In scripto libro non est, *etiam.* Sed mox est: *Dux partium.* Rhenanus.

Aut memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur] Scribendum, ut Faërnus legebat: *Ac ne memoria tantum infensi nominis.* Vrsinus. Nero scribens ad Senatum, iis tacite occurrit, quæ Cassio apud eum gratiam parare potuissent: scilicet illum non amore libertatis, ejusmodi tentare, sed odio sui tantum. Et ut sciatis (inquit) Cassium in mei solum perniciem, illius Cassii se agnatum facere, en ad imperium vocat, et sollicitat Silanum. *Salinerius.*

CAP. 8. *Inania simul et falsa*] Castigavimus, *et inania simul et falsa.* Rhenanus. Vulgo, *et inania.* Sed abstulimus redundantem, *et,* Florentini ac Veneti. *Pichena.*

Nam Silanus intentior metu et exitio patrui ad præcavendum erat, &c.] Ita scribendum, et delendum est verbum *exterritus.* Ursinus. Deleri poterat non modo vox *erat,* sed et, *exterritus:* mihi profecto resipiunt illegitimum quid: idemque fere pronuntiaverim de illis, *ad præcavendum.* Gruterus.

Inducit] Alias, *inducti.* Ferrettus.

CAP. 9. *Tunc senatusconsulto*] Volumen regium, *tunc consulto senatu.* Paulo post apparet illinc etiam legi posse, *Haud minus promptum.* Rhenanus. Scribendum est, *Tunc consulto senatu;* et ita liber Corvinianus habet. *Vertranius.*

Et senatus jus exspectabatur] Haud scio, damnato Cassio, quale jus senatus expectaretur: at ita scriptum lego, *Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius e senatus jussu spectabatur,* id est, ex senatus decreto. *Vertranius.* Iuter tot emendationes satius erit vulgatis adhærere. Claudius 'neminem exsulum nisi ex senatus auctoritate restituit.' Suet. 12. Quod Nero, qui alias dixerat Annal. XIII. 'Teneret antiqua munia senatus, se mandatis exercitibus consulturum,' in Cassio æmulatur: imbellis enim (licet olim dux) habebatur Ann. XII. 12. et oculis tum captus erat Suet. Ner. 37. At non expectatur restitutio Silani, quippe qui Neronis erat præcipuus timor. *Salinerius.* Hisce nec Lips. nec Mur. medentur, et ne tentant quidem. Palmerius tentat ille quidem, sed irrito conatu. Ego nihil hiscere etiam possum: nisi si delenda plane sunt.

Etenim oratio sine his integra: et ipsa nullo modo aptari ad sententiam loci posse videntur. Nisi trajicias in hunc modum: *Tunc Senatusconsulto Cassio et Silano exsilia decernuntur, de Lepidu Cæsar statueret. Et Senatus ocius exsequebatur: deportutusque in insulum Sardiniam Cassius. Silanus tanquam Naxum, &c.* Acidalius. De corruptione non dubitatur. In Flor. legitur, *et Senatus ejus.* Quod Franc. Medices corrigendum censuit: *et senectus ejus:* id est, expectabatur, ut senectute caderet, contra quam acciderat Silano, cujus senectus non expectata. Ego potius legendum suspicor, *et exitus ejus:* timebatur scilicet ne centurionem Nero ad cædem Cassii patrandam mitteret, ut Silano acciderat, et ut moris tunc, ad fugiendam invidiam civitatis. Sic de Lollia l. XII. ' In Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem redigeretur.' *Pichena.* Hæc plurimos exercuerunt. Et locus haud dubie mendosus est. Quippe jamjam tradidit Tacitus, Senatusconsulto exsilium Cassio indictum. Quomodo igitur hic dicitur, *Senatus jus* expectatum? Florentinus codex habet; *et senatus ejus expectubatur.* Corrige autem, *et festinatus exitus exspectabatur.* Id est, in Sardinia brevi vitam cum morte commutaturum Cassium sperabatur. Quam pestilens, et aliunde advenientibus plerisque letale fuerit Sardiniæ cælum, nemo nescit. In hanc autem Cassius erat deportatus. *Boxhornius.* Acu rem tetigit Fr. Medices. Sic l. XIII. ' P. Celerem, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit senecta donec mortem obiret.' *Gronovius.*

Sed non permittere percussori gloriam] Faërnus legebat; *sed non præripere, &c.* Ursinus. Mur. *Se vero permittere, &c.* Male, et contra Taciti et viri fortis mentem. *Acidalius.*

CAP. 10. *Vidua implexa luxu continuo*] *Implexa* vocem certum est mihi delendam, natam ex superioris lineæ iterata voce *amplexa.* Acidalius.

Immobilem se precibus et invidiæ juxta ostendit] Non habet hic particulam, *et,* exemplar Budense: sicut nec mox adverbium, *simul: Simul affertur parari cognitionem Senatus.* Rhenanus. Fortassis, *invidia,* nec precibus nec reverentia famæ, aut maligni rumoris metu moveri. *Gronovius.*

CAP. 11. *Cui tum prima ætas extinguuntur*] In exemplari Budensi habes, *extinguitur.* Rhenanus. Legendum, *tum cui proxima ætas:* aut potius, *ac seniores prius, tum cui prima ætas;* ut capias, prius patrem et aviam, deinde filiam exspirasse. *Acidalius.*

Mortem sine arbitrio permittens] Videndum an legi debeat: *mortis arbitrium permittens.* Ursinus. *Sine arbitrio,* id est, arbitro; ut judicium pro judice; *judicium dabo,* ait prætor Lib. DD. et facile animum induco hæc vera esse; quod legitur apud nostrum Ann. lib. IV. *superbiam* vice *superbam.* Sed si eadem postulas in eodem verbo, de Cæsare pete. Lib. III. ' Constituit ut arbitri darentur: per eos fierent æstimationes possessionum, et rerum quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus transderentur.' Adde, ' et siquis appellasset de æstimatione, et solutionibus, quæ per arbitrium fierent (ut Cæsar præsens constituerat) fore auxilio pollicebatur.' *Salinerius.* Lipsius ait Fabro placuisse. *mortem suo arbitrio:* cum in vulgatis omnibus legeretur, *mortem sine arbitrio.* Ipse autem ex ingenio restituit, *mortem sine arbitro,* id est, liberam, sine domino, sine judice. Sic Ann. lib. I. ' An præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse?' Quam correctionem a Flor. codice confirmatam, recepi. *Pichena.* Scribendum esse, *mortem sine arbitrio remittens,* docuimus Observat. IV. 2. *Gronov.*

CAP. 12. *Locus in theatro inter viatores Tribunitios datus*] Qui *viatores* Romanis antiquis essent, diu anxie

quæsivi; et difficultatem afferebat, quod apparitores, viatores, aceensos, lictores, summotores, ita officio conjunctos observarem, ut quæ inter illos differentia esset constituenda, ignorarem: quod tamen longo studio et diligentia me adinvenisse existimo. Itaque hi omnes *Apparitores* dicti, quod scilicet Magistratibus assisterent, et præsto essent ad obsequendum, Liv. III. 49. et VIII. 33. Quod et potissimum passim patet ex Amm. Marcellino, et ex Justiniano, in l. XXXI. § 5. *Cod. de Episcop. et Cleric.* Hi quoque nomiuati *ministeria*, l. III. § *Tutor.* D. *de suspect. tutor.* Aliquando *apparitio*, l. finali, § finali, D. *de eviction.* Cicero tamen in epist. ad Thermum, *apparitionem* pro officio apparitoris accepit. Vocati quoque et interdum *officia*, l. *Illicitam*, § *Ne tenuis*, D. *de offic. præsid.* Nonnunquam *officiales*, Rubric. et l. I. Cod. de filiis official. et Cap. *Nullus*, 4. quæst. quarta. Interdum *executores*, l. II. *Cod. de sportul.* Aliquando *missi*, uti cap. 1. dc immunit. eccles. et ibi glossa in novella. Τάξεις ταξεῶται, id est, *ordo* et in glossa veteri, ἀμφοδάρχαι ἀρχινπηρέται. In horum numero fuere *lictores*, qui apparebant his tantum magistratibus, qui auctoritatem haberent non solum vocandi et ligandi, sed et quoque puniendi; hique ab aliis in hoc distinguebantur, quod securi et virgis suppliciuni de damnatis sumebant, jussu magistratuum, quibus apparebant. Ita Tribunos Consulari potestate creatos, lictores habuisse constat ex Livio lib. III. Ita Consules ubique, ita et Imperatores. Isti autem *lictores* et aliquando *summotores* dicti, co quod eorum officium esset, turbam et alios quoscunque summovere. Liv. III. 45. et 48. et l. VIII. 33. et XLV. 29. quo in loco pro *summotore*, intelligendum lictorem, non dubitandum vel propter verba l. XXVIII. 27. *Accensis* munus fuit vocandi, et ab acciendo dicti, ex Varrone de Ling. Lat. l. V. Cic. epist. I. I. ad Q. Frat. Verum quia et id munus proprium erat *Viatoris*, in quo differrent et distinguerentur, indagandum. *Viatoris* munus præcipuum fuisse vocandi, constat ex Columella in præf. l. I. Cic. de Senect. c. 16. Et Festo in *Viatores*. Et Liv. VIII. 18. Et Plin. XVIII. 3. Ex dictis patet, sicuti *Accensi*, ita et *Viatoris* quoque vocandi munus fuisse. At quomodo distinguendi sint, non æque manifestum. Ego statuendum puto, in hoc *Viatores* ab *Accensis* distingui, quod *Viatores* non modo vocandi jus haberent, sed et ligandi. *Accensi* vero minime. Verum quia Sigonius id aperte negat de jure antiq. civ. Rom. II. 15. ideo comprobandum est. Livius III. 6. et VI. 16. et IX. 10. et IV. 14. Utrobique enim *apparitoris* voce, *viatorem*, omnemque alium, qui ligandi jus haberet, intelligendum non dubito. Sicut III. 38. de *Viatoribus* interpretandum conjicio. At Cicero omnem scrupum demit, quum ait in Vatinium: 'Miserisne viatorem, qui M. Bibulum vi domo extraheret?' Itaque quum *Viatores* facultatem haberent ligandi, in hoc ab *Accensis* distinguebantur; *Accensi* vero a *Viatoribus* alia differentia discernuntur: namque *Accensi* munus erat, etiam meridie conclamare populo, quod *Viatores* non faciebant. Id autem constat ex Varrone loco citato. Et Plin. VII. 6. *Viatores* aut proprios fuisse Tribunorum pl. sicuti *lictores* Consulum existimavit plurimæ lectionis vir, Andreas Tiraquellus ad Alexandrum, motus auctoritate Livii II. 56. qua tamen in re eum hallucinatum non dubito: namque non modo Tribuni pl. sed et alii magistratus *viatores* habuere, quibus vocandi jus fuit. De Senatu constat ex Plin. XVIII. 3. De consulibus nulli dubium. De Ædilibus patet ex Livio l. XXX. *Scribæ Viatoresque Ædilicii.* Romæ in Basilica Sancti Petri in Vaticano

extat tabella antiqua inscripta, in qua fit mentio *T. Tettieni Viatoris Ædilicii*. Et in Æde Sanctæ Cæciliæ in alia tabella: *viator. quæstor. ab aerar.* In alia in domibus Dominorum S. Crucis legitur: *Ti. Onesimo. viatori. collegii. magni.* Quod pariter et reliqui magistratus *viatores* proprios habuerint, rationi consonum est, et constat ex Jurisconsultis, l. finali. de jndic. p. l. *Magis puto.* § *Illud quæri potest* de rebus eorum, qui sub tutel. p. Unde et *Viatores* Prætoris scil. vel Judicum aliorum eisdem dicti executores litium, ut Imperator docet in § *Triplici, de actionibus. Viatores* ex servorum genere fuisse contendunt aliqui ex recentioribus auctoritate Strabonis innixi l. v. et Gellii x. 3. Idem et adversus Picenos et Lucanos observatum, qui viatorum tabellariorum loco sunt habiti. In oppositum tamen stat veritas, siquidem Viatores cives Rom. fuisse constat ex antiq. inscriptione tabellæ, quam Car. Sigonius d. l. describit. Præterea quomodo Nero liberto et accusatori præmium operæ dedisset, locum in theatro inter viatores, si hi ex servili genere extitissent? Ad hæc Livius l. XXXVIII. scribit, 'ut postremo scribæ, viatoresque tribunos relinquerent.' Itaque viatores a servili comitatu discernit. Ad auctoritates autem Strabonis et Gellii dicimus; aliud esse *servorum vice haberi*, aliud vero *servum esse;* namque et communi appellatione etiam *servire* dicuntur, qui liberi sunt, non servi. Et ita a Frontino lib. de Aquæductibus, et a Varrone et Livio *apparitores* (inter quos viatores statuimus) servos publicos appellatos observamus, hoc est, qui publico inservirent, quum tamen hi fere omnes ex libertino genere essent, uti Cicero ad Q. Fr. scribens et Appium, in Verr. et in Corn. docet, et Tacitus l. XIII. demonstrat. Valgius Rufus et cum eo Gellius XII. 3. *Viatores* in collegio lictorum reposuere, quos tamen aberrasse ex jam dictis constat; apertius vero ex antiqua tabella dignoscitur præcones potius ex viatorum collegio fuisse, quam lictores. Quantum aberraverit doctiss. Turneb. l. I. et c. 11. *viatoris* vocem ex antiqua inscriptione interpretans, ex dictis jam satis patere puto. *Marcell. Donatus.*

Junius Germanici vocabulis] Malim, *Julius:* sequitur enim, *ideo Junium transmissum.* Ferrettus. Libri omnes et Mss. et editi in voce, *Junius*, consentiunt. Lipsius reposuit, *Julius*, Junii vocem falsam adseverans, eo quod statim sequatur, 'Junium mensem transmissum.' Huic opinioni ac mutationi assentiri minime potui, et antiquam ac genuinam lectionem restitui. Nam Orfiti adulatio eo spectat, &c. * *Pichena.*

Ideo Junium mensem transmissum] Id est, censendo a se non nominatum, licet satis intelligeretur qui Maium inter et Julium esset. *Vertran.* Hoc est, omissum, deletum, oblivioni traditum, neglectum, quomodo sup. XV. 31. 'inania transmittuntur.' Sic *transmittere silentio, dissimulatione, &c.* alibi apud nostrum. Oblitteratum ergo nomen Junii, in Juniæ familiæ dedecus. Frustra æstuant viri doctiss. qui hæc aliter aut emendant, aut explicant. *Freinshem.*

Infaustum nomen Junium fecissent] Male antea, *nomen Junii tum fecissent.* Emendavit Lipsius, et indicat Florent. qui habet, *nomen junctum.* Pichena.

CAP. 13. *Pertulitque violentiam ad mœnia urbis*] Liber Ms. *ad mœnia vicina urbi.* Suspicor scribendum tantum, *ad vicina urbi.* Sic Hist. lib. IV. 'Cæterique per urbem et urbi vicina conquisiti.' Nam quantum ad scripturam attinet, vocabulum *mœnia* non differt a dictione *vicina*, itaque conjicio bis scriptum idem vocabulum. *Rhenan.*

Cladem Lugdunensem quadragies HS

solatus] Æstimatur hæc summa centum millibus ducatorum nostræ ætatis. *Alciatus.*

Cap. 14. *Innixum*] Rectius *innexum.* Freinshem.

Nuntios et consolationes] Omnino lego, *consultationes:* et jam notavit Pichena sic in Florentino esse. Verbum ejus artis. Juvenalis: 'quæ nullum consulit, et jam Consulitur.' Noster: 'Quæ caritate erga parentem, non tamen aliud consultaverat, quam de incolumitate domus.' Paullo ante scribo, *multorum amicitiis innexum*, non, *innixum.* Lipsius.

Consolationes] Ex jam dictis audacter accipias licet, *consolationes* pro *consolatoribus:* qui ab amicis mittebantur specie consolandi, sed re vera ut scirent eventura. Eruditiss. vir *consultationes*, quod mihi non arridet: quis enim in exilio eadem palam exerceret, per quæ fuerit deportatus? Severus scil. cui exilium Creta, eadem factitando evasit majores pœnas. Ann. l. IV. 'Recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio consenuit.' At Sosianus amicus erat Pammeni, 'similitudine fortunæ conciliatus;' eoque omnium gnarus. Crederem, nisi pro comperto haberem, Pammenem talia dissimulasse, et ab omnibus occultasse. 'Igitur interceptis Anteii literis, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis ejus, et eventura secretis Pammenis occultabantur.' *Saliner.* Corrupte in vulgatis, *nuncios et consolationes.* Præviderat correctionem Lipsius ex ingenio. Ego Florentini fide restitui. *Pichena.*

Simulque annuam pecuniam] Scripsimus, *simul annuam pecuniam.* Rhen.

Exstitisset. Monitus prius Anteius, ne supremas tabulas moraretur] Fallor, an hæc ita nectenda? *exstitisset, monito prius Anteio, ne suprema tabulis moraretur:* id est, ne mortem differret curatione testamenti. *Acidal.*

Cap. 15. *Causa festinandi ex eo oriebatur, quod Ostorius multa*] Manifeste abundant voces illæ, *ex eo oriebatur*, neque videntur manasse ab auctore: unde legimus in editionum prima, *causa festinandi exoriebatur, quod Ost.* Gruter.

Ne invaderet, pavidum semper, et reperta nuper conjuratione magis exterritum] Scribo *pavido*, et *exterrito*, referoque ad præcedens *Neroni.* Pro *invaderet* dubito etiam nunc an *evaderet* potius sit. Conveniat id cum sequentibus, *Igitur Centurio ubi effugia villæ clausit.* Sed credam potius voculam desiderari, et scribendum, *ne imperium invaderet pavido semper, &c. et exterrito.* Ut l. v. in simili caussa: 'Ceterum timore occulto, ne L. Silanus eximia nobilitate, disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, imperium invaderet.' *Acidal.* Sic hæc conjungenda duxi, expuncta virgula, quæ addebatur, post *invaderet.* Porro in Veneto est *invaderetur:* ex quo facerem, *invaderet ut pavidum.* Freinsh.

Jussa imperatoris Ostorio aperit] Codex Budensis habet, *impost.* ut etiam legi queat, *jussa mox*, vel *post Ostorio aperit.* Mox, *Is fortitudinem adversum hostes sæpe spectatam.* Rhenan.

Cap. 16. *Quam ne oderim tam segniter pereuntes*] Hunc locum, meum secutus judicium, *oderim* in *oderint* mutato, sic lege, *Quam ne oderint tam segniter pereuntes.* Sensus est, A lectore non exigimus, ut istorum plusquam servilem patientiam defendat aut excuset, sed hoc tantum, ne istos odio prosequatur aut odisse incipiat: nam res fuit plane fatalis. *Rhenan.* Segniter vero illi peribant, de quibus jam diu memoravit? promte imo plerique omnes et fortissime. Et male hæc culpatio convenit isti proximæ laudationi: *Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo, &c.* Denique quid ita horum segnem iuteritum ad sui excusationem valere ve-

lit Tacitus? Falsi jure suspecta mihi lectio: quam mutem: *ne oderint tam segniter pergentem.* Quod firment illa, quæ subduntur: 'Ira illa numinum in res Rom. fuit, quam non, ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium, semel editam transire licet.' *Acidal.* * sed tantum ne oderint. At nuper Julius Salinerius, *oderim*, retinet, atque ad Tacitum refert. Qui lectoris tædium veritus, propter continuas similesve civium mortes a se traditas; hac tantum ratione defendi atque excusari postulat, ne si tales viros silentio transmisisset, odisse eos videretur, quia tam segniter serviliterque perierint: eoque odio suspicionem fortasse dominantibus daret, se pro patientia audaciam et seditionem in conjurationis noxiis desiderare. Sed fortasse verius: Tacitum a lectoribus petere, ne existiment, se nominatim illos tradidisse, odii exprobrationisque causa: cum alioquin solitus sit hujusmodi virorum nomina silere l. XIV. 'nobilium familiarum posteros egestate venales, in scenam deduxit: quos fato perfunctos ne nominatim tradam, majoribus eorum tribuendum puto.' *Pichena.* Doctiss. vir *oderint.* Quo autem sensu, dicit Curtius Pichena, vir ingenii perquam amæni. Haud assentio, quia sic Tacitus exigeret a lectore, si non defensionem tam segniter pereuntium, at saltem ne ea de caussa eos odio prosequeretur: quod sane aliquantum friget. Tu *oderim* ne hinc expelle, &c. * *Saliner.*

Ut quomodo exequiis, ac promiscua sepulchra separantur] Emendavimus, *Ut quo modo exequiis a promiscua sepultura separantur.* Mox c. 17. scripsimus, *Annæus Mella.* Est deinde in libro Ms. *Consularibus insigniis.* Rhen.

CAP. 17. *Ita scripsisse, se quidem mori nullis supplicii causis*] Reposui, *Ita scripsisset, se quidem mori nullis supplicii causis.* Rhenanus. Involuta sententia quam distinctione et levi emendatione hac explico: *Additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens, ita scripsisse: se quidem, &c.* Acidal. Ven. ed. *scripsisse:* fortasse melius: nisi si et duo verba hæc, *ita scripsisset*, a glossa sint. fuitque initio: *Addit codicillis, tanquam de iniquitate exsilii quærens, se quidem.* Gruterus. Tacitum reliquisse censeo: *Additur, codicillis tanquam de iniquitate exitii querentem scripsisse.* Gronov.

Rufum tamen Crispinum] Scripsi, *tamen*, Florentino volente. Alii *autem.* Pichena.

CAP. 18. *De C. Petronio pauca supra repetenda sunt*] Nos, *De C. Petronio supra: pauca repetenda sunt.* Rhenan. Fuit cum hæc suspecta haberem, atque ita legendum esse conjicerem: *De C. Petronii supremis.* Sed docuit me Socer mens phrasin esse Sallustianam, cujus perpetuus imitator Tacitus. Sic enim ille in Catilina 5. 'Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere:' et in Jugurtha 5. 'Sed priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam.' *Freinshem.*

Ingentem se ac parem negotiis ostendit] Malim, *vigentem se ac parem negotiis ostendit.* Sicut superiori libro, *animi validus et corpore vigens.* Rhen.

Seu vitiorum invitationes] Emendavi distinxique, *Seu vitiorum imitatione inter paucos familiarium Neroni assumptus est.* Rhenan. Malim, *imitationes.* Ferrettus.

CAP. 19. *Præceps vitam expulit*] Credo Tacitum scripsisse *per præceps.* Acidal.

Incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursum et alloqui amicos] Illud, *ut libitum*, mihi est suspectum. Neque enim admodum huc facit. Elegantius erit, si scribas: *incisas venas, et iterum obligatas, aperire rursum, et alloqui amicos.* Boxhorn.

Ut quasi coacta mors, fortuitæ similis

esset] Volumen regium, *quam coacta.* Scripsi, *quamquam coacta.* Rhenan.

Cap. 20. *Tanquam non siluisset, quæ viderat, pertuleratque, proprio odio*] Legerim: *pertuleratque. Proprio odio hunc; Numicium Thermum prætura functum Tigellini simultatibus dedidit.* Est fere eadem verborum positio, qualis occurrit et infra XVI. 30. 'Vetera hæc: sed recens,' &c. *Freinsh.*

Tigellini simultatibus dedidit] In volumine regio est, *deditum;* malim, *dedit.* Rhenan. Potius *dedit. Dandi* enim verbum, non *dedendi,* hoc significatu celebre est. *Acidal.*

Patronus ejus nece immerita lueret] Tacitus scripsit *luere,* id est, luerunt. *Acidal.*

Cap. 21. *Interfecto Thrasea Pæto, et Barea Soruno*] Hoc ordine in Flor. nominantur: apud Tacitum enim dignior Thrasea. In vulgatis transponuntur: *interfecto Bareu Sorano, et Thrasea Pæto;* etsi nihil refert. *Pichena.*

Quod Senatu egressus est] Lege, *esset;* quomodo et Muretus. *Acidal.* Muretus legit, *egressus esset.* Rectius. *Pichena.*

Parum expectabilem operam præbuerat] Castigavi, *parum expetibilem operam præbuerat.* Rhenan.

Ludis cesticis ab Antenore institutis] Hærent viri docti in his ludis: nec, qui aut explicent, aut mutent, sciunt. Nihil etiam ego video: nisi si quid sani aut firmi in illorum conjectura, qui in Suetonii Tiberio et Caligula 'Asticos ludos:' et l. XV. in Tacito 'Asticam religionem' reponunt; conjiciam, etiam hic *Ludis Asticis* scribendum. Et sane quia dicit a Trojano Antenore Patavii institutos, videntur sic vocari, quasi *Urbici,* potuisse. Lipsius ipse *Asticis* in prima edit. conjecit, in posterioribus sprevit. *Acidal.*

Et cum divini honores] Exemplar Budense, *Et cum Deum honores Poppææ decernuntur.* Sic in fine l. XV. 'Nam Deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.' Itaque et nos hoc loco scripsimus, *Deum honores.* Rhenan. Faërnus legebat: *Et cum Deum honores Poppææ decernerentur, &c.* non *decernuntur.* Ursin. Legendum certo *decernerentur.* Sed quid honores decreti cum funere jungnntur? Eodemne tempore exsequiæ ducebantur, et Senatus de honoribus decernendis habebatur? Non potest. Censeam pro *funeri,* scribendum, *senatui:* ant certe diducam sententiam immissa particula: *Et cum Deum honores Poppææ decernerentur, sponte absens,* (mirum ni pro *sponte, senatu* reponendum) *etiam funeri non interfuit.* Acidal.

Funeri non interfuit] Flor. habet, *non interfuerit:* ergo supra, pro *decernuntur,* legerim, *decernerentur.* Pich.

Inimicus Thraseæ] Flor. *iniquus Thraseæ.* Sed nihil mutavi. *Pichena.*

Cap. 22. *Qui tibi lasciviam exprobrent*] In exemplari Budensi legitur *quod.* Opinor scribendum, *quo tibi lasciviam exprobrent.* Rhenan. Faërnus legebat: *Quasi tibi lasciviam exprobrent.* Ursinus. Correxi, *quo tibi lasciviam expr.* quia Flor. habet, *quod ibi.* Vulgo, *qui tibi.* Pichena.

Huic uni incolumitas tua sine arte, sine honore] Lipsius excidisse vocem putat, *sine cura, artes sine honore:* cui opinioni nonnihil Florent. astruit, in quo legitur, *artes.* Pichena. Videtur Florentinus significare: *Huic uni incolumitas tua, tuæ artes, sine honore.* Gronov.

Per exercitus accuratius leguntur] Reposui, *per exercitus curantium leguntur.* Infra est in libro Ms. 'cæde insignium virorum,' pro *illustrium:* quam lectionem et nos secuti sumus, tametsi vocabulum hoc passim obvium est apud Tacitum. *Rhenan.*

Si perverterint, libertutem ipsam aggredientur] In vulgatis tantummodo legitur: *si perverterint, ipsam aggredientur.* Sed quoniam in Flor. inge-

minatur vox, *libertatem*, neque id temere; illam et nos adjecimus. Est etiam in eodem libro, ad dictionem, *perverterint*, in margine adnotatum, sed eadem, ut videtur, antiqua manu, *impetraverint*. Pichena.

Cap. 23. *Ostorius Sabinus*] Mutant libri. Alii, *sibi Torius*. Vatic. *Subitorius*. Flexit me ut *Ostorius* scriberem locus infra, de hoc ipso: 'Ostorio duodecies, et Quæstoria insignia tribuuntur.' *Lipsius*.

Inultam omiserat] Vatic. Male vulgo, *invitam*. Idem.

Ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur] Aut subintelligenda, aut addenda vox: *Ut ad externa versis rumorib.* Vel, *ut versis ad externa rumoribus*. Acidalius. Olim dubitavi, num legendum, *ut ab externis rumorib.* sed jam utcunque vulgatam lectionem fero: ut scil. existentibus Romæ rumoribus ad res externas, scelus intestinum obscuraretur. *Pichena*. Verosimile est, relictum primitus a Tacito, *ut ad externa rumorum intest.* Gruterus.

Cap. 24. *Exterritum Thraseam sensisse*] Sententia mecum malit, *scripsisse*: et quod prævidi, firmat Florentinus nunc codex. *Lipsius*.

Sperans exterritum Thraseam scripsisse] Ita Faërnus legebat pro eo, quod est in vulgatis: *Thraseam sensisse per quæ, &c.* Ursinus. Male vulgo, *sensisse*. Correxi ex Flor. idque conjectura præviderat Lipsius. *Pichena*.

Cap. 25. *Secretum circumdare*] Bene mei libri, præ quod vulgo, *otium dare*. Lipsius.

Secretum ocium dare] Notant eos, qui nihil tentantes venas in balneis solvebant, vel intra domesticos parietes se ipsos transfigebant. Tacit. dict. loco: 'Effugeret segnem mortem, ocium.' Contendunt itaque, ut prodeat in publicum, et laudem gloriamque dictis magnanimis asciscat, vel ea saltem de caussa: 'Distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium.' Cæterum per doctiss. virum jam *ocium* exulabat. *Salinerius*. Etiam a Flor. confirmatur verbum, *circumdare*, a Lipsio ex aliis libris repositum. Vulgo, *otium dare*. Pichena.

Audirct senatus voces quasi ex quodam numine] Emendavi, *quasi ex aliquo n.* Rhenanus.

Sin crudelitati insisteret] Fecimus; *persisterct*. Forte scribendum, *crudelitate*. Rhenanus. Secutus sum Florentinum ac Venetum legentes; *sin crudelitati insisteret:* at in vulgatis; *sin crudelitas persisteret*. Pichena.

Cap. 26. *Contra qui opperiendum domi censebant*] Regius Codex, *contra qui opperiendum eum domi censebant*. Forte legendum, *opperiendum ei domi censebant*. Rhenanus.

Superesse, qui forsitan manus ictusque per immanitatem Augusti] Ἡ ἀποσιώπησις, sive reticentia, graviter dicenti satis apta est: nam ut Demetr. Ποιήσει δεινότερον τὸν λόγον: i. graviorem faciet orationem. 'Quos ego—sed motos præstat componere fluctus.' Qui Thraseam deterrere studebant a senatus ingressu, contumeliis id faciebant, quæ illum gravissimæ manerent: eos vero Tacitus inducit verba supprimentes, quia (ut Demetrius) πᾶν τὸ ὑπονοούμενον φοβερώτερον: i. Quicquid suspicamur, horribilius est. Vel pro se quisque obseurant futura ludibria, quæ viri earitate fere nequeunt continere, idque Thraseæ venerationi dant. Quintil. IX. 2. 'ostendit [loquitur de retieentia] affectus iræ, vel sollicitudinis, et quasi religionis.' Siletur autem *intendant*. Præter Eprium et Cossutianum (dieebant amici) convieia, et (quod nefas dictu) verbera a malis et a bonis expecta: ab illis, student enim solum sævitia inire gratiam a Nerone. *Superesse qui manus ictusque per immanitatem Augusti:* ab his urgente metu,

ne despexisse principis injurias viderentur. Juvenal. Sat. x. 85. *Salinerius.* Animam agenti loco aquam sic affundit Lipsius: *ictusque parent: immanitatem Augusti etiam bonos metu sequi.* Assentirer, nisi vox *Augusti* vetaret: quæ hic a Tacito scripta nunquam. Augustum scil. illi, quorum ista oratio est, Neronem dicerent. Lege mecum potius, &c. * *Acidalius.* Recte incomparabilis Grotius vidit, pro *Augusti* vocabulo, *audendi* esse reponendum. Legit autem; *per immanitatem auderent.* Ego jam olim in codice meo notaveram: *per immanitatem ausuri.* Quod et eamdem sententiam habet, et minus abit ab apicibus corruptæ istius vulgatæ lectionis. Sic ' audere aciem,' ' codicillos,' ' pericula,' alibi dicit Tacitus. *Boxhornius.*

Senatui quem perornavisset] * nisi condemnaverit.' Non ergo bene mutavit hæc Vir Doctiss. dum legit, *Senatui quem semper ornavisset.* Freinshemius.

Sibi actam ætatem] Distinxerim hæc a sequentibus, nec enim pertinent ad istud *deserendum;* sed integram causam, quam contra Aruleni impetum profert Thrasea, sola continet. Sic ergo scribe: *sibi actam ætatem: et tot, &c.* Hoc enim dicit, quod apud Senecam de vita beata Diodorus Epicureus ex Poëta: ' Vixi et quem dederat cursum fortuna peregi.' *Freinshemius.*

Quod tali in tempore capessendæ resp. iter aggrederetur] Restitui præpositionem *in,* ex Flor. quæ in aliis exciderat. Emendavi etiam alibi. *Pichena.*

Cap. 27. *Oratio principis per Quæstorem ejus audita est*] Lib. 1. explicuimus, qui dicerentur *candidati Principis.* Lupanus.

Quid mirum e longinquis provinciis adveniri] Alibi, *non adveniri.* Ferret. Quis faciat sano medicinam? Senatores ægre jam tulerant, senatum patuisse proceribus Galliæ comatæ, eaque de causa Nero dicit per Quæstorem: Injuria principibus succensetis, quod Gallos asciverint in Senatores: talia enim facere coacti sunt, quia multi senatoria munera detrectant: quorum nunc signifer Thrasea, qui cum suo grege curiam frequentare dedignatur. *Salinerius.* Plene sententiæ consultum priori Lipsii divinatione, *haud veniri:* quamquam malim, *haud adveniri:* nec audienda altera quæ longissime a Taciti mente recedit: *quid mirum nec longinquis provinciis subveniri,* vel *provinciis adverti.* Acidalius. Imo *non adveniri* in urbem, scil. considera quæ sequuntur. *Grotius.*

Cap. 28. *Summam reipub. agi clamitabat*] Melius; *summam remp.* quod et Muretus censuit. *Acidalius.*

Nisi contra instituta] Id est, Nisi ex cive hostis, proditorque palam factus sit. *Ferrettus.*

Et principis obtrectatores protegere solitus] Taciti manum fuisse censeo: *Denique agere senatorem, ut principis obtrectatores protegeret, solitus veniret, &c.* Gronovius.

Cap. 29. *Cum per hæc atque talia Marcellus inveheretur*] In regio Codice legitur, *verteret.* Forte debet esse, *perverteret:* quod verbum pro accusare, sive per accusationem subvertere, sæpe Tacito solemne est, cen in iuitio operis ostendimus. *Rhenanus.* Perperam in vulgatis emendatus locus, *Marcellus inveheretur torvus* pro, *ut erat torvus:* nam attentum lectorem non fugiet, duo illa verba *inveheretur,* et, *ardesceret,* orationem confundere. At veram lectionem indicavit Florent. qui corrupte habet, *Marcellus uteret torvus, &c.* Similis dicendi modus Anu. 1. ' isque, ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita cœpit.' *Pichena.*

Celebritate periculorum] Cum Rhe-

nano lego, *crebritate*. Lipsius.

Celebritate periculorum sueta jam senatus mœstitia] Opinor scribendum, *crebritate periculorum*. Rhenanus. Τὸ *celebris* ac τὸ *frequens* idem valent, licet Vallæ aliter visum sit. Tacit. 'Quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit.' *Salinerius*. Cum Rhenano legebat Lipsius, *crebritate periculorum*: et sensus id requirit. *Freinshemius*.

Quia protulerit ingenium] Sentio voculam abesse sententiæ, quam reddo, *sed quia prot*. Acidalius.

Cap. 30. *Accusator ingreditur orditurque*] Duo hic verba ejusdem significatus junctim posita, quod Tacito insolens, *ingreditur, orditurque*. Utrumque enim nihil sonat aliud, quam incipit. Nec a glossa posterius opiner. Forte scribendum: *Sabinus Sorani accusationem ingreditur orditurque*. Phrasi de qua ad lib. v. supra. *Acidalius*.

Quodque proconsulatum Asiæ Soranus] Cum in antiquioribus libris, ac præsertim in Flor. scriptum esset, *procos*. Vulgo interpretatum fuit, *proconsul*: at sententia postulat, *proconsulatum*, ut restituimus, suadente etiam Lipsio. *Pichena*.

Sed recens discrimini patris filiam connectebat] Flor. addit: *Sed recens, et quot discrimini*. Forte, *et quod*. Pichena. Ms. Florent. addit; *sed recens, et quot discrimini*. Forte legendum; *sed receus id, quod discrimini*. Quod statim sequitur de pecunia Magis data, magicisque sacris, recenset et Scholiastes ad illud Juvenalis, 'faciet quod deferat ipse,' his verbis: 'Egnatium Philosophum significat, qui filiam Bareæ Sorani, quam cum ipse ad magicam descendisset hortatu, detulit Neroni.' Sed rectius fortasse legeris: *quamquam ipse ad magicam discendam esset hortatus, detulit Neroni*: nam ipsa quoque interfuit magicis sacris, ut patet ex cap. seq. *Freinshemius*. Ego ex Flor. codice τὸ *quot*, ut supervacuum rescidendum puto. Prorsus enim Taciti fuit: *Vetera hæc, sed recens, et discrimini Patris filiam connectebat*. In duobus prioribus membris orationis intelligi voluit verbum substantivum. *Gronovius*.

Cap. 32. *Quantum misericordiæ*] Præclare libri. Vulgo *quantum nunc*: errore ex concisa ratione scribendi, *mĩæ*. Ingenio suo pridem hanc correctionem vindicaverat Faërnus: nec invideo ego, nec culpo. *Lipsius*.

Quantum nunc sævitia] Locus hic est in quo inscitiam exscriptorum cum Faërno mirati sumus. Ita legit: *Quantum misericordiæ sævitia*: et ita in altero bibliothecæ Pontificalis scriptum inveni. Decepit autem librarios brevibus notis scribentes, inter *mĩe* pro *misericordia*, et *nunc* literarum similitudo. *Vertranius*. Cum v. c. Faërnus scriptum invenisset: *Et quantum miæ, &c.* vel, ut in alio, *Et quantum nunc, &c.* ex ea voce fecit *misericordiæ, &c.* quam lectionem ita plane scriptam vidimus postea in aliis libris manuscriptis. *Ursinus*.

Habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti et exerciti] Faërnus legebat, *honesti exercitus, &c.* Sed Danesius non male, *honesti et exercitio, &c.* quamvis lectio Faërni magis placeat. *Ursinus*. Et hæc inter Lipsii conjecturas digna mihi visa est, quæ recipiatur. Inepte vulgo, *honesti et exerciti*. Pichena. Et hæc inter conjecturas Lipsii digna Pichenæ visa est, quæ recipiatur. At vulgatam lectionem *honesti et exerciti* omnibus libris constanter iuhærentem, egregie mihi explicasse visus est Vir Eruditus Gronovius in epistola ad socerum meum scripta: cujus verba, paullo prolixiora, amplioribus commentariis servamus. *Freinshemius*. Vide Observ. II. c. 4. *Gronovius*.

Honesti et exerciti] Suadeo scribas,

honesti exercitus, ex sententiæ ductu. *Lipsius.*

Cap. 33. *Cassii Asclepiodoti*] Xiphilino Caspius Asclepiodotus Niceus paulo aliter dicitur. *Vertranius.*

Æquitate Deum erga bona malaque documenta] Lipsius hic: ‘ Depravatio manifesta: quam tamen adnotare volui, tollere non potui.’ At ego non solum nullum mendum inesse existimo, quinimo præclarissimam suspiciendamque sententiam mira brevitate Tacitum complexum non dubito. *Æquitas animi* absolute est constantia quædam, et moderatio, quum æquo animo patienterque omnia feruntur, ac in bonam partem accipiuntur, quæ et *tolerantia* dicitur. Cicero pro Planc. ‘ Fugisti sententiam legis, æquitatem omnem rejecisti.’ Et 1. de Finibus: ‘ Probabo, modo ista sis æquitate, quam ostendis.’ Et lib. de senectute: ‘ Novi enim moderationem animi tui, et æquitatem.’ Et in Epist. ‘ Æquitatem tuam non potui non probare.’ Æquitatis vim duplicem dixit Idem in partit. Orat. cujus altera directi et veri et justi et æqui et boni ratione defenditur, altera ad vicissitudinem referendæ gratiæ pertiuet, quod in beneficio *gratia*, in injuria *ultio* nominatur. His sic se habentibus, interpretor Taciti dicta: *Factum æquitate Deum*, id est, tolerantia et permissione, &c. * *Marcellus Donatus.*

Si sic distinguas, clara et integra sunt. *Idem tamen dies, et honestum tulit exemplum Cassii Asclepiodoti (qui magnitudine opum præcipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit, exutusque omnibus bonis et in exilium actus) æquitate Deum erga bona malaque documenta.* Eodem die (Tacitus ait) &c. * *Salinerius.*

Manifestam depravationem adnotat, non tollit Lipsius. Non tollo quidem etiam ego; sed fomento hoc tego: *æquitatis dedit erga bona malaque documentum. Æquitatem* capio æquanimitatem: eodem enim anno tolerasse eum vult bona et mala. *Acidalius.* Quicquid dicant, ἐπικυρίζει Tacitus, aut patitur sensus, qui pios etiam et divinæ providentiæ adsertores sæpe turbarunt, cum viderent scelus præmia, virtutem supplicia sequi. *Æquitatem* vocat indifferenter aliquid ferre, nihil ad id commoveri. Ut Cicero 1. Agrar. ‘ Quantum tibi agri vendet, ut alios omittam, socer tuus? et (si ego ejus æquitatem animi novi) non invitus.’ Adde Observ. IV. 17. *Gronovius.*

Cap. 34. *Igitur flentes queritantesque*] Forte, *quiritantesque.* Rhenanus. Cum hic antea *queritantes*, pro cientibus flebiles questus scriptum esset, et placeret, Beatus tentavit legere, *quiritantes*, quod gravius et magis placet. Est autem *quiritare*, ut inquit Marcellus, * &c. *Vertranius.*

Arriamque tentantem] Arriæ uxori, (quæ filia fuit Arriæ illustris fæminæ et Pæti Cæcinnæ; illius, qui Scriboniani partium fuerat, cum arma in Illyrico adversus Claudium movereutur,) Thraseas dissuadet mortem, et matris exemplum eam ut sequatur monet, qua marito mortis solatium, non qua mortis exemplum præbuerat. Ejus de virtutib. extat Cæciliani l. III. ad Nepotem epistola. Ceterum deficit dimidia pars libri hujus, et annis duobus gesta exciderunt, scil. Fonteio Capitone et Julio Rufo, Valerio Turpiliano Thracala et Silio Italico consulibus: studiosus ex Dione et Suetonio historiæ sitim explebit. *Vertranius.*

Exemplum Arriæ matris sequi] * Arriam uxorem habente.’ Quid est autem, Diligi apud Thraseam? Solœcus sermo. Manuscriptus Vulcanii, *apet ithrasea.* Facile correctu, *a Pæto Thrasea.* Commentarii autem hujus parum adhuc pervulgati auctoritate

sæpe nitor. Quis carpet? doctus ille, probus: imo in pleraque parte et Probi. Utinam hodie sic commentemur! Debemus cum P. Pythæo Jc. viro doctrinæ, judicii, vitæ directæ. *Lipsius.*

Cap. 35. *Porrectisque utriusque brachii venis*] Nescio, an verius *prosectis*, vel *perfectis*, an *perictis*. Aptum tamen et illud. *Acidalius.* Copulam *que*, ex Flor. restitui. *Pichena.* Non placet hæc lectio; emendem, *prosectisque.* Freinsh.

Et omen quod Dii prohibeant] Scripsimus, *et omen quidem Dii prohibeant.* Rhenanus.

Quibus firmare animum expedit] Scripsimus, *expediat.* Florent. ac Veneto auctoribus. *Pichena.*

Obversis in Demetrium] Indubie *obversus* scribendum. Sed quid hoc auxilii? *Acidalius.*

HISTORIARUM LIB. I.

Cap. 1. *Initium mihi operis*] Hunc fuisse primum librum Annalium Cornelii, semper sum suspicatus; illumque blandiente postea profectu longius ductis initiis, ad Augusti exactum imperium calamum retulisse. Nam si pars hæc fuisset posterior, haud tam multa illi repetenda fuissent, et perscribenda: tanquam aditum factura ad historiam: nec ipse, *initium operis*, incepisset: et, *Opus aggredior.* Ferrettus. Hos libros *Historias* inscriptos Cornelio fuisse asserere, et veterem titulum audeo eis vindicare. Neque enim si nuncupatos *Annalium* nomine cum vulgo vel ex Rhenani auctoritate probes, titulo satisfaciat in operis cursu Tacitus, in quo non Consulibus acta distinguit, nec quoque libro res gestas plurium annorum componit, quod *Annalium* proprium est, sed uno anno quæ facta fuere, in plures libros distribuit: quorum nomine (ut ego quidem interpretor) dicitur Fla. Vopisco Corn. Tacitus *historiæ Augustæ scriptor.* His in libris res gestas principatu Galbæ, &c. * *Vertranius.* Muretus adscripserat. Ex vetere libro constat principio hujus libri quædam desiderari. Quod an verum sit, mihi non liquet: ceterum non esse videtur. *Acidalius.*

Ser. Galba iterum, T. Vinius Coss.] Vulgo appellant T. Junium. At mihi religio non fuit sequi scripturam antiqui marmoris eruti ad radices montis Cœlii:

SER. GALBA. II. T. VINIO. COSS.

a quo præsertim staret Plutarchus, qui fere hunc hominem Τίτον Ὀβίνιον, aut Οὐίνιον appellat. Simile mendum in Suetonii Aug. cap. 27. ubi *T. Junius Philopœmen*, scribitur, qui ex Dione est *Vinius:* etsi Appiani scriptura firmat vulgatam. Sane Junia gens nobilior, quam ut in hunc hominem conveniat: cujus pater dumtaxat ex familia Prætoria, ut Tacitus infra refert. *Lipsius.*

Atque omnem potestatem ad unum conferri] Exemplar Matthiæ regis, *atque omnium potestatem;* quæ lectio mihi magis probatur: nam hæc clau-

sula, *ad unum*, respondet illi *omnium potestatem*, subaudit, *civium;* hoc est, totius populi Romani. *Omnium potestatem*, hoc est, quam omnes habebant. *Rhenanus.* Ego nihil muto; sic enim scripsit Ulpianus, 'Lege regia, quæ de imperio principis lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem confert,' id est, Omnem imperandi potestatem, quam populus in cives singulos, et in summum ipsum magistratum haberet. *Vertranius.* Non displicet lectio Danesii, qui habet ex v. c. *Atque omnium potestatem.* Ursinus. Flor. habet; *atque omnem potentiam.* Pichena. Cicero Phil. I. 'ne ignorans verum iter gloriæ gloriosum putes plus te unum posse quam omnes.' Livius l. III. 'licentiam suam malle, quam omnium libertatem.' Sive ab τῷ *omnia* malis. Noster l. I. 'quam subjectum fortunæ regendi cuncta onus, proinde in civitate tot illustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent.' Quintilianus Inst. VI. 1. 'cum omnia curæ tutelæque unius innixa.' *Gronov.*

Ambitioni scriptoris facile adverseris] Reposui, *Sed ambitionem scriptoris facile adverseris:* nam Tacitus solet hoc verbum cum accusativo conjungere. Sic infra: 'Vidistis commilitones notabili tempestate etiam deos infaustam adoptionem adversantes.' Libro Annal. I. 'Sua facinora adversari Deos lamentantur.' Rursum Hist. l. III. 'Voce flebili precabatur placatos patris manes neve se ut parricidam adversarentur.' Hist. lib. IV. 'Vulgus adversari regem, invidere Ægypto, sibi metuere, templumque circumsidere.' *Rhenanus.* Mutaverat Muretus, *adverteris:* male. Quod si quid erat mutandum, potius *averteris*, vel *averseris.* Sed non erat Taciti illa propria phrasis: hoc ipso libro infra: 'Deos infaustam adoptionem adversantes.' Ceterum notabis *ambitionem* rariore significatu hic pro assentatione vel adulatione poni. Id patet cum ex proxime sequentibus: 'Quippe adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest:' tum ex præcedentibus: 'mox libidine assentandi,' adulationem et ambitionem deprehendens. Sed et *ambitiosum* item pro assentatorio. Infra: 'Multi occulta spe, prout quis amicus, vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.' Sall. in Jugurth. de Metello, 'tanta temperantia inter ambitionem sævitiamque moderatum.' *Acidalius.* Muretus, *adverteris.* Malim, *averseris.* Similis lapsus non semel in his libris. *Pichena.* Legam *averseris*, cum Pichena. *Freinshemius.*

Mihi Galba, Otho, Vitellius] Eadem fere Crispus, ut sibi fides haberetur in proœm. Catil. 'Statui res gestas populi Rom. carptim (ut quæque memoria digna videbantur) perscribere: eo magis quod mihi a spe, metu, partibus reip. animus liber erat.' *Salin.*

Incorruptam fidem professis nec amore quisquam] Mur. *nec cum amore:* ut placet. Sed quorsum etiam *professo* mutat? Nimis putidum istud. *Acidal.*

Uberiorem securioremque] Comparativum alterum non est in libro manuscripto. *Rhenanus.* Dubito de sinceritate vocis *uberiorem:* nullo enim modo uberior scribendi seges in temporibus Nervæ et Trajani, quam in his, quæ nunc aggreditur. Quod si vera scriptura, non ex vero sententia. Nec sane ratio est, cur uberiorem materiam senectuti reservet; nisi quietem forte et otium respicit, cui tamen vitæ seniliis uni commodo multa e diverso opponas incommoda. Denique si illa materies uberior tandem, cur hujus operis opulentiam tam ambitiose statim incipit recensere? Vel lege *liberiorem*, quod probant sequentia: 'Rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, et quæ sentias dicere licet.' *Acidalius.*

Cap. 2. *Plenum variis casibus*] Parum firma aut germana lectio. Nam Vatic. ille opt. *opus aggredior opibus casibus*, præfert: et supra adnotatum, *opimum*. Et in Romano antiquitus excuso item legas, *opimum casibus*. Censeam fuisse, *opulens casibus:* quæ vox paullo a vulgo seductior, exscriptores seduxit. *Lipsius.*

Opus aggredior opimum casibus] Non dubium, quin hic vetera omnia exemplaria sint corrupta. Sed luce clarius vulgatam lectionem, *plenum variis casibus*, a nimis audaci arbitrariaque manu substitutam, quæ ne ullum quidem scripturæ priscæ vestigium præferat. Testatur Lipsius in Vat. legi, *opibus casibus:* et supra, *opimum:* ex quo ille mallet, *opulens*. Flor. item *opibus*. Mihi certe minus a libris abhorrens visum est, *opimum casibus:* quod etiam retulit Romanus editus. Neq; video cur improprie dicatur, *opus opimum*, id est, fecundum, abundans, refertum. *Pichena*. Veniebat in mentem *obsitum* vel *uberrimum*. Gronovius.

In ipsa etiam pace sævum] Præpositionem *in* expunximus, subauditur enim Tacito. *Rhenanus*. Spectantur hic inprimis Domitiani tempora. *Savillius.*

Tria bella civilia] *Trina bella civilia*, legitur in manuscripto. *Rhenanus*. Flor. *trina bella civ.* Pichena.

Perdomita Britannia, et statim missa] In vitio aperto et confusione locus. Quid enim illud, *missa cohorte?* Itane unius cohortis res fuerit, in Sarmatas ac Suevos bellum? Nugæ. Denique quis hic sermonis contextus aut cohæsio, missa cohorte in Suevos, Dacum cladibus involutum? qui populi sane diversi. Omnino recte correximus pridem: *perdomita Britannia, et statim amissa: coortæ Sarmatarum ac Suevorum gentes: nobilitatus clad. mutuis Dacus:* nec exiguo ad historiam momento. Discimus scilicet perdomitam Britanniam, &c. * Aliquid etiam Wiudichindus Saxonicorum l. 1. At fons totius hujus corruptionis (varie enim interpolatus locus) a verbo *coortæ* ortus: quod plerumque libri scripti in medio adspirant, *cohortæ, cohoriri*. Hinc turbellæ. *Lipsius.*

Et statim missa cohorte in Roxolanos Sarmatarum ac Suevorum gentes] Accusativus *Roxolanos* videtur postea additus: nam non est in volumine Budensi, nos quoque sustulimus. *Rhenanus*. Vir doctus sic corrigit hunc locum, qui procul dubio corruptus est, *statim amissa: coortæ Sarmatarum*. Perdomita Britannia intelligitur, &c. * *Savillius*. Doctiss. Lipsius constituit, *perdomita Britannia et statim amissa*. Bene utique, nisi quod verbum *amissa* minus placet acerrimi judicii viro Savillio, qui verissime tradit non amissam Britanniam sub Domitiano; imo ne sub Hadriano quidem. Verius ergo, quod ei visum, *missa:* quia perdomita quidem ab Agricola omnis Britannia, sed incuria sequentis seculi non omnis retenta, quia pars ejus minus fructuosa. *Mercerus*. Hæc in integrum restitui possunt vel minima castigatione, *et statim amissæ cohortes in Rhoxolanos*. Agit Cornelius de prosperis, deque adversis, quæ Romanis evenere intra Galbam et Domitianum. Rhoxolani ea strage irritati, qua sese Mœsiam populantes M. Apronius profligaverat, denuo sub Domitiano rebellarunt: ad quos reprimendos legio mittitur, quæ cum legato ad internecionem cæsa est. Suet. Dom. 6. Sed cur non ibi mentio Sarmatarum? recensetur provincia, in quam ii se effundere soliti sunt, hoc libro cap. 79. Indeque Hadrianus teste Spartiano, 'audito tumultu Sarmatarum, et Alanorum, præmissis exercitibus Mœsiam petiit.' Hæc autem Romanorum cædes accidit postquam Britanni ab Agricola domiti sunt: in vita ejus cap. 41. At τὸ *statim* impedimento

non est. Ann. XIV. ‘ Erepto per venenum patre, et statim postea fratre.’ Britannicus enim anno post veneficio sublatus est. Si hæc mea minus placent, sua quisque proferat: quæ ego non potui, alius assequi nequeat? Doctiss. vir his manus admovit, *et statim amissa. Coortæ Sarmatarum, &c.* at is mendacem Tacitum facit, et historiæ fidem convellit: nam Cornelius sibi terminos historiæ finivit, cap. 1. *Mihi Galba, &c.* Quo pacto igitur sibi constaret, si ei verba hic essent de Britanniæ amissione, quæ vivo Domitiano non accidit? historia vero (quod sciam) nihil de ea re usque ad Hadrianum: nec tunc (si non ignave rem examines) ibi aliquid amissum: etenim Britannia non omnis a Romanis provincia facta fuit nec ultimo illo Agricolæ prælio. ‘ Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque;’ a quibus? a reliquis nimirum Britannis, qui ea perterriti occidione, satis habebant, si a Romanis non lacesserentur: nec prius rebellare sunt ausi, quam undique gentes conspirarent adversus Hadrianum. Spart. in Hadr. ‘ Nam deficientibus nationibus, quas Trajanus subegerat, Mauri lacessebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri sub Romana ditione non poterant.’ Et is muro solum divisit provinciales a Barbaris Britannis. *Salinerius.* Recte omnino Lipsius pridem: *et statim omissa: coortæ Sarmatarum, &c.* Quia tamen in vulgata lectione etiam præpositio *in*, quæ a Lipsio neglecta: valde libeat cum Mureto addere, *coortæ in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes.* Acidalius. Recte opinor a Lipsio emendatum. Sed arguit Salinerius, Tacitum sibi terminos historiæ scribendæ statuisse, usque ad Domitiani tempora: at Britannia amissa fuit, Hadriano imperante: ergo illius amissio complecti hac historia non potest. Nego primum adeo certum a Tacito terminum sibi præfinitum, ut etiam ulterius progredi non cogitaret, si vita suppeteret: nam ut paulo supra dixit, imperium Nervæ et Trajani suæ senectuti seposuit. Deinde, cum præcipuas Rom. imperii calamitates velut procœmium futuræ historiæ proponat, non erat locus de Britannia perdomita dicendi, nisi diceretur etiam de amissa. *Pichena.* Forte non frustra est quod de Rhoxolanis ingerunt veteres editiones; *cohorte Roxolanos Sarmatarum:* ea enim Sarmatica gens Romanis bellum fecit, hoc lib. c. 79. *Freinshem.*

Cladibus mutuis Dacus] * Tyrius Maximus: Ὅρος Καππαδόκαις καὶ θεὸς, καὶ ὅρκος, καὶ ἄγαλμα. *Lipsius.*

Falsi Neronis ludibrio] Dat et accipit lucem Suetonius, in extremo Nerone: ‘ Denique cum post XX. annos, adolescente me, exstitisset quidam conditionis incertæ, qui se Neronem esse diceret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus et vix redditus sit.’ Post viginti annos, inquit, a morte Neronis: ergo in XIV. consulatu Domitiani hic motus. *Lipsius.*

Haustæ aut obrutæ urbes. Fœcundissima] Verius distinxeris, *Haustæ aut obr. urbes fœcundissima Campaniæ ora: et urbs inc. vastata.* Idem.

Urbes fecundissimæ Campaniæ oræ. Urbs] Ita fere Lipsius distinxit, historiæ fidem secutus: nisi quod ipse scripsit, *fecundissima Campaniæ ora: et urbs.* At mihi aptior visa lectio quam reposui, deleta copula, *et*, forte sumpta ex antecedenti diphthongo. Inepte antea, *urbes. Fecundissima Campaniæ ora, et urbs incendiis, &c.* Pichena.

Pollutæ cærimoniæ] Vestalium nempe incestis: quæ protraxit Domitianus pariter et puniit. Præter historicos, Papinius allusit: qui prospectantem Domitianum facit, ‘ an tacita vigilet face Troicus ignis, Atque ex-

ploratas jam laudet Vesta ministras.' *Lipsius.*

Agerent, ferrent cuncta] Secutus sum lectionem Florentini codicis, *Agerent, verterent cuncta odio et terrore. Corrupti, &c.* aliquanto, ut opinor, aptiorem vulgata, quæ sic habebat; *agerent, ferrent cuncta. Odio et terrore corrupti.* Pichena. Vulgatam et lectionem et distinctionem multo meliorem esse docuimus Observ. III. 22. *Gronovius.*

Odio et terrore corrupti in dominos servi, in patronos liberti] Explicat hanc ut veram lectionem Lipsius, dissimulans interim alteram, quam margini textus adjecit. Quæ mihi quidem, quisquis ejus auctor, multo verior et concinnior. Muretus tanquam suam in libro suo adnotaverat. Istam nempe dico: *agerent, ferrent cuncta odio et terrore. Corrupti, &c.* Acidalius.

CAP. 3. *Et laudatis antiquorum mortibus pares exitus*] Regium exemplar habet, *ne et laudatis.* Posset etiam legi, *Nec laudatis antiquorum mortibus impares exitus.* Rhenanus.

Non esse curæ Diis securitatem nostram] Per hæc Tacitus ut ἀσεβὴς prorsus damnandus non est: quid si alio respexit? calamitatibus homines admonentur quantillum sint. Eurip. Troad. οὐδέ σ' αἱ τύχαι, τέκνον, Ἐσωφρονίκασιν: i. *Neque te, filia, adversitates modestam reddiderunt.* Contra rebus affluentibus nil humani sapiunt. Pindarus: ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη, κόρῳ δ' ἕλεν ἄταν ὑπέρπλον: i. *At magnam felicitatem concoquere non potuit, satietateque immensam calamitatem subivit.* Nec (ut ait Gell. II. 18.) omnes Diis invisi sunt, 'Qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur. Sed esse arcanas caussas, ad quas paucorum potuit pervenire curiositas: Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς, Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις: i. Servus Epictetus eram et corpore mutilus, Et paupertate Irus, et carus immortalibus. Hæc ad amussim ethnicorum, quibus consona sunt veræ religionis monumenta: narrat enim sacer ille Moses, Judæos securos idola semper coluisse, castigatos vero in viam rediisse. Deuteron. XXXII. 'et incrassatus est Israëlulus et recalcitravit.' Psalm. LXXVIII. 'Et si occidebat eos, et quærebant eum.' *Salinerius.* Scio quam admittant interpretationem hæ voces: interim non adhuc plene acquiesco *justis* illis *judiciis:* irritatque me, inter alia, etiam editio Romana, quæ exhibet, *magis vetustis indiciis;* quod non nemini salivam movere posset, non mihi: nam *indicia*, hoc est prodigia et talia, præcedunt clades, non sequuntur. Hæreo sane. *Gruterus.*

Ut non modo casus eventusque] Est scriptoris historiarum causas rationesque rerum expromere. Asellio apud Gell. V. 18. Ubi vero incidit in fortuita, quid ei reliquum, quam ea exsequi sola veritate? Hortatur itaque Tac. lectorem ad caussas investigandas non omnium, sed eorum quæ fortuita non sunt: qua de re negationem non amplectar, quam hic inseruit doctiss. vir. Cæterum non absurde (ni falsus animi sum) quæram, quid Annales distent ab historia. Asellionis opinio vera mihi videtur, si annales pro illis scriptis accipiantur, quæ strictim et jejune quæque civitas sibi componit; undeque homines historias postea describunt. Idem dicto loco. At qui locum hæc sibi vendicabunt in annalibus Livii et Cornelii? ii certe multi et frequentes in reddendis caussis, et rationibus rerum. Igitur cautius quis (meo judicio) dixerit idem esse annales ejusmodi cum historia, præterquam quod hi distinctione annorum concepti sunt. Gellius d. l. 'Sed nos audire soliti sumus,' &c. Dixi cautius, quod, qui ad alia respexere, lapsi sint. Ecce nunc nuper cele-

berrimi nominis vir ita de iis egit, ut per eum Livius non sit in historicis, neque inter annalium scriptores, Tacitumque dicit ἐφημερίδας scripsisse: adsit sibi Livius XLIII. 13. ‘quæ in meos annales referam.’ Noster præter hæc Ann. IV. ‘Sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit.’ Aperte ostendit ἐφημερίδας sive diaria suis annalibus haud convenire Ann. XIII. 31. Cæterum imposuit eloquentiss. viro titulus codicis Veneti *actionum diurnalium*. Verum cui credendum, Tacito an scribæ? sed quonam in loco Tacitus (ut is ait) suas ἐφημερίδας contendit cum annalibus, easque præ illis habet pro despectis? non certe hic, &c. Sciendum est etiam, dialogistam, de quo nobis verba sunt, disparasse scriptores, qui plurium nationum plures actiones scribunt, ab iis, quibus una unius gentis contexitur: posteriorum lucubrationes historiarum dicit, priorum, sermones; exempli gratia, Herodotus ei sermonum, Thucydides historiæ scriptor est. De hoc cum eo mihi conveuit, at non facile concesserim historias Herodoti *sermones* appellari: nam si ex inscriptione rem metimur, nil habet, quo se muniat. Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἱστορίαι vel Ἡροδότου τοῦ Ἁλικαρνασσέως ἱστοριῶν λόγοι θ′, ἐπιγραφόμενοι Μοῦσαι. Etenim λόγος ibi nil aliud significat, quam *librum*, ut κατὰ τὸν ἕβδομον λόγον, i. libro septimo. Nec ei prodest, quod Thucydides omnes ante se dixerit λογογράφους, non λογοποιούς, quia utrumque nomen est historicis commune, et utroque discernuntur a poëtis. Nec ille alioversum ea dixit, quam ut suggillaret scriptores, qui fabulas historiis inserebant. Sed quid usus velitatione? audi eundem de suis scriptis: Ἡροδότου Ἁλικαρνασσήος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε. Postremum ne quid dissimulem, est alibi Herodoto mentio λόγων Ἀσσυρίων, et λόγων Λιβυκῶν. Sed eo significatu quo apud Latinos dicitur. Liv. l. XXIX. ‘Clodius Licinius in libro tertio rerum Romanarum:’ quod ab Hebræis haud dubie profectum est. Hieron. in Prolog. galeat. ‘Verba sive res dierum. Quod significantius chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare.’ *Salinerius.*

Qui plerumque fortuiti sunt] Nullum hic, meo judicio, ulcus tectum; nedum ut immissa negatione scribi debeat; nihil enim longinquius a mente auctoris: quæ vult, ex casibus et eventu rerum non adquiri prudentiam civilem; cum ea fere non respondeant rationibus suis ac caussis; eaque propter ipsas illas curatius persequendas historico: hocque est, quod iterum inculcat Ann. IV. 33. ‘Hæc conquiri tradique in rem fuerit,’ &c. Hinc excusatio M. Terentii apud eundem Ann. l. VI. ‘Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros et quibus de caussis extollas.’ Inde etiam securius gravat Suetonium Julius Cassicianus; ‘cujus adversa, pravitati ipsius; prospera, ad fortunam reip. referebat,’ ut loquitur noster Ann. XIV. 38. Egregius locus est Val. Maximi III. 8. ‘Blandum animum sane temeritati casus facit, ubi pravo consilio propitius adspirat; et quo vehementius noceat, insperatius prodest.’ Et hoc spectatum etiam fuisse Pœnis, proditum eidem Valerio II. 8. Verum hæc reservanda erant Diatribis nostris, exspatiantibus cursu effreno ad illa Cornelii Hist. II. 25. ‘Cunctator natura Suetonius, et cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu.’ *Gruterus.* Hoc est, fortunæ arbitrio bene vel male succedunt. Ex iis ergo judicari non possunt consilia, sed in his cum præcipua vis sit Politicæ prudentiæ, quam maxime tradit hic auctor, rationes etiam atque causas rerum exponendas sibi credidit: nullum ergo hic ulcus agnoscam nec legam cum viro doctiss. *qui plerum-*

que haud fortuiti, &c. Freinshem. *Fortuitum* interpretatur Savilius, cujus nullæ sunt aut iguotæ causæ, atque inde Tacitum reprehendit, ut imprudenter locutum. Cui reprehensioni subscribit Freinshemius in Versiones 2, 31. quomodo enim, ait, fortuitorum causæ tradi possunt? aut quomodo quorum causæ possunt tradi, pro fortuitis possunt haberi? Mihi vero, *qui plerumque fortuiti sunt*, est, &c.* *Gronovius.*

Aut populum aut urbanum militem] Castigavimus, *apud pop. apud urb. mil.* Rhenanus. Ex Flor. ita *apud patres, aut populum, aut urbanum militem.* Vulgo minus apte: *apud patres, apud populum, apud urb. militem.* Quod sequitur cave interpreteris, Neronis finem omnes legiones ducesque concivisse: sed quod apud omnes etiam legiones et duces, conciverat varios animorum motus. *Pichena.*

Evulgato imperii arcano] Evulgare arcana imperii idem videtur ei quod in Dionysii fragmentis: ἐκκαλύπτειν τὰ μυστήρια τῆς τε δοκούσης ἀρετῆς, καὶ ἀγνοουμένης κακίας, in describenda publicorum negotiorum administratione detrahere speciosos virtutum prætextus claudestinis nequitiæ molitionibus. *Arcana* tamen *imperii* cum varia sint, neque unius prorsus naturæ, una definitione comprehendi nequeunt. Ann. II. 'Censuit Gallus in quinquennium Magistratuum comitia habenda: haud dubium erat eam sententiam altius penetrare, et arcana imperii tentari.' Ex iis hoc loco spectatur, cum spes honoris et commodi optime pascat aulicorum ambitionem, et cohibeat intra obsequii fidem; si in plura simul munia successores cooptarentur, languescerent appetentium studia; tot vero annis ante si destinarentur, in desperationis rabiem adigeret. Eod. lib. 'Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum, ne fame urgeret Italiam.' Arcanum est, nunquam provinciæ, cujus rebellio secum tractura reip. periculum sit, gubernandæ admovendum virum illustrem, aut populari gratia florentem. Hic videntur intelligi, quæ ex arcanis imperii maximam veri speciem præferunt, cum hæc in vulgi animos magis valeat, quam rerum soliditas. Exemplum rei factæ loco non suo, cui præcedentia tempora nihil par dederunt. Ex prisco instituto princeps Romæ creandus erat, et urbe primaria petendus Imperator, neque in contrarium exemplum exstabat. Tanti autem non erat observata loci solennitas apud eum, qui electionis jus armis tueri poterat, neque adversantes experiretur subjectos. Arcanum illud imperii Galba vulgavit, et suæ in Neronem fortunæ ista aura velificatus, idem jus aliis in se dedit. Milites Germani in electione Vitellii, ut Plutarchus memorat, φέρε δὲ, τὸν Οὐιτέλλιον ἑλόμενοι δείξωμεν ἀνθρώποις πᾶσιν ὡς Ἰβήρων καὶ Λουσιτανῶν ἀμείνους ἐσμὲν αὐτοκράτορα αἱρεῖσθαι, id est, Agite, electo Vitellio omnibus probemus, Hispanis et Lusitanis meliores nos esse, qui Imperatorem creaverimus. Vitellium ut militaris favor extulit, ita et destituit. 'Nam posse ab exercitu Principem fieri, sibi ipsi Vitellius documento est,' ait Mucianus apud Tacit. Hist. II. Et in universum postquam semel patuit istud dominationis arcanum, evulgante Galba, plures Imperatores alibi, quam Romæ electi. Præter hæc *imperii* aut *dominationis arcana* legimus etiam Ann. l. I. 'Arcana domus Augustæ,' id est aulæ vel palatio propria, et Ann. III. 'secreta Imperatorum.' *Savillius.*

Pars populi integra, et magnis] Attende, et mecum rescribes: *pars p. integra, et magnis domibus annexi cli-*

entes libertique damnatorum. Integram partem populi appellat, sinceram et lascivia temporum non corruptam. *Lips.*

Pars populi integra, et magnis domibus annexa, clientes, &c.] Non rennam cum Lipsio legere, *annexi clientes libertique damnatorum.* Sed cur Tacitus clientes libertosque damnatorum et exsulum solum hic nominat? Cur hi potissimum in spem erecti, non etiam eorum, qui damnati et exsules non essent; aut cur clientes libertique eorum potius, quam damnati et exsules ipsi? An vero etiam credemus, clientium et libertorum, qui magnis domibus annexi, patronos omnes eo tempore damnatos et exsules? nullasque magnas domos integras et incolumes fuisse? Nihil absurdius: aliudque huic loco vitium majus, defecto sine dubio: sed quem integrare nos facile possumus, inserta voce unica, quæ quomodo perierit, vix adspecta ea, omnes videbunt. Scribo, *pars populi integra, et magnis dom. annexi clientes libertique, quique damnatorum, &c.* id est, quotquot damnati. Idem valcat, *quod damnatoram:* quomodo hic etiam addita copula scribi potest, et forte magis debet. Hæc enim forma Tacito crebrior, et passim legis, *quod equitam, quod peditum,* similiaque alia. Ceterum ex hac emendatione *integra pars populi* non jam cum Lipsio accipienda sincera, et lascivia temporum non corrupta, sed incolumis, et cui status suus salvus. *Integros* enim opponit auctor exsulibus et *damnatis.* Acidalius. Proculdubio rectius a Lipsio correctum ac distinctum. Male et confuse vulgo. *Pichena.* Legerat Lipsius *annexi clientes, &c.* idque in textum Pichena receperat. Sed pace Doctiss. Virorum dixerim, vulgatam lectionem longe esse præferendam. Loquitur de parte populi honestiore, &c. * *Freinshem.*

Cap. 5. *Qui in bello*] Placet fere, quod in scripto filius meus Jacobus Oxonii notavit: 'eundem in pace, quem in bello locum.' *Gronov.*

Et quamvis capite defectionis ablato] Ab omnibus exemplaribus dissentiens hic pro, *et,* scripsi, *Sed quamvis, &c.* Nam extrema proxime præcedentis vocabuli litera est S. *Rhen.*

Manebat plerisque militum conscientia] Conscientiam quidem necesse est mansisse omnibus, non tantum plerisque. Sed nimirum emendandum *constantia.* Solito illo et vulgatissimo errore mutuæ inter has voces permutationis, quam notavimus etiam in Agric. *Acidal.*

Neque deerant] Nos, *nec deerant.* Rhenanus.

Militari fama celebrata] In illo, quem Sueton. Galb. 6. citat, versu; 'Disce miles militare, Galba est, non Gætulicus.' *Savillius.*

Angebat coaspernantes veterem disciplinam] *Coaspernantes* verbum non hic valde idoneum. Malim cum Mureto simplex *aspernantes:* nisi tamen nova compositione formasse Tacitum credemus *conspernantes;* quod meis quidem admodum blanditur. *Acidal.*

Virtates verebantur] Credam verius, *reverebantur.* Acidalius. Non spernno; sed fortasse melius, *reverebantur.* Pichena. Apta huic quidem vox *reverebantur;* sed nihilo inefficacior illa nostra vulgata, ut ostendi exemplo non uno, in farragine Suspicionum. *Gruterus.*

Legi a se principem, non emi] Castigavimus, *Legi a se militem, non emi.* Qui supposuit *principem,* putavit Tacitum loqui de Pisone, quem is Cæsarem fecit. Sed præcedit *veterem disciplinam:* id accipiendum de militari castrensique disciplina. *Rhenanus.* A legendo enim legio dicta, quod scil. in delectu leguntur milites. Varro de L. Lat. l. IV. *Pich.*

Cap. 6. *Odio flagitiorum onerabant*] Sive, ut libri scripti, *oneratam.* Vox quidem ea retinenda est, male a Bea-

to expulsa. *Lips.*

Odio flagitiorum onerabant] Recte verbum quod a Rhenano expulsum, a Lipsio restitutum: sed cave censeas, nihil interesse *oneratum* an *onerabant* recipiatur. Illud obscuram et alienam facit sententiam, hoc liquidam et veram: quæ est, ut structuram verborum Taciti in sua membra resolvam: T. Vinius mortalium deterrimus odio flagitiorum suorum onerabat: Corn. Laco ignavissimus contemptu suæ inertiæ destruebat. *Acidalius.* Flor. et alii, *Odio flagitiorum oneratum:* tamen Rhenanus sine causa scripsit, *onerabant.* Pichena. Sic Ann. l. II. 'Artavasden regem Armeniorum specie amicitiæ illectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat.' *Gronovius.*

Cingonio Varrone] Ita scribamus jubet Vaticanus, qui non aliter nominat et Plutarchus, cui est Κινγώνιος Βάρρων. Sed in Taciti vulgatis etiam libris ita perscriptum, Annali XIII. 'censucrat Cingonius Varro consul desiguatus.' Est autem hic ipse. *Lipsius.*

Consulari] Anno Urbis conditæ 814. *Savillius.*

Tanquam innocentes perierant] Plutarch. in Galb. quasi loci hujus interpres: ἔδοξε μὴ νομίμως (ὁ Γάλβας), εἰ καὶ δικαίως, μηδὲ δημοτικῶς, ἀνῃρηκέναι πρὸ κρίσεως ἄνδρας οὐκ ἀσήμους. *Savillius.* Imo *tanquam noccntes:* et hoc Tacitus voluit dicere: cujus mentem non assequare alia correctione, *quanquam innocentes:* etsi ejus quoque sententia forte vera. Emendatio prior etiam Mureto in mentem venerat. *Acidalius.* Nihil melius vulgato: et mens ejus: Haud scio, an nihil peccarint; certe, ut solent, qui nihil peccarunt, a tyraunis occidi, nempe inauditi et indefensi. *Gronovius.*

Multi ad hoc et innumeri] Vitium quivis viderit, et sermonis ineptias, imo sordes. Quid enim illud est, *multi et innumeri?* Adstricto nostro scriptori satis erat, credo, alterum. Ferretus emendabat, *milites ad hoc innumeri.* Ego verissime ex Farnesiani vestigiis *multi ad hoc numeri. Ad hoc,* Sallustianum est: et valet, Etiam, Præterea. At *numeros* hic capio *cohortes, &c.* * sparsi per provinciam numeri.' Hæc quidem proba et certa: sed illex ista libido correctorum ignara quiescere etiam in certis. Itaque rescribit quidam, *multi ad hoc innumeri:* id est, inquit, qui in numeros legionesque nondum relati. Acumen! quod fateor superfuisse illi juveni, magis quam judicium: nisi quod ætas tamen id correxisset et direxisset. At tantum abest, ut de tironibus aut collectitio milite hic Tacitus: ut contra, veteranos intellegat, et clectos sub vexillis. Itaque magis distincte paullo post, *Illyrici exercitus electos* nominat, et *Germanica vexilla.* Omitto quod notionem eam vocis nobis ingerit, sine exemplo. *Lips.*

Multi adhæc innumeri] Emendavimus, *multi adhoc et innumeri.* Rhenanus. Alias, *milites adhoc innumeri.* Ferrettus. Male vulgo, *multi ad hoc et innumeri.* Astrictus equidem noster est, et continens verborum; sed aliquando perfluit. Ann. l. XV. 'Ergo Epicharis plura et omnia scelera orditur:' nonne satis erat *omnia?* at hæc *multi adhoc et innumeri* conveniunt cum iis, πολλοὶ, ἀπειρέσιοι, i. *multi, infiniti* Hom. l. XIX. Odyss. ad quæ Eustathius, τὸ δὲ ἀπειρέσιοι διασάφησίς ἐστι καὶ ἐπίτασις τοῦ πολλοί: i. *Illud autem infiniti declaratio et extensio est multi.* Salincrius. Emendavit Lipsius judicio Faruesian. codicis, idque prorsus Flor. confirmat. *Pichena.*

In unum aliquem prono favore ita audenti parata] Legendum *parato:* nempe favore. *Acidalius.*

CAP. 7. *Haut dubie turbantem*] Vocem ejeci, quæ aberat recte ab optimo libro: et passim ita Turbandi verbo usi prisci. *Lips.*

Et inviso semel principe] Rotunde;

neque ego is sum, qui aliquid novandum censeam; solum prurit fere manus mutare literam primam voculæ primæ; *ut inviso:* ac si causam indicet, cur utraque cædes odiosa. Male interim Annibal Scottus, qui editioni suæ invexit, *et invisum semel principem.* Gruterus.

Jam afferebant venalia cuncta] Verbum *afferebant* quid sibi vult? nullus hic ei locus. Non sententiam modo corrumpit, sed et sermonem inficit solœcismo. Quin mentem nou vidco: nec ejicere dum audeo, quanquam absque eo locus ab omnibus sane partibus integer videtur: maxime si ita distinguas: *Jam venalia cuncta, præpotentes liberti, servorum manus subitis avidæ, &c.* Acidalius. Vix est ut integram hauc lectionem putem: adscribam autem eam, quam pro legitima Tacito restituo, ut ex utriusque collatione veritas appareat: *Iram afferebant venalia cuncta: præpotentes liberti: servorum manus:* hæc, inquit, omnia atque singula movebant animos, atque iram afferebant. Sic 'afferre consilium,' 'cunctationem,' 'curam,' 'formidinem' alibi dixit. *Freinsh.*

Eademque novæ aulæ] Sententia (nam alios involvere video), eadem mala novæ aulæ Galbianæ fuisse, quæ veteris, id est, Neronianæ: sed non æque excusata. Quid ita? quia Nero ortu et natalibus Princeps, quia juvenis, quia in plebem etiam gratiosus. Itaque plusculum ei licere volebant, et ignoscebant. Non sic in Galba, qui electus; qui senex, ideoque prudens esse debebat; qui denique parcus, tristis, et per omnino paucis gratus. *Lipsius.*

Eademque novæ aulæ mala] An intelligit, fuisse tunc eadem mala, quæ in nova aula solent? Verior sensus videtur, in nova Galbæ aula, eadem mala fuisse, quæ in Neroniana: sed non æque excusata, nempe ob principis senium, et intempestivam severitatem. Contra sub Nerone, populus assiduis voluptatibus lætus, vitia ejus excusabat. *Pichena.* Bene hæc explicantur a Pichena, cujus tamen interpretationem rejectitiam habuerim ego pro eximia; ob vocabulum, *eadem.* Gruterus.

Cap. 8. *Et pacis artibus bellis inexpertus*] Correximus, *et pacis artibus, belli inexpertus.* Expone, et pacis artibus, subaudi expertus, belli artibus inexpertus. *Rhenanus.* Videtur deesse vox *clarus,* quam addebat Faërnus, legebatque; *et pacis artibus clarus, belli inexpertus, &c.* Ursinus. Defectus indicem stellulam Muretus apposuerat iis vocibus, *pacis artibus,* tanquam addenda iis aliqua vox sensui explendo: quod tamen, si Tacitum cogites, non necesse: apud quem non exprimuntur multa talia, sed subandienda omittuntur. Idem an hic fuerit, in dubio nihilominus etiam apud me. *Acidalius.*

Proximæ tamen Romanis exercitibus] Scripsimus, *Germanis exerc.* Rhenanus.

Germani exercitus quod] Nos *Germanici exercitus.* Rhenanus.

Soliciti et irati] Haud temere mutem: aptior tamen membrorum connexus et responsio, si legas, *soliciti et elati.* Metu nempe soliciti, victoria elati. *Lips.*

Solliciti et irati superbia] Lipsius audacter *soliciti, et elati.* Verius scripsit Tacitus: *Soliciti et irritati.* Et tamen vulgata lectio fortassis verissima. Suet. Galb. c. 16. 'Sed maxime fremebat superioris Germaniæ exercitus.' Et ipse Tacit. infra sibi scripturam vindicat: 'In Britannico exercitu nihil iratum.' Ita sæpe correctorum oculi nimis aperti, ubi satius erat cæcutire. *Colerus.*

Etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur] Non de aliis loquitur auctor, quam de Germanico exercitu. Itaque rescribe, *etiamsi queri non poterant.* Conjecerat sic et Mu-

retus. *Acidal.*

Cap. 10. *Mox atteritis opibus*] Pro vulgato verbo, *attritis*, placet Lipsio priscum *atteritis*, in Vat. repertum: quod libentius recepi, cum etiam habeat Flor. *Pichena.*

In secretum Asiæ repositus] Scripsit Tac. *sepositus*, more suo et aliorum omnium in hac re. *Acidal.*

Nimiæ voluptates] Cogitandum an legi possit, *nimiæ voluptatis.* Item, *magnæ virtutis.* Rhen.

Palam laudares, secreta male audiebant] Quandoquidem Codex regius habet, *palam laures secreta male audiebat*, videtur hic esse Græca constructio, *secreta male audiebat*, id est, in secretis, sive propter secreta. Alioqui hujusmodi lectio queat erui, *palam laudari*, infinitivum pro præterito imperfecto: *Secreto male audiebat.* Rhenanus.

Et cui expeditius fuerat, tradere imperium] Sententia horum satis expedita, vereor ut ipsa ex Taciti sententia. Ille Muciani potentiam extollere vult; hæc deprimitur. Valde scil. potens Mucianus, si ei facilius alii imperium tradere, quam sibi obtinere. Incongrua etiam alia et majora sunt, quæ non excutio. Satis, corrupta demonstrasse. Jam medicina in promptu et facillima, immissione particulæ negantis in hunc modum: *et cui haud expeditius fuerat, &c.* Hæc enim mens: non difficilius, sive tam facile Muciano fuerat sibi obtinere imperium, quam Vespasiano traderc: nisi paullo alia sententia transponi verba magis placeat: *et cui expeditius fuerat obtinere imperium, quam tradere.* Lib. iv. ita loquitur: ' quod in manu sua fuisse imperium, donatumque Vespasiano jactabat.' *Acidalius. Et cui expeditius fuerit.* Sic Flor. Vulgo, *fuerat.* Pichena. Vox *fucrit* supervacua videri queat, certe si ejiciamus, inoffensiore cursu processerit oratio. *Gruterus.*

Suo loco memorabimus] Male antea, *memoravimus.* Nam hæc quidem narrat initio l. ii. infra. *Lips.*

Cap. 11. *Ægyptum equites Rom. obtinent*] * insedisset.' Arrian. l. iii. putat Romanis in ordinanda Ægypto exemplum Alexandri Magni fuisse propositum. *Savillius.* Vide quæ ad Annal. l. ii. c. 59. *Freinsh.*

Ignaram magistratuum domi] Quæ nullos unquam habuisset, novissetve magistratus, nisi externos: assueta Regibus plane placere. *Ferrettus.* Veneta editio, *insciam legum, ignaram magistratuum:* at Vaticana *in scientia legum, ignaram magistratuum;* optime, meo quidem animo, dummodo compingantur duæ primæ dictiones in unam; *inscientia legum*, rationem reddit, cur ægrius pareant magistratui, aitque fieri quod leges nesciant. Vox ea excidit item Cæsaris Commentariis. *Gruterus.*

Domi retinere] Nondum hæc, et propter ea, superiora parum intelligo. *Acidalius.* Id est, per procuratores suos administrari. Alibi Lipsius docuit. *Pichena.*

Duæ Mauritaniæ] Tingitana et Cæsariensis. *Savillius.* Mauritania dividebatur a geographis in Bocchiariam, sive Cæsariensem ab urbe Cæsarea, quæ Iol ante dicebatur, et Bogudianam seu Tingitanam ab oppido Tingi: de eo inf. l. ii. 58. *Lupanus.*

Rhetia, Noricum] In regio codice legitur *Rhetiæ*, sed mutatum in *Rhetia*, nescio an casu. Sunt autem duæ Mauritaniæ, prima et secunda, sive superior et inferior. Verum quando ea distinctio nata, incertum. *Rhenanus.*

Conctatu valentiorum agebantur] Scripsimus, *contactu val.* Rhenanus.

Inchoavere annum sibi ultimum] Eleganter dictum. Solicitant tamen: et Nonne, inquiunt, idem est Ultimum ac Supremum? Fatcor: geminanda tamen vox fuit ob sententiam disparem. Non enim certe rcip. ultimus annus. Alioqui dicere percommode

potuisset, *sibi et reip. supremum.* Non ergo audio adolescentem eruditum, qui per litteras me monuit videri legendum, *reip. prope primum:* quia tantum non vetus, inquit, resp. et libertas incœpere a Galba. Logi alogi. *Lipsius.*

Cap. 12. *Rupta sacramenti reverentia*] Ita mei libri, et sententia exigit. Rhenanus, dum Budensis codicis corruptam scripturam ut τεμένων ἱερὰ observat, nodum in scirpo quærit. *Lipsius.*

Rupta sacramenti reverentia] Liber Corvini regis habet, *licentia*, ut rear scripsisse Tacitum, *rupti sacramenti licentia.* Rhenanus.

Dein fessa jam ætate Galbæ] Budense volumen aliter hic habet, nempe sic, *defessa an ætate Galbæ.* Lego, *defessa ann.* (hoc est annis) *ætate Galbæ.* Movit eum, qui locum castigavit, quisquis fuit, ut scriberet, *dein*, quod præcedit adverbium, *primum.* Enimvero non est necesse, ut sequatur *deinde* aut simile quippiam: nam possumus intelligere primum e licentia ac libidine vulgi, sermones jactatos fuisse defessa annis ætate Galbæ: quum postea adoptatio ipsa præstaret eidem sermoni agitando occasionem. *Rhenanus.* Ego malo, *dein fessa annis ætate.* Vertranius.

Multi occulta spe] Libri mei scripti, *stulta spe;* uti et in Covarruviæ. Placet tamen magis vulgata. *Lips.*

Multi occulta spe] Vocabulum *multi* non est in volumine Budensi: sed pro *occulta* est illic *culta spe;* et stat optime sensus: Paucis judicium aut Reip. amor stulta spe, prout quis amicus vel cliens hunc vel illum ambitionis rumoribus destinabant. *Rhenanus.* Florentinus, *militis occulta spe;* forte, *multis occulta spes:* præcessit enim *paucis.* Pichena.

Ambitionis rumoribus] Verum non negaveris, *ambitiosis.* Lips.

Hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant] Ita Faërnus emendabat, non *ambitionis*, ut erat in vulgatis. *Ursinus.* Vere Lips. *ambitiosis.* Nec ego sane probem alteram lectionem *stulta spe* præ vulgata. Cæterum nondum hic omnia tamen sana. Vocula deest, quæ diversa orationis membra distinguat. Neque enim iidem occulta spe pariter et ambitiosis rumoribus hunc vel illum destinabant. Sed alii occulta spe, alii ambitiosis rumoribus: quos invicem sibi Tacitus opponit. Leg. *primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa jam ætate Galbæ, etiam in T. Vinii odium* (vel *etiam T. Vinii odio*, quod malim) *qui in dies quanto potentior, eodem auctu invisior erat. Paucis judicium, aut Reip. amor: multi occulta spe; quidam prout quis amicus, vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant: quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbæ facilitas intendebat, &c.* Acidalius. Inepte autea, *ambitionis.* Pichena.

In T. Vinii odium diverterant] Parum cohærens lectio aut sententia. A priscis libris abest vox *diverterant.* Et tollam sane ego arbiter, legamque: *hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in T. Vinii odium: qui indies, &c.* Multi, inquit, successorem destinabant ex sua spe, quidam ex odio Vinii. Non dissimile illud Taciti de Pisone: 'Juvenis recenti favore; et infensus T. Vinio: seu quia erat, seu quia irati ita volebant.' Quod si retinendum tamen id verbi sit, mutem et diducam, *Etiam in T. Vinii odium diversi ierant.* Lips.

Etiam in T. Vinii odium diverterant] Particulam *etiam* divisimus in *et jam:* placet vero verbum, quod in volumine Budensi scriptum est, *diverterant*, quod et alias in regio codice plerumque occurrit, ubi nos *divertere* legimus. *Rhenanus.* Inepte ante, *et jam in T. Vinii odium diverterant.* Postremum verbum quoniam a Flor. abest, delevi tanquam subditicium,

sententiamque pervertens. Idque et Lipsio probatur. *Pich.*

Eodem actu invisior] Quid est illud, *Actu invisum esse?* Ineptiæ, et sermo parum non dicam lautus, sed Latinus. Scribebam sublata ea voce, *eadem invisior erat:* genus sermonis notum vel ex uno Plauto. Placuit Jac. Lectii eruditi viri conjectura, *eodem auctu:* nunc mea ista, *eo dein fastu invisior.* Lips.

Eodem actu invisior erat] Verba, *eodem actu*, depravata censeo: ac si conjecturæ locus esset sine ope librorum, libenter restituerem: *eo cunctis invisior erat.* Pichena. Varia hic tentent Viri Eruditi. Ego non dubitem scripsisse Tacitum: *eodem tanto invisior erat. Eodem* valet, ea ipsa de causa, quia potentior. *Grotius.* Alii, *eadem invisior;* vel *eodem in fastu invisior:* vel, *eo cunctis invisior erat.* Sed nihil arridet præ Jac. Lectii eruditi viri conjectura; *eodem auctu invisior.* Freinshemius.

Cap. 13. *Potentia principatus divisa*] Sueton. et Sex. Aurelius scribunt Galbam trium amicorum consilio regi solitum, quos Pædagogos vocabant. *Lupanus.*

Icelo Galbæ liberto] Nequissimi hujus servuli nomen varie scriptum. Alibi *Hycellus*, alibi *Icellus.* Vaticanus semper *Icelus:* quem sequor. Plutarchum in ea voce emaculo, in Galba: Καὶ ἦκεν ἀπὸ Ῥώμης Ἰκελὸς ἀπελευθερὸς ἑβδομαῖος. Vulgo, Σικελὸς scriptum: et verterunt homines docti, *Siculus quidam.* At Icelum hunc festinarum nuntium fuisse, doceat eos Suetonius Galb. c. 22. *Lips.*

Quem anulis donatum] De hoc eodem Suetonius: ‘ Icelus paullo ante anulis aureis donatus, et Marciani cognomine ornatus, et jam summæ equestris gradus candidatus,’ &c.* *Lips.*

Annulis donatum libertum] Paulus juris auctor, ‘ Qui jus,’ inquit, ‘ aureorum annulorum impetraverit, ut ingenuus haberetur.’ Idemque rescripsisse Divum Adrianum Ulpianus scribit: concedebat autem solus imperator etiam fœminis, ut natalibus restitueretur. *Alciatus.* Id est, jure annulorum aureorum quorum meminerunt JCti. Plinius l. xxxiii. ait annulum aureum longo tempore fuisse insigne eorum, qui legati fuerant, hisque in publico uti solitos, domi ferreis. Postea annulis aureis usi nobiles, ut ostendit Livius l. ix. 46. postquam autem a Senatu ad Equites sunt judicia translata, usi Equites annulis aureis; quod non tam Equitum, quam Judicum insigne fuit, teste Plinio. Et postea hoc datum Manumissis. Sic Vitellius Asiaticum libertum annulis honoravit. Ad hæc fœminis ipsis jus annulorum aureorum concedi solebat, cum tamen ob rem strenue in bello gestam, auctore Cicerone in Verrem v. daretur: ex quo istud Ulpiani ita intelligi debet, mulierem jura ingenuitatis posse consequi. Hunc Icelum summæ equestris gradus candidatum Sueton. appellat, Galb. 14. *Lupanus.* Neminem latet, ex constitutionibus, servum qui donetur annulis aureis, imaginem ingenuitatis consequi, non esse ingenuum. Lib. ii. Co. de Jur. aur. an. ‘ libertinitatis quoad vivunt imaginem, non statum ingenuitatis præstat.’ Prioribus tamen constitutionibus plenam atque perfectam præstabant ingenuitatem. Ulpianus l. x. §. 3. D. de in jus voc. Idem l. iii. pr. D. de bon. Libert. Supra ætatem vero Alex. Severi, vel saltem temporibus Taciti, jus annulorum ad equestrem dignitatem spectabat. Tranquillus in Galba c. 14. Idem de Asiatico in Vitellio c. 12. Tac. Hist. ii. 57. *Ferrettus.* ‘ Annulum medium ordinem tertiumque plebi et patribus insernere,’ ait C. Plinius xxxii. 9. Quare ante Galbam et ejus temporibus majus aureorum annulorum jus, quo jura ingenuitatis sic a principe tributa sunt, ut libertinitas, lituraque ser-

vitutis permaneret. De Icelo, quo de agimus, idem Suet. Galb. 14. Similiter Cornelius lib. sequenti scribit, Asiaticum libertum equestri dignitate donatum, et annulis honoratum fuisse, quod et Tranquillus Vitell. 12. refert. Ut ex illis constet a principio imperii constituti idem ‘jus annulorum aureorum exorare,’ quod in equestrem ordinem adlegi. *Vertranius.* In Hispania cum perferret de morte Neronis nuntium: ‘Annulis donare’ est ‘equestri dignitate ornare.’ Hist. II. ‘postulante exercitu ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, &c. inter secreta convivia largitur, honoravitque Asiaticum annulis.’ Sueton. Vitell. 12. Dio l. XLVIII. δακτύλοις τε χρυσοῖς ἐκόσμησε, καὶ εἰς τὸ τῶν ἱππέων τέλος εἰσέγραψεν (Αὔγουστος τὸν Μῆναν): id est, *Augustus Menam annulis donavit equitumque ordini adscripsit.* Priscis enim temporibus, quanquam postea cresceute luxu frequens auri usus esset, tamen τῶν πάλαι Ῥωμαίων οὐδενὶ, οὐχ ὅτι τῶν δουλευσάντων ποτὲ, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐν ἐλευθέρῳ γένει γραφέντων, δακτυλίοις χρυσοῖς, πλὴν τῶν τε βουλευτῶν καὶ ἱππέων, χρῆσθαι ἐξῆν: id est: *nulli olim Romanorum (intelligo non libertini tantum generis, sed et ingenuos liberaliterque educatos) aureos licuit gestare annulos, excepto Senatore et Equite.* Neque id jus princeps in suos tantum contulit libertos, sed et alienos (quanquam *invitis et ignorantibus patronis* non facile id fieret, aut factum revocaretur et in irritum deduceretur), habuitque annexum *ingenuitatis jus, ne tamen ab hæreditate liberti* patronus excluderetnr. Lib. XL. Digest. *Savillius.*

Et rebus minoribus sibi quisque tendentes] Legam *et in rebus.* Præpositionem eam sane et Muretus addi voluerat, ceterum vocem *minoribus* stigmate notaverat, quod illi solet esse vel delendi prorsus, vel certe mutandi signum. At illa et minime corrupta hic et maxime necessaria. Triumviri illi discordes semper, et alias minoribus in rebus, dum sibi quisque tendit, in tres divisi partes; in hoc adoptionis consilio tam gravi velut coibant, et in duas saltem abibant. *Acidalius.*

Non tam unum aliquem fovebant] Non tam hunc aut illum, quam quemcunque præter Othonem. *Ferrettus.*

Ac T. Vinii amicitia ex rumoribus] In regio codice legitur: *et ex rumoribus*, id est, etiam. *Rhenanus.*

Quia Vinio vidua filia] Concinno immissa vocula, ut mihi videtur, necessaria: *quibus* (rumoribus) *quia Vinio vidua filia, &c.* Acidalius.

Namque Otho pueritiam incuriose] Juvenal. Sat. II. ‘pathici gestamen Othonis.’ *Savillius.*

Æmulatione laxus] Suet. Oth. 2. ‘Per libertinam aulicam insinuatus Neroni, facile summum inter amicos locum tenuit congruentia morum.’ *Savillius.*

Eoque jam] Particula *jam* quid hic faciat, nescio. Nisi deinceps videro, delebo. *Acidalius.*

Octaviam uxorem amoliretur] Iisdem in hanc rem verbis usus est Annal. XIV. et sic mei libri. Covarruviæ tamen codex et Budensis, *Octavia uxor amoveretur.* Quod rectum æque. *Lipsius.*

Donec Octaviam uxorem amoliretur] Budense volumen manifeste habet, *Donec Octavia uxor amoveretur:* quid erat opus hoc mutare? Scio quomodo acciderit. L. XIV. leguntur hæc verba: *Octaviamque conjugem amoliri;* quæ rursum hoc loco castigator quispiam supponere voluit, germana lectione erasa. *Rhenanus.* In Covarruviæ libro, *donec Octavia uxor amoveretur.* Rescripserim ideo Cornelio nostro: *donec Octavia uxor amoliretur.* Fuit quidem librarius offensus, quod scriptum videret παθητικῶς *amoliretur*, itaque scripturam interpolavit. Atqui idem Tac. Ann. XII. ‘Vangio ac Sido

inter se regnum partiverunt,' ut scriptum in Flor. ac Veneto reperit Pichena. *Colerus.*

In provinciam Lusitaniam] Totidem verbis Suetonius: 'Sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam.' Sed operæ est videre divisionem Hispaniæ, &c.* *Lipsius.*

In Lusitaniam seposuit] Deprecante Seneca. Plutarch. Annal. XIII. 'dejicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu Otho, et postremo ne in urbe æmulatus ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur.' *Savillius.*

Et donec bellum fuit inter præsentes] Particula una traducta suam et orationi et sententiæ concinnitatem reddideris, *donec bellum fuit et inter præsentes splendidissimus.* Acidalius.

CAP. 14. *Accersiri jubet, seu propria dilectione, sive, ut quidam tradiderunt*] Muretus *accersi* et *crediderunt*, maluerat. De utroque non gravate assentiar, quanquam necessario mutandum esse neutrum scio. *Acidalius.* In Flor. legitur: *seu propria electione; sive, ut quidam crediderunt.* Sed nihil muto. *Pichena.* Reposuimus lectionem Ms. Florentini; *credidérunt.* Freinshemius. Lege, *arcessi.* Gronovius.

Piso M. Crasso et Scribonia genitus] Puto, illo M. Crasso Frugi, qui consul fuit cum C. Laecanio Basso, DCCCXVI. sub Nerone: qui ipse e Calpurniis Frugi, in Liciniam gentem adoptione transiit, ut ex cognomine apparet: sicut hic noster iterum e Liciniis ad Calpurnios ivit. Quod autem de Scribonia addit: ex eo vides perperam in Plutarchi Galba legi, Κράσσου καὶ Κριτίωνος ἔγγονος: et ex nostro corrigendum. *Lipsius.*

Piso M. Crasso ex Scribonia genitus] Emendavimus, *et Scribonia genitus.* Rhenanus.

Quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat] Scio qui contendebant legendum, *qua*, præter omnem rationem. Omissa hic quoque particula, quæ alteri *quo* responderat, *quo suspectior sollicitis, eo magis adoptanti placebat.* Acidalius.

CAP. 15. *Lege curiata, ut moris est*] Nescio an a glossographo illa, *ut moris est.* Acidalius.

Mihi egregium erat tunc] Non placet extrema ista vocula, quam suspicor effictam fuisse ex corrupto prænomine Pompeii, ut scribendum sit; *mihi egregium erat Cnæi Pompeii:* cum etiam Crasso pronomen suum addatur. *Freinsh.*

Et tibi insigne, Sulpiciæ ac Luctatiæ decora] Ita scripsimus. *Rhenanus.* Plutarchus agens de Galbæ genealogia inquit, μέγα δὲ εἶχεν εὐγενείας ἀξίωμα τὸν Σερουίων οἶκον· i. *ex illustri Serviorum gente trahebat natalium splendorem:* et Tac. Hist. II. 'Post Julios, Claudios, Servios;' nonnihil improprie usus cognomine pro gentilitio ad significandam Sulpiciorum domum; de qua fusius agentem vide Sueton. Galb. 2. et 3. Sed Galba, inquit Plutarchus, ἐφρόνει μεῖζον ἐπὶ τῇ τοῦ Κάτλου συγγενείᾳ· i. *ingentes ei spiritus faciebat Catulorum stirps:* cum Q. Lutatius Catulus, esset ei avus maternus. Quod ex Liviæ Augustæ cognatione descenderit, ex lectione mihi non succurrit, quamquam verum sit, eum 'observasse ante omnes Liviam Augustam, cujus et vivæ gratia plurimum valuit, et mortuæ testamento pene ditatus est.' Sueton. 5. Sed cognationis ne vestigia quidem apud scriptores extant, ut fidem facile ita sentienti abjudicem. Novercam tantum habuit Liviam Ocellinam, in cujus nomen ex adoptione transiit, appellatus L. Livius Ocellinus *usque ad tempus imperii*, si non erronea est Suetonii in Galb. 4. sententia. *Savillius. Familias* intelligit, ex quibus ortus Galba, ex Sulpicia genus nomenque paternum, ex Lutatia genus maternum ducebat: qui ex Mummia Achaia natus, statuarum ti-

tulis pronepotem se Q. Lutatii Catuli Capitolini scripserit, uti refert Sueton. in Galb. 3. *Vertranius.* Nihil video, quo hæc referri possent, *Sulpiciæ ac Lutatiæ;* nec dubito scripsisse Tacitum *Sulpicia ac Lutatia decora:* quomodo fere *avitum genus* sup. III. 72. et magis etiam *longa decora præferentes*, h. e. multos avos, multas imagines, sup. XIV. 53. simile est quod Florus I. 8. habet: ' Romana prodigia atque miracula.' *Freinshemius.* Omnia sana sunt, si, ut oportet, illa, *Sulpiciæ ac Lutatiæ*, referas ad id, quod sequitur, *nobilitati:* [Hic enim subintelligitur, *nobilitatis.* Boxhornius.

Et judicii mei documentum sit] Castigavi, *ut judicii mei documentum sit;* ubi malim *sint:* nam sequitur, *necessitudines non meæ sed tuæ.* Rhenanus.

Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant] Melius, credo, in Flor. legitur, *animos explorant.* Pichena.

Per obsequium imminuent] Ita diserte Vatic. et Venetus: nec quidquam pote (non me quidem arbitro) lectione hac melius. Rhenanus tamen turbat, mutat, et exemplaria ut haberent fecit, *alii licet per obsequium annuant.* Lipsius.

Sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio] Hic locus fæde corruptus est. Restituimus ex volumine Matthiæ Corvini in hunc modum, *sed alii licet per obsequium annuant. Irrumpet adulatio.* Expone, *licet*, hoc est, datur, conceditur, permittitur, ut alii per obsequium annuant. *Rhenanus.*

Blanditiæ pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas] Verba hæc prorsus ἀπροσδιόνυσα. Nec sensum evolvas verum quidem: nec structuram videas aliqua ratione concinnam. Non multo in sequentibus particula *etiam* ad sensum facit. Quæ omnia si anferantur hic, reliqua inter se pulcherrime congruant: et nos locum vidimus, quo ista rursus, audaci quidem, sed necessaria trajectione, reponenda: *Sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri adfectus venenum. Ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur, ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. Nam suadere principi, quod oporteat, multi laboris: assentatio erga principem quemcumque sine affectu peragitur. Sua cuique utilitas, &c. Etiamsi, &c.* Hic illa, *sua cuique utilitas*, sententiolæ loco post aliquantam respirationem a Galba interjecta, quibus transitum et aditum ad sequentia sibi faceret, præcipua totius orationis, ut quibus utilitatem et prope necessitatem hujus adoptionis et electionis vult demonstrare. *Acidalius.* Verba hæc ad sequentia pertinere arbitror. Ideo distinguerem: *Irrumpet adulatio, blanditiæ: pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas.* Pichena. Vir Eruditus distinguit: *blanditiæ: pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas:* me non adsentiente, qui credam blanditias potius hac infamia notari: quam et mereri, vel Plutarchi libellus fidem fecerit, quem de adulatore, ab amico dignoscendo scripsit. *Freinshemius.*

Etiam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur] Illud, *etiam*, in hoc loco supervacuum et ineptum videtur, ac suspicor ad antecedentia pertinere. Sic ergo legerem: *sua cuique utilitas etiam. Ego ac tu, &c.* Pichena.

CAP. 16. *Nos bello et ab æstimantibus asciti*] Qui judicio id fecerunt. *Ferrettus.* Illud, *nos*, ad utrumque referendum videtur. Ideo interpretor, ipsum Galbam bello ascitum Imperatorem, Pisonem autem adoptione a Galba æstimatum. At æstimatio etiam de utroque intelligi potest, cum initio hujus orationis dixerit: ' Nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum.' *Pichena.*

Nec tamen territus fueris] Scripsimus, *ne tamen, &c.* Rhenanus.

Ne etiam a bonis desideretur] Vox ultima, si absit, nemo desideret; imo oriatur facies orationis longe jucundior; meis quidem oculis. *Gruterus.*

Utilissimus quidem ac] Sive, ut Rhenano, et Mauro visum e Budensi, *utilissimus idem.* Lipsius.

Utilissimus quidem ac brevissimus bonarum malarumque] Codex Budensis, *Utilissimus idem ac brev. bonarumque rerum delectus, cogitare.* Legerim ego: *Utilissimus idem ac brev. bonarum quoque rerum delectus; Cogitatio quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris.* Rhenanus. Cum in mala non cadat electio, vulgarem scriptionem suspicor corruptam. Chirographo regio deest *malarum.* Sic igitur scribo: *Utilissimus idem qui brevissimus bonarum rerum delectus: cogita quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris.* Particulam *quidem* partitus sum: *ac* sustuli: nemiuem enim, opinor, latet, quam multa siut in auctoribus passim interpolata. *Vertranius. Utilissimus idem ac, &c.* ita malo quam *quidem.* Acidalius. Vulgo, *Utilissimus quidem:* mutavi, quoniam Flor. et plerique alii veteres habent, *idem.* Ex eodem etiam Flor. restitui *est*, quod interciderat. *Pichena.*

Cogitare quid sub alio] Vel debes vel cogita. *Ferrettus.* Melius sic ex Flor. *Quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris.* Vulgo inverso ordine. *Pichena.*

Cap. 17. *Pro rostris*] Id est, ad populum in concione. *Savillius.*

An in castris] Locus hic explicatione indiget, cui, quantum in nobis est, lucem adferre conabimur. Castra vero hic accipiuntur (quæ a Sueton. addito epitheto Prætoriana dicuntur in Claud. 21.) pro loco illo, qui teste Plinio erat in extrema urbis parte, in quo Prætorianæ cohortes continebantur: quæ a Tiberio sunt constituta, &c.* tradit Appianus. Horum castrorum mentio fit a Tac. in fine Hist. l. III. atque hoc libro sæpius. *Lupanus.*

Cap. 18. *Contemptorem talium, ut*] Sic Julius Cæsar ne religione quidem a quoquam incœpto retardatus est. Alexandrum quoque ferunt contemptorem religionis fuisse, auctore Anaxarcho Philosopho, ut scribit Justinus l. XII. *Lupanus.*

Quamvis significata non vitentur] Emendavimus et distinximus, *quamvis significata, non vitantur.* Rhenanus.

More D. Augusti, et exemplo militari] Trajectio facta vocum videtur: quam odoratus Æmilius Ferrettus, legitque, *Exemplo D. Augusti et more militari;* me quidem utraque manu adsentiente. *Lipsius.*

More Divi Augusti] Malim, *exemplo Divi Augusti, et more militari.* Ferrettus. Ego quoque, ut Æmilius, scribendum puto. Etsi enim C. Julius Cæsar belli Gall. lib. I. 'negat se more et exemplo populi Rom. posse iter ulli per Proviuciam dare:' Tacitus tamen initio Galbianæ orationis dixit: 'Principatum quiescenti offeram, exemplo Divi Augusti.' Quod autem adoptare se Pisonem, &c.* *Vertranius.* Τὸ *mos* et τὸ *exemplum* eadem fere possunt. Plaut. Bacchid. 'Multi more isto atque exemplo innuunt, quos cum censeas Tibi amicos, reperiuntur falsi falsimoniis.' Cæsar Gall. lib. I. 'negat se more et exemplo populi Rom. posse iter ulli per provinciam dare.' Sint hæc igitur per me sine trajectione. *Salinerius.*

Quartam et duo et vicesimam legiones] Vulgo, *duodevicesimam:* falsum, ex libris, et historia: idque etiam in Flor. repositum fuerat a recentiori manu: sed tamen apparet, scriptum antea fuisse, *duoetvicesimam.* Pichena.

Lenocinium addit, aut pretium] Ita scripsi, Flor. indicante, qui habet, *addita ut precium.* Vulgo etiam non male, *additum aut pretium.* Idem.

Et proximi militum grata auditu respondent] Mendosus locus est, casti-

gavimus, *Et proximi militum gratabundi respondent:* nam *gratandi* verbum etiam alibi Tacit. usurpat; ut lib. v. ‘ Et incolumem fore gratatur.’ Lib. XIV. ‘ Atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire.’ Hist. lib. II. ‘ laudantes gratantesque,’ &c. *Rhenanus.* Librorum veterum lectionem licet suspectam, malui restituere, quam Rhenani aberrantem conjecturam retinere. Flor. nihil ab aliis manuscriptis discrepat, nisi quod pro *auditu* habet *audito.* Suspicor Tacitum scripsisse, *grata ac læta;* militum scil. acclamationes, quibus fausta omnia precari solebant: ut lib. seq. ‘ militariter locutus, læta omnia et affluentia excepit:’ lib. IV. ‘ Magna voce, læta Pisoni omina, tanquam principi continuare.’ *Pichena.*

Quantulacunque parci senis liberalitatem] Liber Corvini: *quantulacunque parva liberalitate, Nocuit.* Opinor fuisse scriptum, *Quantumcunque parva liberalitate,* aut tantum, *quantacumque liberalitate,* ut vox *parva* fuerit ab interprete. *Rhenanus.*

CAP. 19. *Non longior quam apud milites sermo*] *Militem* legitur in Corvini libro. *Idem.*

Et patrum favor aderat: multi] Verum sensum non assequeris, nisi aliter interpungas: nempe hoc unum videtur auctor dicere: Multi qui medie noluerant, voluntate effusius, scil. favebant. At ille longe aliud vult, quod distinctio hæc tibi aperiet: *Et patrum fav. aderat: multi voluntate, effusius qui noluerant, medie; ac plurimi obvio obsequio.* Tres favoris velut gradus facit. *Multi voluntate,* id est, Taciti phrasi, quibus adoptio volentibus erat, *effuse* (nihil enim hic amplius valet *effusius*) favebant; quibus privatæ tantum spes: nulla publica cura: *plurimi obvio obsequio,* id est, effusissime: inter hos *medie* illi, qui noluerant, seu quibus adoptio adversa. *Acidalius.* Sic emendandum censui locum, probavique Socero meo; *multi voluntate; effusius, qui nolucrant; medii ac plurimi:* cum ante legeretur: *multi voluntate effusius, qui noluerant medie, ac plurimi obvio obsequio, &c.* omnia confuse, non sine pulcherrimæ et acutissimæ sententiæ injuria: effusius favisse (in speciem saltem) qui noluerant eo fastigii provectum Pisonem. Sic in loco parallelo, quem confirmandæ huic correctioni in margine adjeci: H. I. 45. ‘ quanto magis falsa erant, quæ fiebant, tanto plura facere.’ *Freinshemius.*

Dictum a Pisone in publico, factumque] Placuit, *in publico,* juxta Flor. quamvis non male vulgati, *in publicum.* Pichena.

Majore prætextu] Quid illud, *majore?* Suspectum mihi hic verbum. *Lipsius.*

Majore prætextu] Suspectum Lipsio verbum *majore:* mihi magis quod sequitur, *prætextu:* et mutem sane hoc, scribamque fidenter, *majore profectu:* id est, in majorem profectum; sive, ut eo plus legatione proficeretur. *Acidalius.* Græci dicerent, ἐπὶ μείζονι προσχήματι. Subjicit enim Tacitus; ‘ illi auctoritatem Senatus, hic dignationem Cæsaris laturus:’ ἀξίωσιν scil. καὶ πρόσχημα, quod prætextum vocat. Itaque non erat, quod in hoc loco Lipsius desideraret. Erat Piso jam Cæsar factus adoptione Galbæ, et ideo plus dignationi conciliaturus. *Boxhornius.*

Illi auctoritatem senatus] Scripsimus, *ille auct. s. hic d. Cæsaris laturus.* Rhen.

Is consilio intercessit] Exemplar Budense, *ni consilio intercessit.* Forte legendum, *ni consilio intercessum:* aut potius, *cui consilio intercessum.* Rhen.

CAP. 20. *Ubi inopiæ causa erat*] Reposui, *ubi,* ex Flor. et aliis veteribus. Vulgo, *unde inopiæ.* Pichena.

Bis et vicies mille sestertium] Verius fortasse, *bis et vicies millies:* quæ summa sane grandiuscula, sed digna effusionibus ejus monstri. *Erunt quin-*

quaginta quinque milliones, ut loquamur ritu et compendio nostro. Quid nimium pro opibus Romanis? *Lipsius.*

Bis et vicies mille Sestertium] Faërnus legebat, *Bis et vicies millies sestertium.* Ursinus. Reposuimus haud ambigue veram lectionem: prius legebatur, *bis et vicies mille*, inepte. *Freinshemius.*

Vix decumæ super portiones erant] Castigavimus, *vix decumæ supra portiones erant.* Rhenanus. Id est, vix decumæ portiones supererant. *Ferrettus.* Transpositio poëtica. Virgil. Æn. II. 'Jamque adeo super unus eram.' *Pichena.*

Iisdem erga aliena sumptibus] Videtur illud *erga* abundare. *Ursinus.* Delet Muret. *erga:* non magna sententiæ sed structuræ maxima injuria. *Sumptus erga aliena*, non insolita Tacito dictio. *Acidalius.*

Exactioni XXX. *equites Rom. præpositi*] Suetonius ait fuisse præfectos quinquaginta. Galb. 15. *Vertranius.* Notat Lipsius in Sueton. *quinquaginta* esse; nec liquere sibi ait de veritate. Non equidem et mihi; sed credam Suetonianum verius, &c. * quinquaginta magis suadent quam triginta, numero non adeo enormi. Simul et conjecturam ejusdem Lipsii juvant, imo plane firmant, in loco superiore: 'Bis et vicies mille sestertium donationibus Nero effuderat.' Ubi *millies* reponit, ratione valde consentanea. Si enim exactorum numerus tam grandis, necesse est et summam vastiorem Neronianæ profusionis. *Acidalius.*

Inquieta urbs actionibus] Malim, *auctionibus:* nam mox præcedit, *ubique hasta et sector.* Rhenanus. Malim *auctionibus.* Ferrettus. Legendum *auctionibus*, ea quæ præcedunt, *hasta et sector*, Rhenano et Ferretto suasere: hic certe mendum hoc tam facile, quam triplici loco in Pandectis similiter obrepserat. *Vertranius.* Faërnus emendabat, *Inquieta urbs auctoribus, &c.* non *actionibus*, ut erat in vulgatis. *Ursinus.*

Nec remedium in ceteros fuit] Excidit vocula *id*, quam repono: *Nec id remedium, &c.* Acidalius.

CAP. 21. *Othonem exstimulabant: luxuria*] Veræ hæ mutationum caussæ: et prudenter Aristoteles eas ingerit Polit. v. Γίγνονται δὲ μεταβολαὶ, καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ζῶντες ἀσελγῶς. Καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι, καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ, ἢ κατεσκευάζουσιν ἕτερον: *Fiunt mutationes cum per luxum sua prodigunt. Tales enim innovare omnia student, et aut sibi tyrannidem aut alteri parare.* O veriloquium, quod utinam principes imbibant, et corruptissimis hodie moribus advertant! *Lipsius.*

Prægravem se Neroni fuisse] Budense volumen, *Se Neroni gravem fuisse.* Rhenanus.

Alterius exilii honorem] Reposuimus, *aut alterius exilii honorem.* Idem.

Occidi Othonem posse] Ant. Augustinus legebat: *occidi Pisonem posse.* Ursinus.

Nondum coaluisset] Sen potius, *convaluisset.* Ad Velleium de hoc verbo lib. II. 48. *Acidalius.*

Acrioris viri esse] Istud *acrioris* hic me nimium offendit: libentius utique scripsisset Tacitus, si quid video, *viri esse:* quippe in quo omne dicti pondus consistit. Viri enim appellatione satis monemur, ne quid indignum perpetremus aut effeminatum, qua et supra XIV. 35. efficacissime utitur: *viverent viri et servirent.* Sallustii Catilina; *si viri esse vultis.* Nempe ea vox sola significationem habet fortitudinis, neque putida adjectione opus est. Vide quæ de illa notavimus ex Floro, in indice auctori adjecto. *Freinsh.*

CAP. 22. *Non erat Othonis mollis*] Bene sed forte melius, et Tacito magis proprium, *Othoni.* Pichena.

Adulteria, matrimonia] Codex manuscr. *adultera matrimonia.* Rhenanus; Apud Suetonium lego inter illa, quæ

maxime improbantur in Nerone, cap. 28. ‘Super ingenuorum pædagogia, et nuptarum concubinatus Virgini Vestali Rubriæ vim intulit.’ Hinc colligo Tacitum scripsisse: *aulam Neronis et luxus, adulteria, pædagogia cæterasque regnorum libidines.* Gronov.

Ceterasque regnorum libidines] Glossam præfert: ac fortasse germanius, *ceteraque regnorum avido talium.* Paullo ante etiam malim conjunctim legi, *adultera matrimonia.* Lipsius.

Mathematicis] *ut extat apud Gell. XIV. qua de re latior est apud Lucianum disputatio. Divorum Basilii in Hexaëmero, Augustini, et Chrysostomi multiplicia in omnes astrologiæ partes scripta prætereo tacitus. Tertull. De idololatria scribit, Angelos illos desertores Dei, auctores astrologiæ, propterea quoque a Deo damnatos. Ea Cardanus viderit. Nos latius ad constitutiones de Mathematicis et maleficis quæstionem exsecuti sumus. *Vertranius.*

E quibus Ptolemæus Othoni in Hispania comes] Malim, *in Hispaniam comes.* Nec aliter scripsit Tacitus. *Acidalius.*

Conjectura jam et rumore, senium Galbæ] Credam melius *conjectura jam ex rumore senium Galbæ*, et certe magis ad sententiæ lucem. Ptolemæus imperium Othoni promiserat, conjectura saltem, quam ex rumore populari fecerat: at ille accipiebat tanquam divinandi arte prædictum. *Acidalius.*

Libentius obscura credi] Assentior Pichenæ, *credendi.* Lips.

Cupidine ingenii humani libentius obscura credi] Legendum plane, *credendi.* Acidalius. Capio et fero: tamen suspicor legendum, *credendi.* Aut si vulgata lectio magis placet, hæc a superioribus separarem, puncto apposito post verbum, *accipiebat:* ut non ad Othonem tantum referantur, sed sint generaliter dicta. *Pichena.*

CAP. 23. *Incertum an repens*] Scripserim potius *recens:* nisi tamen *repens* pro eodem, quod memini Annal. etiam libris a me vel Mureto, recte an secus interpolatum. *Acidal.*

Eniterentur] Probum: nec improbe idem Pichena, *emetirentur.* Lips.

Ægre sub armis emitterentur] Scripsimus, *eniterentur*, quo verbo Ann. lib. II. utitur; ‘Pars objectum agmen eniteretur.’ *Rhenanus.* Ex Flor. restitui, *eniterentur.* Vulgo minus apte *emittereutur.* Ann. lib. XI. ‘non ultra dubitatum, quam dum Rom. cohortes in æquum eniterentur.’ Forte etiam non male, *emetirentur.* Sic lib. XV. ‘uno die quadraginta millium spatium emensum esse.’ Hist. lib. V. ‘tertio die tantum maris emensi.’ *Pichena.* Cave mutemus, *eniterentur:* est enim vox heic mire efficax: ut ostendi pluribus in Suspicionum congerie. *Gruterus.*

CAP. 24. *Flagrantibus jam militum animis*] Dativus *animis* non est in regio libro, nec eo opus hic est: nam Tacitus dixit, *flagrantibus militum* pro *flagrantibus militibus:* quo loquendi modo nihil apud hunc crebrius. *Flagrantibus jam militum, velut faces addiderat.* Rhenanus.

Viritim centenos nummos dividebat] Tranquillus, *aureum* dare solitum tradit: ut inde fortissimum sit argumentum, *centum nummis* æstimari *aureum.* Alciatus.

Publicam] Ἐμφανῆ, aut potius δημοσίαν. *Savillius.*

Proculo speculatori] Ubicumque vulgatæ editiones habent *spiculatoris* vocabulum, *speculatoris* Codex Matthiæ Corvini continet. Notum autem est quodnam officium fuerit militum speculatorum. *Rhenanus.*

CAP. 25. *Optionem eorundem*] *OPTIONI. Male autem hactenus in Tacito hic, *Othonem*, lectum, contra meliores libros, itemque Cujacii monita et Turnebi. *Lipsius.*

Veturium Optionem] Ita est in Codice Matthiæ Corvini. *Rhenanus.* Pontificalis liber habet *Optionem:*

Regius habet *Optionem:* quod placet. Dictus autem primum est *Optio* is, quem decurio centuriove optaret sibi rerum privatarum ministrum, quo facilius officia publica obiret, qui olim ante *Accensus*. Festus, Varro et Marcellus. Aliud vero senescente imperio munus *optionis* fuit, de quo Veget. II. 7. et Modestinus. *Vertranius.* Præivit eximiis viris Plutarch. in Galb. ἔντε τούτοις Οὐετούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων. At *eodem* pace doctiss. viri non erat in *eorundem* mutandum: nam Onomastus eos in unum locum seduxit, ingentibusque promissis in futurum scelus accendit. *Salinerius.*

In communi omnes metu] Malim, *in commune:* ut paulo post, *accendendos in commune ratus.* Rhenanus. Flor. *exterrebantur.* Vulgo *terrebantur.* Pich.

Cap. 26. *Postero iduum die*] Hispanus liber, *dierum.* Ego utrumque addititium puto, et *postero Iduum*, scribo. *Lipsius.*

Postero Iduum die] Non temere libr. veteres consentire crediderim in hæc verba, *postero Iduum dierum.* Præsertim Vaticanum et Flor. Ego potius suspicor corrigendum, *postero Iduum Januar.* Nam quid attinebat dicere, *postero Iduum*, nisi cujus mensis adjecisset? Januarium vero mensem fuisse constat, cum paulo infra dicat, XVIII. *Kal. Februar.* Pichena.

Quædam apud Galbæ aures] Liber manuscriptus: *quædam apud Galbam audiens præf. Laco clusit.* Aperta sententia est, nec causæ quicquam erat, cur mutaretur. *Rhenanus.*

Cap. 27. *Sub ædem Saturni*] Regius codex, *in ædem Saturni.* Unde Rhenanus elicit, *in Saturni.* Falso uterque. Suetonius convincit: *ut se in foro*, inquit, *sub æde Saturni ad milliarium aureum opperirentur.* Lipsius.

Sub ædem Saturni pergit] In libro manuscripto legitur, *in ædem Saturni pergit.* Forte, *inde in Saturni pergit.* Subaudi, *ædem.* Rhenanus. Domum Tiberianam ad radices Palatini montis fuisse, didicimus ex inventis nuper in eo loco laminis plumbeis cum inscriptione Tiberii Cæsaris. Tacitum autem illustrant verba Suetonii de eadem re: 'Ut in foro sub ædem Saturni ad Miliarium aureum opperirentur,' &c. Et recte. Nam forum Rom. sub æde Saturni fuit ea parte, quæ est inter arcem Tarpeiam et Palatinum montem, ut ex Dionysio etiam apertius constat. Quin et ipsa Saturni ædes Tarpeii montis radices attingebat, ut ex veteri inscriptione de Ærario ibi reperta intelligimus. Infr. lib. III. 'Cito agmine ad forum, et imminentia foro templa prætervecti:' et supr. lib. XII. 'Per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad Curias veteres, tum ad Sacellum Larium, Forumque Romanum, &c.' Larium enim Sacellum fuisse in summa sacra via, qua parte foro Rom. jungebatur, scribit Solinus cap. 11. *Ursinus.*

Pars clamore et gladiis, pars silentio] Faërnus legebat, *pars clamore et gaudiis.* Ursinus. Inepta hic vox, *gludiis:* scribe, *gaudiis.* Ita sibi recte membra orationis respondent. Ut *clamori silentium* opponit, sic *gaudiis* habitum animi adhuc quieti, et ex eventu se commoturi. *Gaudiis* et Muretus notaverat. *Acidulius.* Muretus non male, *et gaudiis.* Sed fortasse melius, *et gaudio.* Sic lib. seq. 'Vulgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via.' *Pichena.*

Animum ex eventu sumpturi] Ita Flor. Vulgo, *animos.* Idem.

Cap. 29. *Tentari animum*] Libri fere *pertentari:* ex quo ego, *prætentari.* Lipsius.

Pertentari animum cohortis] Scripsimus, *tentari an. coh.* Rhenanus. Scripsi *pertentari* ex Flor. ac Ven. Sic paulo supra: 'data pecunia ad pertentandos plurium animos.' Ann. lib. IV. 'quem accitum et diversis sermonibus pertentatum.' *Pichena.*

Ut qui adversa expertus cum maxime, ducam ne secunda, &c.] Reposui, *cum maxime*, distinxique, *Ut qui adversas expertus cummaxime, ducam ne secundas quidem minus discriminis habere:* hoc adverbio etiam alibi utitur, ut infra, ‘ Non hercle illi quibus cummaxime Vitellius in nos ciet, Germani audiant.’ Ann. lib. III. ‘ Littora et lacus Campaniæ cummaxime peragrantem.’ Ann. lib. IV. ‘ Cæptantem cummaxime conjurationem disjecit.’ Quamquam utrobique *tum maxime* scriptum, sed mendose. Hist. lib. IV. ‘ Capi cummaxime urbem.’ Sic enim legendum non, *tum maxime.* Paulo post eod. lib. ‘ Tolerant cummaxime obsidionem.’ Hist. IV. 45. ‘ congregantibus se cummaxime Rom. exercitibus.’ Hanc vocem reperi etiam apud Livium sæpe corruptam: nam lib. IX. legitur *quam maxime* pro *cummaxime*, in vulgatis edittt. Hoc adverbium Tertulliano frequentissimum. *Rhenanus.* Recte tamen in Flor. legitur; *ut qui adversas res expertus cum maxime, ducam ne secundas quidem.* Pichena. Habent et hæc sensum, sed non eum, aut omnia me fallunt, quem Tac. dederat, qui scripsisse videtur, *adversa expertus, cum maxime discam* (juvat nonnihil editio Veneta, quæ *dicam* præfert) *ne secunda quidem, &c.* Hoc ait, Non timeo casus adversos, primo quia illos jam expertus sim, eoque animum firmaverim; deinde, quia nunc cum maxime (hac ipsa seditione edoctus) disco, ne secunda quidem solidam securitatem et perinde felicitatem habere. *Freinsh.*

Cap. 30. *An illo muliebri ornatu*] Veneta, *an alio muliebri ornatu:* non male. *Idem.*

Mereretur imperium] Lege, *meretur.* Acidalius.

Quibus luxuria speciem liberalitatis imponit] Tametsi destituat nos hic volumen manuscriptum, non dubitamus tamen esse legendum, *specie liberalitatis* pro *speciem:* nam *imponit* non est hic indit, sed decipit. *Rhenanus.*

Nemo enim unquam] Infr. eodem lib. ‘ Simul reputans, non posse principatum scelere quæsitum, subita modestia, et prisca gravitate regi.’ *Pichena.*

Vana nomina sunt] Codex regius habet, *vacua nomina sunt. Vacuum* pro otioso, Tacitus infra usurpat: ‘ Is quo magis vacuus, quietis castris jussa exequerctur.’ *Rhenanus.* Optimum puto: moneo tamen, in Flor. legi, *vacua nomina.* Pichena.

Sed proinde a nobis donativo plus ob fidem] Comparativum *plus* erasimus e superiori versu repetitum hic per errorem. Plerumque veteres librarii *proinde* scripserunt pro *perinde.* Itaque clarus sensus erit si legas, *sed perinde a nobis donativo ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis,* ut dicimus, ‘ dono munerive accipere.’ *Rhenanus.* Faërnus legebat, *sed perinde a nobis plus donativi ob fidem, quam ab aliis.* Ursinus. An melius, *perinde?* Acidalius.

Cap. 31. *Timore magis, et nonnullo adhuc consilio, parat signa*] Budense exemplar, *Ut turbidis rebus evectior ire magis et nullo adhuc consilio, parat signa.* Est autem *evectior* ab *evectus.* Itaque castiganda editio vulgata, quæ contrarium sensum depravatis verbis præfert. *Rhenanus.* Vere infirmus locus: sed quem exulcerat magis sua conjectura Lipsius, quam sanat. Nos defectum, sed levem; et luxationem aliquanto majorem deprehendimus. Unica enim vox bis omissa, duæ transpositæ: quibus in suum locum reductis, et illa suis locis inserta, præsto vere emendatum fore totum locum: *Parat signa: sive, ut turbidis rebus evenit, timore magis, et nonnullo adhuc consilio; sive, quod postea creditum est, insidiis et simulatione.* Alternat suo more causas Tacitus; nec quidquam amplius in probationem dici debet. *Acidalius.*

Scripsi, *forte magis*, conjectura eruta ex Flor. qui habet: *eventior te magis:* unde vulgo, *evenit, timore magis.* Quod autem Lipsius corrigit, *pars ingens*, nonnihil ab eodem Flor. juvatur, qui habet, *par signas.* Sed neque sic integer locus. *Pichena.* Ex scriptura Florentina quam Pichena prodit, aliisque editt. vett. colligo Tacitum ita scripsisse: *more magis, et nullo adhuc consilio parat signa; quam ut postea creditum est, insidiis et simulatione.* Nam Ms. habet; *eventior te magis, &c.* Cætera facile corrupta sunt ab imperitis et negligentibus librariis. Illud præsertim, *nullo adhuc consilio* cum non intelligerent, audacter mutaverunt; deinde *quod* istud natum fuisse credam ex compendio scribendi *quam ut.* Sensus autem auctoris hic est, perorante Pisone, &c.* *ex eventu sumpturi*, quemadmodum illi, de quibus sermo est sup. H. 1. 27. *Freinshemius.* Varia hic moliuntur, nec meo animo satisfaciunt haetenus eruditi. Ms. literarum ductus sequor, et fidenter hæc scribo: *ut turbidis reb. evenit, reverentior magis, et nonnullo adhuc consilio, parat signa; an quod postea creditum est, insidiis et simulatione.* Singula explicemus. *Ut turbidis rebus evenit*, ut sæpe videre est turbata Rep. quosdam in obsequio adhuc persistere, neque statim turbatoribus se adjungere. *Reverentior magis*, scil. Principis, quam speculatores, qui concionaturum Pisonem deseruerant. *Reverentior*, ut alibi, *metuentior*, aut *metu intentior.* Et quis dubitet, quin ea vox lateat in corrupta illa Ms. *eventior? Nonnullo adhuc consilio*, quo hactenus sic utcunque statuebant, utilius futurum recip. ae sibi, agnoscere Principem potius Pisonem, quam Othonem, monstrum hominis, nulla virtute redemptum. In publicis turbis trium generum homines ferc se offerunt, et Tacito describuntur. Horum alios *ruentes*, alios *bonos*, quosdam *dubios*, hoc ipso libro, ut alia jam non adducam, vocat. *Ruentes* sunt, auctores turbarum, aut qui eos acerrimo studio sequuntur. *Boni*, quibus est recti contumacia. *Dubii*, quibus nec nullum, nec fixum, sed trepidum et facile mutandum est consilium pro caussa meliore. Hi sunt, quibus, *nonnullum adhuc consilium*, tribuit non sensibus tantum, sed verbis etiam accuratissimus auctor. Postrema ista, *an, quod postea creditum est, insidiis et simulatione*, quin genium Taciti sapiant nemo ambigat. *An* illud ultima syllaba præcedentis vocis, *signa*, haud dubie intercepit. *An* etiam plerumque apud eum particula est non tam rogantis, quam dubitantis. Dubitat autem hic Tacitus. *Boxhornius.*

Missus et Celsus Marius] In his quoque ordinem turbatum suspicor: et comprehensionem, quæ hanc sequitur, huic præponendam. Lege, *Præceptum Am. Sereno, &c. e Libertatis atrio accerserent. Missus et Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipsanii in porticu tendentes. Legioni classicæ diffidebat.* Videatur hoc parum alicui referre: at qui diligentius attendet, rectius ita disponi perspiciet. *Acidalius.*

Legioni classicæ diffidebat] Quis *diffidebat?* facile subintelligi potest: tamen credo verius scribi, *diffidebatur.* Acidalius.

Et nondum adulta seditio] Reposuimus, *et necdum adulta seditio.* Rhenanus.

Quia non ordine militiæ, sed e Galbæ amicis] Quid illa? *quia non ordine militiæ*, nihil intelligo: intelligam, et mecum spero omnes, si traducta particula una legamus: *Non ordine militiæ, sed quia, &c. Non ordine militiæ* accipio; Non quod gradu aliquo dignationis militaris inferior ceteris esset Longinus, atque eo milites irreverentius, et contume-

liosius hunc, quam reliquos tractarent. *Acidalius.*

Infestis pilis protarbant] Volumen Matthiæ Corvini, *ingestis pilis proturbant.* Ab *ingeror, ereris,* passivo verbo. *Rhenanus.*

Germanica vexilla diu nutâvere] Paulo aliter Suetonius 20. ' Omnes qui accerserentur, sprevere nuncium, excepta Germanicorum vexillatione.' Hi ob recens meritum, quod se ægros et invalidos magnopere fovisset, in auxilium advolavere: sed serius, itinere devio per ignorantiam locorum retardati.' *Savillius.*

Cap. 32. *Conjuratorum exsilium poscentiam*] Nescio an potius *exitium.* In tanto quidem animorum motu, seu potius adulandi tanto studio, vix putes aut pœnam fuisse moderatos, aut genus illius Galbæ præscripsisse. Nec fidentius mutaverim *implerat.* Acidalius.

Cap. 33. *Non exspectandum*] Plus vigoris hæc habeant, si scribas: *An exspectandum:* fere enim per Interrogationem absurdi consiliorum effectus traducuntur, ut Ann. II. 77. ' An festinamus cum Germanici cinerib. adpellere?' *Freinshemius.*

Obsidionem nimirum toleraturus] In Volumine Matthiæ Corvini legitur, *toleraturum.* Tum stigme ponenda ante *obsidionem.* Rhenanus.

Privati odii pertinâcia] Immittenda copula, *et privati odii.* Acidalius.

Cap. 34. *Credula fama*] Dionysius observat inter alia ex novo dictionis genere, familiarem fuisse Thucydidi activorum in passiva, et contra, mutationem; τὰ μὲν παθητικὰ ῥήματα δραστήρια ποιῶν, τὰ δὲ δραστήρια παθητικά. Hic occurrit vox *credula,* ut significet cui facile credatur, passive, cum tamen *credalus* pervulgato apud Latinos usu, etiam hoc in libro, notet duntaxat qui facile credit. Ad hunc loquendi modum illud est, ' Ne vulgi largitione Centurionum animos averteret,' id est, largitione quæ fiat vulgo, sive gregario militi. Rursus Ann. XV. ' injuriæ minorum;' id est, quæ minoribus inferuntur. Sed ut pateat quam Grammaticam Tacitus fuerit secutus, tria aut quatuor loca in medium proferam, notatu sane digna. Hist. III. ' ii omues Mutiano volentia scripsere,' id est, grata. Iterum, ' Turbæ sacricolarum immixtus, ignarusque delituit,' id est, ignotus. Alio loco, ' Gnarum id Cæsari,' id est, notum, et ' quæ gnara Vitellianis, incomperta hostibus.' Ann. I. ' Fama dediti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat:' ὡς ἦν ἑκάστῳ ἢ βουλομένῳ ἢ ἄκοντι πόλεμος. Anu. XV. ' hæc atque talia plebi volenti fuere,' δήμῳ βουλομένῳ ἦν. In Agric. ' ut quibus bellum volentibus erat.' Hist. V. ' Cæsar Titus ut superior sui crederetur' κρείττων ἑαυτοῦ. Ann. II. ' Appellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur.' Homer. Odyss. Κ. ψυχῇ χρησομένους Θηβαίου Τειρεσίαο. Annal. III. ' Adulteros earum morte aut fuga punivit,' id est, exilio, φυγῇ. Ut compendio defungar, cui volupe fuerit propius excutere Taciti phrases, in miras sermonis novitates incidet ex Grammaticæ ejus penu, neque pauciores, quam Dionysius observavit in Thucydide. *Savillius.*

Mixtis jam Othonianis] Muret. *mixtis etiam.* Possis quoque *clam.* Sed mutatione non valde opus. *Acid.*

Læta falso vulgaverant] Scripsimus, *vulgaverint.* Rhenanus.

Cap. 35. *Non populus tantum et imperita plebs in plausus et immodica studia, raere intus, &c.*] *Intus* pro intro nusquam mihi lectum: nec credo hic Tacito scriptum. Etiam illa non habent unde pendeant, *in plausus et immodica studia.* Itaque prope abest, ut traductionem hic quoque usurpandam putem: *non populus tantum et imperita plebs, sed equitum plerique ac Senatorum posito*

metu incauti, refractis palatii foribus, ruere in plausus et immodica studia, ac se Galbæ intus ostentare, præceptam, &c. Quamquam sane malim *ruere intro* scribere, ac vulgatum ordinem retineri, nisi quod eo retento, necesse erit, unam tamen dictionem transponere in illis superioribus: *non populus tantum et imperita plebs in plausus et studia immodica:* ut jungas non *immodica studia*, sed *plebs immodica in plausus et studia.* Atque ita credo prorsus huic loco veram medicinam factam. *Acidalius.*

Sumto thorace] Quasi duntaxat statuisset, ut narrat Plutarchus, populo se exhiberc, et saerifieiis placare deos vindices, nequaquam de morte Othonis dubius: τῷ τε δεῖ θῦσαι, καὶ φανῆναι τοῖς πολίταις βουλόμενος. Sed longe aliud agi expertus est. Snetonius *loricam linteam* dicit. *Savillius.*

Irruenti turbæ] Rhenanus Budensem scripturam secutus legit, *irruente turba, neque corpore sistens:* hoc sensu, ut dicat, propter irruentem turbam, et quia corpore non posset sistere sive insistere, scIla levatum. Meis tamen libris scriptæ eæ voces, quas tollit: legamque potius, *irruenti turbæ, &c.** Lipsius.

Irruenti turbæ neque ætate neque corpore sistens] Hæ duæ voces, *neque ætate*, non sunt in libro Ms.; quare suspicor scribendum, *irruente turba, neque corpore sistens, sella levaretur.* Sensus est, Propter irruentem turbam et quod corpore non posset sisterc, id est, insistere, sella fuisse levatum. *Rhenanus.* Manuscriptus non habet, *neque ætate:* quæ verba nullius sensus, hoc loco, delenda sunt. *Vertranius.* Faërnus emendabat, *resistens, &c.* nam *re* syllaba videtur a librario prætermissa, ob præcedentem postremam verbi, *corpore.* Ursinus.

Occisum a se Othonem exclamavit] Sic Flor. Vulgo, *clamavit.* Pichena.

Ad coërcendum militarem licentiam] Scripsimus, *ad coërcendam mil. lic.* Rhenanus.

Cap. 36. *Miles caveri insuper præpositos jubet*] Muret. *cavere.* Utrumque idonea sententia: nescio utrum veriore. *Acidalius.*

Prehensare manibus] Faërnus legebat, *prehensare arctius, complecti armis;* ut puto ex v. c. *Ursinus.* Quid est *armis complecti?* In Agric. xxxvi. *complexus armorum* legitur; optimo ibi sensu, et qui huc quadrare non possit. Emendandum hic, *complecti artius,* quomodo et Muretus volnit. Nam *armos* Tacitum intelligere voce *armis* nunquam opiner. *Acidalius.* Muretus mallet, *complecti arctius.* Mihi tamen a militari more alienum non videtur, ut exultantes lætitia milites, eam, armorum etiam complexu, inter se significent; ut sit, *complecti armis,* quasi complecti armatos. *Pichena.*

Complecti armis] Muretus vellet, *arctius.* Non equidem: et militaris salutatio fuit, et affusi sunt cum gladiis et scutis, atque iis amplexi. Siquid mutandum; vellem, *amplecti armis.* Lipsius.

Universa classiariorum legio] Hoc melius placet, quam quod in manuscripto legitur, *classiorum.* Rhenanus. Milites e classe indistincte videntur a Tacito aut *classici* aut *classiarii* appellari: ideo quamvis Flor. hic habeat, *classicorum,* nihil tamen mutavi. *Pichena.*

Cap. 37. *Quia nec privatum me vocare sustineo*] Reposui, *vocari.* Rhenanus. Malui verbum, *vocare,* ex Flor. et aliis veteribus, quam *vocari,* ut in vulgatis. *Idem.*

Simul postulentur] Sic enim Tacitus paulo ante; 'Dissonus clamor plebis et servitiorum, cædem Othonis et conjuratorum exsilium poscentium.' *Savillius.*

Obultronii Sabini] Conjectura ductus sic restitui, cum in libris esset,

ab ultroniis Albini. Suspicor autem eum esse, de quo Tacitus Annali XIII. * *Lipsius.*

Et Cornelii Marcelli] Libri scripti ita appellant, hominem alia mihi ignotum. Paullo post *Vettii Chilonis* lego, cum Rhenano. *Idem.*

Cornelii Marcelli in Hispania] Fatetur candide Lips. hominem hunc alia sibi ignotum: hoc facit nempe, quod memoria nobis minime immortalis; nam est is ipse, qui nominatus Tacito satis vocaliter, Ann. XVI. 8. ‘ Trahebantur ut conscii, Vulcatius Tullinus, ac Marcellus Cornelius Senatores,’ &c. *Gruterus.*

Bervichilonis in Gallia] Codex Budens. *Betvichilonis.* Forte, *Vettii Chilonis.* Rhenanus. Ex opinione Rhenani melius *Vectii Chilonis.* Est enim in regio *Bctui Chilonis:* quæ non hic solum sed et apud Cæcilium commutatio literarum est: ubi is habet lib. epist. VI. *Bettio Prisco*, pro *Vectio.* Vertranius. Evidentissimam Rhenani conjecturam, Lipsio quoque probatam, in textum merito recepimus: tota enim inest in istis corruptis aliarum editionum *Beruichiconis.** Freinshemius.

Vatinii, et Elii, et alii] Vulgatis libris erat, *et Egii:* qui mihi quidem inter potentiores libertos irrepertus. At Elium invenio (Dioni scribitur Ἥλιος) qui magnus apud Neronem, quique abeunte eo in Græciam cantillatum, præfectus mansit urbi Romæ. Est isipse, de quo Tacitus lib. XIII. ‘ P. Celer eques Romanus et Elius libertus, rei familiari Principis in Asia impositi.’ Quod sequitur, *et alii*, videndum ne superfluat, natumque sit ex hæsitantia librarii, et adfinitate vocis prioris. *Lipsius.*

Quam quod Polycleti, Vatinii, et Helii paraverunt] Helius, quem Nero, cum Achaiam peteret, sibi vicarium Romæ subsistere jusserat, cum auctoritate quanta poterat maxima, adjuncto ei Polycleto; qui ambo, ut Xiphilin. notat, ἦγον, ἐπόρθουν, ἐσύλων πάνθ' ὅσα ἐνεδέχετο: id est, *rapinas exercuerunt quantas poterant maximas.* Tac. Vatinii mentionem facit Ann. XV. ‘ Vatinius inter fœdissima ejus aulæ ostenta fuit.’ *Savillius.* Indubie delendum istud *et alii*, quomodo Lipsio visum. Sed nec incertius expungendum etiam *quod*, meo quidem judicio. *Acidalius.* Inculcata fuit in libris editis vox præter veterum fidem, *et Elii, et alii par:* quam suadente Lipsio delevimus. Flor. corrupte: *et Vatinii, et Egiali perierant.* Pichena. Placet *Elii;* verum *et alii* non assignem incuriæ transcriptoris: nam plerique Neroni (ultra dictos) dites et præpotentes liberti: inter quos (ni fallor) Sporus et Doryphorus: an iis minus indulsisset perditissimæ luxuriæ vir, quibus (dictu nefas) maritus et conjux fuit? Suet. Ner. 28. ‘ Et quum affatim desævisset, conficeretur a Doryphoro liberto, cui etiam sicut ipsi Sporus ita ipse denupsit.’ Anicetus scil. ei tot flagitiorum conscius, minus rapuit, qui classi apud Misenum præfectus, quique tandem in Sardinia ‘ Non inops exilium toleravit, et fato obiit.’ *Salmcrius.* Conjiciebam: *et jam plus rapuit Icelus, quam Polycleti et Vatinii et Elii et Tigellini paraverunt.* Gronovius.

Avaritia ac licentia grassatus] Ita Flor. Vulgo, *aut licentia.* Pichena.

Cap. 38. *Infaustam adoptionem adversantes*] Faërnus mutabat ex v. c. verbum *adversantes*, in *aversantes.* Ursinus. Mnretus correxit *aversantes.* Vulgo, *adversantes.* Sic Ann. lib. I. ‘ sua facinora adversari Deos lamentantur.’ Hist. lib. III. ‘ neve se ut parricidam aversarentur:’ ita enim in optimis libris. *Pichena.* Libri, *adversantes:* postea ex Mureti conjectura ediderunt *aversantes:* nec impugnem istam lectionem, si a libris esset: cum autem non sit, nec altera illa deterior videatur, nescio cur

libeat mutare, quod ferre possis, forte etiam debeas. Nam etiam efficacius hic *adversari* ponas: hanc enim vim habet, non modo, ostendisse sibi displicere, nam id *adversari* sit; sed etiam impedire voluisse. *Aversus* enim is dicitur, qui non juvat, *adversus* qui præter quod auxilium negat, damnum infert. *Freinsh.*

Cum signum meum acceperit] Codex Budens. *hoc solum cum signum m. acceperit, erit certamen.* Rhenanus.

Nisi peractum] Suet. c. 6. addit: 'Ad conciliandos pollicitationibus militum animos, nihil magis pro concione testatus est, quam id demum se habiturum, quod sibi reliquissent.' *Savillius.*

Aperire deinde armamentarium jussit] Muret. *aperiri*, melius. *Acidalius.* Correxi sententia volente. Vulgo, *aperire.* Pichena.

Miscentur auxiliaribus galeis scutisque] Deest in Codice Budens. vox *galeis.* Rhenanus.

CAP. 39. *Ad posterum vel odio*] Malim, *ad postremum.* Rhenanus. Alias, *ad postremum.* Ferrettus.

CAP. 40. *Lugubri prospectu*] Id est, *prospectui.* Tac. Hist. II. 'Luxu et saginæ mancipatus.' Plutarchus hunc locum vertit ὥσπερ θέαν καταλαμβανόντων. *Savillius.* Qui Tacito suam Grammaticam exprobrat, videat qualem ipse habuerit. Cicero pro domo: 'in Palatio pulcherrimo prospectu porticum cum conclavibus,' &c. *Gronovius.*

Non quies, quale magni metus et magnæ iræ silentium est] Inscrere olim volebam, *sed quale:* errasse nunc video, cum sententiam acutius inspicio. *Acidalius.*

Occupare pericula jubet] Scripsimus, *occupari pericula jubet.* Rhenanus.

Quasi Vologesem aut Pacorum] De Parthorum imperio ab Arsace condito vide Dion. lib. XL. Herodian. lib. VI. Tempus in quod exacte incidit Parthica defectio, ad Antiochi refertur imperium, Tac. Hist. V. 'Antiochus Parthorum bello prohibitus est: nam ea tempestate Arsaces deseiverat.' Appian. Συριακῇ diserte notat Antiochum quis fuerit, nempe Antiochus cognomento Deus, nepos Seleuci, qui fundator Syriaeæ dominationis. Ab hoc Arsace in Artabanum continua successione devolutum est Parthorum regnum, quem sub Alexandro Severo seeptra tenentem Artaxerxes Persa evertit, et sic illud Orientis imperium denuo coaluit cum Persarum imperio. Herodianus lib. VI. Vologeses aut Vologesus (utroque enim modo scriptum nomen occurrit, Græci eum Οὐολόγαισον appellant) Parthis tum imperabat, filius Vononis sub Claudio mortui, A. U. C. 802. frater Paeori Medorum regis, et Tiridatis, quem Nero Armeniis regem imposuit. *Savillius.*

CAP. 41. *Comitatus Galbæ cohortis*] Castigavimus, *comitantis Galbam cohortis.* Rhenanus.

Vergilionem] Plutarchus in Galba edit, *Servilionem.* Item *Arcadium*, pro, *Lecanicum.* Sed a Græeis scriptoribus fides in Latinis nominibus non est nimium requirenda. *Ursinus.*

Dereptam] Sic castigavimus. Quamquam ubicumque nos legimus *diripere* sive *diripiendum*, illic plerumque habetur, *deripere* et *deripiendum.* Rhenanus.

Agerent ac ferirent] Muretus legi voluit, *Hoc agerent ac ferirent.* Non aceedo. Exprimere Tac. vel innuere nobis saltem voluit hanc ejus hortantis vel jubentis vocem, *Age, feri:* aut, *agite, ferite.* Tamen ut Muretus voluit, omnino scribendum videtur e Suet. in Galb. 20. qui sic hoc narrat: 'plures autem tradiderunt, obtulisse ultro jugulum; et ut hoc agerent, ac ferirent, quando ita videretur, hortatum.' *Acidalius.*

CAP. 42. *Conscientia conjurationis confessus est*] Videtur *conscientiam* le-

gendum. *Acidalius.*

In utrumque latus transverberatur] Suspicor præpositionem non esse a Tacito. Livius lib. XXI. ‘ adversum femur tragula graviter ictus.’ Auctor Africani belli : ‘ pilo per cassidem caput ictus.’ Idem : ‘ Rufus brachium gladio percussus.’ Suetonius Augusto : ‘ crus et utrumque brachium consauciatus.’ *Gronovius.*

CAP. 43. *Virum Densum quem*] Has duas postremas voces expunximus. Ut nunc legatur sententia : Insignem illa die virum Sempronium ætas nostra vidit. Arbitror concinnatori formularum apud typographum aliquid superfuisse spacii, quod iteratis et inculcatis verbis istis expleverit. Post *virum* hæc verba etiam legebantur: *et senem trucidare pergunt disjecta plebe:* Quæ nos ex superioribus hic perpcram repetita delevimus. *Rhenanus.*

Sempronium Densum] Plutarchus et Xiphilin. scribunt non Pisonem, sed Galbam a Denso protectum. *Savill.*

Centurio is prætoriæ cohortis ad Galbæ custodiam a Pisone] Erudite Lips. hanc lectionem impugnat : ac valde probabiliter ex vestigiis Farnesiani Codicis aliam substituit. Nec ego vel hanc Taciti sententiam fuisse, vel ipsam sententiam ex historiæ fide et veritate esse dubito, quidquid Dio et Plutarchus contradicant ; ad quorum narrationem quod Lips. idem flectere Taciti verba conatur, frustra est. Manifesta inter eos pugna et dissensio, quam nulla interpretatione recte concilies. Nec refert, quod innumeris alibi locis hi et Historicorum quotquot sunt plurimi, non idem dicunt. Ego Tacito hic potius credam. Sed in scripturæ emendatione, etsi de sensu, non et de verbis Lipsio penitus assentior. Nec enim putem *Centurionem prætorii* recte dici pro Centurione cohortis Prætoriæ ; nec valde eleganter, *custodiæ alicujus addi.* Quocirca non audiam hic Farnesianum librum, sed vulgatam lectionem traductione saltem præpositionum *ad* et *a*, quæ permutatæ errorem peperere, concinnem : *Centurio is Prætoriæ cohortis a Galba ad custodiam Pisoni additus.* Ubi et *Pisoni* scripsi, poscente sic elegantia sermonis. Plaut. in Aulul. ‘ Quem quondam Ioni Juno custodem addidit ;’ et Captiv. et Milite sæpius in eundem modum. Sic et verbum *apponere* Suetonio usurpatum Tib. 12. et sæpe alibi: ‘ hunc tribunus militum custos appositus occidit.’ Ceterum non omittam etiam Mureti lectionem, etsi falsam et ineptam : quam tamen e libro videtur hausisse, non ex ingenio prompsisse : *Insignem illa die virum et senem trucidare pergunt, disjecta plebe, Sempronium Densum, quem ætas nostra vidit. Centurio is Prætoriæ cohorti ac Galbæ custodiæ a Pisone additus.* Puto e libro, quia multo quam vulgata auctior. Sed quæ inserta, inscite e proxima præced. pag. ubi ardor militum in Galbæ cædem narratur, repetita sunt. ‘ Imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent,’ &c. Unde vides integram lineam pessimo errore hinc translatam. *Acidalius.* Conversa fuerunt in vulgatis, et verba, et sensus: *ad Galbæ custodiam a Pisone additus.* Lipsius correxit et Flor. ferc congruit, qui corrupte habet; *a Galba custodi et a Pisonis additus.* Pichena. Is favore Pisonis centurio prætoriæ cohortis, et inter Galbæ custodes, cuique imperator beneficiis cognitus non erat. Plutarch. in Galb. ‘ Sempronius enim centurio, qui nullo privatim beneficio a Galba esset affectus.’ Cæterum nostro adversatur (ait erudituss. vir) Plutarchus et Dio, qui dicunt hunc Densum tulisse auxilium Galbæ : facile conciliari possunt. Piso tunc lecticæ Galbæ adhærebat, &c. * *Salinerius.*

Stricto pugione] Plutarch. notat terruisse ipsos primum vite, ᾧ κολάζουσιν ἑκατόνταρχοι τοὺς πληγῶν δεομένους:

qua centuriones utuntur in castigandis militibus. Savillius.

Occurrens armatus] Scripsimus, *armatis.* Rhenanus.

Exitium differebat. Tum advenere] Emendavimus, *differebat, cum advenere.* Idem.

Missu Othonis] Nos, *jussu Othonis.* Rhenanus. Elegantius alii libri, *missu Othonis.* Loquitur ita Cic. quoque ad Att. VIII. 9. 'Balbus minor ad me venit, occulta via currens ad Lentulum Cos. missu Cæsaris, cum literis et mandatis.' Et recte Guilielmius in perioche Curculion. Planti emendavit: 'Curculio missu Phædromi it in Cariam.' Tac. Hist. v. 'Missu Neronis Vespasianus fortuna famaque et egregiis,' &c. *Acidalius.* Restitui vocem *missu* ex Flor. et Ven. quod sæpe Tacito usurpatum. Vulgo, *jussu.* Pichena.

CAP. 44. *Levata omni sollicitudine mens vagare gaudio cæperat*] Nou uego aptum verbum *vagare* ad habitum mentis explicandum, quæ gaudio diffusa velut natet. Nego hoc loco aptius, quam *vacare* cui præferri alterum a Lipsio minime debuerat. Concinnitas sermonis hoc requirit, in quo quasi metaphora quædam ab homine occupato. Mens Othonis antea sollicitudine occupata, nunc demum levata, gaudio vacare cœperat. *Acidalius.* Vett. editt. quas sequimur, *vacare gaudio;* quod istud *vagare* quod ex Vaticano suo Lips. reposuerat, non videretur germanum, præ altero isto, quod elegantem sensum reddit: tum demum otium fuisse menti Othonis, eique vacasse, ut gaudium ex mutatione fortunæ plene gustaret, postquam æmulo remoto, nulla amplius sollicitudo iuerat. 'Vacare gaudio' hic dictum, ut apud Plin. ep. 1. 9. vacare corpori,' apud Curt. VI. 7. 'Vacare sermoni:' itaque hoc quoque loco istud *gaudio* pro tertio casu habendum est, non pro sexto. *Freinsh.*

Vagare gaudio] Repertum in opt. Vatic. non sprevi: quoniam passim veteres ita loquntos sciebam. Vox autem apta, ad habitum explicandum mentis gaudio diffusæ et velut natantis. *Lipsius.*

Confuderat. Pisonis] Non hæc particula τελείᾳ στιγμῇ divellenda erat a superioribus, quibus sententia cohæret. Tu sic distingue, ut recte capias: *seu recordatio majestatis in Galba; amicitiæ, &c. confuderat; Pisonis ut inimici et æmuli, &c.* Pendet enim verbum *credebat* a particula *seu*, non minus quam alterum *confuderat.* Acidalius.

Quive vere, quive falso] Franc. Modius me monet in Rom. codice legi, *qui vere, qui falso.* Quod idem etiam scriptus Covarruviæ liber habebat. *Lipsius.*

Quive vere, quive falso, ut pulchrum] Rom. Codex, *qui vere qui falso.* Hic particula una deest: illic superest. Vix enim concinna oratio, ni scribas, *qui vere, quive falso, ut pulchrum, &c.* Si *quive* ubique retines: vide, ne alia vocula desit, atque ita distinctione sententia juvari debeat, *quive vere, quive falso; ceterum ut pulchrum, &c.* Acidalius. Lipsius ex libris, *qui vere, qui falso,* et Florent. eandem fere lectionem confirmat. Vulgo, *quive vere, quive falso.* Pichena.

Tradito Principibus more] Diu in hoc loco mei atque alieni fluctus. Nunc sisto in emendatione mea ultima: vera, etsi quidam renituntur: sed neque omnium est veram Criticam approbare, quid exercere? De re, ita lego: *Tradita Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultione.* Ita verba structa apte, quæ alioqui non redigas sub Grammaticæ leges: ita sententia concinna et vera. Ultio, inquam, hæc tradita est, &c.* *Lipsius.*

Sed tradito principibus more] Tentasse olim, Lipsius fatetur, postrema editione ad verum pervenisse putat. Rescribit, *tradita princip. m. &c. ultione:* atque exponit, Quia more tradita hæc in posterum ultio princi-

pibus, ad præsens munimentum. Quam etsi ipse lucidam et veram sententiam dicit, ego tamen valde adhuc obscuram et incertam video. Quid enim est? *ultio in posterum?* et cur mutat elegantissimam locutionem *tradito more?* Cujus exempla ubique multa: Curt. l. III. 'Ita tradito more, ut victorem victi regis tabernaculo exciperent.' Id. l. V. 'Sed rex deserere milites insepultos erubescebat, ita tradito more, ut vix ullum militiæ tam solenne esset munus, quam humandi suos.' Ipse Tac. hoc ipso lib. 'Neque illis judicium aut veritas; sed tradito more, quemcunque principem adulaudi.' At inquit, alias peccat Tac. contra Grammaticorum regulas, neque eum a ferulis illorum quisquam liberabit. Jubeo securum esse Taciti nomine. Ego liberabo. Nec in verbis quidem ipsis quicquam muto, saltem in eorum ordine. Trajectio enim manifesta est; quam et Muretus viderat. Eaque corrigi dupliciter potest, vel *sed tradito principibus more, ultionem ad præsens, in posterum munimentum:* vel *munimentum in posterum, ad præsens ultionem:* quo posteriore modo Muretus restituerat, et mihi sane restitui magis placeat. Sensus nunc liquidissimus est, itemque verissimus, Non honore Galbæ, sed quia principibus mos est, ut scelus in præsens ulciscendo, in posterum ab iis sese muniant; ut sic nec interprete nec assertore ulterius egeat: sed constructio adhuc dubia. Facile firmavero Taciti exemplis: In Germ. 'suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi.' Ibidemque: 'solent et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi, et receptaculum frugibus.' Hist. l. III. 'Qui suas centurias turmasque tradere donum victori, et sibi in posterum gratiam, certabant.' Hist. l. IV. 'Simul omnium conjuges parvosque liberos consistere a tergo jubet, hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem.' Ibid. 'Donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabant, non ut assequerentur, sed causam seditioni.' Si hoc nolis, possis etiam aliter: *ad præsens ultioni:* æque bona vel meliore, Tacito certe non minus usitata phrasi. Ita Ann. XIII. qui locus huic, de quo agimus, etiam sententia est assimilis: 'Factum et SCtum ultioni juxta et securitati.' Sic lib. XV. 'Multa Romanis secunda, quædam Parthis evenisse: documento adversus superbiam.' Et aliis passim innumeris locis. *Acidalius.* De sinceritate hujus loci adhuc dubito: nam neque priorem, neque postremam Lipsii emendationem satis probaverim: præsertim cum illud, *tradito more*, sit auctori nostro familiare, qui supra eod. lib. dixit: 'tradito more, quemcunque principem adulandi.' Tentavi ita construere: tradito principibus more, ad munimentum præsens, et ad ultionem in posterum: ut scil. vox, *ultionem*, pendeat ex antecedenti præpositione, *ad:* quomodo paulo infra dixit: 'ad seditionem et discordias,' et 'ad extremum bella civilia ruebant.' Novissime vero alia mihi defensio hujus loci succurrit: si appositive quarto casu, *munimentum*, accipias, pendens a superiori voce, *omnes:* tunc enim recte sibi invicem respondebunt, *munimentum* et *ultionem*. Pichena. Jam dixi casum pro casu magnificentiam dicere, simillimoque exemplo rem firmavi. Plaut. Trinumm. 'Is homo exornetur graphice in peregrinum modum, Ignota facies, quæ non usitata sit, Falsidicum confidenter.' Quapropter hic emendationes non inducam: quæ enim clarior gnome? Et sine schema ultio, quam manere scimus ausos cædem principis, munimentum est dominantis: nam inter ejus conjuratos is facile nomen non

dabit, quia sciat successorem facinus omnimode vindicaturum. Hoc libro c. 40. 'quo minus facerent scelus, cujus ultor est quisquis successit.' Allusit ad hunc morem Darius moribundus. Justin. l. II. 'Ultionem sceleris [erga se perpetrati] non solum sua, sed exempli omniumque regum causa, non negligere illi cum decorum tum utile futurum.' *Salinerius.* Locus, si quisquam, toto libro, sanus et integer. Sic enim alibi locutum ostendi infra. At sententia auctoris ista est; duabus de caussis id hominum genus e medio tolli a principibus, una ut in præsens securiores agant; altera, ut in posterum, hoc est, in futurum vindicentur: notum enim illud P. Syri. 'Inimicum ulcisci vitam accipere est alteram.' Unde et Ann. XIII. 32. 'Factum et SCtum ultioni juxta et securitati; ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque qui testamento sub eodem manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent.' Quæ verba ita explicat C. Cassius Ann. XIV. 44. 'Multa sceleris judicia præveniunt servi. Si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo si perenudum est, non inulti inter nocentes agere.' Tali ultioni allusit Florus IV. c. ult. 'Ceterum Barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio et pyra, in quam se perculsus immisit, superstiti etiamnum Cæsari satisfecit.' Sic Plin. ep. III. 14. 'Ipse paucis diebus ægre refocillatus, non sine ultionis solatio decessit; ita vivus vindicatus, ut occisi solent.' Sed et isthæc hujus loci. *Gruterus.* Firmavit evidentissime lectionem ad Sueton. Titum c. 6. socer mens; quo benignum lectorem remittimus. Insignem autem Livii locum occasione hujus ipsius phraseos, in contrariam omnino sententiam corruptum, eadem opera restituam. Sic enim ille XXX. 22. 'Quum more tradito a Patribus potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatis prætor fecisset.' Ait legatis potestatem factam, ut patres interrogarent, quod omnino falsum, nec ratio rem tam surdam siverit, nec mens auctoris hæc fuit; et sequentia reclamant. Legam: *Quum more tradito, Patribus potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatos prætor fecisset.* Freinshemius. Non memini me unquam, ex quo Taciti cum fructu tractandi fiduciam habui, hic loci hæsisse. Quid enim? nonne clamat auctor se dicere, Vitellium de istis supplicium sumpsisse; non ut Galbæ manes hac vindicta coleret, sed ut solent principes punire omnes interfectores principum, quo et ipsi in præsens sint ab insidiis hujusmodi tutiores, et successori exemplum ulciscendi, si quid ipsis contigerit, præbeant. 'Ad præsens, in posterum;' sic Hist. l. IV. 'Clara ea victoria in præsens, in posterum usui.' Τὰ *munimentum* et *ultionem* sunt ἐπεξήγησις totius illius *conquiri et interfici jussit:* quasi foret: interfici jussit, quo recte principes et more veteri judicant se sibi munimentum circumdare ad præsens, in futurum parare ultorem: vel quali animadversione putant principes se comparare sibi, dum sunt, statum securiorem; si quid durius eveniat, ne desit vindex, ab ipsorum exemplo doctus decessorem non inultum pati. Collegeram ob genus loquendi fere omnia, quæ jam alii ediderunt, neque repeti necesse est. Sic et l. XVI. 'Annæum Lucanum genuerat grande adjumentum claritudiuis.' Ad rem pertinent ista. Suetonius Claudio c. 11. 'paucis e conjuratorum numero interemptis, exempli simul causa, et quod suam quoque necem depoposcisse cognoverat.' Dio l. XLVII. de triumviris: ἅτε γὰρ τῆς μοναρχίας ἐφιέμενοι καὶ πρὸς αὐτὴν ἐπειγόμενοι τούς τε σφαγέας αὐτοῦ (τοῦ Καίσαρος) τοὺς λοιποὺς ὀργῇ μετήεσαν (quare? non profecto honore Cæsaris, ut Vitellius *non honore Galbæ, sed*) ὡς, καὶ ἐκ τού-

τον τήν τε ἄδειαν σφίσιν, ὧν ἐποίουν, καὶ τὴν ἀσφάλειαν πόρρωθεν προπαρασκευάσοντες, (hoc utique *munimentum ad præsens*) καὶ πανθ' ὅσα (hoc pro illo, *in posterum ultionem*, etsi melioris ominis et latius pateat) ἐς τιμὴν αὐτῷ ἔφερε, προθύμως ἔπραττον, ἐς ὑποδοχὴν τοῦ καὶ αὐτοὶ ποτὲ τῶν ὁμοίων ἀξιωθῆναι. Notabile quoque in hanc rem, quod Zonaras narrat in imperio Theophili. Pater hujus Michaël Balbus Leonem Armenium conspiratione sustulerat regnumque invaserat. Filius αὐταρχήσας πρῶτον ἐποιήσατο ἔργον, τὴν κόλασιν τῶν τῷ περὶ αὐτοῦ συναραμένων εἰς τὸ τῆς βασιλείας τυχεῖν καὶ ἀνελόντων τὸν Λέοντα· et quæ cætera penes ipsum legi possunt. *Gronov.*

Cap. 45. *Ad prohibendum scelus: jubere jam poterat*] Fieri potest ut oscitantia librarii hæc verba fuerint in codice regio omissa. *Rhenanus.*

Cap. 46. *Ita simulatione iræ vinciri jussum*] Seneca de Ira III. 39. 'Simulabit iram, ut tamquam adjutor et doloris comes, plus auctoritatis in consiliis habeat.' *Pichena.*

Vacationes præstari centurionibus] Non erant hæ militiæ vacationes, sed largitiones pecuniæ ob spectatam per multos annos fidem: illam vero pecuniam honoris causa milites singuli primum tribuebant, quam post Othonem ex fisco imperatoris exolvi solenne fuit. Quod hic locus aperte docet, eo usque, *Laco præfectus.* Sane de hujusmodi vacationibus idem Cornel. intellexerit Ann. l. I. ubi milites indiscretis vocibus, inquit, 'precia vacationum, angustias stipendii,' &c. incusant. *Vertranius.* Male Vertranius. Ut vero id palam fiat, sciendum, vacationem honestam a militia fuisse, quæ militibus dabatur iis, qui per XX. annos in legione militassent; vel qui L. annum excessissent; et hæc perpetua erat et cum privilegiis, atque a duce exercitus, vel Principe, vel Senatu dabatur. Veterani enim in colonias mittebantur, et pro navata tot annis opera reip. agros accipiebant, teste Livio, l. LV. et VII. 59. et XLII. 34. Erat etiam *vacatio perpetua* gratiosa, quæ dabatur causa non tali, qualem a Senatu P. Æbutio datam legimus apud Livium XXXIX. 19. Alia erat vacatio a militiæ muneribus, non perpetua, sed temporanea, et sine privilegiis veteranorum, quæ quandoque et ipsa gratiose a Principe dabatur, unde statutum sub Theodosio l. unica de iis, qui a Principe vacat. accip. et Liv. XXIII. 20. Erat denique et vacatio, &c. * *Marc. Donatus. Centurio Lucillius;* ut in omnibus seditionibus in centuriones præcipue sævierint ex odio gregarii milites. In Germanorum seditione sub initium Tiberii, intra sese prius queruli velut irarum stimulos acuebant, 'venisse tempus quo cuncti modum miseriarum exposcerent, sævitiamque centurionum ulciscerentur,' &c. Jam illi, quibus facultas erat, milites pecunia redimebant a centurionibus munerum vacationem. *Savillius.*

Ut tributum annuum pendebat] Nihil post hæc addendum, aut sequentibus præponendum, etiamsi lib. vett. inserunt *quarta:* quæ vox, fallor, aut a nasuto aliquo huc translata ex illo inferius loco, 'qui remissam sibi a Galba quartam partem tributorum.' Tota certe orationis concinnitas vitiatur, si alterutram Lipsii conjecturarum admittas. *Acidalius.* Et hoc in juniorum gratiam adnotabo, gregarios milites, alio vocabulo, Munifices appellari. Veget. II. 7. 'Munifices appellantur, qui munus facere coguntur.' Pomp. Festus: 'Beneficiarii dicuntur milites, qui vacant muneris beneficio: e contrario Munifices vocantur, qui non vacant, sed munus Reip. faciunt.' Iisque oppositi sunt, Immunes, qui ab omnibus operibus muneribusque vacabant, ut Beneficiarii. Ammian. lib. XXV. 'portio pultis parabatur exigua, etiam munifici

fastidienda gregario.' Vide latius Lipsium de mil. Rom. dial. v. 6. *Pichena.*

Pendebat. Pars manipulis] Libris veteribus vox inseritur, *pendebat quarta pars.* Numquid, *pendebat quartam?* ut velit in hoc tributum quartam stipendii partem erogatam? an magis Pichenam audimus? *Quarta pars manipuli sparsa per commeatus.* Audio, audio, et nihil melius veriusve. *Lipsius.*

Pars manipulis, pars per commeatus] Auctior hic Flor. *quarta pars manipulis.* An intelligit, quartam militum partem commeatibus et vacationibus, a castris abfuisse, corrupto illius militiæ more? Ita ex his Taciti verbis, quamvis corruptis, conjici videtur: quæ fortasse ita restituas: *Quarta pars manipuli sparsa per commeatus.* Nihil tamen affirmare ausim. *Pichena.* Lectionem hanc ingenio Pichenæ et ope Ms. Florent. Tacito restitutam merito jure prætulimus isti monstro, quod alias editt. inquinat: *Pars manipulis, pars per commeatus, &c.* Freinshemius.

Socordia miser elunguerat] Mallem, *misere*, pro *miser:* aut cum Pichena, *insuper.* Lips.

Socordia insuper elanguerat] Vulgo, *socordiu miser.* Restitui, *insuper*, quia Flor. habet, *in s'* nam sæpissime in eodem Ms. invenias *S'* pro, *super.* Pichena.

Ut in libertum, &c.] Non hoc odio Galbæ factum, quod Icelus ejus libertus fuisset, sed quod esset libertini generis, ideo non in carcere, ut de ingenuis retuli ab lib. Ann. sed publice necatus est. At aliquis fortasse quæret, ex quo fonte mores tam diversi prodirent? scil. constat jure civili gravius cum servis, quam cum libertis actum, et inter hos melioris conditionis ingenuos usquequaque et deterioris libertinos semper fuisse. *Vertranius.* In ingenuos cæde plerumque clandestina sævitum, *servi* aut *libertini generis* publice suppliciis affecti. Sic Asiaticus, Vitellio gratus, e medio sublatus est, cum Vespasianus principatum adeptus esset. Hist. IV. 11. *Savillius.*

CAP. 47. *Omisisset offensas an distulisset*] Insernimus hic vocem *tot*, et quia Budense exemplar habet *omisisse*, nos fecimus etiam *distulisse:* quæ lectio stare potest, si quis subaudiat *eum:* non displicet tamen, quod est in contextu. *Rhenanus.* Muretus, *tot*, delet, et ego facile patior. *Acidalius.* Inseruit Rhenanus vocem, *tot offensas*, præter librorum mentem. Erroris causa fuit, quod in Flor. corrupte legitur, *omisisse tot fensas.* Venetus etiam eandem emendationem asserit. *Pichena.*

Per strages jacentium, &c. concedi corpora sepulturæ, cremarique permisit] Mur. *stragem*, quod nec improbo, nec probo. Ceterum inconcinne dictum videtur, *concedi permisit.* Acidalius.

Pisonem Verania] Plutarchum hinc emendemus in eadem ista re: Τὴν δὲ Πείσωνος (κεφαλὴν) ἡ γυνὴ ἔλαβεν οὐ κρανίου δεηθεῖσα· et scribamus, Οὐερανία δεηθεῖσα: ut interpretes aliquando nubecula ista liberentur. Nam Verania est, quæ precibus caput mariti abstulit. De hac Plinius lib. II. epistola ultima: 'Verania Pisonis graviter jacebat, Pisonis dico illius quem Galba adoptavit.' *Lipsius.*

CAP. 48. *Magnum Claudius, Crassum Nero, interfecerant*] Sic ex Flor. verius, quam vulgo *interfecerat.* Pichena.

Adhæc tantum majori fratri prælatus est] Nos, *ad hoc.* Rhenanus.

Eadem lascivia tentasset] Regius codex, *temperasset:* ex quo Rhenanus, *temerasset.* Lipsius.

Eadem lasciviu temperasset] Liber manuscriptus, *temperasset*, forte legendum *temerasset.* Mox abest illi ablativus *jussu*, fortassis omissus per incuriam librarii. *Rhenanus.* Legendum conjecit Rhenanus ex Regio Co-

dice, *eadem lascivia temerasset:* alii editores, *ead. lasc. tentassent:* nos illud ut aptius et magis apposite dictum antehabuimus. *Freinsh.*

In ipsis principiis] Plutarchus expressit, καὶ διέφθειρεν ἐν τοῖς ἀρχαίοις ἃ πριγκίπια Ῥωμαῖοι καλοῦσι.

In ipsis principiis] Principia locus in castris ubi aquila et insignia. *Savillius.*

Proconsulatu, Galliam Narbonensem severe integreque rexit] Mur. *proconsul Galliæ.* Non mutem vulgatum, etsi neque hoc spreverim. *Acidal.*

Cap. 49. *Dispensator Argius, &c.*] * *Argentarii* dicuntur. Meminit Plinius III. 11. Aitque Justinianus in tractatu Pandectarum de statuliberis, dispensatorem servum dignum libertate, si diligenter tractaverit dominicas rationes. *Lupanus.*

E prioribus servis] Faërnus recte ex V. C. restituebat, *e primoribus servis.* Ursinus. Savilius corrigit, *e primoribus.* Pichena. Ingeniose quidem, qui substitutum eunt, *primoribus*, sed quod pace eorum liceat, retinuerim hactenus vulgatum: vocat enim, *servos priores*, quibus dominus Galba, fuerat ante imperium, adhuc privatus. *Gruterus.*

Humili sepultura] Τὸ δὲ σῶμα τοῦ Γάλβα Πρίσκος Ἑλβίδιος ἀνείλετο, τοῦ Ὄθωνος ἐπιτρέψαντος, ἔθαψε δὲ νυκτὸς Ἀργεῖος ἀπελεύθερος· h. e. *Galbæ cadaver sustulit Helvidius Priscus, et terræ mandavit noctu libertus ejus Argius, mandante Othone.* Plutarch. *Savill.*

Tribus et septuaginta annis] Sic interpunge: *Hunc exitum habuit Ser. Galba, tribus et septuag. annis, quinque, &c.* Acidalius.

Pecuniæ alienæ non appetens] Contrarium dixit Sallustius in Catil. ‘alieni appetens, sui profusus:’ et Plin. Epist. VIII. 6. ‘homo est alieni abstinentissimus, sui diligens.’ Hunc Taciti locum imitatus est Sidon. Apollinaris Epist. III. 5. ‘Vir alieni non appetens, sui parcus.’ *Pichena.*

Usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium et metus temporum obtinuit] Pro verbo *obtinuit*, nos posuimus dativum *obtentui*, subauditur autem, *fuit.* Habet hoc vocabulum et aliis in locis in usu. Lib. XII. ‘Cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur.’ Hist. lib. II. ‘Deletæque omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus.’ *Rhenanus.* Sensus vult, *ignavus:* et sequentia illa confirmant. Ubi miror judicium Lipsii, quod veterem scripturam, *obtinuit*, veriorem censet, quam Rhenani emendationem, *obtentui.* At Rhenanus, si quid unquam bene in Tacito, hoc certe optime correxit, et phrasin hanc Taciti quisquis agnoscit, aliter non judicabit. *Acidalius.*

Metus temporum obtentui] A Rhenano est. Lib. scripti, *obtinuit:* quod verius hic puto. *Lips.*

Proconsul Africam] Ut supra alias, ita hic in Flor. legitur, *proconsule*, neque aliter per totum librum. *Pichena.*

Cap. 50. *Velut ad perdendum imperium*] Ita libri flagitant, ita sententia. Beatus tamen, Nos, inquit, *ad partiendum*, emendavimus. *Lips.*

Velut ad perdendum imperium] Emendavimus, *ad partiendum imp.* Rhenanus.

Suis civibus urbem] Præfero quod in scriptis, *suis exercitibus.* Lips.

Captam totiens suis exercitibus urbem] Codex regis Corvini habet, *captam quotiens.* Nos indidem pro *exercitibus*, scripsimus, *civibus.* Rhenanus. Etiam Flor. ac Ven. consentiunt in voce *exercitibus*, ut de aliis libris testatur Lipsius. Illam ergo restitui, ac vocem, *civibus*, delevi, suppositam a Rhenano: cui utinam facultas fuisset conferendi potius hunc nostrum, quam suum Budensem, ex quo ille in Tac. multa depravavit. *Pichena.*

Solusque omnium] Post eum et filius

Titus sic mutatus. Sueton. Tit. 6. ‘ Titus amor ac deliciæ generis humani : tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunæ superfuit,’ &c. *Savill.*

Cap. 51. *Cæso, &c.*] Exercitus ‘ ex re ipsa atque opere exercitii nomen accepit.’ Veget. II. 1. Et sic Tac. ex proprietate locutus videtur, nomine ad *exercitatos* tantum milites restricto, rudes illos Vindicis neque bellis assuetos appellans *Copias;* cum utrique tamen generi significando ea vox adhiberi soleat Hist. I. ‘ Ægyptum copiasque quibus coërceretur,’ cum duas legiones ibi relictas designaret. Præter hunc usum, apud Tac. quoque vox *Copiæ* significat etiam ad victum pertinentia. Hist. III. ‘ ut specie parandarum copiarum civili præda miles imbueretur.’ Et, ‘ Lixas, calonesque Bebriacum mittit, copias cæteraque usui allaturos.’ Et cap. 6. ‘ tuto copiarum aggestu.’ Et Hist. IV. 35. Et hoc lib. ‘ privatis et promiscuis copiis juvere’ militem. *Lipsius.*

Expeditionem et aciem] Non temere mutem, et elicio sententiam etiam ex hac scriptura. Tamen haud paullo clarior Antithesis videatur si legas, *expeditionem quam otium.* Lipsius.

Expeditionem et aciem, præmia quam stipendia malebat] Ut captarum urbium spolia aut provinciarum, donativa, aliudve liberalitatis extra ordinem genus. *Savillius.* Non mutat Lips. pro sua modestia, sed omnino mutandum, ut conjecit, *expeditionem, quam otium.* In sequentib. deleta copula, velut novam comprehensionem Muretus orditur : malebat : *Diu infructuosam et asperam.* Id non adeo necesse. Quid si *præmia* capias *prædam?* quod exemplis tamen firmandum. *Acidalius.* Ille prompti et amæni ingenii Dominicus Baudius ad oram codicis sui, quem videre mihi contigit in incomparabilis Heinsii ditissima Bibliotheca, notat nobilissimum Rutgersium legere : *prætia quam stipendiu malebat :* idque omnino probat. At si attendas ad ea, quæ proxime antecedunt : *Cæso cum omnibus copiis Julio, &c.* non dubitabis, quin legendum sit, *prædam quam stipendia malebat.* Nam, ut jam dixit, erat ferox præda exercitus, ac ideo ejus nunc quoque avidus. Reddi enim quisque ac denuo offerri sibi cupit, per quæ jam ante profecit. *Boxhornius.* Quasi *præmia* non sint interdum idem quod prædæ. Diximus ad Livii epitomen 89. *Gronov.*

Ingenio loci cælique] Hist. II. ‘ Germanica hiberna cælo ac laboribus dura.’ *Savillius.*

Ad usum et ad decus] Id est, arma, equi, iis suppetebant, non ad necessitatem modo sed et ornatum. Tale est quod iisdem infra tribuit, ‘ baltheos et faleras insigniaque armorum argento decora.’ Tamen libri quidam *dedecus:* ex quibus alii scribendum, *ad abusum et ad dedecus,* censuerunt ; ut mea mens est, procul a Taciti mente, et ‘ Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.’ *Lipsius.*

Equi ad usum et ad decus supererant] In codice Regis Corvini legitur, *ad dedecus.* Itaque suspicor scribendum *ad abusum,* nisi quis malit, *abusui.* Id exposcit sensus. Paratis utrinque corruptoribus, et perfidia impunita, viri, arma, equi, ad abusum, et ad dedecus supererant. *Rhenanus.* Scriptum oportuit, *ad abusum et ad dedecus supererant,* uti fere in Corviniano exemplari est, Beatoque placet, et filum orationis arguit. *Vertranius.*

Ante bellum] Adversus Vindicem. *Savillius.*

Centurias tuntum suas turmasque noverant] Budense volumen non habet *turmas,* sed tantum, *suasque.* Forte legendum : *Sed ante bellum centurias tantum suas quisque noverant.* Aut distingue ; *centurias tantum, suasque noverant.* Et expone, centurias tantum

noverant, sed suas. *Rhenanus.* Sic distingue ; *turmasque noverant exercitus : finibus provinciarum, &c.* Acidal.

Hoc enim nomen] Ita solita plebs, mutare per fastidium et innovare hæc contumeliæ nomina. At Dionysio Gothofredo Jc. legendum videbatur, *fatis dato Vindice.* Lips.

Super arrogantiam et avaritiam] Idem error hic, de quo c. 46. dixit. Nam cum in Florent. scriptum esset, *S' avaritiam*, interpretatum fuit, *secundum avaritiam.* Notavi etiam ad lib. XII. 9. *Pichena.* Retinemus cum libris, *secundum avaritiam.* Nam quæ in Florentino Ms. nota est, æque *secundum* valere possit, quam *super:* præsertim cum optimum habeat sensum : præcipuas causas fuisse arrogantiam et avaritiam ; sed accessisse contumaciam quoque Gallorum : ea significatio in his Ciceronis de Off. II. 3. ' Proxime et secundum Deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt.' *Freinsh.*

Qui remissam sibi a Galba] Dixit Ann. XI. Galliæ Comatæ liberos et bene meritos populos fœdera et civitatem assecutos : nullum igitur ab illis stipendium exactum. Proinde accipiendum est de cæteris, qui stipendia singulis annis penderent, quique censione res suas profiterentur, ubi libri hujus initio legimus, ' Galliæ super memoriam Vindicis obligatæ recenti dono Romanæ civitatis, et in posterum tributi levamento,' id est, remissa Gallis stipendiariis quarta pars tributorum, qua se a Galba publice donatos, in contumeliam exercitus jactabant. *Vertranius.*

Publice] Faërnus ex V. C. restituebat, *Et publicé civitate Romana donatos :* cum in vulgatis tantum sit, *publica donatos.* Ursinus.

CAP. 52. *In quibus sordem et avaritiam mutaverat*] Alias, *notaverat.* Ferrettus. Usitatius erat, *sordes.* Nec sane unquam aliter, vel alii, vel ipse Tacitus alibi. *Acidalius.*

Assignandisve suæ militiæ ordinibus] Pronomen *suæ* per repetitionem ultimæ syllabæ ejus dictionis quæ proxime præcedit, hic natum, erasimus. *Rhenanus.*

Et Vitellius apud severos humilis] Forte, *Et ut Vitellius apud severos humilis ; ita comitatem bonitatemque faventes vocabant.* Rhenanus. Danesius ex V. C. statim addebat : *simul aviditate imperandi, quod sine modo, sine judicio donaret sua, &c.* Ursinus. Muretus particulam *ita* delet : ego etiam inserendam aliam puto, huic respondentem. Certo enim sic Tacitus scripsit : *Et Vitellius ut apud severos humilis, ita comitatem, bonitatemque, &c.* Acidalius. Hoc itidem factum fuit in seditionib. Græcorum : Thucyd. lib. III. Καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει. Τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος, ἀνδρία φιλέταιρος ἐνομίσθη, μέλλησις δὲ προμηθὴς, δειλία εὐπρεπής· i. *Et solitam nominum significationem pro libidine mutaverant : audacia enim inconsiderata fortitudo amicorum dicebatur, cunctatio vero pavida timiditas specioso prætextu.* Eodem fere Romanus Thucydides, Sallust. Catil. ' Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus ; quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur.' *Salinerius.* Quid ? hoc ne faventium comitatem appellare nomine humilitatis quæ Latine loquentibus (Christiani enim significationem mutarunt) nihil boni notat. Imo contra, ut ait, vitia pro virtutibus interpretabantur, ut apud Horatium : lib. I. Sat. 3. ' Parcius hic vivit ? frugi dicatur ; ineptus Et jactantior hic paullo est ? concinnus amicis Postulat ut videatur,' &c.

Quare pro *ita* lege *id.* Quod erat humilitas, id comitatem blandientes appellabant. *Grotius.* Forte legendum : *Vitellius ut apud severos humilis, ita, &c.* Severi, inquit, rerum æstimatores, Vitellii morem contemptissimo

cuique adulandi, accipiebant pro humilis et abjecti animi nota ; sed faventes id comitatem interpretabantur bonitatemque. Supra etiam diversa judicia protulit de iisdem moribus, ut Hist. I. 14. ‘ Æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur.’ *Freinsh.* * Largiretur aliena.’ Neque enim *bonitatis* vocabulum etiam pertinet ad humilitatem excusandam, ut viri docti accepisse videntur. Nempe *bonitas* est ei liberalitas vel munificentia: quemadmodum alibi *malitiam* dicit pro avaritia, ut Ann. XIII. 31. et XV. 21. Plutarchus pro utroque dicit χρηστότητα καὶ μεγαλοφροσύνην. *Gronovius.*

Sicut modesti quietique, ita mali et strenui] Depravate omnino: lego: *Sicut immodesti quietique.* Immodesti quietis opponuntur, sicut mali strenuis. *Colerus.*

Sed profusa cupidine, et insigni] Castigavimus, *Et profusa cupidine, insigni temeritate legati legionum.* Rhenanus. Muret. *Sed:* non valde necesse : tamen forte rectius. *Acidal.* Ex Flor. ac Ven. *Sed profusa cupidine, et insigni, &c.* Vulgo, *Et profusa cupidine et insigni tem.* Pichena.

Alienus Cæcina] Mihi, imo libris debetur verum hoc Cæcinæ nomen. Nam illi constanter *Alienum* scribunt. Etiam in Dionis Epitoma semper, Ἀλιηνός. Romanum vero id nomen: et nummi exstant, C. CAESAR. IMP. COS. ITER. ALIENVS. PROCOS. Nominat et quemdam Alienum Cicero Divinatione in Verrem. Vulgatis tamen Taciti libris hic A. Cæcina dicitur: et Fastis, quos eruditi viri concinnarunt. *A. Licinius.* Unde eruerint, miror. *Lipsius.*

A. Cæcina] Non putamus pro A. recte emendatum esse *Allienus*, nam *Cæcina* non cognomen, sed uomen familiæ fuisse, constat ex alio Cæcina, qui *C. CÆCINA LARGVS* dicitur in inscriptione fratrum Arualium, et alio item, qui in basi statuæ Vespasiani Imperat. dicitur *C. CÆCINA PÆTVS.* Hic autem ipse A. Cæcina habetur apud me in antiquo lapide, ita plane inscriptus, *A. CÆCINA.* Nomina vero familiarum apud Romanos omnibus literis scribebantur, cum prænomina uuicis tantum, vel duabus, aut ad summum tribus litteris notarentur. *Ursinus.*

Detectam a se Verginii cunctationem] Scripsimus, *detecta a se Virg. cunctatione.* Rhenan.

Imperatoriam dignationem et auferre] Faërnus omissa copula, *et*, legebat: *imponere jam pridem Imp. dignationem, auferre.* Ursinus. Restitui ex Flor. illud, *et*, *Et imponere, &c.* quod cum altero sequenti conjunctum, vim orationi addit. Quod autem sequitur, *et auferre privati securitatem:* similis est sententia Muciani ad Vespasianum, lib. seq. ‘ Confugiendum est ad imperium.’ Magni enim viri, suspecti semper imperantibus: et ideo vita eorum in discrimine versatur: ut passim ex Tacito. *Pichena.*

Ut concupisceret magis quam ut speraret] Expunxi particulam, *ut.* Rhenanus. Adjeci postremum, *ut*, ex Flor. ac Ven. etsi non necessarium. *Pichena.*

CAP. 53. *Superiore Germania*] Ammianus scribit ita divisas Galliæ Germaniæque provincias. Prima Germania Moguntiaco Argeutoratoque nobilis : secunda Germania, in qua Agrippiua et Tungri. Prima Belgica Mediomatrices et Treviros habens: tum secunda Remos, Sequanos, Ambianos complexa. Hinc Lugdunensis prima, Senones, Bituriges, Lugdunum, Augustodunum: secunda Rothomagum, Mediolanum, Tricastinos Alpes continebat. Eodem modo et Aquitaniæ fines distincti. *Alciatus.*

Cito sermone, erecto incessu, studia militum allexerat] Credam potius, *scito sermone:* hic enim prorsus valeat studiis alliciendis, quam *citus.* Acidal.

Flor. *inlexerat.* Vulgo, *allexerat.* Pichena.

Mox compertum] Non item male, *comperto.* Lipsius.

Paganos] *Pagani* hic non accipiuntur pro villas habitantibus, nt vnlgo creditur; sed pro non militantibus, licet in urbe habitarent. Qui enim non militabat, paganus dicebatur. Hist. II. ' Ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret.' Et paulo post : ' Apta ad jaciendum paganorum manus,' &c. *Lupanus.*

In Verginium favor] Τῆς ἐπιθυμίας σφῶν ἁμαρτόντες ἐπὶ τοῦ Οὐεργινίου, ἐξήτουν αὐτὴν ἐφ' ἑτέρου τινὸς ἀποπληρῶσαι. Xiphil. hoe est, *Cum sua in Virginium spe excidissent, alio eam transtulerunt.* Savilius.

Cuicumque alii profuturus] Codex Budensis, *cujusque alii, &c.* Rhenan.

CAP. 54. *Dextras hospitii insigne*] Fidei etiam et pacis. Cæsaris locus est, quem eorreetione libens huc traxerim, l. VII. De bello Gall. ' Ædui visi ab latere nostris aperto : ii similitudine armorum vehementer nostros perterruernnt : ac tametsi dextris humeris exertis animadvertebantur ; quod insigne pacatis esse consuevcrat; tamen idipsum sui fallendi causa milites ab hostibus factum existimabant.' De humeris, et quomodo exeri ii potuerint, nec capio, nec legi. Glossema subolet, et insitio non proba : legamque, *dextris exertis;* voee *humerorum* ejecta, nisi si ea aliter conformanda. Dextras quidem attolli, etiam nunc pacis ac socii adventus signum habetur. *Lipsius.*

ADD. In Cæsaris loco libenter nunc legerim, *dextris nudis exertis.* Livius suadet lib. XXVIII. qui scribit opidanos quosdam deditionem et amicitiam significantes, egressos : ' dextras nudas ostentantes.' Lacedæmonii etiam apud Thucydidem lib. IV. circumventi ab Atheniensibus, τὰς χεῖρας ἀνέσεισαν, *manus quatiebant,* signum pacis et deditionis. In Frontino quidem lego, humeros etiam exeri a militibus, sed longe alio sensu : l. II. Strateg. c. 1. ' Cum Sertorianos milites animadvertisset magno impetu instinctos, deposcentes pugnam, humerosque exercentes (lego, *exerentes*) et lanceas vibrantes.' Itaque hoc magis in Cæsariana correctione nostra firmamur. *Idem.*

Pronis militum auribus accipiebantur] Vnlgo, *militum animis.* Sed rectius ex Flor. *auribus,* propter verba sequentia, *accendebant animos.* Pichena.

Ac nisi ipsi consulerent] Scripsimus, *ac ni sibi consulerent.* Rhenan.

Per tenebras et inscitiam cæterorum occiderentur] In cod. Budensi, *et inscientia.* Legerim, *per tenebras et inscitia cæt. &c.* Idem.

CAP. 55. *Inferioris inde Germaniæ legiones*] Nos, *Inferioris tamen Germ. leg.* Idem.

Insita mortalibus natura propere] Melius, *insito.* Vidi qui sequentia perverteret, *non tam propere.* Vere perverteret. Nam Taciti gnome, arcanæ, ut solet, veritatis est : et plebs ita facta, ut rebus arduis nemo facile ducem se præbeat, comitem quivis. Facit huc illud Hist. III. &c. * *Lips.*

Duo et vicesima] Covarruviæ scriptus codex, ita passim. Probamus. Sæpe erratum etiam infra. Recte tamen integreque scriptum lib. III. ' sextadecimanos duoetvicesimanosque lævum cornu complesse.' Nos alibi in textu reposuimus. *Idem.*

Dirumpunt imagines] An verius *diruunt?* an *deripiunt?* ut supra, ' dereptam Galbæ imaginem solo afflixit.' Et de hac ipsa re paulo post : ' Projectis Galbæ imaginibus.' Lib. III. ' Vitelii imagines direptæ.' *Acidal.* Forte melius, *deripiunt.* Supra I. 41. ' Dereptam Galbæ imaginem solo afflixit.' *Freinshem.*

Contanter. Mox consensu, ac] Melius distingui. *Contanter, mox consensu. Ac ne r.* Lipsius.

Mox consensu] Sane quod prima facie videantur digna distinctione, hæc rite distincta sunt, *Quarta legio promptius, duodevicesima cunctanter. Mox consensu, ac ne reverentium.* Nec aliquid Eruditiss. viro debent, corrigenti. Non eadem alacritate legio, &c. * *Savilius.*

Cap. 56. *Non cohortari bonos ausus, sed segnis, pavidus, et socordiu innocens*] An Hordeonius ergo, tot indignis legato Consulari vitiis opertus, innocens judicio Taciti, rigidissimi ubique scriptoris, dicam, an censoris? Hactenus innoceutem agnoverim, dum dicit Tacitus, *non ausus.* Malum enim ubi majus remedio est, non peccat, cum deficit, cujus alias fuisset mederi. Quamquam fortean ne hoc quidem nomine excusandus veniat Hordeonius. Quid si enim ausus non fuerit, cum debuerit potueritque audere? Jam vero cum addat fuisse *segnem, pavidum, socordem*, quis non judicet fuisse eum *inter nocentes?* Atque ea de causa sic lege. Haud sum nescius, ' segnem innocentiam' tribui Annal. xiv. Fenio Rufo. Sed id idem eo loco significat, quod alibi *silentium.* Ut in Agric. ' Idem prætnræ silentium.' Et hæc segnities plane fuit innoxia: qualem hanc Hordeonii nec esse, nec hic describi, quivis videt. *Inter* autem hic positum, qua forma alibi *ante.* Annal. i. ' Cn. Lentulus ante alios ætate et gloria belli.' Hist. iv. ' Classicus nobilitate opibusque ante alios.' Et similia passim. *Boxhornius.* Si quid mutandum, vellem *socordia nocens.* Gronov.

Impetu militum abrepti] Codex scriptus habet, *obtecti.* Rhenan.

Cap. 57. *In coloniam*] Præpositionem, *in*, ex Flor. reposui, quæ a vulgatis aberat. *Pichena.*

Imperatorem Vitellium salutavit] Suet. Vit. 8. nonnihil varians: ' vespere a militib. e cubiculo raptus, ita ut erat in veste domestica, Imperator est consalutatus.' Plutarch. meridiem fuisse dicit. *Savillius.*

Secutæ ingenti certamine] Hispanus liber, *ingenti agmine.* Lipsius.

Ut quisque corpore, opibus, ingenio validus] Alienam et ineptam hic vocem Lips. censuit, *ingenio:* etiam ego, nec tamen scio, an satis apte mutem, *Ut quisque corpore ingens, opibus validus.* Sic de Cæcina sup. ' Corpore ingens, animi immodicus.' *Acidal.*

Quibus præsentia ex affluenti] Muret. mutat, *quibus ex præsenti affluentia.* Inscite, *ex affluenti*, id est, affluenter, abunde. Ut sæpe alias dicit, *ex facili*, facile; eadem forma. *Acidal.*

Instinctu et impetu et avaritia] *Instinctu* legatorum nempe tribunorumque et centurionum: *impetu*, proprio: *avaritia*, quod crederent se, quæ darent, cum ingenti fuero recepturos. Vide similem locum infra Hist. ii. 84. quem ideo inter parallela aduotavi. *Freinshem.*

Puri simulatione vinculorum frustratur] Manifestum mendum: quo enim illud, *pari*, referetur? Tu vel meo periculo lege, *partim.* Sævitiæ militum, inquit, sæpe indulget, et ad pœnam iis plerosque largitur: quosdam simulatione vinclorum subtrahit. Prisca lectio suffragatur huic correctioni, quæ præfert, *Parum:* ex quo, *pari*, emendasse fatetur Rhenanus. *Partim* autem, solitarium sæpe poni nec geminari semper, notius est quam ut ostendam. *Lipsius.*

Parum simulatione vinculorum frustratur] Emendavimus, *Pari sim. &c.* Rhenan. Faërnus emendabat, *partim simulatione:* et ita postulat sententia. *Ursin.* Indubia mihi hæc Lipsii emendatio, *partim.* Male vulgo, *pari.* Pichena. Otho fieta vinctione Celsum iræ militum subduxit. Tac. ' Ita simulatione iræ vinciri jussum, et majores pœnas daturum affirmans præsenti exitio subtraxit.' Quid Vitellius? octo erant, quorum pœnas milites postulabant. Pompeius, Burdo, Civilis, Crispiuus, Nouius, Dona-

tius, Romilius, Calpurnius: ex quibus Burdonem duntaxat eximit prætextu vinculorum, Civilem metu Batavorum missum fecit, cæteros vere morte affecit. Hinc dictum *sæpius approbat* et *parum frustratur*. Cum haud ægre potuisset sex reliquos eripere per simulationem: 'Et apud sævientes occidere palam, ignoscere non nisi fallendo licebat.' *Saliner.*

Stratis jam militum odiis] Suspicor, *Frustratis jam militum animis*. Rhenan. Lectionem hanc *satiatis jam mil. odiis* ex conjectura mea Tacito restituimus: erat ante, *stratis*, &c. nullo bono sensu, et manifestis veræ scriptionis vestigiis. *Freinsh.* Nos vero restituimus in locum suum vetus *stratis*, quo nihil elegantius, idque juvimus exemplis Observ. III. 22. *Gron.*

Punienti vilior] Fortassis enim in suum id caput recidisset. *Savil.*

CAP. 59. *Julius Civilis*] * 'Injectæ Civili catenæ,' &c. Observandum ibi Claudium Civilem, hic Julium appellari. Lapsus alterutro loco auctor, vel culpa in consuetam librariorum negligentiam rejicienda est. *Savillius.*

Donatum, Romulium] In codice scripto, *Donatium, Romilium*. Rhen.

Damnatos fidei crimine] Crimen fidei erat, quia fidem Galbæ servaverant, et proditores esse noluerant. *Pichena. Damnatos fidei, crimine gravissimo*, sic distinxi: quomodo acutiorem multo sensum exhibent, quam si cum aliis retineas: *damnatos fidei crimine, gravissimo, &c.* Freinshem. Vocat hic *fidei crimen*, sicut Lucanus sub initium Pharsal. I. 'jus datum sceleri.' Ubi enim bella civilia et iniqua tempora sunt, scelera virtutum, virtutes criminum nomine induuntur. *Boxhorn.*

CAP. 60. *Conviciis proturbantibus*] Priscæ editiones, *proturbatus*: quas sequor. *Lipsius.*

Militum convitiis proturbatus] Emendavi, *proturbantibus*. Vett. libb. et inter eos Floren. hanc lectionem asserunt, *proturbatus*, et Lipsio probatur. Dispunximus ergo Rhenani emendationem. *Pichena.*

CAP. 61. *Quotidianis Alpibus*] Easdem Alpes infra eodem lib. *Cottias* appellat; et l. XIV. *Cottianas*. Pich.

Digredi jussus] Codex manuscriptus pro *digredi* plerunque habet *degredi*. Id locum habet, ubi descensus ex alto significatur. *Rhenan.*

Cum aquila quintæ legionis] Vatic. habet, *aquilex quintæ*: e quo legendum esse, *aquila xquintæ*, aut si magis placet, *quintædecimæ*, ego censebam. *Lipsius.*

Cum aquila quintæ legionis] Lipsii lectionem repellit Mercerus, quia non dixisset Tacitus *decimæ quintæ*, sed, *quintæ decimæ*. Ego tantum moneo, Florentinum cum vulgatis congruere. *Pichena.*

Quadraginta millia] Hic numerus longe excedit cujuscunque tandem ætatis legionem, collectus ex aliis in ista provincia legionibus imminutis, relicta et aquila et nomine; atque ex Germanicis auxiliis, ut ex verbis Taciti apparet. *Savil.*

Legio una, prima et vicesima] Distinctione locum juvi. Nec tamen nunc abnuo, quin glossematium hic sit, scribendumque, *unaetvicesima*. Lipsius.

Legio una et vicesima] Judicium doctiss. Virorum sequuti, glossematium ejecimus, nam fuerat, *Legio una prima et vicesima*. Freinshem.

CAP. 62. *Ubi facto magis, &c.*] Non parum civile interest aliis bellis. Sallust. Catil. 'Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet: nam et, priusquam incipias, consulto, et, ubi consulueris, mature facto opus est.' *Saliner.*

Incerti luxu] * Vitelliani cibi dicantur. Vide Tacitum Histor. II. 31. et 62. Itaque Livius l. IX. belli Macedonici ait, post Asiam devictam lux-

um epularum invectum, et cocum, vilissimum antiquis mancipium, in pretio haberi cœpisse. Hinc apud JCtos dicitur, venditorem, qui optimum cocum dixerit, optimum in eo artificium præstare debere, in tractatu De Ædilitio edicto. *Lupanus.*

Medio diei temulentus] Idem de Nerone dixit initio l. XIV. ' medio diei, cum id temporis Nero per vinum et epulas incalesceret.' Vide ibi Lipsium, et multa ab eo disce ad hunc morem. *Pichena.*

Nomen Germanici Vitellio statim additum] Correxi, *Nomine Germ. Vit. statim addito.* Rhenan. * semper Augustus.' Quo autem jure Vitellius arrogarit sibi Germanici cognomen, toto imperii tempore nunquam cum hoste congressus, non disputo. *Savil.*

Lætum augurium] Plerique ex Latinis Historicis (iis enim et quotquot ex eorum schola prodierunt illud peculiare) non bene se putant officio functos, me judice, nisi insigniores in Rep. mutationes illustrent per *portenta, omina, &c.* inducentia rerum fatales revolutiones; cum tamen pars longe maxima esset conficta et adornata in pompam serviret terrendo et in stuporem rapiendo lectori, *πρὸς τὴν ἔκπληξιν τῶν ἀκροατῶν.* Alia sæpius evenire solita tum demum solebant observare, si memorandi qui casus consequerentur. Lib. II. Othone mortuo, alia extat fabula ad similem pæne modum conficta, nisi quod paulo deterior sit, cum præfatione ut proniori fide admittatur. Quod ad aquilam nostram, fuerit fortasse potius vel manifestus impostor, aut penitus ignarus futuri, quam ut præbere potuerit *omen haud dubium* duraturæ ad momentum felicitatis. *Savil.*

In bellum agebat] Corrupte vulgo, *in bellum cogebat.* Falso: jam enim coactus erat exercitus, et proficiscebatur: ideo ex Flor. correxi, *agebat.* Pichena.

Aquila levi meatu, prout agmen incederet] Lego, *leni.* Sueton. *sensim antecessit,* inquit. *Acidalius.* Sic magis proprium. Vulgo, *levi.* Pichena.

CAP. 63. *Dinodurium*] Castigavi, *Divoduri.* Rhenan.

Raptis repente armis] Flor. habet, *raptisve,* forte, *raptisque.* Pichena. Non hic locus est copulativæ: sed si non omnino incassum sunt inculcatæ literæ, significant, *raptis derepente.* Gronov.

Non ob prædam aut spoliandi cupidinem, sed furore] Rectum quis negat? *cupidinem.* Tacitus tamen scripsit, *cupidine.* Acidal.

Quæque alia placamenta hostilis iræ] Locum obscurum et corruptum clamat Lipsius, neque se vel illustrare vel emendare. Est verum utrumque, sed non usque adeo. Et facile restituere, *quæque alia placamenta hostilis iræ, non quidem in bello, sed pro pace tentabantur:* junctim enim hæc legenda et intelligenda. Muretus *tendebat* notaverat, quod non satisfacit. *Acidal.* * vastaturus esset. Supplices itaque procedunt obviam Vitellianis, non eo quod adversus eos bellaverint, sed quo paci cautum vellent, qua tunc fruebantur, quamque bello civili infirmam esse non ignorabant. At quænam illa sunt, quæ ab iis *tendebantur?* dicat noster: ' Cum haud ignari discriminis sui Viennenses velamenta et infulas præferentes.' Eurip. Supplic. *ἱκεσίοις δὲ σὺν κλάδοις φρουροῦσι μ' ὡς δέδορκας ἐν κύκλῳ.* Scholiastes Aristophanis: *ἱκετηρία ἐστὶ κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ πεπλεγμένος*: i. *ἱκετηρία est ramus oleæ lana circumplexus.* Livius, &c. * *Saliner.* Locus aliis obscurus, imo corruptus; quem non emendant, non illustrant, mihi integer est et clarus. Dicit enim, magistratus ac sacerdotes civitatum, velatis manibus ramos oleæ prætendisse, humi interim cum flebili vociferatione procumbentibus uxoribus ac liberis: et hoc (inquit) factum, non ut bellum redi-

merent, quod nullum erat; sed ut retinerent pacem. Est convicium publicum in militarem disciplinam, nihil minus quam disciplinam. ‘ Placamenta hostilis iræ,’ quænam prætenderint, describit noster eap. 66. *Gruterus.*

Non quidem in bello] Locus obscurus, sed illustro (si tamen sincerus): Erant preces et supplicia, ut in bello: neque bellum erat, sed tamen timebant hostilia, et pacem sic orabant. *Lipsius.*

Cap. 64. *Formidine permotus*] Sic legitur in cod. Manuscripto. *Rhenan.*

Jurgio primum] Sic restitui locum: cum ante male legeretur, distingueretur: *Jurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios. Dum his aut, &c.* Addet infra Hist. II. 27. de ipsis Batavis, ubi nota verba; ‘ corrupta jurgiis et rixis disciplina.’ *Freinshem.*

Cohortes octodecim Lugduni] At tot cohortes mihi relinqui non placet. Cur enim, cum undique miles conquiratur, et eo ad aciem opus; in uno eoque amico opido, impositæ tot cohortes? Sed ait etiam vetera et solita tot eohortibus hiberna fuisse: quod falsum. Unica enim dumtaxat jam olim Lugduni cohors: e Taciti Annal. III. ‘ Andegavos Acilius Aviola, excita cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coërcuit.’ Manuscriptos igitur meos audio, et hic *cohortem decimamoctavam* repono. Vox etiam, *Lugduni*, supervacua videtur, et velut interpretamentum inserta. *Lipsius.*

Cohortes XVIII. *Lugduni, solitis ibi hibernis, &c.*] Rectissime Lipsius *cohortem decimam octavam;* et ejicienda omnino vox *Lugduni*, ut eidem visum. De cetero et pro *ibi, sibi* scribendum ex mea vel Mureti conjectura. *Acid.* Corrupte vulgo. Rectius Florentinus: *Cohortem XVIIIam.* ut de aliis manuscriptis testatur Lipsius. Correxi etiam ex eodem libro, *sibi*, pro, *ibi.* Pichena. Tendebat Lugduni legio Italica, et ala Taurina. Vide c. 70. Verum doctiss. vir potius ducit: *cohortem decimam octavam.* Et *ibi tendentibus* abjecto *Lugduni:* quod una tantum cohors præsidium Lugduni agitaret. Ann. l. III. ‘ quorum Andecanos Acilius Aviola legatus excita cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coërcuit.’ Quodque e re non fuisset tot cohortes relinquere in soeia civitate, maxime dum anxie milites undique contrahuntur. Prioribus obviam sic iri potest. Sub Tiberio minus suspecta fuere Gallorum ingenia, quæ post motum Vindicis Romanos usque sollicitabant. Posterioribus hæc satis erunt: abducitur legionis robur, et ala Taurina, relinquuntur *inania belli*, nempe cohortes auxiliorum. Hist. lib. II. ‘ reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, et prima statim defectione inter inania belli assumtus.’ *Saliner.*

Cap. 65. *Veterem inter Lugdunenses Viennensesque discordiam*] Cujus origo hinc repetenda. Primi Lugduni incolæ, Vienna expulsi, jure oderant, quos iniquissime sua per vim occupasse norant. *Savil.*

Crebrius infestiusque] *Municipalem æmulationem bellis civilibus miscentes* ut scribit Tac. Hist. III. de Capua et Puteolis. *Idem.*

Et Galba redditus] Ita Danesius legebat. In vulgatis est, *reditus.* Ursinus.

Legiones in præsidium Galbæ referendo] Nihil deperiret sententiæ, quamvis sua sede extruderetur in malam rem, vox ultima *referendo:* meo certe animo, lepidius subintelligitur quam exprimitur. *Gruter.*

Cuncta illic externa] Senatus cum accepisset Silanum Antonii rebus favere, Lepidum et L. Plancum veritus, ne hi se quoque Antonianis adjungerent, misit ad eos, qui dicerent, nihil jam eorum opera reup. opus ha-

bere. Ac ne quid suspicarentur mali, facinusque aliquod patrarent, jussi sunt a senatu urbem iis Ergosiavorum condere, qui quondam Vienna, provinciæ Narbonensis oppido, ab Allobrogibus expulsi, ad confluentes Rhodani Ararisque fluminum consederant. Itaque illi subsistentes, Lugdunum (antea *Lugudunum* dictum) ædificaverunt. Auctor Dio Cassius lib. XLVI. Quæ si vera sunt, perperam se Lugdunenses jactitant, *Coloniam Romanam, et partem exercitus.* Sed qui libenter antiquitatem tueor, Dionis et Cornelii ita scriptum accipio, ut Vienna pulsis Ergosiavis, veterani cives Romani immixti fuerint a L. Munatio Planco: neque enim ovum est dicere Romanam deductam coloniam, ubi non omnes coloni cives Romani fuissent. Inde vero expulsi patrio solo Lugdunenses incolæ, non mirum, si in Allobroges, Vienna potitos, odium hæreditarium exercent. *Vertranius.* Pugnam hanc Taciti et secum et cum aliis non aliter putem conciliandam, quam rhetorica ista ratione: ex invidia hæc a Lugdunensibus contra Viennenses ultra verum aucta, ad odium in militum animis conciliandum. *Acidalius.* Reipsa, non etiam nomine. Itaque non erat, cur hoic hærerent Criticorum summi. Serviunt enim suæ causæ Lugdunenses: cuncta producentes, quibus alienetur a Viennensibus miles; oratorio more scil. extennando verum: utique cum animo quisque censeatur, non titulo, &c. *Gruterus.* Quid ergo, inquit doctiss. interpres? Non etiam Vienna inter Romanas colonias? Equidem haud satis hæc concilio. Ita ille. Utraque colonia Romana, et Lugdunensis, et Viennensis. Non tamen utraque nunc vere Romana, fide, affectu, obsequio in Romanos. Hanc laudem, cum magna Viennensium invidia, hic sibi vindicant soli Lugdunenses. Vides sic optime hæc posse et debere conciliari. *Boxhornius.*

Se coloniam Romanam] Quid ergo? non etiam Vienna inter Romanas colonias? Vero pridem. Vel Claudio Imperatori credamus in Oratione quam pro Gallis habuit: ‘ Ornatissima ecce valentissimaque colonia Viennensium, quam longo jam tempore Senatores huic Curiæ confert!’ Sed et noster statim, de eadem: ‘ Tum vetustas dignitasque coloniæ valuit.’ Equidem haud satis hæc concilio. Nisi si Viennenses prisci, &c. * *Lipsius.*

CAP. 66. *Ut nec togati quidem ac duces*] Vitium frequens nimis. Lege: *ut ne legati quidem ac duces.* Sic et II. 76. et IV. 38. *Gronovius.*

Velamenta et infulas præferentes] * hostes moverentur. Eo enim jure vetustiores utebantur, eratque ex pop. Rom. disciplina, ‘ nequid, quod usquam sanctum esset, apud eos violaretur,’ inquit P. Scipio Livii XXVI. Contrarium autem fuit in re apud hostes religiosa vel sacra: illa enim capi violarique siue religione potuerunt, ‘ captaque religiosa vel sacra esse desiverunt,’ Pomponio ad Q. Mucium, et Paullo ICtis auctoribus. *Vertranius.*

Tricenos singulis militibus sestertios] * *Treceni* HS. sunt nobis, septem Philippici et semis. *Lips.*

Trecenos singulis militibus sestertios] Id est, 46. S. 10. d. ob. et sic 40,000. (in hanc enim multitudinem excreverat exercitus, præter octo cohortes Batavorum, legionem Italicam, et alam Taurinam) 93,750. libras. *Savillius.* Ita Flor. male vulgo, *triceni.* Pichena.

Vetustas dignitasque Coloniæ valuit] Proscriptus passim locus iste, tanquam mutilus: sed non est, vult auctor, flexos quidem fere animos militum habitu illo supplicum, sed tum plene ac bona fide agnovisse quales essent, cum donativum eis obvenisset, omni ratione et adfectu valentius.

Gruterus.

Materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur] Ita legebat Faërnus, omissa copula *et*, quæ est ante verbum *stupris*. Ursinus. Melius demseris prius *et*. Muret. habet similiter. *Acidalius.* Additam in vulgatis particulam, *et*, ante vocem, *stupris*, ex antecedenti syllaba ingeminatam sustuli auctoritate Florentini, tanquam supervacuam. *Pichena.*

Cap. 67. *Plus prædæ*] Hinc incipiendum esse caput monui; cum alias hæc verba divellerentur a sequentibus, et initium capitis facerent ista: *Irritaverant turbidum:* non sine damno sententiæ. *Freinsh.*

Helvetii Gallica gens] * repressis Cæsaribus. Hac ætate prima illis peditatus gloria. A Philippo Vic. quod deletis cohortibus dedecus subierant, frequentibus nunc victoriis recuperavere, nisi quod et memorabili prælio sua inter se perfidia in suburbanis Mediol. a Francisco Francorum rege cæsi, superbos titulos deponere rursus coacti sunt. *Alciatus.*

Gens, soli in armis virisque, mox memoria nominis clara] Emendavi distinxique, contra vulgatarum editionum Budensisque voluminis lectionem: *gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara.* Expone, *clara gens memoria nominis*, hoc est, ob memoriam nominis. Meminimus hujus etiam loci libro rerum Germanarum primo. *Rhenanus.*

Festinatio undevicesimæ legionis] Ut supra narravit, Cæcina unicam legionem habuit, eamque XXI. Quis igitur hæreat, quin hic scribendum, *unaetvicesimæ?* Didici postea sic esse in Florentino. *Lipsius.*

Avaritia ac festinatio unaetvicesimæ legionis] Ita clare ac vere Florentinus. Male vulgo, *undevicesimæ.* Pichena.

Rapuerint pecuniam] Ita legebat Faërnus, non *rapuerunt*, ut in vulgatis. *Ursinus.* Scripsi *rapuerant;* ex Flor. ac Ven. Vulgo, *rapuerunt.* Pichena.

Cap. 68. *In Vocecium montem*] * ab ipsis Lotharingis. Meminit Lucanus in Phars. I. 407. 'Quæ Vogesi curvam super ardua ripam Pugnaces pictis eohibebant Lingones armis.' Quam lectionem mutari a Sabellico non ignoro. Si enim vetus lectio vera est, *Vosegus*, sive *Vogesus* flumen potius, quam mons videri poterat. Hoc docti viderint. *Lupanus.*

Cumque direptis omnibus] Flor. *dirutis.* Ven. *diruptis.* Mihi vulgata lectio potior, ut referatur ad prædam. Supra enim dixit: 'Plus prædæ ac sanguinis Cæcina hausit.' *Pichena.*

Aventicum] Hodie Friburgensis est ditionis. Amm. Marcell. suis temporibus desertam civitatem dicit. *Lupanus.*

Cap. 69. *Militis animum mitigavit, ut est*] Sic restitui totum locum, adjutus editt. vett. consensu, quæ fere sic habent: *militis animum mitigavit: ut est mos vulgo mutabilem subitis: et tam pronum in misericordiam: quam immodicum sævitia fuerat:* ex quibus, excepta distinctione nihil muto, nisi ut *immodicus* faciam ex *immodicum:* quoniam manifestum est, omnia ista referenda esse ad vocem *animum:* non ad vocem *vulgo*, ut putaverunt, qui ista sic mutabant; *militis animum mitigavit: ut est mos vulgo, mutabili subitis, et tam prono in misericordiam, quam immodicum sævitia fuerat.* Freinshemius.

Mutabilem subitis et tam pronum in misericordiam] Quia regium exemplar habet, *mutabile*, sum ausus hunc locum sic mutare, *mutabili subitis, et tam prono in misericordiam, &c.* Rhenanus.

Meliora constantius postulando] Forte melius, *molliora.* Sic item Lips. ad marginem. Sed tamen Hist. lib. IV. idem legitur: 'Sic accensum, sed meliora referre jussum dimittit.' *Acidal.*

Cap. 70. *Lætum ex Italia nuntium accipit*] Deest hic in Flor. folium, cujus tamen defectum supplevi, alterius manuscripti ab illo proximi col-

latione. Isque sic legit, *nuntium accepit.* Pichena.

Ob bellum Vindicis revocati] Castigavimus, *remorati.* Rhenanus.

In Alpe Graia ipse] Male huic loco esse jurem apud omnes Censores. Pugnat historia, pugnant libri. De historia, quid certius quam Cæcinam non Graio monte sed Penino in Italiam venisse? Tacitus supra: 'Cæcina propiore transitu Peninis jugis digredi jussus:' et paullo infra: 'Penino subsignanum militem itinere et grave legionum agmen traduxit.' Atqui diversi et dissiti hi transitus. Jam libri longe abeunt ab hoc scripto. Farnesianus, *in alpe triaria,* sicut et Hispanus: Budensis, *trianna:* optimus Vatic. *cum alpe tarina:* ex quo ego, *ala Taurina:* Savillius, *Petrina.* Et certe Taurina, jam cum Valente, in Italiam iverat. Ergo Savillio assentior, et libens. *Lipsius.*

In alpe Graia] Nusquam magis variant exemplaria quam in nominibus propriis vel locorum vel hominum. Liber Ms. sic habet, *in alpe trianna.* Rhenanus. Nota in singulari *Alpe Graja* Hist. l. IV. montem Grajum idem ipse nominat. Hæ Alpes a transitu Græcorum et Herculis, Grajæ nuncupatæ, quas summas Alpes Cæsar appellat: *montem Sancti Bernardi* vocant, et ea transiisse Hannibalem volunt, tametsi Pœninis Alpibus Hannibalem transiisse Livius scribat. *Lupanus.* Felicius Savillius; *cum ala Petrina.* Nam et ala Taurina hic esse non potuit, quæ cum Valente Cottiis Alpibus transiit, et *Petrinam* alam in partibus Vitellii fuisse, indicio est Sagitta præfectus alæ Petrinæ. Inf. l. IV. *Mercerus.* Alter Ms. *in Alpe Triaria.* Lipsius *Taurina;* at Mercerus ex Henrico Savile, veram lectionem affirmat, *cum ala Petrina.* Pichena. Miror qui hæc emendatio venire potuerit in mentem doctiss. viro *cum ala Taurina.* Hæc enim ala Lugduno abducta, et comes Valenti, qui Italiam diverso itinere petebat. 'Fabius Valens allicere, vel si abnuerent vastare Gallias, et Cottianis Alpibus Italiam irrumpere, Cæcina propiore transitu Peninis jugis degredi jussus.' Et 'sed legio Italica et ala Taurina abductæ: cohortes XVIII. Lugduni solitis sibi hibernis relinqui placuit.' Interpretemur itaque vulgata. Cæcina dum Peninum versus tendit, transpadanas civitates audit Vitellii partes induisse: ideo metuens, ne tot oppida unius alæ Syllanæ defensioni male relinquerentur, præmittit auxiliares, qui Penino descenderent in Transpadanam regionem, ibique cum Syllanianis fortunam partium sustentarent: ipse vero petit Alpes Grajas, ut inde in Noricum deflecteret adversus Petronium procuratorem: sed cum eos jam teneret, et re melius animadversa præmissis copiis timeret, iter convertit, et milites (ut jussus erat) per Peninum ducit. Τὸ *alpe Graia ἐνικῶς* ut Hist. IV. 'pars monte Graio traducuntur.' At Hist. II. 'Germanorum vexillis,' scil. equitum, et 'equitum vexilla cum legione prima' de morib. Germ. maxime quod Germani equo libenter merebant. Præterea *ala* dicitur de equitibus sociorum, et *vexilla* proprie equites designabant. Lips. dial. II. 6. de mil. Rom. et dial. 8. Quapropter jure scriptum est *alasque.* Cæterum noster solita sibi brevitate non exprimit additionem alpium Grajarum, ut alibi silvit petitionem proconsulatus: 'eoque etiam Asiæ sorte depellendum.' Ann. III. Nempe M. Lepidum. *Salinerius.* Palmariam Savillii correctionem Lipsio etiam, Mercerogue atque Pichenæ probatam, ut debuimus, auctori reddidimus. Editt. corrupte, *in alpe Graia.* Freinshemius.

Rhæticis jugis] Vulgo *Grisonum Alpes.* Lupanus.

Petronium urbis procuratorem] Cujus urbis? imo totius Noriei procura-

tor erat, non unius alicujus opidi. Vertranius Maurus JCtus emendat, *urbis Præfectum*, sive *Prætorem*. Haud recte: quæ enim ejus partes in Norico? Ego vero aut oblita ea voce scripserim, *Petronium procuratorem*, aut mutata, *Petronium ibi procuratorem*. Vetus quidem lectio *urbi* habet: quod depravatum facile ex *ubi* vel *ibi*. Lipsius.

Petronium urbis procuratorem] Lego, *præfectum*: licet alius *prætorem* legere possit, ex iis literis, quæ primo positæ sunt, *pr*. Alterutrum certe probabilius est multo, quam si *urbis procurator*, cujus nemo præterea, quod sciam, mentionem fecit, ex hoc uno loco asseratur in Rom. rep. Neque vero intra urbem fuere tributa, quæ procuratores exigerent: quod si ærario populi vindicandum quidpiam erat, Quæstorum ab ærario, præfectorumve muneris fuit. *Vertranius*. Castigationes vulgatis de via decedant. *Urbs κυρίως* quæ muris cingitur. Lib. II. D D. de verb. signif. 'Urbis appellatio muris finitur.' *Civitas* pro gente Cæs. l. VII. Gall. 'procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam prope totius Galliæ urbem, quæ et præsidio et ornamento sit civitati, suis manibus succendere cogerentur.' Sic Q. Sanga in cujus tutela Allobroges, dicitur patronus *civitatis*: Sallust. Cat. 'itaque Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio plurimum civitas, utebatur.' Cæsar adstipulat, Gall. c. 2. 'et civitati persuasit.' Nec dissentit Velleius l. I. 'quæ nunc Thessalia appellatur, antea Myrmidonum civitas vocitata:' quibus noster consonat Hist. III. 'Principes Sarmatarum Iazigum penes quos civitatis regimen.' At ii sæpe utrumque Istri ripam incoluere. Strab. l. VII. *μεθ' οὓς οἱ Ἰάζυγες Σαρμάται*, &c. *τούτους φασὶ καὶ παρὰ τὸν Ἴστρον οἰκεῖν ἐφ' ἑκάτερα πολλάκις*. Et mirum est, nisi Norici arripuere consilium, quod Ionibus Thales olim dedit: *ὃς ἐκέλευσεν ἓν βουλευτήριον Ἰώνας ἐκτᾶσθαι· τὸ δὲ εἶναι ἐν Τέῳ* (*Τεῖον γὰρ μέσον εἶναι Ἰωνίης*), *τὰς δὲ πόλεας οἰκεομένας μηδὲν ἧσσον νομίζεσθαι, καθάπερ οἱ δῆμοι εἶεν*. At Cornelio *urbs* abusive usurpatur pro civitate, nec sine exemplo: Græci enim utrumque significatum nomine *πόλεως* amplectuntur. Thucyd. l. I. *Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις* i. *Epidamnum est urbs*. Alibi *πόλεως κατὰ κώμας τῷ παλαιῷ τῆς Ἑλλάδος τρόπῳ οἰκειούσης*: i. *civitate antiquo Græcorum more vicatim habitata*. Dicamus igitur *procuratorem urbis*, id est, totius Norici, quæ gens per procuratores administrabatur. 'Duæ Mauretaniæ, Rhætia, Noricum, Thracia, et quæ aliæ procuratoribus cohibentur.' Vel, *procuratorem urbis*, non Cæsaris, Nero enim sic Patres affatus est. Ann. l. XIII. 'consulum tribunalibus Italia, et publicæ provinciæ assisterent, se mandatis exercitibus consulturum.' *Salinerius*. Alter Ms. habet, *urbi*, quod magis firmat Lipsii correctionem, *ibi*, quæ apud me indubia. Aliquid simile lib. seq. 'trierarchum Liburnicarum ibi navium.' *Pichena*. Altius quoddam vitium metuo, credamque potius ibi latere cognomen hominis, ut forte fuerit *Petronium Urbicum*: cognomine aliis quoque familiis usurpato. Sic commentator Frontini de agrorum qualitatibus *Aggeni Urbici nomine* noscitur: nisi forte rectius *Adginnius* scribatur, ut in inscriptione apud Gruterum pag. 13. n. 15. ADGINNIVS VRBICI FIL. *Freinshemius*.

Simul ac reputans] Particulam *ac* delevimus. *Rhenanus*.

In cætera victoriæ præmia cessuros] Scripsimus, *accessuros*. Rhenanus. Man. *cessuros*, ceteris fere omnibus consentientibus. Vulgo, *accessuros*. Pichena. Legendum arbitratus, *in ceteræ victoriæ præmia*: cum esset, *in cetera vict. præmia*: haud quaquam probe. Sensus enim est: Noricos

parum momenti ad rerum summam adferre, sed accessionem fore cetcræ victoriæ, hoc est, ei qui alibi reliquis locis victoriam obtinuisset. *Cetera victoria*, sicut *ceterus orbis*. Infra Agric. 17. 'et ceterum mare.' Supra II. 24. *Freinshem.*

Accessuros] Covarruviæ liber et priscæ editiones, *cessuros*. Lipsius.

Subsignanum militem et grave legionum agmen] Lipsius de mil. Rom. II. dial. 2. de Velitibus loquens, ait, ab iis secerni subsignanos milites. Sed quod genus militum subsignani fuerint, neque ipse docet, et ego dubito. Legionarii non erant, &c.* leviores et expeditiores. De iis multa dixi ad l. I. Ann. *Subsignanorum* etiam meminit Amm. Marcell. l. XXIX. 'hos vero subsignanos milites debuisse lenius corrigi, ad unum prolapsos errorem.' *Pichena.*

Hibernis adhuc nivibus traduxit] Sic verba ordinavimus. *Rhenanus.* Vulgo, *nivibus:* at, *Alpibus* scripsi, manuscripti auctoritate, et aliorum, teste Lipsio, qui probat, exemplisque confirmat. *Pichena.* Sic solum editio Veneta prior illa *hib. adhuc Alpibus*, quod jam sine controversia restituendum Tacito, ejecta voce altera, quæ jam centum annis, injusta insestrix possessionis alteræ. *Gruterus.*

Cap. 71. *Acciri in Capitolium jubet*] Proximo post Galbæ cædem die, ut testatur Plutarch. *Savill.*

Exemplum ultro imputavit] Non videtur esse mala lectio, quanquam nos *impetravit* scripsimus, secuti fidem libri vetustioris. Et sequitur: 'Nec Otho quasi ignosceret.' *Rhenan.* * indignatione excipiendum. Non me latet, aliud Plutarchum tradere in principio Othonis: 'Otho jussit ad se adduci Marium Celsum, quem complexum amice compellavit, ut potius, quod fecisset, oblivioni traderet, quam datæ veniæ meminisset,' &c. Sed hujus vitii gratiam ei facimus, quod contraxit ex loco Taciti hic perperam intellecto, cum in longe facilioribus apud Cæsarem, quo minus laberetur, præcavere non potuerit. Sed ut ad exempla redeamus. Hist. II. 'proditionem ultro imputabant.' Hist. V. eodem sensu: 'Potuisse tunc opprimi legiones, et voluisse Germanos, sed dolo a se flexos imputavit Civilis.' Utroque loco significat Tacitus hostium commodo partes suas prodidisse: 'Unde metus et ex metu consilium, posse imputari Vespasiano, quæ apud Vitellium excusanda erant;' id est: beneficium in Vespasianum esse, quicquid accusare Vitellius potuit. Hist. IV. 'Ambiguam fortunam belli Vespasiano imputaturos;' id est: quod infelice belli eventu, et a suis partibus fortuna, pro Vespasiano stetissent, sin ipsi victores evasissent, non adigendos ad reddendam prosperi successus rationem. Hist. III. 'Imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere:' id est, reip. beneficii loco annumerare non possunt, quasi publico Patriæ bono id præstitissent, qui prius per rebellionem a Galba Imperatore bono descivissent ad Vitellium aut Othonem. De morib. Germ. 'Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur:' id est, nec ea, quæ conferunt, in partem ullam beneficii deputant, nec iis quæ accipiunt, inest aliquod redhostimenti vinculum. Neque usus verbi *imputare* istius ævi auribus adeo insolens erat. Sueton. Tib. 53. 'Imputavit etiam quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit.' Plin. ep. VIII. 21. 'Recitavi biduo, hoc assensus audientium exegit, et tamen ut alii transeunt quædam, imputantque quod transeunt.' Utroque loco *imputare* pro beneficii loco numerare. Sumitur quoque pro maleficii loco numerare et vitio vertere. Hist. II. 'Vitellio initium belli nemo imputabat,' id est: nemo id illi vitio vertebat. Hist. III. 'Casum Cremonæ

bello imputandum;' in vita Agric. 'Approbate Reip. nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli, aut causas debellandi.' Et sic in aliis scriptoribus, quos ista tulit ætas, ut Seneca, Lucano, Statio, Martiale, &c. obvia in utrumque sensum significatio istius vocis est. *Savillius.* An ut fidus Galbæ fuit, eodem exemplo se Othoni futurum ait? potius credo, ipsum Othoni imputasse exemplum servatæ ab eo erga Neronem fidei. *Pichena.* Ipsius Othonis interesse, ut fidos ministros habeat Imperator; ejus rei exemplum sè dedisse, qui Galbæ, imperatori suo, fidus fuisset. Ex hac mente magni reges ducesque fidem etiam in hoste coluerunt: ut Ptolemæus, cujus exemplum Lipsius in monitis Politicis cap. 13. refert, qui Andronicum, fidum Demetrio, eam ob caussam honore et præmiis adfecit: quale de Antonio etiam, atque Solimanno Turca ibidem reperias. Huc respicit istud Eumenis apud Justin. XIV. 1. dum milites persuadere nititur epistolas, quibus interfectori ejus præmia promittebantur, ab se ipso jactatas fuisse; ut animos suorum experiretur; qua in opinione ut magis eos confirmaret, subjicit: 'nec quemquam ducum sic velle vincere, ut ipse in se exemplum pessimum statuat.' Addo simillimam Ciceronis mentem, ex illis epist. penult. l. XI. famil. 'Sed non vereor, &c. ne etiam ii, qui me non amant, propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei quam sui similes amicos habere:' et Plinii epist. III. 9. 'Fides in præsentia eos, quibus resistit, offendit: deinde ab illis ipsis suspicitur, laudaturque.' *Freinshem.*

Nec Otho quasi ignosceret] Frons aliqua sententiæ appareat: sed si excutias, vanæ et falsæ. Censeo emendandum: *sed nec hostis metu, reconciliationi se adhiberet.* Duo videlicet, cum Celsum sibi jungeret, Otho cavit. Ne aut ignoscere videretur, ut in vero magnoque crimine: aut ne hostis, id est, Vitellii metu, adscisceret sibi virum nobilem et fortem. Itaque nec obnoxium habere eum voluit, nec suspensum: sed statim assumpsit inter intimos amicos. Plutarchus comitatem hanc ita narrat: *Κελεύσας Μάριον Κέλσον ἀχθῆναι πρὸς αὐτὸν, ἠσπάσατο καὶ διελέχθη φιλανθρώπως, καὶ παρεκάλεσε τῆς αἰτίας ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον, ἢ τῆς ἀφέσεως μνημονεύειν: Jubens Marium Celsum ad se adduci, amplexus est virum, et benigne allocutus monuit, ut caussæ magis oblivisceretur, quam veniæ meminisset.* Hæc talia acumina frustra multis verbis approbem iis qui non tales. *Lipsius.*

Metum reconciliationis adhiberet] Volumen Budense habet, *metum reconcioni adnivens, statim intra intimos amicos habuit.* Rhenanus. Magis placeret, *inter intimos, &c.* Ursinus. Muret. *inter.* Sed loco huic non melius Lipsii emendatione factum, pejus potius. Sententia, quam ille vult, nec elici ex ipsis verbis Taciti ita emendatis potest, et est prorsus a Taciti et Othonis mente aliena. Otho nolebat videri ignoscere? cur igitur inter amicos intimos assumebat? assumebat hercle vero ea causa, ut quanquam ex animo non ignosceret, fidem ei tamen faceret, se ignoscere. Deinde quid ad rem, Vitellii metu an contemptu sibi Celsum adjungere videretur? Omnino fatendum est, nihil sani in hac correctione. Non multo plus, aut tantundem in Mureti, qui notaverat: *Sed ne hostis metum reconciliationis amitteret:* quod ego quidem, quo sensu dicatur, non assequor. Nostra conjectura unius litterulæ detractione clarissimam et verissimam sententiam exhibebit. Lego, *Nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostis metum reconciliationi exhiberet.* Recepit, inquit, Celsum statim inter intimos amicos, non tanquam, vel quod (id enim hic valet *quasi*) revera ei ignosceret, sed ne in hac reconci-

liatione metum ei facerct, imo ut metum omnem demeret hostilis adhuc in ipsum animi, id enim est *hostis* in generandi casu. *Acidul.* De mendo suspicor: nam Ms. corrupte, *sed ne hostes metueret conciliationis adhibens.* Sed utcunque ex vulgata lectione hujusmodi sensum elicio: Otho statim intra intimos amicos Celsum habuit: non quasi illi ignosccret, cum is nullo crimine teneri propter fidem Galbæ servatam prætenderet: sed ne, ut hostis Othonianarum partium, si in nullo aut modico honore haberetur, in metum reconciliationis incideret, id est, reconciliationem fidam sinceramque non fuisse suspicaretur, immo ad se decipiendum, ac propterea suspenso animo ageret. *Pichena.* Acute scripta, sed non corrupta, ut opinatus est doctiss. vir. Ludos Cornelius facit et aperit fictam Othonis clementiam, de qua superius: ‘ clementiæ titulus e viro claro et partibus inviso petebatur.’ Atque Celsum inter amicos Othonis non clementia statim receptum, sed metu, ne is, Vitellii nomine indies invalescente, crederet tunc id factum, non quod ex animo sibi ignosceretur, sed partium timore: et hoc pacto nullas Othoni gratias haberet. Placet attamen (nec iuficior) acumen sententiæ doctiss. viri, nempe: Cui magna crimina missa fiunt, is ignoscenti nunquam æquus est. Quod a Q. Curtio quoque scriptum legimus: lib. VI. ‘ Utinam in principio quoque hujus rei nobiscum deliberasses: suasissemus, si Philotæ velles ignoscere, paterere potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quam usque ad mortis metum adductum cogeres de periculo suo, quam de tuo beneficio, cogitare. Et, quædam beneficia odimus, meruisse mortem confiteri pudet. Superest, ut maliut videri accepisse injuriam, quam vitam.’ *Sulincr.* Levissima mutatione veram mentem redux. isse Socero meo visus sum, pro *hostis*, legendo *hosti:* hoc sensu. Otho revera hac intentione tam facilis erga Celsum fuit, ut illustri clementiæ et moderationis exemplo, hostem etiam, Vitellium, eo facilius inliceret: hoc enim cum maxime agebat, ut patet ex seq. c. 74. Ergo ne metum hujus, quam offerebat, reconciliationis adhiberet, si Celsum durius tractavisset, omnino ista lenitate utendum esse vidit. Porro ne quem sermonis insolentia terreat, *adhibere metum* non aliter hic dicitur, quam supra XIII. 18. ‘ necessitas adhibita;’ et I. 23. ‘ adhibiti cruciatus.’ *Freinshem.*

Fides integru et infelix] Vana sententiola, et contra historiæ fidem, quamdiu *infelix* legetur. Contra vero legendum, *felix:* hoc enim vult fataliter, etiam pro Othone, fidem ei integram fuisse, nec infeliciter cessisse apud Vitellium, prorsus ut pro Galba constans in fide, et id apud Othonem impune fuerat. Probat eventus, qui l. II. sic Tacito breviter narratus: ‘ Mario Celso consulatus servatur. Sed creditum fama, objectumque atrox in Senatu Cæcilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi, voluisset,’ &c. *Acidal.*

Læta pro moribus civitatis] Emendavi meum secutus judicium, *Læta primoribus civitatis:* nam sequitur, ‘ celebrata in vulgus Celsi laus.’ *Rhenan.*

Celebrata in vulgus Celsi laus] Ita vulgata: nec male: nam Celsus laudatus est propter magnanimum responsum: ‘ Celsus constanter servatæ erga Galbam fidei crimen confessus, exemplum ultro imputavit:’ de quo Plutarch. in Othon. τοῦ δὲ Κέλσου μήτ' ἀγεννῶς, μήτ' ἀναισθήτως, ἀλλὰ φήσαντος, αὐτοῦ τοῦ τρόπου δίδοναι τὸ ἔγκλημα πίστιν: i. *Celsus autem non demisse, neque stupide, sed crimen dixit sui moris imprimis fidem fuccre.* Salin.

Eamdem virtutem admirantibus] Est vera et notabilis guomc: atque eadem

in Livii l. v. de Camillo: ‘Sed severitate imperii victi, eamdem virtutem et oderant, et mirabantur.’ *Lipsius.*

Cap. 72. *Sophonius Tigillinus*] * Principis anteibat.’ Rursus, ‘Poppæa et Tigellino coram, quod erat sævienti principi intimum consiliorum.’ Ann. xiv. 57. describitur ut omnium calamitatum isto tempore auctor. Prorsus tam malo domino dignus minister, et indignus quem Galba protegeret. *Savillius.*

Qua velocius erat] Magis placet, quam *quia*, ut habent vulgatæ editt. *Ursin.* Cum Mureto legerim et distinxerim, *qua velocius erat, vitiis adeptus.* Id est, Qua ratione tum citius et facilius ad honores perveniebatur: quæ via tum compendiaria ad dignitatem erat. *Acidal.*

Virilia scelera] Turbat magis Muretus *et* copulam delendo: quasi tandem avaritia virile scelus, aut plane scelus sit. Trajecta vox *avaritiam:* quod si non sensus argueret, structura saltem innueret. Quia enim ait, *crudelitatem mox*, necesse est aliud quid præcessisse, quod primo. Itaque traduco has voces; et sic lego, *avaritiam, mox deinde crudelitatem, et virilia scelera exercuit.* Turbellæ causa illud *mox deinde* fuit fortasse, quod disjungi debere, et diversis membris accommodari aliquis plus nimio acutus censuit. At jungitur ita sæpe, nec exemplis opus. Si quis tamen malit divelli, non incommode sic etiam scripserit: *avaritiam, crudelitatem mox, deinde et virilia scelera exercuit.* Acidal.

Ac proditor] Hæc non comparent in edit. illa Rom. et vero si item abfuerit Vaticano, nihil certius quam esse a manu aliena. *Gruter.*

Mutationem pavens] Duæ voces fere vacant, tanquam ortæ a librariis. *Gruter.*

Præparat: unde nulla innocentiæ cura] Non mutant libri, nisi quod, *vices impunitatis*, habent. Totum locum lego: *privatam gratiam præparatum it: nulla innocentiæ cura, sed vice suæ impunitatis.* Palmerii etiam conjectura haud improba: *privatam gratiam præparat undeunde: nulla, &c. Undeunde* Latinis valet ὁποθενοῦν. Quod autem ad sententiam, pulchra est, et usu sæpius probata. Ita Dio notat, &c. * *Lipsius.*

Gratiam præparat. Unde nulla innocentiæ cura] Malim, *præparat alicunde, nulla innocentiæ cura.* Rhenan. Danesius illud *unde* mutabat in *aliunde*, et sic legebat: *Aliunde nulla innocentiæ cura.* Ursin. Mihi integer videtur locus. Intelligo enim, *unde*, id est, postquam privatam gratiam præparaverit, nulla jam innocentiæ cura, sed vitæ (id est, scelerum ac vitiorum) impunitatis. *Pichena.* Conjiciat alius, alius castiget, me juvat solitum obtinere. Τὸ *unde*, id est, qua de re. Sie paulo ante, ‘postremo ejusdem desertor ac proditor; unde non alium pertinacius ad pœnam flagitavere.’ Quia (inquit noster ex facto Tigellini sententiam concinnans generalem) pessimus quisque gratia privata sibi cavet adversus odium publicum, clarum est ei innocentiam cordi non esse, sed vices tantum impunitatis. Quod si nimis abrupta videntur, leviter sic emenda: *Unde nulla innocentia curæ.* Τὸ *nulla* pro non, ut *nullus feceris.* Saliner.

Sed vices impunitatis] Enorme mendum est: castigavi, *sed vitæ impunitatis.* Rhenan. Lipsius, *vice impunitatis*, pro *caussa impunitatis:* quis unquam ita locutus? Nec Palmerii mutatio satis apta: nisi alii aptiorem excogitent, ego cum Mureto statuerim prorsus ejiciendam utramque vocem, *unde* et *vitæ.* Quæ cum absunt, nihil in sententiæ, nihil in sermonis integritate desideres. *Acidal.* Mirum est non revocari a quoquam primigeniam calamo exaratorum scripturam, adhuc etiam vetustiss. edit. *sed vices impunitatis:* primum ejecta

est a Rhenano subjectaque isthæc spuria; perperam. Vult enim auctor hos diffidentes exercere humanitatem, non quod innocentibus bene velint; sed ut per hosce impune aufcrant ante delicta. Qui *innocentium* Tigellini personæ accommodant, lucem poscunt a tenebris, virtutem a vitio. Similis locutio restat apud nostrum Ann. VI. 35. ‘Modo equestris prælii more, frontis et tergi vices,’ &c. qui locus injuste item perielitatur. *Gruterus.* Mendosam esse scripturam, notatam et aliis. Ego sic sanem: *unde nulla innocentiæ cura, sed vitia et impunitates.* Quia, inquit, pessimus quisque adversus publicum odium gratiam sibi T. Vinii parat, inde factum, ut nulla cura esset faciendi officium, sed et vitia regnarent et iis comes esset impunitas. *Grotius.* Reduximus lectionem, quam libris suis haberi testatur Lipsius: alii *vitæ impunitatis:* unde variæ variorum conjecturæ. Nos libris libenter adhæremus, ubi probam sententiam fovent, ut hic: nam ait Tigellinum servasse Vinii filiam, ut si Galba rerum potiretur, in Vinii gratia potentiaque præsidium haberet; idque ita solere pessimos: inde nullam fere innocentiæ curam esse reliquam, sed *vices impunitatis*, ut hoc quasi pro fœdere habeatur, et ab alio servati, vicissim enm servent: atque etiam faeinorum in alios exercitorum securitatem impunitatemque præstent. Ita supra XIII. 20. Nero suspectum habet Burrhum, ‘tamquam Agrippinæ gratia provectum, et vicem reddentem.’ Pertinet ad hunc locum Justin. XI. 12. ubi Alexander negat ‘a se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quæreret.’ *Freinshem.* Vix habent hic *vices* locum. Agitur tantum de effugio in futurum. Lege, *sed vitæ et impunitatis.* Nemo, inquit, de innocenter agenda vita cogitabat, sed tantum de ea quavis ratione conservanda. *Impunitas* et *vita* hic distinguuntur pro ratione diversa pœnarum, quarum aliæ capitales sunt, ut mors, aliæ non capitales, ut exilium, infamia et aliæ ejusmodi, tunc temporis frequentissimæ. *Boxhorn.*

In circum ac theatra effusi] Ferme ridiculum est heic, quod quidam adponit; ideo sapienter circo et theatris absterreri Lucillium a Seneca Epist. 8. Versantes enim iis locis semper aliquid fere haurire vitiorum, inquinarique cum vulgo ambitione, luxuria, libidine. Quin ab eo exspectabam, ostenderet, iis locis populum quidvis a principe et poscere solitum sæpius, et sæpius impetrare: quod ipsum ostendi pluribus classicorum auctorum monumentis: quorum fundi Sueton. Aug. 67. Tib. 47. Cal. 30. Tit. 18. Dom. 13. Plinius Natural. hist. Josephus, Herodianus, Spartianus, Appianus, Cassius, aliique. *Grut.*

Sinuessanas aquas] Male vulgo, *Suessanas.* Libri scripti docent, et Plutarchus in hac ipsa re: Ἐπεμψεν οὖν ἐπ' αὐτὸν ὁ Ὄθων εἰς τοὺς περὶ Σινόεσσαν ἀγρούς. *Lipsius.*

Sinuessanas] Sinuessa, locus frequentari solitus et firmandæ sanitatis et voluptatis gratia. Ann. XII. ‘refovendisque viribus mollitie cœli et salubritate aquarum Sinuessam pergit.’ *Savill.*

Vitam fœdavit exitu sero et inhonesto] Quidam emendat, *exitu misero, &c.* Inepte. Notat Tacitus, deformes illas moras, quas paulo ante mortem fecerat Tigellinus. Plutarch. de ipso: ἐδεήθη δὲ ὑπομεῖναι ἕως ἂν ἀποξύρηται τὸ γένειον, καὶ λαβὼν αὐτὸς ἑαυτὸν ἐλαιμοτόμησεν. Licet etiam intelligamus exsilium Tigellini, quod ἐσχάτην τιμωρίαν merito interpretantur apud eundem Plutarchum οἱ σωφρονοῦντες. *Colerus.*

CAP. 73. *Calvia Crispilina*] Budense exemplar, *Galvia Crispinilla.* Rhenan.

Famem populi Rom.] Malim, *populo Rom.* Acidal.

Consulari matrimonio innixa] Ms. *subnixa.* Sed vulgatam prætuli. *Pichena.* Ego fere alterum, quod sensu prægnantius: nam *subnixa* dicit pro superba, elata. Ut apud Silium Varro, 'Subnixus rapto plebeii muneris ostro.' *Gronov.*

Potens pecunia et orbitate] * Alii Germanorum mores, 'Nulla orbitatis pretia, sed quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratiosior senectus.' *Savilius.*

Quæ bonis malisque temporibus valent] Ablativus, *temporibus*, non est in libro Regio. Expone, *quæ bonis malisque*, subaud. *hominibus, juxta valent*, in dandi casu. *Rhenan.*

CAP. 74. *Crebræ*] Sueton. Oth. 8. 'Otho per internuntios et literas consortem imperii generumque se Vitellio obtulit.' *Savil.*

Muliebribus blanditiis] Nos, *blandimentis.* Rhenan.

Offerebantur, pecuniam et gratiam] Scripsimus, erasa hypostigme, *offerebant pecuniam et gratiam.* Rhenan. Similes conditiones per Flavium Sabinum nomine Vespasiani oblatas non rejecit Vitellius quantum in se fuit, sed pacta evertere amici ejus Hist. III. *Savil.* Tacitus scripsit: *epistolæ. Offerebat pecuniam.* Pichena.

Paria Vitellius ostendebat, primo mollius] Codex regis Matthiæ, *paria Vitellius ostendebat. Vocontiorum primo mollius.* Nescio quid sibi hic velit *Vocontiorum* vocabulum. Forte leg. *Vacationem primo mollius, stulta utrinque et indecora simulatione:* subaudi *accepere.* Nam ex verbis istis appareret utrumque non abhorruisse a vacatione, si cum dignitate contigisset. Sed simulatio ea erat. *Rhenan.*

Increpabant ultro] Posset etiam legi, *Increpabat ultro.* Subaudi Fab. Valens. *Rhenan.*

Tanto ante] Majora verba quam pro re. Nam intervallum sane, inter Vitellii Othonisque imperium, exiguum. Jurarunt enim Germanici exercitus in Vitellii nomen Kalendis Januariis: at postridie Idus Galba cæsus, et Princeps factus Otho. Ita pauci dies interfuerunt, et aut militum aut Taciti adsertio non usquequaque cauta. *Lipsius.*

Traditum Vitellio imperium] Vitellius enim Imperator salutatus 2. Januarii, Otho 15. die. *Savil.*

Ad Othonem vertissent] Et hic *vertissent* usurpat absolute. *Rhenan.*

CAP. 75. *Ut bello impares, in pace nihil amissuri*] Lege, *ita pace.* Acidal.

Neque ideo Prætorianorum] Hæc adeo a prioribus divulserant, ut etiam novum inde Caput ordirentur: cum tamen tam præcedentibus, necessario cohæreant, quam a sequentibus, quibus conjungebantur, sint alienissima. *Freinshemius.*

Ad Tucianum fratrem] Scripsimus, *Titianum.* Salvius Titianus vocabatur. *Rhenanus.*

Et stetit domus utraque sub Othone] Tu vero interpunge: *stetit domus utraque: sub Othone incertum an metu.* Lipsius.

CAP. 76. *Julius Cordus*] Existimo castigatiorem lectionem esse *Manilius Cordus.* Extat Bononiæ post Petronii fanum tumulus in hæc verba: Q. MANILIO. C. F. CORDO. TR. LEG. XXI. RAPAC. PRÆF. EQUIT. EXACT. TRIBVT. CIVITAT. GALL. FAC. CVR. CER. LIB. IN. AGR. P. XLIX. IN. FRO. P. XLIX. *Alciatus.*

Omnesque versæ in Orientem] Credo germanum esse: aliquot tamen libri, *omnesque versus Orientem.* Lipsius.

Omnesque versæ in orientem provinciæ] Florent. corrupte, *versam in Orientem.* Alter Man. non male, *versus Orientem.* Sed nihil muto. *Pichena.*

Vipsanii Aproniani] Fragmentum fratrum Arvalium: 'Adfuerunt. A. Vitellius. M. Aponius. Saturninus. L. Salvius. Otho. Titianus. Sulpicius. Camerinus. C. Vipstanus. Apronia-

nus.' Iterum: 'Adstantibus. Sulpicio. Camerino. Magistro. L. Salvio. Othone. Titiano. C. Vipstano. Aproniano.' Et sæpius. *Gronovius.*

Nam in malis temporibus] Malim, *is malis temporum*: quod magis ad sententiam, si recte perscrutaris: etsi parum in ea mutat. *Acidalius.* Vera lectio, ni fallor, *Nam et hi malis temporibus partem se reip. faciunt*, a Flor. indicata, qui habet; *Nam et in malis, &c. faciunt.* Vulgo minus apte; *nam et in malis, &c. fecerat.* Pichena. Vaticanus non abit a membranis Florentinis, ut tuto liceat amplecti emendationem amicissimi mei Pichenæ: tanquam perstringat totum ordinem libertorum, cui nullus in rep. locus ævo castiori, ut vel ex Plinio uno ad Trajanum cognitissimum. *Gruterus.*

Partem se reip. fecerat] Melius et aptius erit, *participem se.* Vertranius.

CAP. 77. *Otho ut in pace multa*] Quod monui sæpius, profecto in distinctione sæpissime peccatum est, quomodo et hic: nam si hæc a præcedentib. sejungas, auctoris mentem haud ceperis. Caput igitur inchoandum putem inde: *Sic distractis, &c.* eoque modo intelligetur oppositio atque comparatio, quam instituit: 'Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam bello opus erat: Otho ut in multa pace munia imperii obibat.' *Freinshemius.*

Et præsenti usu properando] Correximus, *ex præsenti usu properando.* Rhenanus. Perspicua sententia, nescio an proba, mihi quidem multo verius legi videatur, *ex præsenti usu probanda:* quam sententiam post enumerationem gestorum Othonis statim repetit: 'Inter quæ necessitate præsentium rerum et instantibus curis excusata,' &c. *Acidalius.*

Consul cum Titiano fratre in Kalend. Martias] Id est a XVIII. Kal. Februarii, quo die Galba occisus, usque in Kal. Martias: et hoc præcipue respexisse Tacitum credideriim, cum dixit: 'pleraque contra decus ex præsenti usu properando.' Sic lib. seq. de Vitellio: 'Ut Valenti et Cæciuæ vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum Consulatus.' Inoleverat quidem jam inde ab Augusto mos, ut plures in unum annum Consules subrogarentur, quo pluribus locus honoris esset, teste Dione l. LIII. Sed deinde per bella civilia, honores et magistratus, immane quantum a sequentibus principibus vulgati, ut pecuniis ad largitiones deficientibus, saltem dignitatibus duces ac ministros bellorum aut remunerarent, aut sibi conciliarent: et ad eam indignitatem res pervenit ævo inferiori, ut Commodo imperante, vigiuti quinque Consules in unum annum crearentur, quod in vita ejus tradit Lampridius. Sed tamen primorum tantum Consulum nomina in Fastos referebantur, iique ad differentiam ceterorum, Consules *ordinarii* appellati. Seneca de Ira III. 31. 'Dedit mihi præturam: sed Consulatum speraveram. Dedit duodecim fasces: sed non fecit ordinarium Consulem. A me numerari voluit annum: sed deest mihi ad sacerdotium.' *Pichena.*

Jungitur Verginio Pompeius Vopiscus] Vel hic locus argumento nobis sit, quam multa in monumentis veterum auctorum passim infulserint viri eruditi de suo, dum non tantum temporis sibi sumere possunt, quod attentius excutiendo loco sufficiat: nam volumen Corvini regis sic habet: *Consul cum Titiano fratre in Kalend. Martii ipse, proximos menses Verginio. Pompeius Vopiscus prætextu, &c.* Sic enim nos distinguimus. Expone, Consul cum Titiano fratre in Kal. Martii ipse Otho, in proximos menses cum Verginio Consul fuit. Pompeius Vopiscus (nomen auctoris est) subaudi, scribit, id prætextu veteris amicitiæ factum, plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Cæterum hæc lectio valde convenit brevitati

Cornelianæ. *Rhenanus.* Verum quid causæ fuerit, quod plerique datum id honori Viennensium interpretarentur, cum Virginius, Alciato vindice, Mediolanensis fuerit? Ego nihil muto ex recepta scriptione: et Pompeium Vopiscum forte Viennensem cognomine Silvanum, T. Virginio forte Rufo collegam, reor, Julium Frontinum de Aquæ ductibus assiduum secutus auctorem. *Vertranius.*

Archio Antonio] Liber Ms. *Ario Antonio.* Rhenanus.

Honoratis jam senibus] Otho, inquit, *senibus* Patrum *jam honoratis* (qui summis olim scilicet essent honoribus functi aut fungendis designati) *addidit cumulum dignitatis.* Quem illum? *pontificatus auguratusque*, quæ duo vocabula plurativi numeri accusandi casu κατ' ἐπεξήγησιν, quam appositionem vulgo vocant, adhærent, jungunturque τοῖς *dignitatis cumulum.* Justin. l. XVII. 'In eo bello Lysimachus, amissis ante variis casibus XV. liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit.' Et firmat planissime Græcus auctor: Τοῖς ἀποδεδειγμένοις ὑπὸ Νέρωνος ἡ Γάλβα πᾶσιν ἐτήρησε τὰς ὑπατείας· ἱερωσύναις δὲ τοὺς καθ' ἡλικίαν προήκοντας ἢ δόξαν ἐκόσμει. Hæc, ne quem abducat Jac. Gutherii fiducia in suo, *honoratus jam insignibus*, de jure pontif. l. I. c. 15. *Gronovius.*

Videri majestatem] * quod violasset perjurio nomen Augusti.' ibid. Granius Marcellus præter 'sinistros sermones habitos,' quod statua sua ipsius 'altius quam Cæsarum sita esset, et alia in statua, amputato capite Augusti, effigiem Tiberii indidisset,' habita compendii ratione. Lutorium Priscum Ann. III. quod Principis filio nondum exstincto, 'suprema ejus celebri carmine deflevisset, delator corripuit, indictumque reo ultimum supplicium.' Ennius ibid. quod 'Principis effigiem promiscuum ad usum argenti vertisset;' C. Silius Ann. IV. et Cremutius Cordus, Pompeia Marcina cum marito, socero, patre ac fratre Ann. VI. Titus Sabinus Ann. IV. Mamercus Scaurus Ann. VI. Petra Ann. XI. Sub Nerone Cassius quidam Ann. XVI. quod inter imagines majorum etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam *DVCI PARTIVM;* et infiniti alii ob similes nugas. Quare cum lex majestatis tam diu tam odiose fuisset exercita, visum fuit illis in veniam pronioribus, quod vere extorsio erat, crimen majestatis vocare: cujus adeo execranda erat memoria, ut bonas etiam leges in neglectum adduceret. *Savilius.*

CAP. 78. *Eademque largitione*] Nos, *eadem.* Rhenanus.

Hispaliensibus et Emeritensibus familiarum adjectiones] * descrtis coloniis. Fuerit aut hæc aut alia causa, videtur utraque et Hispalis et Emerita, imminutis colonis, novas familiarum adjectiones ab Othone impetrasse. *Savilius.* Qui olim manumittebantur, cum libertate patroni nomeu accipiebant. Sicque Terentius, poëta Comicus, Terentii Lucani domini sui nomen assumpsit: et Livius l. III. Appii Claudii libertum appellat nomine domini Marcum Claudium. Cic. ad Att. 'Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Cæsare impetravit. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.' Erat enim P. Cornelius Megæ patronus. Hoc vero fiebat, ne barbaris nominibus civitas repleretur, obscuratis et deletis Romanorum gentilitatibus. Sueton. in Claud. 'Peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, duntaxat gentilitia,' id est, quæ gentium essent Patriciarum. Romani enim nolebaut sua nomina cum exteris commnnicari: sed plebeiorum nomina poterant illis dari. Ex verbis vero Taciti colligit Fr. Connanus permissum Hispaliensibus et Emeritensibus fuisse, se in familias Romanorum inserere et

adjiccre. Id est, ut cuique eorum, qui vellet, concederetur civitas Romana: dum in alicujus civis nomen gentemque transirent, ut fecit Mega ille Siculus. At Lingonibus civitatem fuisse datam universis, ut nec familiæ adoptione, nec nominis mutatione illis opus esset. *Lupanus.* Faërnus legebat, *Hispalensibus, &c.* Ursinus. Quod Lupanus hic de mutato nomine illorum, qui manumittebantur, aut beneficio alicujus civitatem impetrabant, verum est: sed huc minime congruens; cætera nugæ et neniæ. *Gronov.*

Familiarum adjectiones] Ita solent Romani coloniarum infrequentiæ subvenire, nova familiarum aliquot adjectione. Livius l. LXIV. ‘ Postulantibus a Senatu Aquileiensium Legatis, ut colonorum numerum augeret, mille et quingentæ familiæ ex Sc. scriptæ.’ *Lipsius.*

Lingonibus universis civitatem Romanam] Vix assentior tantum beneficium ab Othone in Lingones Gallos fuisse collatum, præcipue (quantum mihi quidem constat) partibus Vitellii faventes, qui solus cum eo hanc de imperio rivalitatem exercebat. *Savilius.* * Germanico delinimentum:’ nec mirum, nam etiamdum privatus huic rei nimis studebat. ‘ Adeo animosus corruptor, ut Cocceio Proculo speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum sua pecunia emtum dono dederit.’ Eadem postea molitus est Primus. ‘ Et partes præsumsere, facta tribunis et centurionibus retinendi quæ Vitellius indulserat spe,’ &c. Hist. III. *Salinerius.*

Nova Africæ ostenta] Castigavimus, *Nova jura Cappadociæ, nova Africæ, ostentui magis, quam mansura.* Hoc vocabulum etiam usurpat l. I. ‘ Corpora extra vallum abjecta, ostentui.’ Lib. XII. ‘ Auribus decisis vivere jubet, ostentui clementiæ suæ et in nos dehonestamento.’ Lib. XV. ‘ Iturum Tiridatem ostentui gentibus, quantominus quam captivum.’ Item: ‘ In Galliam Julium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinum Montanum præfectum cohortis, &c. ostentui misit.’ *Rhenanus.*

Interque necessitate præsentium rerum et instantibus curis excusata] Codex Budensis habet, *excusatus.* Scripsi, *Inter quæ necessitate præsentium rerum et instantibus curis excusatis.* Idem.

Et fuere qui imagines Neronis præponerent] Emendavimus, *reponerent.* Rhenanus. Melius quidem, *reponerent,* ut in margine recentiorum notatum est: tamen et vulgatum verbum, *proponerent,* ferri potest, id est, conspiciendas in publico ponerent. *Pichena.* Male qui malunt, *reponerent;* neque id licebat, nisi per principem aut Senatum; ut pluribus ostendi ad Sueton. Cæs. 11. ‘ tropæa Marii de Jugurtha deque Cimbris atque Theutonis, olim a Sulla disjecta, restituentem.’ *Gruterus.* Plinius l. XXXV. 4. ‘ Princeps tabulam pictam prælii, quo Carthaginienses et Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere Curiæ Hostiliæ.’ Suetonius Caligula c. 41. ‘ Hujusmodi vectigalibus indictis neque propositis.’ *Gronovius.*

Quibusdam dicbus, populus et miles] Quibus diebus? Quinquatribus, sicuti censet Lipsius. Si hoc verum, non caussæ erat, cur Quinquatrua non nominaret Historicus. An ex compendio Scripturæ natum mendum, et scripserat Tacitus? *Quibusdam disserentibus, &c.* Ait auctor noster, ita quosdam disseruisse sive tradidisse scriptis. Quod etiam affirmat Sueton. in Oth. ‘ Nero nullum indicium recusantis dedit, imo ut quidam tradiderunt.’ Inter eos qui hoc tradiderant, fuit eximius Scriptor Cluvius Rufus: Plutarch. Κλαύδιος δὲ Ῥοῦφος εἰς Ἰβερίαν φησὶ κομισθῆναι διπλώματα. Cluvii Rufi istius meminit etiam Suet. et Plinius. *Colerus.*

Cognoscendi pudore] Malim, *agnoscendi.* Lipsius.

Vetandi metum vel cognoscendi pudorem] Liber manusc. habet, *metu.* Scripsi, *vetandi metu, vel cognoscendi pudore.* Rhenanus. Faërnus legebat, *Vetandi metu, vel agnoscendi pudore:* Ursinus. Lipsius recte, *agnoscendi.* Muretus voluisse videtur, *ipse in suspenso tenuit, vitandi metum, vel agnoscendi pudorem.* Quanquam in libro ejus notatum reperi, *vitandi metum, et agnoscendi.* Acidalius. Rectius ex Flor. *vel agnoscendi pudore,* quam vulgo, *cognoscendi.* Pichena.

Cap. 79. *Rhoxolani, Sarmatarum gens*] Rhoxolani Plinio et Ptolemæo, Rhoxani Straboni, hodie Ruteni dicti. Hi adversus Mithridatis Eupatoris duces dimicarunt. *Lupanus.*

Magna spe ad Mœsiam irruperant] Delendum *ad.* Nam sine præpositione Tacitus hæc talia semper effert. Supra: 'Vastare Gallias, et Cottianis Alpibus Italiam irrumpere.' Imo non delendum, transferendum saltem ad proxime sequ. 'Novem millia equitum:' hic, inquam, reponendum, *Ad novem, &c.* Acidalius.

Et ferocia et successa prædæ] Castigavi distinxique, *ex ferocia et successu, prædæ magis quam pugnæ intenta.* Rhenanus. Hæc transponenda: *ferocia ex successu, et prædæ magis quam, &c.* Muret. notaverat, *et ferocia et successu;* non tam bene. *Acidalius.*

Sarmatæ dispersi aut cupidine prædæ graves onere sarcinarum] Leg. traductim, *Sarmatæ dispersi cup. pr. aut graves onere sarc.* Acidalius. Ex re ipsa atque ratione lectionem restitui, sola trajectione voculæ, quæ locum deseruerat, effeceratque: *Sarmatæ dispersi: aut cupidine pr. graves, &c.* quomodo nolim scripsisse Tacitum: nec ille sane tam inepte scripserit. At si legas ut volumus, *dispersi cupidine prædæ, aut graves,* constabit sibi verissima sententia: quam aliunde firmare, ut promptum, ita supervacuum foret. *Freinshem.*

Ibi sævitia, hic miseria] Mutilus locus, aut corruptus. Mihi ex sententia videatur: *illi sævitia hiemis, hi miseria vulnerum absumpti.* Junctim enim cum prioribus legenda: et reliqui confugerunt, inquit, ad paludes: quorum alii frigoris vi, alii jam læsi, cum nemo curaret, misere tabe et pure vulnerum perierunt. *Lips.*

Hic misericordia vulnerum absumpti] Budense volumen habet, *miseria.* Reposui, *miseria vulnerum.* Rhenanus. Faërnus legebat: *Ibi sævitia vulnerum, hic misericordia absumpti, &c.* non ut in vulgatis. *Ursinus.* Impropria et parum apta videtur vox, *miseria:* mihique admodum arridet Mureti emendatio: *Ibi sævitia hiemis, et vi vulnerum absumpti;* totidem fere literis, nec dissimilibus. *Pichena.* Præstare se ait Lips. legendum, *Ibi sævitia hiemis, hic miseria vulnerum.* At ego præstabo ea geminatione nihil opus. Quorsum enim *hic,* non duobus locis, sed uno scil. *in paludibus* ait *absumptos esse.* Verior igitur Mureti emendatio singulis vestigiis et apicib. vulgatæ scripturæ insistens. *Acidalius. Miseria,* τἀλαιπωρία, dolor, cruciatus. Ter. Adelph. 'miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.' Plaut. Pers. 'Dum tunicas ponit, quanta afficitur miseria?' Pauci Sarmatarum manus Romanorum evaserunt, iisque effugium paludes ab hoste, sed non a vulneribus: quæ non fota, non curata, sed ipso frigore exacerbata, præsentem perniciem attulerunt. Assignetur itaque *sævitia* militibus Rom. ut agatur de Sarmatis, qui manus cum iis conseruerunt, quorum major pars *ibi,* id est, in acie, reliqui *hic* scil. inter paludes exstincti sunt. *Salinerius.* Optimam emendationem Mureti, Pichenæ quoque judicium sequuti, maluimus inserere textui; quam illa manifesto falsa: *ibi sævitia, hic miseria vuln.* Freinshem.

Triumphali statua] * *Consulibus, Prætoribus, Quæstoribus.* Hist. IV. 'Multo cum honore verborum Mutiano tri-

umphalia de bello civili data, sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Antonio Primo Cousularia, Cornelio Fusco, et Arrio Varo prætoria insignia.' Ann. XI. ' decreta Narcisso quæstoria insignia,' &c. *Savillius.*

Titius Julianus] In secundo et quarto lib. tantum appellatur *Tertius Julianus.* Savillius.

CAP. 80. *Septimam decimam e colonia Hostiensi*] Præpositionem *e* submovimus. Subauditur enim. *Rhenanus.* Muretus addi voluit præpositionem, *e colonia.* Acidalius. Ex Flor. addidi præpositionem *e.* Pichena.

Affectatio quietis in tumultum evaluit] Placeret, *evadit*, pro *evaluit:* nisi verbum sit a Tacito ex obscura antiquitate erutum, ut pleraque alia. *Ursinus.*

Visa inter temulentos arma] Odyss. Π. vs. 292. Μήπως οἰνωθέντες, ἔριν στήσαντες ἐν ὑμῖν, Ἀλλήλους τρώσητε. *Savillius.*

Pars ignavi et vino graves] Nos, *pars ignari, &c.* Rhenanus.

Cujuscumque motus novi cupidum] Scripsi, *cujusque motus novi cupidum.* Rhenanus. Edd. antiquissimæ *cujuscunque ;* quod ambigas sitne ab librariis, an ab auctore ipso. *Gruter.*

Severissimum centurionum] Vatic. *severissimos:* et Plutarchus ἑκατοντάρχας δύο interfectos scribit. Noster tamen etiam infra de uno tantum: ' Unus alterve perditus ac temulentus, centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet?' Itaque placeat magis hic legi, et *Severissimum centurionem,* ut proprium nomen expresserit interfecti: aut certe in altero Taciti loco, *centurionum ac tribuni,* scribendum erit. *Lipsius.*

Severissimos centurionum obtruncant] Nos, *severissimum centurionum, &c.* nam sequitur infra, ' Centurionis ac Tribuni sanguine manus imbuit.' *Rhenanus.* Ἑκατοντάρχας δύο. Plutarch. *Savillius.* Constans vetcrum Codicum lectio et Florentini et Vat. et aliorum, *severissimos Centurionum:* multo probabilior vulgata *severissimum Centurionum:* nec Lipsio adsenserim, qui, *Severissimum Centurionem,* legit, ut sit proprium nomeu interfecti. Quod autem inferius in Orat. Othon. unus tantum Centurio interfectus videatur, id miuime obstat. Dum enim indefinite ait: Ergo miles suum centurionem ac tribunum interficiet? idem est ac si dicat: Ergo milites suos centuriones ac tribunos interficieut. Nam ibi etiam sequitur, ' imperatoris sui tentorium irrumpet:' et tamen id minime acciderat; sed dixit, tanquam accidere posset. *Pichena.* Vide, cui potius credas, Tacito Romano, an Græco Plutarcho: ille etiam paulo post: ' Unus alterve perditus, ac temulentus, centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet?' hic ἑκατοντάρχας δύο. Ego (quod inter ingenuos diceudum sit) plus fidei Romanis in re Romana habeo. *Severissimum centurionum:* non proprium nomen, sed nota centurionis sævitiæ insignioris: tales enim sæpe a militibus cædebantur: ut Ann. l. I. ' Centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant,' &c. *Savil.*

Urbem ac palatium petunt] Vide Sucton. Otb. c. 8. *Savil.*

CAP. 81. *Primoribus fœminis virisque*] Ὀγδοήκοντα συγκλητικούς. Plutarch. *Savil.*

Abire propere] Καθ' ἑτέρας θύρας ἀφεὶς. Plut. *Idem.*

CAP. 83. *Neque ut animum ad virtutem*] Inserui præpositionem, *ad. Neque ut ad animum, ad virtutem cohortarer:* nam omittere solet conjunctiones. Sic hoc lib. ' Et apud Galbam, Othonem, Vitellium illæsa.' *Ad virtutem,* id est, ad fortitudinem. *Rhenanus.*

Sed veni postulaturus a vobis] Muretus trajecit, *veni: sed postulaturus, &c.* Acidalius.

Non cupiditate vel odio] Vulgo, *cupidine.* Mutavi suadentibus veterib. libris : nam Flor. syllaba minus habet, *cupidite;* Venetus clare, *cupiditate.* Non enim omnino idem, cupido, ac cupiditas, ut notum est. *Pichena.*

Aut formidine] Non recte ceperis, nisi recte sic distinxeris : *formidine periculorum : nimia pietas vestra, &c.* Acidalius.

Imus ad bellum, non omnes nuntios] Distinximus, atque emendavimus, *Imus ad bellum. Num omnes nuntios, &c.* Rhenanus. Lectio veterum edit. est, *non omnes nuntios,* quam hoc loco meliorem esse putavimus substituta; *num omnes nuntios.* Freinshemius.

Ut multa per centuriones] Liber Hispanus, *ut multa centuriones tribunosque,* omissa vocula. Verissime. Nam ea Othonis mens est, ut velit quædam imperia centurionibus tantum tribunisque indicari, non in milites spargi. Florentinus liber habet, *Multa etiam centuriones:* optime. *Lipsius.*

Ut multa etiam per centuriones] Duas istas voculas, *etiam per,* expunximus. *Rhenanus.* Lipsius in curis secundis legit, *multa etiam centuriones;* in postrema recensione illud *etiam* quoque omisit. Eamque asseverat lectionem, et hauc ejus mentem verissimam, quædam imperia Centurionib. tantum tribunisque indicanda, non in milites spargenda. Neutrum horum voluit Tacitus aut Otho, quorum ut mens non satis liqueat, una particella facit *tantum,* quæ verbo *juberi* jungenda, non vocibus *centuriones tribunosque.* Et Farnesianus liber recte *etiam,* quo recepto locum sic distinguo : *ut multa etiam Centuriones Tribunosque tantum juberi expediat.* Hic sensus enim verus, nec præter eum alius saltem probabilis. In usu et ex usu militiæ est, ut multa saltem jubeantur, non modo vulgus militum, sed Centuriones etiam ipsi ac Tribuni. Id requirunt statim sequentia : ' Si ubi jubeantur, quærere singulis licet: pereunte obsequio, etiam imperium intercidit.' Quæ cum nentra Lipsianarum emendationum recte cohærent. *Acidalius.* Flor. *ut multa etiam centuriones, &c.* eodem sensu, quem Lips. elicuit ex Hispano Codice, qui habet: *ut multa Centuriones.* Vulgati vero addunt : *per centuriones.* Pichena. Editio prima, secunda, tertia servant illud quod produxit e Flor. Pichena : *ut multa etiam Centuriones, &c.* Lectio verissima, quam cur alii mutaverint, rationem non video : eam confirmavi plurium exemplorum quasi munimentis in Suspicionum farragine. *Gruterus.*

Perditus ac temulentus] Puto, *percitus.* Nam ad instinctum quemdam et *insaniam* (ita statim) refert. *Lipsius.*

Cap. 84. *Si Vitellio et satellitibus ejus*] Homer. Iliad. A. Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες, Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ, Εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιϊν. Et cur non ab illo uberi eloquentiæ et sapientiæ fonte sit hic rivus? *Lipsius.*

Eligendi facultas detur] Forte, *colligendi;* id est, ut exercitus colligantur, aut *confligendi facultas detur:* nam regium volumen habet, *elligendi.* Rhenanus. Mire heic hæret Rhenanus, et tandem ad emendationes refugit. Sed frustra. *Eligendi facultas,* est facultas optandi atque impetrandi a Deis : Si, inquit, efficaciter quidvis nobis imprecari possent; nihil nobis aliud optent, quam nostram mentem; conferantur isthæc cum Hist. III. 10. *Gruterus.*

Quem nobis animum] Malim, *vobis.* Rhenanus. Inepte mavult Rhenanus *vobis:* id quidem sentit Otho; sed invidiæ molliendæ subticet, et se etiam aliosque ei numero includit, ut solent oratoria arte insignes. *Idem.*

Quas mentes imprecentur] Tolle hic interrogationis notam, et repone comma : neque enim in præcedentibus saltem verbis adhuc interrogationi-

vis est, sed conditionis expressio: in sequentib. illatio cum interrogatione. *Acidalius.*

Ne illas adversus Senatum voces] Scripsi, *Nec illas, &c.* Rhenanus.

Vitellius in nos ciet] Locum ab aliis fœde interpolatum e Vaticano restitui, religiose servata ejus scriptura: nisi quod *audeant* feci, ex *audiant*. Ne Germani quidem, inquit, illi barbari, quos nunc Vitellius in nos concitat, audeant ad pœnam amplissimum ordinem deposcere: nedum vos Romana suboles: non etiam spreverim scribere cum Hispano codice, *quis cum maxime:* id est, Quis comitatus maxime Vitellius in nos movet. *Lipsius.*

Quos nunc maxime Vitellius in nos ciet] *Nec, quibus cum maxime in nos ciet:* ubi dictum, *in nos ciet*, sicut, *in nos movet*. De adverbio *cum maxime* admonuimus alibi. *Rhenanus.* Lipsii correctionem ego ex Flor. prorsus confirmo: male vulgo: *quibus cum maxime:* et, *audiant*. Pichena. Apage Hispani libri lectionem, *queis cum*, pro cum quibus. Quod Lipsius tamen probare ausus est. Ne faceret, vox saltem *cum maxime* monere debebat. Hist. lib. IV. *tolerant cum maxime inopiam*. Emendavimus in Plinii epist. lib. X. insignem locum. Tac. iterum Hist. IV. 'vastatam Italiam, capi cum maxime urbem.' *Acidalius.*

Ad sanguinem et cædem reposcerent ordinem] Exemplar Matthiæ Corvini habet, *deposcerent:* malim, *deposcent*. Sane *deposcendi* verbum inprimis hic locum habet, quod exemplis astruere facillimum est. Hist. III. 'Nec minus violenter Aponium, quam Flavium, ad supplicium deposcerent.' Eod. lib. 'Victos in deditionem accipere, aut expugnare deposcunt.' *Rhenanus.* Lege, *deposcent*. Nisi tamen hæc Taciti formula est, quæ et supra in Pisonis oratione: 'Habitune et incessu, an illo muliebri ornatu, mereretur imperium?' et illic item a nobis interpolata, fortasse male. *Aeidalius.*

Vitellianarum partium perstringimus] Lege, *præstringimus:* i. hebetamus, obumbramus. At recte mox: 'perstringendos mulcendosque animos.' Hoc enim quod Persius 'mordaci radere vero.' *Gronovius.*

Domibus et tectis] Tale Augustus in Dione, oratione ad populum, lib. LVI. Ἄνθρωποι γάρ που πόλις ἐστὶν, οὐκ οἰκίαι, οὔδε στοαὶ, οὔδ' ἀγοραὶ ἀνδρῶν κεναί: *Viri enim urbs sunt, non domus, et porticus, aut fora hominum vacua.* Lipsius.

Promiscue possunt] Budensis codex, *promiscua sunt:* itemque Florentinus, in quo *promiseua sunt:* quod Hellenismo quodam retineri posse, imo debere, assentior Rhenano. Sed velim amplius, *inanima*, rescribi, paullo ante. *Idem.*

Reparari promiscue possunt] Sincerior est manuscripti codicis lectio, *reparari promiscua sunt*. Expone *promiscua sunt*, ut intercidant ac reparentur: quæ locutio Græcam constructionem redolet. *Rhenanus.* Flor. aliter; *reparari promisca sunt;* quod Rhenanus interpretatur. Animadverti etiam, et in hoc antiquissimo codice, et in altero priorum librorum, perpetuo scriptum esse, *promiseus, promisca, promiscum, promisci, &c.* Quod autem Lipsius reposuit, *inanima*, exemplo Ciceronis firmatur, qui in Verrem Act. III. ait: 'omnia muta atque inanima, tanta et tam indigna rerum atrocitate, commoverentur.' Simili modo Plin. Paneg. ad Trajanum: 'muta quidem ista et anima carentia, sentire tamen et lætari videntur.' *Pichena.* Reposuimus ex scriptura librorum Rhenano, Lipsio, Pichenæ indicata probataque. Prius editi; *promiscue possunt.* Freinsh.

Æternitas rerum et pars gentium] Emendavimus, *et pax gentium.* Rhenanus.

CAP. 85. *Ea oratio ad perstringendos*] Nos, *et oratio.* Rhenanus. Muret. *ea.* Non opus, nec probo. *Acidalius.*

Coërceri non poterant] Leg. *potue-*

rant: qui antea ne coërceri quidem potuerant, nunc fuere etiam compositi. *Idem.*

Non tamen quies urbi] Lectionem hanc et distinctionem a libris priscis non potui, quin anteferrem vulgatæ, aut conjecturis aliorum parum firmis. *Lipsius.*

Quies urbis redierat. Strepitus, &c.] Hic locus est misere corruptus; nec quicquam auxilii fuit a libro manuscr. unde mendosa verba transfusa sunt in vulgatas edit. Nos magno labore eruimus tandem germanam sinceramque lectionem. Sic autem emendavimus distinximusque, *quies urbi. Sed erat strepitus, &c.* Rhenanus.

Erat militibus] Pro *erat* supposuimus particulam *et* e codice Budensi, sicque distinximus sententiam: *Et militibus, &c. occulto habitu: et maligna cura in omnes.* Dictum autem est auferendi casu, *et maligna cura*, sicut *et militibus.* Rhenanus.

Animo vultuque conversis] Scripsimus, *Animum, vultumque conversi.* Græca figura sed Latinis quoque familiaris, poëtis videlicet atque historicis. *Rhenanus.* Muret. *animo vultuque conversi, ne diffidere dubiis, aut parum.* Sane *aut* omnino reponendum: priora cur mutet, nescio: nisi si poëticam magis quam historicam locutionem censuit. At Tacitus in eam formam alia multa. *Acidalius.* Bene Rhenanus *animum vultumque;* male *conversi:* nam alterum prorsus postulat series orationis in qua intelligitur verbum substantivum; quasi esset: *Sed plurimum trepidationis in publico erat conversis animum vultumque, ut quemque nuntium fama attulisset.* Grov.

Ac parum gaudere prosperis] Fortasse rectius esset, *aut parum gaudere.* Ursinus.

Atque eadem dicenti, nota adulatio] E Vatic. ita restituimus, voce una addita, et altera mutata, &c.* *Lipsius.*

Et Othoni eadem quæ nuper privato, dicenti adulatio, &c.] Sic videtur legendum, non ut vulgo legitur: *Et privato Othoni nuper, atque eadem dicendi adulatio.* Ursinus.

Aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes] Non cohæret sermo, ni reponas *aucto tumultu.* Grotius.

Cap. 86. *Sereno et immoto die*] Codex Budensis non habet *die.* Malim ego *cælo.* Rhenanus. Recte *die,* non *cælo,* quod magis placeret Rhenano. Nihil opus: *diem* enim pro *cælo* poni, et contra *cælum* pro *die,* multis probavi in Suspicionum centonibus; quos tandem aliquando manumittam necesse est, ne si quid me subito fiat, similis habear Bombycium telis suis misere immortuorum, quem deinde non Pamphila, sed Pamphilus aliquis curiose et evolvat, et abjiciat, filis sibi retentis; precium laboris scil. *Gruterus.* Delet Muret. *die,* me non probante. *Acidalius.*

Etiam futuri pavor] Is enim, ut ait Plinius, 'vates quodammodo intelligitur ac monitor, auctu semper religiosus.' *Lipsius.*

Subita inundatione Tiberis] Faërnus legebat, *subita inundatio Tiberis,* cum in aliis sit, *inundatione:* quod non ita placet. *Ursinus.*

Prorupto ponte sublicio] Sine dubio Tacitus scripsit, *proruto.* Gronovius.

In tabernis ex cubilibus intercepti] Castigavi, *in tabernis et cubilibus:* hoc est, in lectis. *Rhenanus.*

Fames in vulgus] Orta ex fluminis inundatione. Plutarch. πλεῖστον δὲ κατέκλυσεν ἐν ᾧ τὸν ἐπὶ πράσει διαπωλοῦσι σῖτον, ὡς δεινὴν ἀπορίαν ἡμερῶν συχνῶν κατασχεῖν: h. e. *foro frumentario maxime nocuit inundatio, ut secuta fuerit per dies complures annonæ caritas.* Savilius.

Id ipsum quod paranti expeditionem Othoni] In libro manuscripto non est dativus *Othoni,* qui subauditur elegantius: nec est illic particula *quod,* sed tantum *id ipsum;* ut queat etiam legi: *id, quoniam paranti expeditionem campus, &c.* Rhenanus.

Cap. 87. *Reliquos cæsorum*] Forte

rectius, *reliquias*. Freinsh.

In custodiam habitos] Malim, *in custodia*. Rhenanus.

In numerum legionis] Hispanus codex, *numero:* Romana editio et Florentinus, *numeros;* quod rectum hic est: intelligendique numeri militares, de quibus jam prædixi. *Lipsius.*

In numeros legionis composuerat] Ita Ms. alter: nam in Flor. sequitur respondentis folii defectus. Vulgo, *in numerum:* quod alibi etiam Lipsius correxit. *Numeri* enim sæpe pro cohortibus Tacito usurpantur. *Pichena.*

Facta et reliquis spes] Illis scil. qui navalibus operis distinebantur. *Savillius.* Vulgo, *reliquis.* Quod videtur sumptum ex superiori voce, *reliquos.* Reposui *cæteris* ex Flor. Sensus autem est: Ceteris etiam militibus, qui in ea classe erant, præter reliquos illos Galbianæ cædis, factam spem honoratioris militiæ in posterum: quo scil. libentius in eam expeditionem irent. *Pichena.* Suspicor auctorem scripsisse: *composuerat, facta et cæteris spe honoratioris in posterum militiæ.* Sic lib. III. ‘ in Vitellium ut inimicum rescripsere, facta tribunis et centurionibus retinendi, quæ Vitellius indulsisset, spe.’ *Gronovius.*

Vires et robur] A conjectura nostra est. Libri enim omnes, *e prætorianis viris, ut robur exercitus;* parum apte. *Lipsius.*

Summa expeditionis Antonio Novello] Ita emendavi: male vulgo *Novellio.* Sic lib. sequ. ‘ Antonium Novellum:’ ibique statim; ‘ Antonio Novello nulla auctoritas,’ &c. *Pichena.*

Invitatus] Vox, *Invitatus,* suspecta: quidam libri, *Imitatus;* alii, *immutatus.* Faërnus, *initio datus.* Lips.

Ad observandam honestiorum fidem initio datus] Ita Faërnus emendabat pro eo, quod est in vulgatis, *invitatus.* Ursinus. *Invitare,* eandem vim fere habet, quam, rogare: neque Imperatorem erga præfectum suum, præsertim libertum, decet: hi enim jubentur, non rogantur. Merito igitur Lipsio suspectum verbum. Man. noster adhuc corruptius, *immutatus:* forte, *immixtus,* quasi inter duces additus. *Pichena.* Prima editio, *imitatus.* Emendationibus incumbitur hinc inde, ego mallem totam vocem omnibus suis elementis eradicari, ceu supervacuam. *Gruterus.* Non comparet sententia: minus etiam deleta suspecta voce *invitatus,* quod fecerat Muretus. Nec Lipsio Delius favit: nescio, si mihi. Possit credo legi: *ad observandam, honestiorum fide invitatus.* Id est, ut fideliter curam navium ageret, fide honestiorum, et dignioris conditionis, ipse libertus invitatus. Aut potius: *in observanda, honestiorum fidem imitatus.* Ut in observanda navium cura tam fideliter se gesserit, ac si non libertus, sed honestior aliquis esset. *Acidalius.* Cur *honestiorum?* Nam inhonestiorum potius fides observanda videri possit. Imo, *honestiorum.* Nam pessimis principibus optimi sunt suspecti, ut optimis pessimi. *Observare* hic est eorum custodum, quorum jam jam meminit: ‘ Addidit classi urbanas cohortes,’ &c. Sed hæc in gratiam tyronum. At turbant hic eruditi. Omnibus suspectum τὸ *invitatus.* Cujus ego suspicionis causam certe nullam video. Vocantur alii ad dignitates, &c. * *Boxhornius.* Nihil ineptius τῷ *invitatus,* nisi forte ipsæ illius verbi defensiones. Hoc adfirmare proclive est: sed non tam facilis medicina. Suspicabar tamen, *comitatus,* vel *minister datus.* Adde Observ. II. 20. *Gronovius.*

Marius Celsus, Annius Gallus, rectores destinati] Liber Covarruviæ, *rectores constituti.* Utrumque spurium: et sententia sine eo constat. *Lipsius.*

Rectores destinati] Hispanus liber, *constituti.* Lips. utrumque spurium, et sine eo sententiam constare ait.

Est ita vero. Sed vide, si ex Hispanica lectione alia concinnari melior potest, ut cum sequentibus copuletur, in hunc modum, *rectores. Cunctis tuta, sed plurima fides, &c.* Acidalius.

Licinio Proculo] ‘ Profecto Brixellum Othone, honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum præfectum.’ Hist. Tac. II. *Savilius.*

Cap. 88. *Secum expedire jubet*] *Expedire* pro in bellum accingi; absolute. *Rhenanus.* Faërnus legebat, *expeditos ire*, sive, *expediri*, si magis ita placeret. *Ursinus.*

Mota urbis cura] Scripsi *motæ.* Rhenanus. Editiones vett. *mota urbis cura*, quod ignoro cur mutaverint. Dictum est sexto casu, ut in illa oratione supra VI. 17. ‘ commoto simul omnium ære alieno, inopia rei nummariæ.’ *Freinsh.*

Sapientibus quietis a Reip. cura] Castigavi, *Sapientib. quietis et Reip. cura.* Rhenanus.

Multi afflicta fide in pace] Reposuimus, *Multis afflicta fides.* Afflictam fidem hic dicit quam Hist. lib. III. vocat *affectam*, hoc est, collabefactam deminutamque. *Rhenanus.* Quis crederet optimum Rhenanum tam diu impune laturum fuisse hanc mendam? Mutat olim editum, quod, etiamsi, ut ille voluit, omnes libri præferrent, ipso orationis filo postulante restituendum foret. Et profecto sic conjeceram, antequam ex notis ejus didicissem antea lectum ita fuisse. Quam bene, quæso cohærent: *Multis afflicta fides, ac alacres et tutissimi?* Præsertim si conferas: *Multi afflicta fide ac alacres et tutissimi.* Qua parte autem commodius, *Multis afflicta fides*, quam *Multi afflicta fide?* An *homo antiqua virtute et fide*, insolentius quam, *homini antiqua virtus et fides?* Redde igitur Tacito multo rotundiorem sermonem: *Multi afflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi.* Gronovius.

Cap. 89. *Secura tum urbe a provinciali bello*] Minutissimum hic erratum, nempe quod sit in *a*, perdit totum sensum. Nos, *secura tum urbe, et provinciali bello.* Subauditur *existente.* Porro provincialia bella propter longinquitatem, minus urbanæ plebi dispendiosa erant. *Rhenanus.*

Adversa reip. pertimuere] Danesius pro verbo, *pertimuere*, reponebat, *parti nocuere.* Ursinus. In altero Man. legitur, *adversar. p. pertinuere.* In aliis autem veterib. *reip. pertimuere:* quam vocem a Lipsio sublatam, ego haud temere adjectam, librorum omnium consensu, crediderim. Forte, *resp. pertimuerat.* Pichena. Libri omnes, *adversa reip. pertimuere.* Unde legendum censeo; *pacis adversa rei pertimuere:* ut notet accusatione ea tempestate frequentissimas, atque atrocissimas, quam pestem videre est ex prioribus sex Annalium libris, et esset ex sequentibus, si extarent. *Freinsh.*

Sub ducibus aliis si bellatum foret] Quid si legas, *Si ducibus aliis bellatum foret.* Rhenanus. Tac. Hist. II. ‘ quod ‘singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est.’ *Savillius.* Ex altero Man. restitui, *si ducibus aliis bellatum foret*, quod Rhenano etiam placuit. *Pichena.*

Fuere qui proficiscenti] Hinc potius incipere debebat novum caput; nam hæc a sequentibus nullo modo divelli patiuntur, sed ita distinguenda sunt: *Aspernatus omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam (et Cæcina jam Alpes trangressus exstimulabat) pridie Idus, &c.* Freinsh.

Cap. 90. *Festinata exactione*] * Itaque pro hac sententia bene Floren. et quidam libri, *festinata jampridem exactione:* addita significanter voce. *Lips.*

Sed festinata jam pridem exactione] Adverbium *jampridem* nescio quis hic infulsit: nos submovimus. *Festinata exactione*, id est, propter festinatam

exactionem. *Rhenanus.* Auctiores hic plerique libri veteres : *sed festinata jam pridem exactione.* At duplex potest esse sensus, &c. * *Pichena.* Muret. nescio unde inserit, *festinata jampridem exactione.* Nullo detrimento ea vox abest, nec magno commodo sane adest. *Acidalius.*

Galerii Trachali ingenio] Hic orator ad Domitiani tempora pervenit, sobrius et satis apertus suis, et quem velle optima crederes, auditu tamen major. ' Nam in eo vocis quantum in nullo cognovi,' inquit Quintilianus, ' et pronunciatio vel scenis suffectura, et decora omnino.' *Vertranius.*

Othonem uti, &c.] Credo illud *Othonem* ab interprete insitum glossema esse. *Acidalius.*

Ad implendas populi aures] Sic quidem editio Veneta ; at Romana prima non agnoscit vocem *populi:* neque requiritur admodum ; imo, ne requiritur quidem. *Gruterus.*

Sed ex libidine servitii, ut in familiis] Verius clariusque distinxeris, *servitii. Ut in familiis, &c.* Lipsius.

Ut in familiis] Id est, *inter servitia* opposite huic *plebem ingenuam.* Ann. IV. *Savillius.* Nec quid hæc verba sibi velint, nec quid Savilliana eorum explicatio, intelligo. Suspicabar autem : *sed ex libidine servitii et in tantis malis privata cuique stimulatio et vile decus publicum.* Sic video aliquam sententiam. Τὸ *et* accipiendum pro *etiam.* Solent adversa ex fortuna ebriis facere sobrios, et admonere decoris, atque efficere, ut privata spe neglecta in publicum consulamus. At hi adeo, inquit, adsuerant servili adulationi, ut etiam, quum cogeret nemo, et tanta imminentia civilis belli mala facile tristiores vultus excusarent, gratiam captarent privatam, nec cogitarent quid tali tempore reipublicæ deceret. Histor. II. Vitellius Neronem ' sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et sagina mancipatus emptusque.' Eodem libro, cap. 74. ex Ms. *in tanta mole,* pro *inerat a mole eruit* Pichena. *Gronov.*

HISTORIARUM LIB. II.

Cap. 1. *Quod varie ortum*] Non suspicabar de mendo, absque Vaticano fuisset ; cujus lectio diversa coëgit me acrius paullo intueri. Nam in eo, *vari aborte,* scriptum. Et hercules vulgata inepta et exsensa : quid enim est, varie ortum esse imperium Vespasiani ? Imo unus et certus illius ortus. Scribo ex vestigiis illis priscis, *quod varia sorte.* Atque ita est : imperium Vespasianorum, felix reip. et infelix, itemque ipsis Principibus fuit. *Lipsius.*

Quod varia sorte] Vulgo, *varie ortum :* ac si ea lectio constanter in libris veterib. haberetur, nihil mutavissem ; sed cum Vat. corrupte habeat, *vari aborte ;* et ex eo Lips. emendaverit, *varia sorte,* injurius tam pulchræ emendationi fuerim, nisi recepissem. *Pichena.* In Vat. *varia ab ortu.* Conjectat inde Lips. non satis feliciter. Mihi lectio proba et elegans et proxime Vaticanum : *vario abortu.* Doctiores favebunt, sat scio. *Colerus.* Emendationi Lipsianæ per

se certissimæ addam præsidium ab alio auctoris loco infra c. 95. ‘ Magna et misera civitas, eodem anno Otbonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos, varia et pudenda sorte agebat.’ *Freinshemius.* Hist. III. ‘ Varia legatorum sors fuit.’ *Gronov.*

Lætum reip. aut atrox] Exemplar Corvini regis habet, *semen reip. aut atrox.* Suspicor Tacito fuisse scriptum: *Quod varie ortum, semel reip. atrox, ipsis principib. prosperum aut exitio fuit.* Elegans est sententia de imperio Romano. Similia Cicero divinat in Pbilipp. *Rhenanus.* Lætum et prosperum, si respicias Vespasianum et Titum; atrox et odiosum, si Domitianum. *Savilius.* Danesius, cum in V. C. sit, *semen reip. aut atrox*, ex ea lectione emendabat, *semel reip. atrox.* Sed amplius de hac lectione considerandum censeo. *Ursinus.*

Causam profectionis] Joseph. ἀλώσ. IV. c. 29. addit, missum Titum, ut super Judææ rebus mandata Galbæ acciperet, ἀσπασάμενος καὶ ληψόμενος τὰς περὶ Ἰουδαίων ἐντολάς. *Savilius.*

Decoris cum quadam majestate] Scripserim, *decor oris cum q. m.* Magis id placet, quam *decor corporis.* Rhenanus.

Prosperæ Vespasiani res] Hæc duo vocabula, *Vespasiani res*, non sunt in codice Budensi: proinde cogitandum, num potius sic legendum sit, *Prospere præsaga responsa*, ut sit adverbium, *prospere.* Expone prospere præsaga, hoc est, prosperitatem præsagientia responsa. *Rhenanus.* Legendum, *præsagia, responsa*, diximus Obs. II. 20. *Gronovius.*

Loco ominum etiam fortuna] Ita videtur legendum; nam illud, *omnium*, pro, *ominum*, perturbat sententiam. *Ursinus.* Maximam injuriam se facere fortunæ non animadvertit, qui *ominum* nobis oggerit: nimis enim jus ipsius coarctat; utpote quæ juxta Plauti Pseudolum, ‘ Centum doctum hominum consilia, una devincat Dea.’ *Gruterus.* Muret. *ominum:* quod ego adhuc teneo in suspenso, propior ut non probem. *Acidalius.* Prætereunt hunc locum ut sanum omnes, cum tamen postrema illa sonum habeant sine sensu: neque dubitem legendum, *loco ominum etiam fortuita.* Quæ alias casui ascripta fuissent, rapiebantur in omen principatus Tito destinati, ex quo semel ista credulitas animos invaserat. Simile illud Ann. I. ‘ quæ casus obtulerat in sapientiam vertenda ratus:’ et Hist. IV. ‘ quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira dei vocabatur.’ *Grotius.* Cum jam ante Socer meus editis in Aug. Sneton. notis c. 12. correctionem hanc meam, *loco ominum etiam fortuita*, loco, quem ideo notavi, parallelo ex Hist. I. 86. confirmatam, probavisset, hic quoque in textum recipiendam putavit. Sic fere supra II. 84. ‘ Tiberius cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat.’ *Freinshemius.*

Offensam haud dubie victoris] Danesius legebat, *offensarum.* Sed fortasse melius legeretur, *offensam haud dubiam victoris.* Ursinus.

Et incerta adhuc victoria] Castigavi, *Sed incerta, &c.* Rhenanus.

Obliviscendum infensarum de bello agitantibus] Opinor scribendum, *offensarum.* Rhenanus. Fortasse legi posset, *infensorum.* Ursinus. Manuscr. et Vaticanus, *offensarum.* Vulgo, *infensarum.* Picbena. Vox mibi non lecta. Ponam, *infensorum*, nempe Othonis ac Vitellii: nisi quis *offensarum* ex Vaticano malit eodem sensu. *Grotius.*

CAP. 2. *Neque abhorrebat a Berenice*] Fuisse hanc forma conspicuam quodam disticho Asclepiades in ejus formam scribit, si modo de eadem sensit: nam et aliæ hoc nomine celebrantur: Κύπριδος ἄδ' εἰκών· φερ' ἰδώμεθα μὴ Βερενίκας. Διστάζω ποτέραν φῇ τις ὁμοιοτέραν: *Ambigo, an hæc Veneris sit imago, vel Berenices. Sit mage utri similis hospes amice refer.* Alciat.

Suo quam patris imperio modestior] Man. *moderatior*. Quid autem verba hæc sibi volunt? An proprio magis instinctu ac ratione quam præceptis patris? Verior sensus videtur: Suo ipsius Principatu modestiorem fuisse, quam regnante patre. *Pichena.*

Læva maris] Id est, lævas maris partes, aut læva maris littora; illa scil. maris Mediterranei loca, quæ ex Syria Corinthum petentib. ad lævam sita. *Savilius.*

Prætervectus] Man. *prævectus*. Pichena.

Audentioribus spatiis] Lege, *lentioribus spatiis*. Sic Nicetas in Andronico: ὁμαλαῖς κινήσεσι καὶ σταθμοῖς βραχέσι. *Marcil.*

Templi situm] Designatum id quidem scribentis animo, sed quominus pertractatum, fecit oblivio; nisi forte illa verba *quanquam in aperto* plenæ descriptioni sufficere putemus. Sed durior aliquanto fuerit æquis auribus illa interpretatio, cum speciatim de altaribus actum sit, et Homero distincte diserteque τέμενος commemoretur, quam βωμὸς, id est, templum et altare. *Savilius.*

Cap. 3. *Regem Aëriam*] * Alciatus hic mavult, *Uranium*. De Cinara autem, quod sequitur, Homerus, Plutarchus, Athenæus, Arnobius, aliique meminere. *Lipsius.*

Conditorem templi regem Venerarium] Id regis Deæque nomen non facile quemquam offendas, qui in promptu habeat: ipse *Uranium* lego. * sacris initiantur. Sane hujus Paphii templi fusius meminit Lucianus dialog. qui inscribitur Ἔρωτες. *Alciatus.* Liber Man. habet, *Verianum:* reponendum, *Aëriam*. Id docet Tacitus noster Ann. III. ‘ Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneri auctor Aërias.’ Huic regi filius fuit Amathus. Nam sequitur illic mox: *Post filius ejus Amathus Veneri Amathusiæ*. Rhenanus. Hanc opinionem Tacitus ipse videtur sequi Ann. III. *Savilius.* Corvinianus habet *Verianum;* alii, *Venerianum;* Alciatus mavult *Uranum*. Ego *Aëriam* non muto; est enim constanter scriptum et ab omnibus probatum. Ann. l. III. *Vertran.* Optimus Flor. (jam enim folii defectum in eo pertransivimus) habet, *Regem Verianum*. Pichena.

Quidam ipsius Deæ nomen id] Aëriæ Veneris nomen nusquam legi: Acreæ Veneris templum est in monte prope Carpasiam, cui summo nomen Olympus: quod nec adire nec videre mulieribus licet, auctor Strabo. *Ferrett.*

A Cinara sacratum templum] * Flor. *Cynira*. Sic paulo infra, *Cynirades sacerdos*. Pichena. *A Cinyra*, sic recte scribitur istud nomen, si fides Ovidii libris Metam. x. 299. aliisque fere omnibus, quibus hominis hujus mentio. Male edebatur alias *Cinara:* nam et Græcis est Κινύρας, ut Æliano in Hist. Anim. IX. 36. *Freinshem.*

Accitum e Cilicia Myram intulisse] In Ms. legitur, *accitam et cilicentam miram intulisse*. Scripsi, *accitam, et Cilicem Thamyram intulisse*. Rhenanus. De Cilicum industria, qua huc spectat, legi possunt, quæ Cicero de Divin. et alii habent. *Savilius.*

Ut quisque vovisset] Pichena ex vestigiis Florentini libri: *ut quisque vovit, sed mares*. Lipsius.

Hostiæ ut quisque vovisset, mares deliguntur] Levem correctionem intuli, a Flor. indicatam, qui habet: *ut quisque vovit s & mares, &c.* Pichena. Lege, *ut quisque vovit, sed mares deliguntur*. Acidalius.

Obfundere] Nos, *offundere*. Rhenanus.

Continuus orbis latiore initio] Tyrius Maximus: ‘ Venus a Paphiis colitur, cujus simulacrum nulli rei magis assimile, quam albæ pyramidi.’ *Lipsius.*

Cap. 4. *Cæsis plurib. hostiis*] Emendavimus, *cæsis complurib. &c.* Rhenanus.

Sostratus, sacerdotis id nomen erat] Florent. *Sacerdotii:* sed vulgata lec-

tio melior. *Pichena.*

Ad patrem] Qui tum subsistebat Cæsareæ, quæ Judææ caput. Joseph. ἁλώσ. IV. c. 29. *Savilius.*

Provectus] Castigavi, *pervectus.* Sic infra, 'Corpus insigne oculis, &c. Romam pervectum est.' *Rhenan.*

Ingens rerum fiducia] Suspicabar, *ingens rerum*, voce sequenti rejecta. Sed Pichena sagaciter sensum ernit, *ingens rerum fiducia* (sexto casu) quam ex oraculo conceperat. Audiamus. *Lipsius.*

Ingens rerum fiducia accessit] Lipsius voeem, *fiducia*, tollit; mihi omnino retinenda, cum sit præsertim in nostro antiquissimo : non enim eam primo casu, sed sexto, accipio : id est, Titum ingentem accessisse, ob fiduciam rerum ex oraculo conceptam. Locum ergo juxta hunc sensum melius, quam in vulgatis, distinxi. Sic Ann. l. XI. 'ingens gloria, atque eo ferocior.' *Pichena.* Recte Lips. qui vocem *fiducia* tollit. Muretus non recte, qui retinet, et sic distinguit, *ad patrem pervectus. Suspensis provinciar. &c.* Acidalius. Distinguendum putavi, *ingens rerum fiducia accessit:* utque apparcat Titum ipsum dici *fiduciam:* cujus vocabuli primus hic casus, non postremus ponitur. Quomodo mox seq. cap. 'præcipua concordiæ fides' vocatur. *Freinsh.* Sic Justinus l. XI. 'qui ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Persarum viribus accessere.' Et l. XIII. 'ubi et Olympia esset mater Alexandri, non mediocre momentum partium.' *Gronovius.*

Profligaverat bellum] Paullo aliter *profligandi* verbo usus, quam placuit Agellio l. XV. Noctium: qui in tota ea re vereor ut caliget. Ni ita est, barbare etiam locutus sit Augustus in Ancyrano lapide: CEPTA. PROFLIGATAQUE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI. quod exemplum rigide et ex diametro cum Agellii nota pugnat. *Lipsius.*

Vespasianus oppugnatione Hierosolymarum. Reliqua duro magis] Scripsi distinxique, *Vespasianus, oppugn. Hierosolymorum reliqua. duro m. &c.* Rhenanus.

Ob ingenium montis] Hæc Flor. lectio est, atque, ut mihi videtur, aptior vulgata, *ob ingenium gentis.* Duos enim unius montis colles, immensum editos, Hierosolymarum munimenta complectebantur, ut notum est, et Tacitus tradit infra l. V. Nec novum videatur *ingenium montis.* Nam Ann. l. VI. dixit: 'locorumque ingenio sese contra imbelles Regis copias tutabatur:' et Hist. l. I. 'ingenio loci cælique.' Apud Plinium etiam l. XIV. 1. legitur, 'ingenium soli:' et in Agell. l. XII. 1. 'ingenium lactis.' *Pichena.*

Tres, ut supra memoravimus] Hinc inchoandum esset caput, si rerum etiam capita distincte proponenda. Sed hoc plerumque arbitrarium est; et qui primi sic auctores distinxerunt, haud magnam in ea re curam posuisse videntur. Et hinc tamen aliquando tenebræ et remoræ lectionis; ergo cum eas offenderemus, sæpiuscule mutavimus. *Freinshem.*

Mucianus] Ita ubique præpotentis hujus hominis nomen scripsi. Græci suadent, qui Μουκιανὸν appellant : et lapides, in quibus C. media, non T. semper sculptum, ut in illo Romæ: L. ANNIO. FABIANO. M. NONIO. MUCIANO. COS. Multa etiam hujus mentio in Plinio, qui Licinium ei nomen addit, et titulum fere ter consulis, l. XII. 'Licinius Mucianus ter cos. et nuper Lyciæ provinciæ legatus.' Lib. XXXII. de ostreatum præstantia: 'Dicemus,' inquit, 'aliena lingua, quæque peritissima hujus ceusuræ in nostro ævo fuit. Sunt ergo Muciani verba quæ subjiciam.' Et sæpe alias: ostenditque doctum et alterum velut Mæcenatem. *Lipsius.*

Et inexpertus belli labor] Redundare vox *labor* videtur, et inculcata huc e priore versu. Legam, *et inexpertis*

belli. Ita supra: *pacis artibus, belli inexpertus.* Idem.

Et inexpertus belli labor] Malim, *ardor.* Nam omnino *labor* hic locum non habet. *Rhenan.* Danesius legebat, *ardor*, non *labor*, &c. ne repeteretur vox, *labor*, supra iterum posita. *Ursinus.* Delendam censet Lipsius vocem *labor.* Ego nihil mutarem, nec supervacua mihi repetitio illa videtur, ut mens sit: illis laborem belli, his laborem pacis, robur et vigorem addidisse. *Pichena.* Placet cum Lipsio deleri vocem *labor*, ut e linea superiore certe inculcatam: non placet scribi *inexpertis.* Lego, *integra quies et inexperta belli.* Acidal.

Cap. 5. *Ac si res posceret*] Particulam *ac* erasimus: nam Tacitus brevitatem amat. *Rhenan.*

Dispositu provisuque] Non possum hic videre, quod Savilius: *very expert in the direction and foresight of civil affaires:* quasi uno spiritu jungeret auctor; *dispositu provisuque civilium rerum peritus:* quum ille voluerit, *aptior sermone, dispositu provisuque*, junctim accipi, quæ sensum impleant absque illo, *civilium rerum peritus.* Significat enim Mucianum elegantiorem et diligentiorem fuisse in dispositione et ordine omnium, quæ ageret circaque haberet. Quale est, quod de Vespasiano Suetonius c. 21. ‘ Ordinem una fere hunc tenuit,’ &c. Plinius epist. l. II. 11. ‘ Salvius Liberalis vir subtilis, dispositus, acer, disertus.’ Noster infra: ‘ Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta.’ Adde ad Sen. de ira III. 6. Sic igitur Vespasiano dispositior, vel *aptior dispositu*, Mucianus. Idem *aptior provisu*, hoc est, magis providus et divinus et pensitator futuri, quicquid ageret. *Gronovius.*

Abolverat] Veteres omnes habent, *aboleverat;* et melius. *Pichena.*

Cap. 6. *Vario eventu*] Lego, *vano.* Acidalius.

Imperii præmia] Videtur expressisse Josephi verba, quæ extant IV. ἁλώσ. c. 36. *Savilius.*

Duæque legiones] Paullo aliter hoc olim. Nam C. Cæsar, Ægypto devicta, tres in ea legiones reliquit. Auctor Suetonius in Jul. c. 76. Augustus enm numerum retinuit, imo et Tiberius: sub quo Strabo sane vixit, et hæc scripsit l. XVII. Ἔστι δὲ (in Ægypto) *τρία τάγματα· ὧν τὸ ἓν κατὰ τὴν πόλιν ἵδρυται, τ' ἄλλα δ' ἐν τῇ χώρᾳ: Sunt tres Legiones: quarum una in urbe agit, reliquæ in ipsa regione.* Sed Tiberius tamen non in longum. Anno enim imperii ejus nono, Tacitus clare duas saltem legiones Ægypto adtribuit: uti et hic. Lib. IV. ‘ Cetera Africæ per duas legiones, parique numero Ægyptus.’ Observa ergo obiter, paullo certius de Strabonis scriptione, quam vides, enm desiisse ante hunc nonum Tiberiani imperii annum. Addo, Egesippum etiam de duabus hic legionibus assentiri Tacito, l. IV. ‘ Esse etiam illic duos ordines militarium virorum, quos sibi adjungere Vespasianus properavit.’ *Lipsius.*

Seclusum tutumque] Vatic. Flor. et Romana editio, *secundum tutumque:* quod approbo. *Idem.*

Seclusum tutumque] Aut extra iter Vitellii et Othonis potestatem situm. *Savilius.* Congruit Flor. cum Vat. in voce *secundum*, quæ a Lipsio probatur. Eam itaque reposui, pro vulgata, *seclusum.* Pichena. Lipsius alteram lectionem probat. Non possum ego, sed deleta copula distinguo, *cingitur parando interim bello seclusum, tutumque, &c.* Acidal.

Cap. 7. *Cum in victores victosque*] Rodolphus et prisca item editio, *cum victoribus victos numquam solida fide coalescere.* At totum locum libentius nunc cum Pichena legam: *exspectari belli exitum: victores victosque numquam, &c.* Lipsius.

Placuit exspectari bellum, cum in victores, &c. fides coalesceret] Volumen manuscr. habet, *fide coalescere.* Nos

sic legendum tandem deprehendimus, et distinguenda verba: *placuit expectari bellicum. Victores, &c. fide coalescere.* Ergo, qui volet, sequatur meum judicium, aut mendosa se lectione diutius oblectet. *Rhenan.* Placuit expectari belli Othoniani exitum: quoniam utrinque mota magna mole armorum pax nunquam certa erat futura victoribus et victis. *Ferrettus.* Distinguenda ex Beati judicio; *placuit expectari bellicum:* scil. ex quo sciretur, quam in partem inclinaret victoria, &c. *Vertranius.* Danesius sic legebat; *pl. exp. bellicum: victores, &c. fides coalescere.* Ursin. Hæc mihi valde suspecta, neque scio an satis apte dicatur, *expectare bellum, aliis bellantibus.* Flor. nihil mutat, nisi quod habet: *solida fide coalescere:* longe melius vulgatis, cum verbum, *coalescere,* ac sequentia, *referre,* et *insolescere,* sibi optime respondeant. Si autem hoc, ut magis sincerum, admittimus, supervacua remanebunt superiora illa, *cum in:* ex quibus fortasse aliqua emendatio exorietur. Itaque suspicor, totum locum sic legendum: *Sed bellantibus aliis, placuit expectari belli exitum. Victores, victosque nunquam solida fide coalescere.* Pichena. Placet *in* in *inter* mutandum, nisi quod Agricola, incertum ex libris an ex ingenio, emendabat ante annos plus minus centum: *placuit expectari bellum: cum victorib. victos n. sol. fide coalescere:* quidquid hujus est: de re ita Curtius meus: ‘ Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam et firmissima est inter pares amicitia, et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse cave credas.’ *Modius.* Rodolphi lectionem, quæ eadem et priscæ edit. *cum victorib. victos n. s. fide coalescere,* probat Lipsius itemque Modius. Muretus deleta voce *bellum* scripsit: *pl. expectari. in victor. victosque n. s. f. coalescere.* Et si attendis, *bellum* nihili hic vox. Quid enim est aliis bellantib. bellum exspectare? Vespasianus quidem bellum nullum exspectabat, sed inferre cogitabat. Nec tamen cum hoc deleri probo, reliqua ejus emendationis admitto. Aliud latere video in corruptis particulis *cum in.* Scribo: *pl. exsp. casum. Victores victosque n. s. f. coalescere. Casus* hic est Taciti more, occasio Ann. l. XII. ‘ Si Catti cupidine ulciscendi casum pugnæ præberent.’ Ibid. ‘ Vologeses casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus.’ Ann. XI. ‘ casus Mithridati datus est occupandi Armeniam:’ et Ann. XIII. ‘ bene gerendæ rei casum offerri scripserat.’ Sallust. in Jug. ‘ Fortunam illi (lego *illis*) præclari facinoris casum dare.’ Sententia sic verissima. Ita fit enim: aliis bellantibus alii occasionem captant. Et hæc ipsa mens Vespasiani: quam clarius paullo post Tacitus his declarat verbis: ‘ Igitur arma in occasionem distulere.’ Hæc emendatio vera et certa. Olim etiam moliebat: *placuit exspectari bellum, non sumi. Victores, &c.* Nihili præ altera. Quid si legas etiam, *pl. exsp. belli casum?* Acidalius. Postulante sententia, nec verbis multum abeuntibus, Pichenæ correctionem recepimus. *Freinshem.* Nisi malis, *exspectari eventum.* Gronov.

Cæterum olim mixtis consiliis] Scripsimus, *Cæteri o. m. c.* Rhenan. Suspecta Lipsio verba, *ceteri olim:* ex quibus ego quondam aliquem sensum eliciebam: accipiens, *olim,* in futuri temporis significationem: de ceteris scil. qui postea partibus Vespasiani accessere. Sed nunc mihi ipsi non probatur, propter adverbium, *nuper,* præcedens: ac potius interpretor, Ceteros, videlicet, Titum, legatos, &c. * *Pichena.* * *arma in occasionem distulere.* Postremum castigatio *cæteri* ne comparanda quidem est ad *cæterum* veterem scriptionem. *Salinerius.* Mihi certum traductione levi, et mutatione leviore, integrum locum

ita fore. Lego, *Mucianusque secretis olim, nuper mixtis cons.* Ita enim est. Nuperrime consilia miscuerant, quæ semper antehac secreta habuerant. Firmat et illustrat superior ille locus, ' Ceterum hic Syriæ,' c. 5. De cætero non muto nunc porro, ut olim censebam: *Optimos quosque amor reip. multos dulcedo, &c.* Acidalius.

Cap. 8. *Propior ad fallendum fides*] Suspicor legendum, *promptior.* Freinshemius.

Scithinum insulam] Farnes. *Cynthum.* Vatic. *Scithinam.* Vera lectio, *Cythnum:* quomodo aiunt legi in Florentino: quæ insula juxta Atticam sub Eubœa. Plinio nominatur l. iv. et Ptolemæo dicitur Κύθνος. Philoni etiam in Flaccum sic dicitur, et juxta Ceam collocatur. In Zonara non recte scriptum, hunc falsum Neronem in trajectu Cydni amuis interfectum: decepitque eum adfinitas hæc vocum. *Lips.*

Cythnum insulam detrusus] In Flor. ita scribitur, et verius: male vulgo, *Scithinum.* Pichena.

Et abnuentes interfici] Flor. *Vel abnuentes.* Idem.

Dextras concordiæ signa] Nos, *dextras concordiæ insignia.* Rhen.

Cap. 9. *Ad prosequendum eum, quibus*] Codex Budens. *ad prosequendum, cum quibus, &c.* Quemadmodum nos quoque castigavimus: nec displicet altera lectio. *Idem.*

Alloquendos sibi milites] Ita Venetiis primum editus: sed Romanus eo prior discrtim habet, *adequandos,* unde non ambigo, quin litera mutata ficri debeat, *adaquandos sibi milites;* egregia emendatione, nec minus plana. Veniemus, inquiunt trierarchi, postquam refecerimus milites aqua, qua jam aliquot diebus destituti animis pariter, corporibusque languent. Et hinc scirelicet insulam Cythnum aquarum sterilem. *Gruterus.*

Cap. 10. *Magnis motibus*] Demiror hanc clausulam omissam in lib. Ms. sicut paulo ante *mare,* ubi legimus, *mare ingreditur.* Sed dormitant sæpe librarii. *Rhen.*

Delationes factitaverat] Habet a Cicerone in Bruto: ' qui quum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset et juris peritissimum, accusationem factitaverit.' *Gronovius.*

Accusatorum causæ noscerentur] Vide, si lubet, pecuniæ veteris lib. iv. c. 3. *Idem.*

Adhæc terrore et propria vi] Volumen Budense; *Adhunc terroris et prop. &c.* Legerim, *Adhoc terroris,* hoc est, ad hunc terrorem. Intelligit Senatusconsultum modo relatum. *Rhenanus.* Vulgatam distinctionem utcumque retineo, hoc sensu: Ad ceteras illius Senatusconsulti jactationes, nova hæc disceptatio accessit: quod Crispus et ejusdem Senatusconsulti terrore, et potentia propria, fratris sui delatorem pervertere conabatur. *Pichena.* Qui hæc emendant et distinguunt sui saltem consilii redderent rationem: an melius ista? *infirmum aut validum retinebatur adhuc: terrore.* Annius non erat in reis potentioribus, itaque locus Senatusconsulto: præterea Crispus, dum fratrem ulciscitur, adeo eloquentia sua, sibi propria vi, terroreque (si sibi tam præpotenti accusatori morem non gererent) patres ursit, ut Annium indefensum, inauditum damnare sustinerent. Per hæc firmatur interpretatio quam dedimus ad illa, Ann. l. iii. ' Senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse, scripsissent expostulantes.' Τὸ *adhæc* respicit ad illa: ' parvæ quoque res magnis motibus agebantur.' *Salinerius.* Paullo melior ad marginem lectio: *retinebatur adhuc. Terrore et propria vi, &c.* nondum optima. Scribo: *retinebatur adhuc terrori: et propr. &c.* id est, ad vel in terrorem. *Acidalius.* Malim, *At hoc terrore, et propria vi.* Freinshemius. Quid si, *Ad hunc terrorem.* Super hoc

terriculamentum Senatusconsulti etiam, non terriculis, sed vi eloquentiæ et gratiæ suæ annitebatur. *Gronovius.*

Traxeratque magnam senatus partem] Exemplar reginm, *Traxeratque magistratus p.* Rhen.

Dedi ad exitium postularent] Sic Florent. Vulgo, *postularet*. Pich.

Quamvis infirmum et nocentem] Scripsimus, *Quamvis invisum ac nocentem.* Rhen.

Meminerant] Tacit. Hist. IV. in oratione Curtii Montani; et paulo post, ubi occurrit junctus 'Eprio Marcello.' *Savil.*

CAP. 11. *Læta interim*] Adverbium hoc in vulgatis vacans restitui, Florentini et Ven. et aliorum veterum auctoritate. *Pich.*

Othoni principia] In describendo rem tanti momenti, qualis hæc fuit, inter Vitellium et Othonem agitata, Tacitus, ut mihi quidem videtur, longe seipso inferior est; omissis, quæ plurimum huc faciunt, circumstantiis, asserensque et confundens in speciem puguantia, atque, ut breviter dicam, lectori non satisfacit ex historiæ legibus. Quoad circumstantias, Othonem, præcipuum actorem, et cujus vel vestigia fuissent numeranda, Tacitus ex urbe, &c. * *Savil.*

Præcipua fama quartadecumana] Castigavimus *præcipui fama Quartadecimani.* Rhenanus. Alii *præcipui.* Nos, *præcipua*, Venetum sequuti, quod ista vox concinnior videretur. Sic infra Hist. II. 32. de hac ipsa legione, 'magna ipsam fama.' *Freinsh.*

Rebellione Britanniæ] Historiam hanc fuse persequitur, Ann. XIV. et in vita Agric. *Savil.*

E fiducia tarditas inerat] Hic tarditatis Othonem arguit, et tamen paulo infra ait: 'Nec illi segne aut corruptum luxu iter:' et supra lib. præc. in fine: 'Aspernatus omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam.' Respondetur, Othonem quidem festinanter, omnique cunctatione remota, profectum cum exercitu ab urbe: et quantum ad ipsum attinet, neque corrupte neque segniter se gessisse, ut qui omnia providi ducis munia adimplevisset. Sed tantæ molis exercitus, præsertim legionum agmen, fiducia virium suarum, lentiorib. spatiis incedebat, quam belli necessitas postularet. *Pichena.* Fallitur vir eximius. Non enim Othonis, non omnis exercitus, sed solorum quartadecimanorum tarditatem accusat Tacitus. *Gronov.*

Eo agmen legionum] Sustulimus dictionem *eo.* Rhen.

Vestricius Spurinna] De illo vide Plinium l. IV. ep. 1. et 10. et II. ep. 7. *Savil.*

Sisti intra Gallias] Ex Flor. *intra:* nam vulgo, *inter.* Pich.

Veterani e prætorio] Superesse videantur hæ voces. Præmisit enim jam nunc de prætoriis omnibus cohortibus: qui igitur isti amplius e prætorio? Sed non supersunt. Distinguit enim a cohortibus Veteranos: recte; quia exauctoratos intellegit, et qui post sedecim stipendia habebantur sub vexillo, non aliter quam legionarii, de quibus scripsi satis ad Annal. I. Atqui hi nec in legionibus ultra censebantur, nec illi in cohortibus. *Lips.*

Lorica ferrea usus est, et ante signa] Delevimus verbum *est.* Rhenanus. Addidi verbum *est*, ex Flor. ac Ven. Mos autem notandus Romanorum ducum, pedibus ante signa ambulantium. Plin. Paneg. ad Trajanum; 'cum jam tua vexilla, tuas Aquilas, magno gradu anteires.' Ubi Lipsius alia exempla adjicit. *Pichena.* Alius describitur a Juvenale Sat. III. v. 190. Quid si ex priore fama hæc illi affingantur a poëta? nosterque recenseat veritatem? *famæque dissimilis.* Sed prætereundum non est, quam lepide Satyrographus hemistichio Virgiliano captaverit venustatem: 'Actoris Arunci spolium.' Quod Aristophani etiam factum, qui,

ait Demetrius lib. XII. σκώπτων που τὸν Δία ὅτι οὐ κεραυνοῖ πονηροὺς, φησίν· ἀλλὰ τὸν ἑαυτοῦ νεὼν βάλλει, καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηνῶν: i. e. *irridens quodam loco Jovem, quod scelestos fulmine non peteret, ait, verum suum templum ferit, et Sunium promontorium Athenarum.* Scripserat enim Homerus Odyss. γ. 278. ἀλλ' ὅτε Σούνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ' ἄκρον Ἀθηνῶν. *Savilius.* Si quis propius attendat nexui orationis, videbit ei officete voculas illas binas, *usus et*, quam prodesse. *Gruterus.*

Cap. 12. *Et majore Italiæ parte*] Particula conuectens, *et*, videtur hic mihi superesse. *Rhen.*

Quibus tentandis, aggrediendæque] Farnesiana hæc scriptura est: quam verissimam censeo. Vulgata lectio valde turbat: *quibus tentandis aggrediendisque, provinciæ Narbonensi, &c.* tanquam tres hi duces Provinciæ impositi: et mage majores tenebras offundit etiam Maurus. *Lips.*

Provinciæ Narbonensi, Suedium, &c. duces dederat] Imperio constituto Provincia nostra Populi facta, ut alibi diximus, et consularis est: unde lib. sup. legitur Titus Vinius proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexisse. Moris autem fuit in provinciam, quæ limitem ditionis Rom. constitueret, Proconsuli, Prætori, Præsidive laborum et operis parte levando, si opus esset, mittere, qui Duces et Limenarchæ dicerentur. Sed hoc loco Vedius Clemens, Antonius Novellius, Æmilius Pacensis, aliam ob rem missi sunt ab Othone, tentandis scil. aggrediendisque Alpibus maritimis. Ad id autem duces electi, et cum militibus profecti sunt; non ut quidam scripsit, proconsuli juvando, quem tum in provincia non fuisse conjicio ex eo, quod nulla proconsulis mentio fit in hac tota, quæ sequitur, civilium bellorum scriptione: adhæc plura lib. seq. ubi de Valerio Paulino referam. Verum quid est dicere, *Alpibus tentandis aggrediendisque provinciæ Narbonensi Suedium, &c. duces ab Othone* datos? si ex Italia mittebantur, qui Alpes maritimas tentarent, aggrederenturve, illi provinciæ Narbonensi non erant dati duces, cum id nomen haberent eo, quod milites ducerent. Alias non nisi Dux Narbonæ in codice Præfecturarum dicitur. Quare non videntur tres missi duces, qui provinciam regerent, sed qui exercitum Othonianorum ducerent, qui χιλίαρχοι, ut est apud Ulpianum, dici potuerunt. Equidem et celebritatis patriæ et emaculandi Cornelii gratia, Clementem, Novellium et Pacensem oriundos Provincia puto: quod significant illa quæ sequuntur, 'Videbatur non Italia adiri nec loca sedesque patriæ.' Sic igitur a Cornelio scriptum, et cæteris exscribendum reor, *provinciæ Narbonensis Vedium Clementem, &c. duces dederat:* et infra, 'Vedius Clemens ambitioso, &c.' Supraque lib. proximo, 'Novellio, Vedio Clementi primipilarib. &c.' non *Suedio*, neque enim *Suedium* in libris Latinis legas. *Vertranius.* Omnes aditus Galliarum (in quibus Alpes maritimæ) armis Vitellii tenebantur; 'quando Peninæ Cottiæque Alpes, et cæteri Galliarum aditus, Vitellianis exercitibus claudebantur.' At Othoni placuerat sistere in Gallia Cæcinam. 'Transgresso jam Alpes Cæcina, quem sisti intra Gallias speraverat.' Eaque de causa Narbonensem provinciam memoratos duces classe aggredi jussit, ut illa recepta aditus Alpium maritimarum pateret: nec (si bene rem putes) faciliores Alpes maritimis habuisset: utrinque enim petitus Maturus earum procurator iter ocius aperuisset. Sed frustra fuit; nam provinciam Narbonensem suarum partium fecit, is Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur monendo terruit: non itidem Alpes maritimas. Hist. l. III. 'Haud procul inde agebat Marius Maturus Alpium maritimarum procurator; fidus Vitellio,'

&c. *Salin.*

Duces dederat] Forte, *Duces legerat.* Freinsh.

Per licentiam militum victus] Verius ex Flor. *vinctus*, quam, *victus:* ut in vulgatis. Sic infr. eod. lib. ' vinctus præfectus castrorum Julius Gratus.' Et statim : ' cum fratrem ejus Jul. Frontonem tribunum, Othoniani sub eodem casu vinxissent.' *Pichena.* Est qui malit, *victus.* Muretus, *vinctus:* pessime. Retineo *victus*, nec illa trita significatione, sed qua etiam infra hoc lib. usurpatur : ' Ne ut victi et ignavi despectarentur.' Terent. Heautout. III. 1. ' Si te tam leni et victo esse animo ostenderis.' Quomodo idem fortassis et Eunucho : ' Eludet ubi te victum senserit.' *Acidalius.*

Non Italia adiri] Nihil ego hic nisi germanum video. Sudant tamen in mutando Rhenanus pariter et Vertranius. *Lips.*

Sedesque patriæ videbantur. Tanquam externa littora et urbes hostium urere] Hæ sententiæ multis mendis sunt insignes. Manuscr. volumen habet ; *sedesque patriæ jubebantur tamquam et urbes hostium urere.* Vides hic abesse duas illas voces, *externa littora ;* quas castigatores addiderunt. Ego vero pro *tamquam et urbes*, deprehendi post laboriosam loci considerationem, scribendum, *tamquam metu res.* Itaque sic distinxi sententiam : *Sedesque patriæ. Jubebantur tamquam metu res hostium urere.* Cæterum verba, *tamquam metu res*, non inserui in contextum, quum mea sit inventio. Mutet, qui velit. *Rhenan.*

Nihil usquam provisum adversum metus] Sic infra l. IV. ' constans adversus metus.' *Pich.*

Occursantes domini, juxta conjuges et liberos] Nescio, si mutandum : *occursantes domini, juxta conjuges et liberi :* hoc scio, copulam delendam, scribendumque ; *securitate pacis, belli malo circum.* Acid.

CAP. 13. *Nec capi poterant pernix genus*] Exemplar regium, *nec pernix.* Forte scribendum, *Nec capi poterant, et pernix genus, et ignari locorum.* Rhenanus.

Tortoribus] Regius codex, *temporibus*, ex quo Rhenanus, *terroribus.* Lipsius.

Nec ullis deinde tortoribus] In exemplari regio legitur, *temporibus.* Lego ; *nec ullis deinde terroribus, &c.* Rhenanus. Flor. *terroribus.* Vulgo, *tortoribus.* Pich.

CAP. 14. *Duas Turingorum cohortes*] Video *Turingos* librario melius fuisse notos quam Tungros. Sed quia supra dixit ; ' Non defuisse partem Galliarum, quæ Rhenum accolit, Vitellii partes secutam ;' inducor ut credam hic et in sequentibus, *Tungrorum* scribendum, non *Turingorum.* Quod vero de Batavis paulo post deque Transrhenanis meminit, fatcor equidem accipiendum de Germanis, qui trans Rhenum colunt. Sed proximis amui, puta Tencteris, Usipiis, Tubantibus, Chamavis, Bructeris, et similibus. Longius vero dissiti Turingi erant ; Tacito non commemorati ; quos veteres, e quorum numero Sidonius est Apollinaris et Vegetius, non *Turingos*, sed *Toringos* appellant. *Rhenan.* Muretus hic *Turingorum.* Unde aut cur nescio. *Acid.*

Ala] Quæ ut alibi notamus, complectebatur decem turmas ; ut quatuor turmæ et ala constituerent quatuordecim equitum turmas. Ex illis duodecim in hostem missæ, reliquæ data Foro Julii custodia. *Savil.*

Paganis] Vox hæc in jure magis frequens, quam in cæteris auctoribus, accipitur eo significatu, ut omnes comprehendat, qui milites non sint, a *pagis*, id est, oppidis deducta. Qua ratione Persium credibile est *semipaganum* se dixisse : quasi semimilitem se fuisse denotaret, et idcirco non plene poëticam, quæ ars umbratica est, edoctum. Alioquin me non latet,

pagum, prima origine a fonte dictum, *πηγή*. *Alciatus.*

Simul a latere saxis urgeret] Hæc verba, *a latere saxis urg.* non sunt in voluminc Manuscr. nam illic legitur, *Simul altitudo aptæ ad jacendum*, pro *jaciendum*. Subauditur et Paganorum manus exciperet. *Rhenan.*

Ad jaciendum paganorum manus] Auctior Flo. *ad jaciendum etiam paganorum manus.* De paganis paulo supra dixit; 'mixtis paganis:' atque inf. l. III. 'Nisi vincitis pagani.' Pagani autem in bellicis expeditionibus vocabantur ad differentiam militum; id est, omnes qui milites non essent: a pagis, vel oppidis d. Plin. ep. x. 18. 'apud me et milites et pagani, certatim ei testimonium retribuerunt.' Juven. Sat. VI. 'citius falsum producere testem Contra paganum possis.' Lib. XIV. D. de pœnis: 'Quædam delicta pagano, aut nullam, aut leviorem pœnam irrogant; militi vero graviorem.' Item ad leg. Falcid. l. ult. 'Miles, si dum paganus fecerit testamentum, militiæ tempore codicillos,' &c. *Pichena.*

Obscurum noctis objectum obtentui fugientibus] Participium *objectum* erasimus. De *obtentu* monuimus alibi. *Rhenanus.*

CAP. 15. *Turingarum cohortium præfecti*] Scripsimus, *Tungrarum cohort. præ.* Rhenanus. Muretus, *Turingarum.* Unde, aut cur, nescio. *Acidal.*

Sustentata quidem diu acie] Conjunctionem *quidem* submovimus. *Rhenan.*

Ne hinc classis, inde eques] Sic veteres nostri, *eques.* Vulgati vero, *equites.* Pichena.

Antipolim Narbonensis Galliæ municipium] Neminem latet *municipes* cives esse Romanos, ex municipiis, suo jure et legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Rom. honorarii participes. A quo muncre capessendo appellati videntur, 'nullis aliis necessitatibus neque ulla pop. Rom. lege adstricti, cum nunquam pop. Rom. fundus eorum factus sit,' ut ait eleganter Agell. XVI. 13. Sed si Tauroëntium, Olbia, Antipolis, Niceaque in Salyum solo exstructæ sunt; illoque in littore, unde C. Sextius Salyes, et Deceates et Ligures Alpium maritimarum incolas expulit, cum ex eo facta pop. Rom. regio maritima sit, haud scio, cur Antipolis municipium a Cornelio appelletur: nisi forte causa sit hæc, quod Sextius ex littoribus, quæ Massilia ducunt in Italiam, pulsis Barbaris, relictam ab iis oram Massilensibus attribuit, ut auctor est Strabo l. IV. Ita non fuit ea pop. Rom. facta, quam purgavit proconsul Sextius, nomine socii populi Massilitani. Cæterum e natione Salyum, Deceatium, Oxybiorumve quosdam fuisse non hostiles necesse est dicere, qui municipio a proconsule attributi fuerint. Neque enim colonos a Romanis missos legimus Antipolim, quæ colonia, si id esset, non municipium diceretur. Minus a Massilitanis, quibuscum tandem judicio contendens Antipolis, libera ab eorum mandatis facta est, inquit ille: quod perperam judicatum fuisset, si origine sua Massilienses attinuisset. Proinde Galliæ Narbonensis municipium Cornelio Antipolis dicitur, quod in Narbonensi hodie quoque supersit: olim autem teste Strabone Italiæ annumerabatur. Quæ cum ita sint, ubi C. Plinius ait, l. III. 4. 'in ora oppidum Latinum Antipolis,' non accipi debet inter Græcas Massiliensium civitates fuisse Antipolim, quæ Latine loquentes municipes haberet: sed ideo Latinum, quod Italici juris esset. *Vertranius.*

CAP. 16. *Nihil in summa profuturum*] Malim, *in summam.* Quodam supra loco rursum *in summa* scriptum fuit pro, *in summam*, de quo lectorem admonere fui oblitus. *Rhenanus.* Placet, ut Dausius legebat, *in summam profutura:* quæ scriptura non eget exemplo, ut confirmetur. *Ursinus.* Recte in margine, *summam.* Sed vide

verba recte ordines, ut sensum satis assequaris. Temeritas nihil profutura *in summam belli tanta mole*, id est belli, cujus esset tanta moles. *Acidal.* Cum libri præferant *in summa*, alteram lectionem *in summam* editionis suæ margini Lipsius adscripserat: quam recepimus audacter: quod hanc ipsam phrasin tam apud Tacitum, quam alios reperimus. Supra XIII. 33. quidam recte legunt, 'nihil in summam pacis proficiebatur.' Livius XXXI. 37. 'In summam etiam belli profectum foret.' Quintil. l. I. 'Hoc per singulos annos prorogatum in summam proficit.' Quæ loca me dubitare cogunt, etiam in illis Taciti pro *profutura* legendum esse *profectura*. Freinshemius. Videtur scripsisse auctor, *tentata mole belli*, utcunque τὸ *tanta* explicet Acidalius. *Gronovius.*

Phirrhicum trierarchum] Forte nomen hominis fuit, *Pyrrhicum*. Idem.

Balineis interficitur] Scriptitabant veteres plerunque, *balineis*, ut hic Florentinus. Vulgo, *balneis*. Pichena.

CAP. 17. *Faciles occupantibus, et melioribus incuriosos*] Lego, *melioribus incuriosis*. Paratos obvio et invitanti, quum melior nemo esset, aut curam adjungendi eos susciperet. *Gronovius.*

Camporum et urbium est] Induximus verbum *est*. Rhenanus.

Quem repente contra Placentiam] *Repente* adverbium delevimus: nam in volumine ms. non extat. *Rhenan.* Deleverat olim Rhenanus adverbium, *repente*, quoniam a suo codice aberat. Ego restitui, Florentino et aliis veteribus volentibus. *Pichena.* Muretus inscrit, e libro, credo, *repente*. Acidalius.

Raptis quædam exploratoribus] Confirmant veteres Ms. verbum *raptis*, hic magis proprium: quasi celeriter captis, et avectis. Male, qui substituunt, *captis*. Pichena.

CAP. 18. *Indomitus miles et belli ignarus*] Plutarchus scribit, Spurinnam pœne a militibus interfectum: qui eum probris exceptum, proditorem vocabant, et principis negotia cunctationibus perdere aiebant. Alii stimulante vino irruperunt de nocte in tentorium ejus, viaticum flagitantes, ut ad Principem Brixellum profecti, proditionis reum peragerent. *Savilius.*

Spretis centurionibus, tribunisque providentiam ducis laudantibus] Non temere soleo glossematum suspiciones admittere. Hæc autem verba, *providentiam ducis laudantibus*, magis magisque suspicor, hic perperam inculcata ex iis, quæ paulo infra subjiciuntur: *inserentib. se centurionibus, tribunisque laudari providentiam ducis.* Nam si attendis, fateberis, absurda et aliena hic. An cum milites ita fremerent, tela duci intentarent; centuriones ac tribuni providentiam ducis laudarent? imo potius cogerent, retinerent. Auxit etiam suspicionem, quod in Flor. pro *laudantibus*, sit *laudari*, ut eadem verba cum sequentibus. At quod Tacitus ait, spretos centuriones ac tribunos, cave intelligas, spretos, dum militibus se opponerent: sed interpretor, milites nihil illorum ductum moratos, sed ipsos sibimet itineris duces fuisse. *Pichena.* Pedibus descendo in sententiam Pichenæ, putantis posteriores voces tres hic esse a glossa, inculcatas, ex iis, quæ paulo post subjiciuntur. Sed et amplius addo; idem dicendum videri de tribus verbis reliquis: certe spretos centuriones tribunosque, quid monere opus militibus vim intentantibus summo etiam duci? *Gruterus.*

Qui pro Othone] Mercerus ingeniose: *quin proditione accitum*: quasi id crimen Spurinnæ objecerint, ut est in Plutarcho. *Lipsius.*

Quin pro Othone et accitum Cæcinam] Fortasse legendum, *qui pro Othone etiam accitum Cæcinam.* Rhe-

nanus. Danesius legebat: *Quin pro Othone etiam, &c.* Ursinus. Corruptum est; minima mutatione restitues, *quin proditione accitum Cæcinam clamitabant.* Sane in proditionis crimen vocatum Spurinnam a milite diserte scribit Plutarchus. *Mercerus.* Quod olim de proditionis voce divinaveram, non longe abest a Merceri conjectura. Is enim legit, *Quin proditione acc. &c.* Ego, *quin proditionem et accitum, &c.* quod a vulgata scriptura minus aberrat, et cum Flor. magis congruit, qui habet, *p Othonem et accitum, &c.* Pichena. Non emaculat locum solum illud mutatum *quin*, quod margini apposuerunt. Majus ulcus est, quod absque sectione non curabitur. Resecanda enim illa, *providentiam ducis laudantibus*, turpiter inculcata ex inferiori isto loco. Scribe igitur, *Spretis centurionibus tribunisque, qui pro Othone, et accitum Cæcinam, &c.* Quæ ejecimus verba, Muretus etiam subduxerat, ejicienda an ipse ratus nescio. Ea quidem nota illi solet esse, delendi vel mutandi. Sed idem et *quin* mutaverat: quod ejectis illis locum non habet. Unde tollenda censuisse vix crediderim. *Acidalius.* Egregio mendacio nonnunquam res fere perditæ in integrum restituuntur: quamobrem Tullius Albanorum perfidia cognita, dicto 'nihil trepidatione opus esse, suo jussu circumdare Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadat.' Liv. l. 1. metum a suis vertit in Fidenates. Ad eundem modum Centuriones tribunique, milites sedatum cunt, qui temere in prælium ruebant; opus non esse (aiunt) pugna, non festinatione: quod Cæcina Vitellii desertor, jamque Othonianus adventaret. Hæc ex vulgatis: ut verba militum sint certam sibi victoriam spondentium, quod hostium dux desertor foret. Pichena *quin proditionem, et accitum,* et verba illa *providentiam ducis laudantibus* abjicit: sed de eo libenter quæsierim, num hæc, *Sed indomitus miles, &c.* ita interpretari valeant, ut Spurinna prius per centuriones et tribunos milites continere studeat, quibus spretis se ipsum iis opponat unde sibi tela intententur. *Salinerius.* Vulgo, *quin pro Othone:* unde lectionem ingeniose restituit Pichena, Merceri etiam conjectura eo tendente. *Freinshemius.*

Cap. 19. *In conspectu Padus et nox apparebat*] Vix me contineo, quin ultimam vocem furcillis hinc præcipitem agam: non esse a Tacito, vociferatur contextus orationis. *Gruter.*

Contudit animos] In volumine regio est, *contundet.* Rhenanus.

Tum vetustissimus quisque] Vulgata ante lectio, *tum mœstissimus quisque:* ex quo Rhenanus illud *vetustissimus* extrudit: ego malim *modestissimus.* Lipsius.

Tum mœstissimus quisque] Emendavi, *vetustissimus quisque.* Intelligit diu meritos. Sic l. v. dixit *vetustissimos familiarum.* Et infra *vetustissimum consularium.* Item *vetustatem stipendiorum.* Rhenanus. Non abnuerim cum Lipsio potius ex veteri lectione *modestissimus* rescribere. Ceterum inserenda etiam videatur talis aliqua vocula: *aliis metum ac discrimen ostendere.* Quanquam cum sequentia diligentius cum his confero, videtur etiam mihi hic transpositio facta: Ordo certe hic magis arriserit: *Tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam: jamque totis castris modesti sermones, inserentib. se centur. tribunisque laudare providentiam ducis, quod coloniam virium et opum validam robur ac sedem bello legisset, metum ac discrimen ostendere, si cum, &c. circumfudisset.* 'Inserunt se laudare,' Taciti phrasis infra: 'pleraque municipia et coloniæ æmulabantur corruptissimum quemque adolescentum pretio allicere.' *Acidalius.* Vulgata antea lectio; *mœstissimus:* ex quo Rhenanus, *vetustissimus,* extudit. Lipsius malit

modestissimus. In tanta conjiciendi licentia meam opinionem prætuli, *inertissimus,* quam adeo et scripturæ priori, et vero sensui convenientem judicavit Socer meus, ut in textum recipiendam putaret. *Freinshem.*

Laudari providentiam ducis] Ita in Flor. quod mihi magis probatur, quam ut vulgo *laudare.* Intelligitur enim, non a centurionibus tribunisque tantum laudari, sed etiam ab ipsis militibus. *Pichena.* Cum in edit. principe restet, *laudari;* accedo Pichenæ, lectionem illam reponenti. *Gruterus.* Ipsa sermonis ratio exigit *laudare:* quod et ipsum tam ad militem quam centuriones tribunosque pertinet. *Freinshem.* Ego sermonis rationem exigere τὸ *laudare* non censeo, nisi fiat: *et inserentes se centuriones tribunique laudare.* Sed mitior in promptu cura est: nec parvi momenti, quod et hic et supra Florentinus *laudari.* Assentior autem omnino Pichenæ priori loco eas voces male inculcatas: non quod inceptum ibi sensum faciant: cur enim non et retinere simul militem et paucis consilium ducis probare possent? sed quia non tam inops verborum Tacitus. Hic autem scripsisse auctorem certum habeo: *et inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis:* quod est, laudabatur, nempe ab utroque genere. *Gronov.*

Robur ac cædem bello legisset] Quod hic male se habet, cum in melius mutare non possim, videndum, an non magis cohæreat legere, *robur ac sedem bello legisset.* Hoc tamen nescio an cæteris, mihi ipsi certe non satisfacit. *Vertranius.* Videtur scribendum, *robur ac sedem bello.* Ursinus.

Quam ratione ostendens] Nos, *quam ratione attendens.* Rhenanus. Nescio an melius, *oratione.* Acidal.

CAP. 20. *Braccas tegmen barbarum, &c.*] Apparuit *Braccas* esse vestem; nam quas vulgo *Braccas* hodie appellamus, Latini dixerunt *feminalia,* a feminibus. Tranquillus Aug. *Ferrettus.* Ex hoc loco potes colligere differre togam a sago: nam toga vestis erat pacis index, sagum vero belli, teste Nonio. Martialis, 'Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?' Virgilius, 'Virgatis lucent sagulis.' Braccæ auctore Diodoro in VI. sunt vestes, &c. * *Lupanus.*

Insita mortalibus natura] Lipsius et hic, et alibi, pro, *insita,* substituit, *insito:* cujus mutationis nulla, quod videam, causa. Intelligo enim, *insita natura,* sexto casu, id est, propter insitam mortalibus naturam. Sic lib. præced. 'insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare:' infra l. IV. 'insita ignavia et trepidis ministris.' *Pichena.*

CAP. 21. *Ac missilem ignem*] Ita nos: alii *et.* Rhenanus.

Dum regerunt] Exemplar Matthiæ Corvini; *dum reportans gerunt.* Suspicor scribendum, *dum reperta transgerunt.* Rhenanus. Suspectum mihi verbum, *regerunt,* magis conjectura, ut arbitror, repositum, quam a libris. Flor. enim habet, *dum reportans gerunt:* idemque asserit Rhenanus legi in alio vetere libro. Mihi satis fuit suspicionem indicare. *Pichena.*

A quibusdam e vicinis coloniis, invidiæ æmulatione] In exemplari Matth. Corvini legitur, *et quibusdam vicinis coloniis invidiæ æmulatione.* Subauditur existente. Nam dandi casu dictum est, *quibusdam vicinis coloniis,* hoc est, quum quædam vicinæ coloniæ haberent invidiæ æmulationem. Sensus est: Non solum ob fraudem, verum etiam propter invidiæ æmulationem: itaque sic emendavimus. *Rhenanus.* Videtur legendus hic locus ex veteri codice adjuto conjectura ex parte aliqua ita; *a quibusdam e vicinis coloniis invidia et æmulatione.* Nam illa, *a quibusdam e vicinis* V. C. suppeditavit. Cetera nituntur conjectura. *Ursinus.* Addidi præpositionem, *e,* meis libris auctoribus; quod

rectius est. Intelligit enim, a quibusdam hominibus ex coloniis vicinis. Dein Muretus correxit; *invidia et æmulatione*, verius quam, *invidiæ æmulatione;* ut in vulgatis. Sic infra: lib. eod. in fine: ‘ æmulatione invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur:’ et lib. seq. ‘ Tanquam invidia et æmulatione fortunam fratris moraretur.’ *Pichena.* Malim legere cum Mureto: *a quibusdam e vicinis coloniis, invidia et æmulatione.* Sic enim disjungere solet. Hist. I. ‘ Unde æmulatio et invidia, et uno amne diseretis connexum odium.’ Sic et hoc l. extremo. *Acidalius.*

Invidiæ æmulatione] Muretus, *invidia et æmulatione.* Lipsius.

Quocunque casu accidit] Codex regius *accidat.* Scripsimus, *acciderat.* Rhenanus. Flor. et Ven. *accidit.* Pichena.

Nox parandis operibus assumpta] Hic fortasse melius a Mureto legitur, *absumpta.* Sic in vita Agr. ‘ Sequens hyems saluberrimis consiliis absumpta.’ *Pichena.* Acceesserim Mureto, qui legit *absumpta*, Pichena quoque eam opinionem probante: nam omnia, tam præcedentia, quam sequentia, hoc suadent. *Freinshem.*

Perfringendis operibus] Dativus *operibus* non est in codice Regio; nam subauditur, vel similis alius, puta *munimentis.* Rhenanus.

Celebrantes culpantesve] Ita Flor. ac Ven. Vulgo, *culpantesque.* Pichena.

Cap. 22. *Densum legionum agmen*] Et tamen unicam tantum legionem habuit Cæcina, quæ *undevicesima Rapax*, ut ego quidem locum interpretor. *Savillius.*

Librata magis et certo ictu] *Magna* legitur in codice regio. *Rhenanus.* His consona sunt Hist. III. ‘ Majore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur.’ Dissentit Quadrigarius Gell. IX. 1. ‘ Sagittarius cum funditore utrinque summo studio spargunt fortissime, sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest; nam neutrum potest deorsum versum recte mitti, sed sursum utrumque optime: quare milites Metelli saueiabantur multo minus, et quod maxime opus erat, a pinnis hostes defendebant.’ Verum ille de sagittis et lapidibus fundis excussis, quæ nimio impetu in præceps non recte feruntur: noster de pilis et telis, quæ manu jaciuntur. Virgil. lib. IX. ‘ Ecce aliud summa telum librabat ab aure.’ ‘ Ingerunt desuper Othoniani pila.’ Et ‘ in quos tela desuper librabantur.’ Quorumque jactus quanquam desuper, patitur moderamen. Liv. l. I. ‘ præter virtutem locus quoque superior adjuvit, ut pila omnia hastæque non (tanquam ex æquo missa) varia ut plerumque fit, caderent: sed omnia librata ponderibus figerentur.’ Non eo tamen inficias, teli nomine sagittas etiam contineri. Caius l. 233. D. de verb. signif. ‘ telum vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. Et quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα vocatur, apud nos autem communi nomine, et telum appellatur.’ Sed hoc in Cornelii loco, ubi discriminandi gratia adjecit, *librabantur.* Salinerius.

Et exangues ac laceri] Manuscr. exemplar habet *ait.* Reposuimus, *et exangues aut laceri.* Item, *Et Julius Briganticus.* Rhenanus.

Fama et pudore] Lego, *fame.* Duplex enim cauusa abseessus, Fames et pudor irriti cœpti. *Lipsius.*

Et Cæcina, fama et pudore cœptæ oppugnationis] Lipsius legit, *fame et pudore.* Unde obsecro Cæcinæ fames? Aio delendas voculas *fama et,* repetitas temere, cum nullo pene intervallo eædem præcessissent: *Infracta partium fama. Et Cæcina, &c.* Lege igitur: *Et Cæcina pudore cœptæ temere oppugnationis.* Acidal. Emendat Vir Doctiss. *fame,* atque hanc

inter causas abeundi Cæcinæ fuisse asserit. At vereor, ut florentissimum Italiæ latus (sic appellat Tacitus sup. c. 17.) nullis adhuc belli cladibus accisum, copias non sufficerit exercitui: ergo malim legere: *Et Cæcina jam ira et pudore.* Ira et pudor in ejusmodi infortuniis indivisi fere comites. *Freinshem.* Lipsius reponit, *fame*, et hanc quoque causam abscessus dicit. Sed contra Taciti mentem, qui paulo post se ipse explicat; *ne vanus irrisusque iisdem castris adsideret.* Recte se habet lectio vulgata. *Fama* qua apud alios lacerabatur; quam meliorem excitare se non posse intelligebat, nisi aliis alibi felicius tentatis; *pudore*, quo in suo ipse judicio, quotiens inspiceret hæc loca, subeunte irriti conatus memoria, gravis sibi molestusque erat. *Boxhornius.* Forte: *Et Cæcina damno et pudore cœptæ temere oppugnationis.* Justinus lib. II. 'amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit, quæ jactura inter damna numerata non est.' *Gronovius.*

Cremonam petere intendit] Vel vox *intendit*, vel altera, *petere*, salva sententia tolli poterat. *Gruterus.*

Tradidere se abeunti Turullius Cerealis] Ut penitiori lector cognotione frueretur, utile fuisset addidisse, a Spurinna defecissent an a Gallo aliove quopiam, et quæ istuc fortuna detulisset. *Savilius.* Ingeminat hic Flor. *sese.* Vulgo tantum *se.* Pichena.

CAP. 23. *Bedriaci*] Vicus parvus, sed duabus Romanis cladibus insignis, nec indignior cujus verum nomen norimus, quam Cannæ aut Philippi. Vulgo *Bebriacum* appellant, atque ita Juvenalis libri, 'Bebriaci in campo spolium adfectare Palatl' At sincerus ille Vatic. *Bedriacum*, semper: quomodo et in Clariss. Sambuci scripto codice exstare cognovi, cum strictim eum Viennæ vidissem. In vetustis Suetonii libris, *Betriacum*, dicitur: sicut et in Plutarcho, Βητριακὸν, πολίχνη πλησίον Κρεμώνης. Juvenalis interpres quam nugatur, qui vicum hunc Campaniæ facit! in Sat. III. 'Othonem,' inquit, 'bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum Campaniæ.' Atqui noster clare: 'Inter Cremonam Veronamque situs est is vicus:' et ipse Scholiastes mox fatetur. Corrupta ea verba igitur, et scripsit: *apud Bedriaci campum.* Manifesto enim allusit Juvenalis sui versum, 'Bedriaci campo spolium affectare Palatl.' Quod autem adtexitur: 'Horum bellum Cornelius scripsit et Pompeius Planta, qui ait Bebriacum vicum esse a Cremona vicesimo lapide.' Sane Cornelium hunc nostrum intellegit: Pompeius ille quis sit, nondum repperi. *Lips.*

Situs est vicus] *Bedriacum*, ait Scholiastes Juvenalis, 'vicus est a Cremona vicesimo lapide.' *Savilius.*

Notus infaustusque] Per utramque cladem intelligit duo prælia, alterum inter Othonem et Vitellium, quod hoc libro exequitur; alterum inter Vitellianos et Flavianos, cui sequens liber destinatur, et plerumque sumpto ex re nomine *Cremonensis prælii* venit; quod sub Cremonæ tum muris fuerit pugnatum, vicesimo a Bedriaco lapide, etsi initia velitationum inciderint in octavum circiter a Bedriaco lapidem, Hist. III. Priorque conflictus evenerit longe a Bedriaco, 'immensum id spatium,' inquit Tacitus, et verisimilitudo si non fallit, multa milliaria complexum, ut alibi planius discutietur. *Savillius.*

Novis subsidiis firmati] Scripsi ex Flor. *subsidiis.* Vulgo, *præsidiis.* Pichena.

Omnia quæcumque] Rarum hoc apud Latinos. *Ferrettus.* Quomodo locuta omnis antiquitas: et Græci eodem modo πάνθ' ὅσα. *Mercerus.* Inepta lectio, quam ita restituere tentem, *omnia ducum facta. Ducum* illud facile ita corrumpi potuit, ut deleta vi temporis literæ *d* in altum tendente vir-

gula, alia ex inferiori linea literam contingens, formam hanc *q,* efficeret: quæ res viam struxerit accedenti postea particulæ *que.* Freinshem.

Scelere et metu vecordes] Metu scil. ne in Vitellianorum manus inciderent, pœnasque luerent. *Pichena.*

Cap. 24. *Locus Castorum*] Recte, non *castrorum.* Suetonius eumpse locum, *ad Castoris* dixit: Orosius l. vii. ‘ circa locum quem Castores vocant.’ *Lipsius.*

Ad xii. *a Cremona locus Castorum vocatur*] Orosius *Castoris* eum vocari auctor est. *Alciatus.*

Imminentib. viæ lucis imponit] Nos, *eminentib. viæ lucis eomponit.* Rhenanus. Flor. *componit.* Vulgo, *imponit.* Pichena.

Procedere longius jussit, et irritato prælio refugerunt] Corruptum locum sic restituimus: *pr. longius jussi, et irritato pr. sponte refugi, festinationem sequentium elicere;* subauditur, *jussi sunt.* Mox illic legitur, *altis ordinib. obtinuere.* Rhenanus.

Dextra fronte] * Claudian. in Ruff. ii. 174. ‘ Armeniis frons læva datur,’ &c. Non absimilis metaphora Reg. ii. c. 10. ‘ facies belli;’ quam puram putam Latini quoque arripuere. Curtius lib. iv. ‘ Philagus Balacros regebat in societatem nuper adscitos: hæc dextri cornu facies erat.’ Addito, ne titubes ‘ peditum acies equitatum tegebatur, frons lævi cornu hæc erat.’ *Salinerius.*

Cum duabus vexillaribus cohortibus] Libri omnes, *vexillaribus.* At Mercerus plurib. verisque rationibus ostendit corruptam eam vocem, ac legendum, *auxiliaribus.* Ipsius notas vide. Sic lib. seq. Tac. ‘ auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missæ.’ Lib. xii. ‘ duas auxiliares cohortes avaritia præfectorum incautius populantes intercepere.’ Sæpe etiam eas auxiliarias appellat. *Pich.*

Cap. 25. *Incipi victoriam ratus*] Nisi me fallit Corneliani sermonis genius, istud *ratus* ab extraneo adjectum est, qui deesse aliquid hic putabat: at nihil deest, sed velut ipsa Suetonii verba referuntur, *pandi aciem* jubebat; ‘ satis cito incipi victoriam, ubi provisum foret, ne vincerentur,’ subaudi *dicens* vel *adjiciens,* ut sexcentis aliis hujus scriptoris locis. *Freinsh.*

Rex Epiphanes] Cujus regionis? quæ illuc fortuna devexit? De illo postea quid actum? quicunque enim eminentiore loco constituti reliquis in historia præfulgent, impensiorem exigunt scriptoris operam, si erronea me non ludit opinio. *Savillius.*

Cap. 26. *Apud fugientes occursantesque*] Conjunctionem, *que,* erasimus, *Apud fugientes, occursantes, in acie.* Rhenanus.

Recens castris] Qui recens e castris egrediebatur. Cic. *Recens Roma.* Ferrettus.

Et perculsis nullum retro subsidium foret] Particulam, *et,* submovimus: nam elegantior sententia si absit. *Rhenanus.* Reposui ex veterib. copulam, *et,* quæ in vulgatis intercíderat. *Pichena.* Inserit Muretus: et ego cum eo copulam, *et.* Ut etiam *fore* legatur, eidem non assentio. Imo jam asseutio, loqui sic Tacitum solere: an hic locutus ita, nondum. *Acidal.*

Cap. 27. *Haud perinde id damnum*] Scripsimus, *haud perinde damnum, Vitellianos in metum compulit.* Rhenanus. Addidi vocem, *id,* ex Flor. et Ven. *Pichena.* Muret. inserit: *haud perinde id damnum:* sequor. *Acidalius.*

Recuperandi decoris cupidine] Codex Budensis habet, *dedccoris:* forte legendum, *recurandi dedecoris cupidine.* Rhenanus.

Ad postremum Valens petulantia] *E* præpositionem addidimus, *Ad postr. Valens e petulantia, &c.* Idem.

Cap. 28. *Trevirorum alam Turingosque*] Castigavi, *Trevirorum alam Tungrosque:* nam hoc est, quod dixit supra, ‘ Duas Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas, universam Tre-

virorum alam.' *Rhenanus.*

Sin victoria, sanitas] Nos, *victoriæ sanitas.* Item infra, ' postremo precibus ac lachrymis.' *Idem.*

Cap. 29. *Obire vigilias*] De hoc ritu ego, in Militia lib. v. Dial. ix. *Lips.*

Silentio, patientia] Malim, *silentio, pœnitentia.* Idem.

Cap. 30. *Rapido agmine Cæcinæ jungitur*] Scripsimus, *junguntur.* Rhenanus.

Simul in suam excusationem, et adventantium] Trajectionem hic agnosco. Ordino, *simul in s. excusationem, ne ut victi et ignavi despectarentur, et adventantium robur per adulationem attollentes. Et quamquam, &c.* Acidal.

Plus virium ac prope duplicatus] Particulam *ac* delevimus; nam sensum perdit. *Rhenanus.*

Fœdum et maculosum] Valet in omne animi vitium et labem *Maculosi* vox: tamen vereor ut hic proprie in ignaviam ac timorem. Ex antithesi quæ sequitur, suspiceris: et magis ex hoc Ammiani loco, libro xxx. ' Arguebat hic idem Princeps [Valentinianus] timidos sæpius, maculosos tales appellans et sordidos.' *Lipsius.*

Fœdum et maculosum] * libidine fœdum ac maculosum.' Cicero, ad Attic. 16. ' maculosi senatores, nudi equites.' Plinius lib. iii. ep. 9. ' homo fœdus et aperte malus proconsulatum non minus violenter quam sordide gesserat.' *Gronov.*

Cap. 31. *Gula sibi ipsi hostis*] Codex Matthiæ regis habet *sibim.* forte legendum, *sibimet hostis.* Rhenanus. Flor. *sibi inhostus:* fortasse interpretandum, *sibi inhonestus:* nam et l. xv. ' bellum anceps, an pax in hoste placeret:' idem habet, ' pax inhosta,' quod præeunte Lipsio correximus, *pax inhonesta.* Et sic sensus esset: Vitellium sua inhonesta vita neminem læsisse, nisi se ipsum. Sed cum duriusculus dicendi modus videatur, facile possumus vulgatam lectionem tueri; Vitellium (scil.) non fuisse hostem reipublicæ, sed sibi ipsi tantum: Othonem contra, Reip. exitiosiorem. *Pichena.*

Suetonius Paullinus] * Sed et in Africa bellum gessit, e Plinio lib. v. ' Suetonius,' inquit, ' Paullinus, quem consulem vidimus, primus Romanorum ducum transgressus Atlantem,' &c. Ubi autem mens sive judicium fuit viro magno et celebri, qui in Variis suis nuper hunc Suetonium patrem fecit Suetonii nostri Tranquilli? Ita enim locum eum corrigit, Suetonii Othoue: ' Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiædecimæ legionis tribunus angusticlavius.' Et liber, inquit, qui tineas et cariem senserat, habet, *Linus.* Omnino autem legendum *Paulinus.* Testem in eam rem laudabo Tacitum, qui fortis viri neque nomen neque virtutem tacitam esse sivit: ejus enim sæpe et in Annalibus et in Agricolæ vita honorificam mentionem facit. Hæc ille. Quid dicam? Non insector te, vir elegantissime: sed bona fide hæc scribis? Erras nimis. Suetonius ille Lenis, Tribunus fuit: noster belli dux. Ille angusticlavius, id est, nondum Senator, sed inter equites: iste, Consularis: nec tenue usquam vestigium confusionis ejus, quam facis. Hoc mihi in transcursu monitum, non ut carpam (Fidem testor); sed ut claro sub exemplo doceam quam fallax hæc Critica, et ignoscendum etiam nobis esse, si labimur interdum in proclivi ista via. *Lipsius.*

Cap. 32. *Quoniam Galliæ tumeant*] In codice Matthiæ regis legitur, *quam.* Lego, *quamquam.* Rhenanus. Fortasse legendum, *timeant.* Sed Danesius pro, *quoniam*, legebat, *quanquam.* Ursinus.

Paucis diebus quartamdecimam] Hæc restitui, in vulgatis qua a verbis qua ab interpunctis mendosa. *Lips.*

Cap. 33. *Brixellum concederet*] Ita factum, ibique se occidit. Eluc mendam igitur quæ in Egesippo (scriptore mihi quidem haud spernendo)

libro IV. capite 24. ‘ Cum Otho comperisset Valenti ac Cæcinæ, Vitellii comitibus, victoriam cessisse, Brixiæ positus, voluntaria morte eripuit se ludibrio.’ Facito *Brixelli*. Lips.

Summæ rerum et imperii seipsum reservaret] Exemplar manusc. habet, *summam*, velut sit appositive dictum. Sed placet ut *summa* legatur. Mox est illic *prætorianarum*, nec id placet. *Rhenanus*.

Et Otho ut cui uni] In exemplari manuscr. *et ut Otho*. Malim, *Et Otho ut cui, &c.* Rhenanus.

Cap. 34. *Adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum*] Melius ex Flor. distinxi. Antea sic, *manum. Ac ne ipsorum miles segne otium tereret, naves, &c.* Duplex consilium inchoandi pontis: ut primo transitum simularent; ac deinde, ne milites otio languescerent. Postea descriptionem pontis aggreditur. *Pichena*. Aliter distinguendus locus. Nec enim hinc nova periodus inchoanda: *Ac ne ipsorum miles, &c.* Sed nectenda ea cum superioribus, quorum sententia integra finitur demum in verbo *tereret*. Duas enim caussas ponit Tacitus inchoati a Vitellianis pontis, et ut transituri Padum viderentur contra gladiatores oppositos, et ne miles otium segne tereret. Post illa pontem et ejus formam describit. Igitur sic distingue, *inchoato ponte, transitum Padi simulantes adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret. Naves, &c.* Acidalius.

Jactis insuper ancoris] Quod in exemplari manuscr. sit, *super*, forte legendum, *jactis superne ancoris*. Paulo post deest illic vocabulum *hostes*: ‘ unde tormentis et machinis propulsarentur.’ Item in eodem codice legitur, *Mixti remiges propugnat*. Rhenan.

Cap. 36. *Abruptis quæ superfuerant navibus*] Forte: *abreptis*, id est, Raptim abductis; quæ ab hostibus captæ aut mersæ non erant. *Gronovius*.

Incursu tribunorum] Scripsimus, *intercursu*. Rhenanus.

Cap. 37. *Obstructumque moribus suis principem*] Reposui, *obstrictumque meritis suis principem*. Rhenan. Venetus *moribus*: quam vocem vulgatæ non antepono, præsertim a Flor. firmatæ. *Pichena*.

Cap. 38. *Cn. Pompejus occultior, non melior*] Sallust. apud Sueton. de Gram. ‘ Pompeius oris probi, animique inverecundi.’ *Savilius*.

Nedum Othonis ac Vitellii exercitus] Qui scil. ut supra dixit, linguis moribusque dissoni, nec de rep. aut imperio solliciti. Quod sequitur, *illos*, referendum est ad Othonianos ac Vitellianos exercitus ducesque, non ad Pharsalicos, et Philippenses. *Pich*.

Cap. 39. *Profecto Brixellum Othone*] Prœlii hujus descriptio laborat multis non excusandæ negligentiæ vitiis. Sed, ut prius extricetur lectionis ambiguum, in editis quibusdam exemplaribus verba sic emendata leguntur: *Confluentes Padi et Adduæ fluminum petebant*, ubi Vett. Mss. habent *Padi et Agele*, manifesto corrigentis errore. Padus et Addua confluunt supra Cremonam; Bedriaco inferius ad vigesimum milliare remoto; ut Othoniani e campis Bedriacensibus excita mole exercitus, pugnæque in Vitellianos accincti, qui circa Cremonam erant, contendere non debuerint ad confluentes Padi et Adduæ; obstat enim loci distantia, cum recta Bedriacum inter et confluentem Adduæ via longius excurrat, quam positi hac descriptione termini patiuntur. Quærendus itaque fluvius Pado confluens, quatuor aut circiter infra Cremonam milliaribus; fortasse Ollius, aut alius, ad cujus confluentem Othoniani progrediebantur, et unde haud procul factum prælii initium. Tacitus vero ignarum dimittit lectorem, (quod summopere mireris) ubi Vitellianis castra fuerint. Macer suos habuit gladiatores haud procul Cremona, cui Cæcina pontem objecit, structum, ut circumstantiæ suadent,

non longe a præcipua castrorum sede. Dispersi quoque fuga Vitelliani Cremonam petunt, munitionis caput et refugii locum. Tandem Hist. III. ubi de Cremona, ' eadem rursus belli sedes,' et eod. lib. ' Othoniano bello Germanicus miles mœnibus Cremonensium castra sua, castris vallum suum circumjecerat;' res animadversione digna, sed gratior, si hic fuisset inserta. Ex omnibus hisce locis (si meo stetur judicio) certius, quam per conjecturas, statuere licet, Vitellianos castra habuisse ad Cremonam, quomodocunque illuc fuerint delati; nam super ea re, ut antea feci, non moveo auctori controversiam. Othoniani autem, inquit Tacitus, quatuor progressi milliaria, relictis tamen, quæ castrorum Bedriacensium defensioni sufficerent, multis copiis; cum tamen locus ille, ad quartum a Bedriaco lapidem, in unam tantum noctem eligeretur. Othoniani enim, magna clade accepta, Bedriacum confugiebant. Longius inde et sexdecim milliarium iter ingressi, non recta, ut præsumere licet, sed ad læva Padi deflectentes, quatuor circiter milliaria infra Cremonam ad confluentes Padi et Oglio, ut hodie vocant, aut Agele, aut quodcunque fuerit nomen; et tamen non videntur ibi consedisse, sed recta in hostem, suis ad Cremonam munitionibus tutum, pergebant. Nam (inquit Tacit.) plerosque Vitellianos equites intra vallum suum redegerant. Prout ergo rem concipio, misellus hic vicus Bedriacum, nomine ita ignoto præteritis consecutisque temporibus, ut situs ejus inter incerta ponatur, injusta hujus prælii fama celebratur præterita Cremona. Et tamen conspirat scriptorum omnium in illud nomen consensus; nisi forte hæc movet ratio, quod Othoniani in fugam sparsi eo se receperint. Pugnæ enim initium in vigesimum ab illo milliare incidit, et sub Cremonæ mœnia; tempus autem, si Josephum et Egesippum sequimur, in posterum a prælio ad Castoris diem. Sed Tacitus, cui hic potior debetur fides, in re magis ei explorata, utpote intra Italiam gesta, alio nobis præit. Suet. Oth. 9. occursum utriusque exercitus longe aliter describit. *Savil.*

Alienæ culpæ] Emendavimus, *alienæque.* Rhenanus.

Promoveri ad quartum] E Plutarcho scriberes, *ad sextum.* Nam ille quinquaginta stadia numerat. Sed et paulo post ubi noster XVI. milliaria numerat, Græci ejusdem computatione XII. saltem efficiuntur. Nihil tamen ego mutem. *Lipsius.*

Adeo imperite] Totum hunc locum verbatim Plutarchus expressit, ut pleraque alia: etsi haud multum ætate nostro inferior. *Idem.*

CAP. 40. *Non ut ad pugnam, sed ad bellandum profecti*] Imo plus est ad bellum se parare, quam ad prælium. Scribe, *ad debellandum.* Ibant non quasi ad incertum certamen, sed ut finem imposituri bello una victoria. *Grotius.*

Non amissuro] Castig. *non admissuro, &c.* Rhenanus.

Ubi consiliis vincerentur, ad jus] An jussa Othonis prætendebant? potius credendum est, eos dicere solitos, sic volo, sic jubeo. *Pichena.*

Citus equo Numida] Viri eminentiore dignitate tum temporis ducebant plerumque quosdam Africanos Numidas equites augendo comitatui, aut expediendis, quæ festinato opus haberent. Senec. ep. 124. ' Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.' Idem epist. 88. Mart. l. XII. Epig. 24. ' Non vector Libyci caballi, Succinctus neque cursor antecedit.' *Savil.*

Æger mora, et spei impatiens] Talis in Homerico illo Hectore affectus: Βέλτερον αὖτ' ἔριδι ξυνελαύνεμεν· Ὅττι τάχιστα Εἴδομεν ὁπποτέρῳ κεν Ὀλύμπιος εὖχος ὀρέξῃ. Et Polybii verissima

gnome: Βαρύτατος δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ τοῦ μέλλοντος γίνεται χρόνος. *Lipsius.*

Cap. 41. *Quæ strictis mucronib.*] Sustulimus pronomen *quæ*, et participium *astrictis* prima litera multavimus, vocem *ea* substituentes, *Ea strictis mucronib. &c.* Rhenanus.

Accurrentium, clamantium] Farnes. et priscæ editiones, *accurrentium, volantium;* Vatic. *vomantium:* ut omnino aliud hic verbi fuerit; placetque Pichenæ, *vocitantium.* Lips.

Incertus undique clamor accurrentium, clamantiumque] Submoto parelco *que* scripsimus, *accurrentium, clamantium.* Rhenanus. Corrupte in editis, *accurrentium, clamantium:* cum inepte dicatur *clamor clamantium.* Sed neque verbum est a libris vett. Flor. *vomantium,* ex quo Lipsius, *boantium.* Mihi veteri scripturæ propius visum est, *vocitantium,* cum ex litera, *m,* facillime fieri possint litteræ, *cit,* ac reliquæ omnes congruant. *Pichena.* Quod ad marginem est *vocantium,* sententia sane requirit: nisi tamen quia in Vat. *vomantium* legitur, inque eo Lipsius latere aliud verbi putat, fuerit forte, *vocitantium.* Nam Muret. *acuentium, volantium,* æque ridicula ac Palmerii *bovinantium.* Acidalius. Locus haud dubie corruptus. Veteres, *vomantium.* Unde feceriui, *vitantium,* nempe signa. 'Ut vitare castra' paullo post dicit. Certum est hic agi de militibus, aliis strenuis, et accurrentibus, ad signa, aliis iguavis, et signa vitantibus. Horum autem diversus et incertus clamor. Considera sequentia, et agnosces restitueudum hic esse verbum, quod τῷ *accurrere* opponatur. *Boxhorn.*

In primam postremamve aciem] Nos, *postremamque.* Rhenanus.

Revehebantur] Flor. *relabebantur.* Non muto. *Pichena.*

Cap. 42. *An in ipsa Othonis parte*] *In* præpositionem delevi. *Rhenanus.* Muret. addita præpositione, *an in ipsa, &c.* Acidalius.

Cominus eminus] Scripsi, *Cominus eminusque, &c.* Rhenanus.

Umbonibus niti] Vocem, *niti,* ex Farnes. et Vatic. addidi: et vero abesse sine sententiæ incommodo nou potest. *Lipsius.*

Perrupere] Nos, *perrumpere,* hoc est, Perrumpebant. *Rhenanus.*

Cæteris conspicui] Si quis *cæteri* volet legere, quemadmodum est in cod. Ms. sic distinguet, *Noscentes inter se cæteri, conspicuum in eventum, &c.* Idem.

Cap. 43. *Prima adjutrix*] Indebantur hæc cognomina legionibus fortuito, et plerumque arbitrio imperatoris, unde et primam legionem *Minerviæ* nomen habuisse Spartianus scribit. Sed et in veterum marmorum scriptionibus hæc eorum cognomina reperi, ut secunda legio *Italica, Germanica, Parthicaque* dicta sit; III. legio, *Augusta, Cyrenaica, Prætoria, Gallica:* IV. *Macedonica.* V. etiam *Martia:* VI. *Ferratensis* et *Gallicana:* VII. *Claudia Geminia Gamilensis:* IX. *bis Augustalis:* X. *Fretensis Geminia:* XI. *Apollinaris,* sicut et XVI. Sed et legio XX. *Victrix:* XXII. *Primigenia:* XIII. et XIV. *Geminia,* quandoque et *Germanica:* XXX. et XXXII. *Virginià.* cæterarum nomina adhuc non comperi. *Alciatus.*

Unaetvicesimanorum principiis] Aliquot libri, *principibus:* placet. *Lips.*

Stratis unaetvicesimanorum principibus] Castigavi, *stratis Unaetvicesimanorum principiis.* Rhenanus. Plutarchus *principia* hic accipit, qui primos ducunt ordines: Πάντας προμάχους ἀποκτείναντες. *Savil.*

Aperte alia propulsa] Nos, *A parte alia, propulsa, &c.* Rhenanus.

Cap. 44. *Castra vitavere*] Farnes. *castra petivere:* falso. Nam Plutarchus aperte: Τῶν δὲ στρατηγῶν οὔτε Πρόκλος οὔτε Παυλῖνος συνεισελθεῖν ἐτόλμησαν, ἀλλ' ἐξέκλιναν φοβούμενοι τοὺς στρατιώτας. *Lips.*

Annius Gallus] Consultationi ad Bed-

riacum habitæ non interfuit. Quando reversus eo fuerit, et cur, cæteris ad pugnam euntibus, ibidem substiterit, Taciti negligentia intactum reliquit, ut et complurium, quæ speciatim Celsum, Gallum, Titianum, &c. spectant, ignoratione nos multat, cum accuratæ narrationis operam mereantur in subjiciendis Valenti et Cæcinæ Othouianis; Plutarcho non omissa, et iners auctoris nostri silentium arguentia, qui (si verum fateri licet) hac narratione ita defunctus est, ut illud solum intelligamus, quid scripserit, non intellexisse. Et sane quoad particularia scribit Plutarchus, qui in acie versati fuerint, professos sui se ignaros fuisse, διὰ τὴν ἀταξίαν καὶ τὴν ἀνωμαλίαν: i. *cum omnia confuse gererentur.* Neque tamen excusanda Tacitus commisit, cum Plutarchus minori rerum Romanarum notitia, cui nec ita faciles ad intima negotiorum aditus, ex duobus malis id prodiderit memoriæ, quod magis potuit intelligi; vir alioquin Tacito longe major. *Savil.*

Et si ita ferret] Nonne addendum aliquid ad illa fuerat? Forte legendum, *si fors ita ferret.* Acidalius.

Cap. 45. *Apud duces Vitellianos dubitatum*] Imo vero, *non dubitatum:* idque res et Plutarchus suadent. Ideo optima lectio quam ex Flor. adstruit Picheua: *missa legatio: nec apud duces.* Lipsius.

Missa legatio, nec apud duces] Male vulgo: *missa legatione, apud duces:* unde Lipsius non immerito negationem inserendam censebat. Florcutinus mihi ad veram correctionem prætulit facem, qui habet: *missa legatione: capud duces.* Infra eod. lib. ‘ et missa legatio, quæ gaudio fungeretur.’ *Pichena.* Quo pacto dubitatum si isti castris abstinere, sperantes voluntariam deditionem? ‘ simul voluntaria deditio sperabatur.’ Et centuriones jam præmiserant, qui de conditionib. agerent cum victis? Plutarch. in Oth. ‘ ipsis vero proficiscentibus centuriones obviam facti sunt, qui dicerent motum jam exercitum Bedriacum petere, se autem a ducibus missos pro concordia.’ An legationem non statim amplecterentur, qui animos hostium non demissos cernebant, et Mœsicos propediem sciebant affuturos? hæc nonnihil urgent, non addam tamen negationem, ut factum est eruditissimo viro. Putem, *apud duces Vitellianos,* positum pro in castris Vitellii; exemplo Comicorum, qui dicunt *apud nos, apud vos,* domi nostræ, vestræ. In castris enim Vitellii, qui concilio non interfuerunt, suspicati sunt Othonianos irritos spei ad suos reversurum, quod a ducibus diutule in concilio detenti fuerint, quasi ea mora signum esset pacis non impetratæ. Hæc an vera sint nec ne, sequentia non obscure docent: ‘ legati paulisper retenti, ea res bæsitationem attulit ignaris adhuc, an impetrassent.’ *Salinerius.*

Cap. 46. *Et consilii certus*] Malim, *sed cons. certus.* Rhenanus.

Is prætorii præfectus] Duo Præfecti prætorio sub Othone, Licinius Proculus et Plotius Firmus. Tacitus l. 1. ‘ Prætorii Præfectos sibi ipsi legere, Plotium Firmum e manipularibus quondam, et Licinium Proculum.’ Nec alios usquam nominat. Ut jure mirer in hac Othonis morte Plutarchum commemorare Pollionem prætorii Præfectum. Quod vix est ut sit sine mendo: verba ejus: Οἱ δὲ στρατιῶται, Πολλίωνος, τοῦ ἑτέρου τῶν ἐπάρχων, ὀμνύειν εὐθὺς εἰς τὸν Οὐιτέλλιον κελεύσαντος, &c. malimque Πλωτίου: nisi huic Plotio etiam Pollionis cognomen, quod unum dici superest. *Lipsius.*

Is prætorii præfectus erat] Verbum *erat* sustulimus. *Rhenanus.*

Majore animo tolerari] * Lucanus: &c. * Illa virgo apud egregium vatem (intellego qui Thebaida scripsit) ‘ non est, ut putas, virtus, pater, Timere vitam: sed malis ingentibus Obstare,

nec se vertere, ac retro dare.' Cæsar lib. VII. &c. * Q. Curtius: 'Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Sæpe tædio laboris, ad vilitatem sui compelluntur ignavi.' Biberunt omnes e patera Aristotelis, cujus hoc scitum in Ethicis: Τὸ δὲ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Hen taceo. *Lips.*

Fortes et strenuos] Itaque Florus, IV. 8. 'Magnæ indolis signum est, sperare semper.' *Idem.*

Præmissi e Mœsia] Nos, *præmissi Mœsia:* subauditur autem *e* præp. *Rhenanus.* Addidi ex Flor. ac Ven. præpositionem, *e*, in vulgatis vacantem. *Pichena.* Muret. *e Mœsia.* Sed innumeris locis præpositiones ad eum modum omissæ, incertum ab ipso auctore an ab exscriptoribus. *Acidal.*

CAP. 47. *Tanto pulchrior mors erit*] *Tanto* non est in volumine Budensi, nec est opus ea voce; subauditur enim; Quanto plus spes ostenditis, si vivere placeret, pulchrior mors erit. Nec hic solum omittit, sed et aliis in locis. Hist. lib. III. 'Propinqua Cremonensium mœnia, quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant.' Eod. lib. 'Nam amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus.' Proinde nos hoc quoque loco supposititiam vocem *tanto* submovimus. *Rhenanus.* Bene etiam vulgati, sine voce, *tanto:* neque etiam adjecissem, nisi in Flor. haberetur. *Pichena.*

Nec tempus computaveritis] Scripsi, *Ne tempus, &c.* Rhenanus. Scripsi, *nec*, ex Flor. Vulgo *ne.* Pichena. Cum Mureto malim scribere et distinguere: *Nec tempus computaveritis. Difficilius, &c.* Acidalius.

Difficilius est temperare felicitati] Dativus *felicitati* non est in libro Regio, nec eo opus est: nam subauditur, *fortunæ*, quod vocabulum præcedit, aut similis dativus quispiam, puta, *rei*, vel ablativus *re*, pro, *ab re.* Rhenanus. Hæc omnia eo tendunt, ut probent milites immania Othonis cœpta, simulque iis obviam eunt, 'majore animo tolerari adversa quam relinqui.' Ii quibus læta, quibusque tristia jam experimento cognita, credebantur nimirum vixisse. Hist. III. 'et prosperis adversisque satiatum, sed quod nomen quemque statum filio ejus Germanico fore?' Itaque Otho, quid moras (ait) meis destinatis, o commilitones, objicitis? satis jam, satis jam vixi: si quidem experiendo didici, quid prospera sint, quidque adversa, et (quod me facit vitæ securiorem) utrobique sancte me gessi: nec hilum promovebitis dicendo, quod non tantum temporis usus felicitate sim, quantum cum miseriis conflictavi, eoque vitæ pareendum, et obviam suspicioni eundum esse, nempe me felicem majore vivendi spatio eundem vitæ tenorem habiturum non fuisse; nam respondeo, qui verentur, ne secunda momentanea sint, ii sese immergere solent in vitiorum sentinam: quæ cum a me brevis meæ felicitatis præsecio facta non videatis, non est, quod ejusmodi me deterrere tentetis. Hæc *experti invicem sumus, &c.* * dies modeste administrato. Quæ vero dixi de suspicione, quam habebat Otho de sui imperii brevitate, his firmantur. Suet. c. 7. 'Postridie quoque in augurando tempestate orta graviter prolapsum, identidem obmurmurasse, τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;' i. *quid enim mihi et longis tibiis?* Cæterum hic habes, quam impotenter in imperiis agant, qui se ὠκυμόρους credunt: quos imitantur ministri senum dominorum. Hist. I. 'servorum manus subitis avidæ et tanquam apud senem festinantes:' unde non illepide Teius Anacreon: Ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μὲν, Εἴτ' εἰσὶν εἴτ' ἀπῆλθον, Οὐκ οἶδα· τοῦτο δ' οἶδα, Ὡς τῷ γέροντι μᾶλλον Πρέπει τὰ τερπνὰ παίζειν, Ὅσῳ πέλας τὰ μοίρης, i. *ego vero comæ defluxerint nec ne, igna-*

rus sum : hoc unum autem scio, senem decere magis lusus ludere quo magis fatum propinquat. Salinerius.

Initium illic fuit] Malim, *illinc*. Rhenanus.

Alii diutius imperium tenuerint] Sic rectius Flor. nam sequitur, *reliquerit*. Vulgo, *tenuerunt*. Pichena.

Nemo tam fortiter reliquerit] Verbum *reliquerit* delendum est : nam optime habet sententia: *Alii diutius imperium tenuerunt, nemo tam fortiter*, subaudi *tenuit*. Loquitur autem de fortitudine animi, qua mortem etiam non timebat. *Rhenanus.* Non solum Otho primas tulit inter Reges, qui mortem sibi consciverunt, sed Martiale arbitro fortius ipso Catone in ferrum incubuit, Lib. VI. Ep. 22. *Salinerius.*

Sed este superstites] Muretus, *sed estote*. Pichena.

Plura de extremis loqui] Quem non capiant hæc talia, ex intimo animorum et affectuum penetrali deprompta? et sunt assidua in nostro scriptore. Quinctilianus Declamator, &c. * *Lipsius.*

CAP. 48. *Neu remanendo iram victoris asperarent*] Castigavi, *neu remorando*. Rhenanus. Huic Florentini aliorumque veterum lectioni Rhenanus ex suo Budensi substituerat : *neu remorando*. Pichena.

Senes precibus movebat] Verbum, *movebat*, reposui ex Flor. verius, ni fallor, ad Taciti mentem, quam, *monebat*, ut in vulgatis. *Pichena.*

Aut in Vitellium] Præpositionem *in* sustulimus. *Studio erga se, aut Vitellium* (subauditur *erga* repetitum) *contumeliis insignes abolet.* Rhenanus. Addenda videtur, *in*, præpositio, legendumque : *Aut in Vitellium, &c.* Ursinus.

Salvium Cocceianum fratris filium] Melius ita, quam *Cocceium ;* quod Plutarchus præfert. Nam et Tranquillus ita appellat, in Domit. cap. 10. ubi narrat hunc interfectum. At Suetonius non fratris solum filium, sed ipsum hic fratrem præsentem facere videtur : contra Taciti et Plutarchi narrationem aperte. Nam ille in castra evaserat e pugna, seque cum aliis dedidit. Suetonii tamen verba, cap. 10. ' Fratrem igitur, fratrisque filium, et singulos amicorum cohortatus :' quæ profecto non vera, si verus Tacitus. *Lipsius.*

Prima juventa, trepidum] Sic distinguendum putavi, cum esset, *prima juventa trepidum*, multo deteriori sensu ; quasi iste adeo trepidasset, quod juvenis adhuc esset. ' Non ego hoc ferrem calidus juventa :' ut ait Horatius. *Freinshemius.*

Neu patruum sibi Othonem] Totidem pæne verbis Plutarchus : μήτε ἐπιλαθέσθαι παντάπασι, μήτε ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχες. Non audiemus Beatum, qui verbum, *nimium*, auctore Budensi codice, delet, et una sententiæ acumen. Totum id enim in eo : sicut et in Plinii loco fuerat, epist. lib. III. 14. quem depravarunt : ' Largius Macedo superbus alioqui et sævus dominus, et qui servisse patrem suum parum imo minimum meminisset.' Tu scribe, *nimium meminisset*. Lipsius.

Aut nimium meminisset] Adverbium *nimium* non est in cod. Bud. Videtur adjectum ab eo, qui putabat alioqui sententiam esse imperfectam : quum horum verborum, *Neu patruum sibi Othonem fuisse, aut oblivisceretur unquam, aut meminisset*, sensus sit, Nec se fuisse talem, cujus pudere merito queat, ut ipsius obliviscendum sit, nec rursum adeo profuisse ut longam apud suos memoriam meruerit, aut expectet pro beneficiis celebrari. Miram Othonis modestiam arguunt hæc verba. *Rhenanus.* Excidere Salvio patrui vera monita : nam si memor, nunquam celebrasset ejus natalem. Suet. Dom. 10. *interemit Salvium Cocceianum, quod Othonis imperatoris patrui sui diem natalem celebraverat.* Sed Otho moribundus exitium nepo-

tis vere præsagit, quasi vera prædicentur ab iis, qui jam jam vitam sunt cum morte commutaturi. Hom. Il. Π. 851. Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν, Οὔ θην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή: i. *Aliud autem tibi dicam, tuque in pectus conde tuum, Non equidem neque tu ipse diu vives, verum jam tibi mors Imminet, et potens fatum.* Et quidem Patroelus falsus animi non est. Orodes etiam eodem eventu eadem Mezentio prænuntiat. Virgil. x. 739. *Salinerius.*

Cap. 49. *Supremus jam curus animo volutantem*] In volumine regio legitur, *jam super c. agentes.* Scripsimus, *jam supremas curas agentem.* Rhenanus. Non video cur spreverit Rhenanus hanc lectionem ab optimis exemplarib. præsertim a Flor. firmatam. *Pichena.*

Repens tumultus avertit] Non hic ausim reponere *advertit ;* eo significatu, quo in Annalib. noster utitur, et nos ibi notavimus. *Acidalius.*

Exitam minitabantur] Castig. *exitium.* Rhenanus.

Vesperascente die] Farnesiano est, *vesperante:* quod verum arbitramur. Agellius : ' Ubi jam vesperaverat.' *Lipsius.*

Allatis pugionibus] Vocem addunt aliquot libri, *pugionibus duobus:* atque ita Plutarchus : δυοῖν ὄντων αὐτῷ ξιφῶν. *Idem.*

Tum allatis pugionibus duobus, cum atrumque pertentasset] Liber Ms. *Tum allatis pugionibas, cum utrimque temptasset* (hoc est ab utraque aeie) *alterum capiti subdit*, non *subdidit.* Apparet autem fuisse duos, quia dicit, *alterum capiti subdit ;* ergo subintelligitur ablativus *duobus:* quam lectionem nos in contextum retulimus. *Rhenanus.* Ex Ven. addidi voeem, *duobas*, certe necessariam, eum postea dieat, *utrumque.* Dein Flor. ac Ven. *eum utrumque pertentasset, alterum capiti subdidit.* Vulgo, *cum utrumque tentasset, alterum capiti subdit.* Plch.

Placentiæ, aliisque in castris] Erasimus particulam *que :* nam gaudet asyndeto Tacitus. *Rhenanus.* Ex Flor. restitui copulam, *que*, nam in editis exciderat. *Pichena.*

Sepulchrum exstructam] Plutarch. *Brixelli.* Savilius. Si enim superbum et operosum exstruxissent, Vitellius forte aut alii futuri Prineipes invidia sustulissent. *Idem.*

Cap. 50. *Maternum genas impar*] Sneton. appellat *splendidissimam fœminam* e. 1. Savilius.

Duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, ultero egregio] Alterum intelligit eædem Galbæ, alterum suam ipsius mortem. *Pichena.*

Meruit bonæ famæ] Martial. l. vi. Ep. 31. ' Sit Cato, dum vivit, sane vel Cæsare major : Dum moritur, nunquid major Othone fuit?' *Savil.*

Apud Rhegium Lepidum celebri luco consedisse] Scripsimus, *celebri loco.* Rhenanus. Ita hodie legimus apud Taeitum : sed scripserat ille insignis vir : *celebri loco.* Fuit enim Rhegium Lepidum celebre oppidum a M. Lepido C. Flaminii eollega sie dietum, qui τὴν ἐξῆς μέχρι Βονωνίας κἀκεῖθεν εἰς Ἀκυλήϊαν παρὰ τὰς ῥίζας τῶν Ἀλπέων ἐγκυκλούμενος τὰ ἕλη ἔστρωσε, secundum Strabonem. Idem Ῥήγιον Λέπιδον voeat, reetius fortasse, quam Ptolemæus Λεπίδιον. Sie Rutilius in itinerario : *Lepidum recidit ense malam.* Plinio sunt Rhegienses de Lepido. Hodicque *Reggio* dicitur: *Colerus.*

Aut circumvolitantium alitum] Conjunctionem *aat* delevimus, et scripsimus, *circumvolitantem alitem.* Rhen.

Tum ablatam ex oculis] Codex Budensis, *Tum ablata ex oculis*, subauditur *est.* Sed tum oportebit in clausula, quæ sequitur, ' et tempora reputantib. initium finemque miraeuli eum Othonis exitu competisse,' rursum subaudire verbum *memorant*, aut *aiunt.* Idem.

Cap. 51. *Verginius*] Plutarch. μανικὸν ἡγησάμενος τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἡττωμένων παραλαβεῖν· νενικηκότων πρότερον μὴ θελήσας· i. *insanum existimans accipere imperium a victis, cum antea idem recusasset accipere a victoribus.* Savillius.

Per aversam domus portam furtim digressus] Mur. *partem* maluit. Parum abest, quin ego et hoc et illud spernam, scribamque, *per aversa domus furtim digressus.* Qui minus enim hic ita, si ad finem lib. III. recte Lipsius eodem modo: 'Vitellius, capta urbe, per aversa Palatii, Aventinum in domum uxoris sellula defertur.' Nam et hic vulgo, *per aversam Palatii partem*, et Roman. non, *portam.* Si alterutrum utrobique reponendum, quod crediderim: *partem* retinendum. Ea enim utitur post Hist. lib. III. 'Et monuit Martialem, ut per secretam ædium partem occulte abiret.' *Acidalius.*

Et venia statim impetrata] Nisi defectus sit locus legendum putem; *cohortium, preces Rubrius Gallus tulit: et venia statim impetrata. Concedentib. ad victorem per Fl. Sabinum iis copiis quibus præfuerat; et posito, &c.* Freinsh.

Iis copiis] Gladiatorum. *Savil.*

Cap. 52. *Illuc adverso de prælio allatum*] Nos, *illuc de adverso, &c.* Rhenanus.

Conviciis postremum] Scripsi, *postremo:* nec refert utro modo legas. *Idem.*

Societate culpæ tutior] Puto, *tutiores.* Lips.

Appellabatque patres consultos] Castigavi, *appellabatque patres conscriptos.*

Cap. 53. *Irritaverat Cæcinam*] Fatebere multo hic rectius legi *invitaverat.* Acidalius.

Rursus consiliaturi] Quid si legas, *consilituri*, a verbo *consilire?* nam ante dispersi fuerant. Hoc verbo Tacitus utitur Ann. lib. v. 'Patrem Abdagasen, aliosque occultos consilit:' nisi mendosa est editio. Construit cum dativo Ann. lib. III. 'Heduos evincite, et fugientibus consilite.' *Rhenanus.* Alias, *consulturi.* Ferrettus. Scribendum, *consilituri.* Vertranius.

Cap. 54. *Cœnus libertus*] Sic in libris antiquis scribitur. Vulgo, *Cenas.* Pichena.

Diplomata Othonis] Ad cursum publicum ea spectant, et a Principe dabantur. Si ergo ille mortuus, quis pareret? Sed de Diplomatis plene alibi: nunc Suetonii locum παρέργως emendemus, Calig. cap. 38. 'Prolata Divorum Julii et Augusti diplomata, ut vetera et obsoleta deflebat.' Cur deflebat? aut qui id convenit? vidi qui *delebat*, vellet. Ego, *deflabat*, vel *difflabat*, verum contendo: non enim alio gestu melius expresseris superbum habitum illum contemnentis et respuentis. Eaque difflatio etiam in nostris hodie moribus, ubi elevamus quid aut aspernamur. *Lips.*

Ut diplomata Othonis, quæ negligebantur reviviscerent] *quod ostendit Plinius in epist. ad Trajanum. Venuleius Jurisconsultus: 'Non debet felici diplomate usus omni tempestate contempta continuare iter diebus et noctibus.' Ex his clarissimus redditur hic Taciti locus. *Rhenanus.* Edicta significat et mandata principis cujusque modi sint. Id enim *Diploma* est, quod duplicato contineri soleret aut lino, aut alia materia: referturque ad *tesseram cursoriam:* quo significatu passim accipitur in nostris libris, ut in lib. XII. c. de cursu publico, et alibi. Hic vero tam *cursoriam tesseram*, quam *edicta* ad naves, commeatus, et cætera temporaria pertinentia, continentur: quæ labentibus Othonianis partibus negligi cœperunt. Eadem significatione accipitur paulo infra: 'Diplomatibus nullum principem præscripsisset.' *Ferrettus.* Ad publicum cursum hæc pertinebant. *Pichena.*

Rapidus in urbem vectus] Exemplar

Corvini regis, *rapidum urbem*. Forte, *rapide in urbem vectus*. Rhenanus. Beatus conjicit, quod verius est, legendum, *rapide*. Vertranius.

Jussu Vitellii pœnas luit] Muretus delet *jussu Vitellii;* nescio an librorum auctoritate, an ob glossematis suspicionem. *Acidalius.*

Cap. 55. *Cerealcs ludi*] In Cereris honorem fiebant ludi, quos alii Circenses quoque dictos volunt. *Lupanus.*

In sacramento Vitellii] Legendum, *Quod erat militum, sacramento Vitellii adactum*. Sic enim infra loquitur: 'Festinante T. Alexandro, qui Kal. Jul. sacramento ejus legiones adegit.' *Rhenanus.*

Haud immoderatæ] Placet editio Veneta: *haud immoderate*, per adverbium. *Freinsh.*

Cap. 56. *Tantum peditum equitumque, vis*] Si atteudis, haud difficulter mecum fatebere, illud, *tantum*, a glossographo esse, legesque: *peditum equitumque vis, dannaque, &c.* Vis pro multitudine et copia, tritum. *Lipsius.*

Tantum peditum equitumque vis] Non equidem ego offendor in hac lectione: sed quia Lipsio visum accipere vocabulum *Vis* pro multitudine et copia, eoque delere, ut glossema, *tuntum*, si quid omnino mutandum, magis placeat, non deleri, sed leviter concinnari, *tanta peditum equitumque vis*. Sed ego in vulgato lubens acquieverim. *Acidalius.*

Cap. 57. *Remanentium legionum nominu supplerentur*] Non muto hoc: sed valde hæsito, an non potius, *numeri*. Acidalius.

Cura belli Hordeonio] Verissime e Florentino corrigunt, *cura ripæ:* nempe Rheni, et ne Germani transirent. *Lipsius.*

Cura ripæ Hordeonio Flacco permissa] Male antea, *cura belli:* nam cujus belli? Sane contra Othonem, Valens tantum ac Cæcina a Vitellio destinati: neque in eo bello ullæ Flacci hujus partes. In Germania plus suspicionis quam belli. Hujus loci vitium simul et correctionem indicavit Flor. in quo, *Curari ripe Hordeonio*. Restitui ergo *Cura ripæ*. Verissime. Reliquerat Vitellius Hordeonium ad tutandam Rheni ripam, ne forte Batavi, aut aliæ suspectæ nationes, aliquid turbarent. Quod etiam apparet infra, 'Hordeonius Flaccus, suspectis jam Batavis, anxius proprio bello.' *Pichena.*

Inhonestam adulationem compescit] Reposui, *compescuit*. Rhenanus.

Cap. 58. xviii. *cohortes, quinque alæ*] In Flor. legitur, *decemnovem cohortes:* quod si rectum, scribere potius oportuit, *undeviginti*. Pichena.

In Othone pronus] Malim, *in Othonem*. Rhenanus.

Cap. 59. *Appulsus littori trucidatur*] Scripsi, *Appulsus litori, trucidatus;* subaudi, *est*. Rhenanus.

Nihil Vitellio anquirente] Merito id verbum reposui, cum in manuss. reperissem, *acquirente*. *Anquiro* enim, pro Inquiro, sive potius, valde quæro, veteri et proba nota signatum verbum est, Ciceroni, Varroni, aliisque crebro usurpatum, crebro corruptum. *Lipsius.*

Vitellio anquirente] Verbum, *anquirente* a Lipsio repositum, incorrupte in Flor. habetur. Vulgo, *inquirente*. Pichena.

Quamvis magna transibat] Neque hoc damno. Sed potuit Tacitus scripsisse, *transmittebat*, quod illi familiare in hac re verbum. *Acidalius.*

Nullo principali apparatu] Castigavi, *n. pr. paratu:* de qua dictione supra monuimus lectorem. *Rhenan.*

Circumdaret principis ministeria] Correxi, *Circumdaret principi ministeria*. Rhenanus. At ego, priusquam scirem ab interpolatione Rhenani sic legi, corrigebam *Principis*. Sic enim omnino legendum. *Circumdaret* puta Vitellio *ministeria principis*, qualia scilicet princeps Romanus habere circa consuevit. Sic Hist. lib. i. 'minis-

teria principatus per libertos agi solita.' *Gronovius.*

Comitaretur liberaliter] Observa *comitari* verbum novo et inusitato alias significatu, pro comitatu instruere; nisi tamen Tacitus ita non scripsit, quod subvereor, et jam inclino, ut reponam, *comiter et liberaliter.* Acidal.

Humilibus blanditiis] In Florentino, *vernilibus:* quod germanissimum. *Lipsius.*

Vitellius humilibus blanditiis velaret] Liber Matthiæ Corvini habet, *juvenilibus blanditiis.* Lego, *vernilibus blanditiis,* hoc est, servilibus, adulatoriis. Hoc vocabulum usurpat lib. seq. ' Vernile dictum omnem invidiam in eum vertit:' id est, scurrile, procax. *Rhenanus.* Scribendum, *vernilibus blanditiis velaret,* non *humilibus, &c.* Et ita Danesius legebat. *Ursinus.* Jure anteposui vocem *vernilibus* a Flor. traditam, id est, servilibus. Vulgo, *humilibus,* vere humiliori voce. *Pichena.*

Perlatumque et paludamento opertum] Addidi ex Flor. copulam, *que.* Pich.

CAP. 60. *Tum interfecti centuriones promptissimi*] Ne scripturæ huic omnino credam, facit editio prima: *Tum interfectis centurionibus, &c.* Forte fuit, *Tum interfecti ex centurionibus promptissimi.* Gruterus.

Credidit de perfidia, et fidem absolvit] * Hist. lib. I. 59. Non dissimili mendacio Themistocles init gratiam apud regem Persarum: is enim quasi sollicitus de regis salute, eum per Arnacem monuit, Græcos velle pontem solvere, quo junctus erat Hellespontus, ut reditu intercluso ejus copiæ occidione occiderentur: at re vera id simulatum quo maturius Rex Græciam linqueret, seque domi reciperet. Thucyd. lib. I. Θεμιστοκλῆς ἥκω παρά σε, ὃς κακὰ μὲν πλεῖστα Ἑλλήνων εἴργασμαι τὸν ὑμέτερον οἶκον, ὅσον χρόνον τὸν σὸν πατέρα ἐπιόντα ἐμοὶ ἀνάγκη ἠμυνόμην· πολὺ δ' ἔτι πλείω ἀγαθὰ, ἐπειδὴ ἐν τῷ ἀσφαλεῖ μὲν ἐμοὶ, ἐκείνῳ δὲ ἐν ἐπικινδύνῳ, πάλιν ἡ ἀποκομιδὴ ἐγίγνετο· καὶ μοὶ εὐεργεσία ὀφείλεται (γράψας τήνδε ἐκ Σαλαμῖνος προάγγελίαν τῆς ἀναχωρήσεως, καὶ τὴν τῶν γεφυρῶν, ἣν ψευδῶς προσεποιήσατο τότε δι' αὐτὸν, οὐ διάλυσιν): i. *Themistocles ad te venio, qui præ aliis Græcis domum vestram pluribus affeci malis, quamdiu necessario tuo patri me invadenti resistebam: sed etiam multo pluribus beneficiis, quod rebus meis salvis, ejusque in periculo constitutis, reditus ei rursus contigit: et mihi beneficium debetur: (adscripserat enim monitum de relinquenda Salamine, et pontium, quam tunc falso, ut in ejus rem fuxit, non solutionem).* Hæc ille, quæ Plutarcho astipulante minus recte mihi versa a Valla, et ab Henrico videntur. Hic, ' Sed multo plurimis beneficiis, posteaquam mihi quidem tuta, illi autem periculosa reversio fuit.' Ille, ' Sed multo plura bona contuli, postquam mihi integro fuit: et ille quod in periculo positus iterum reversus est, hoc mihi beneficium debet.' *Salinerius.* Egregium acumen depravat Muretus legendo, *et ideo absolvit.* Quod revera fides fuerat, Vitellius perfidiam fuisse persuasus, sub hujus nomine illam absolvebat. Et nove inopinateque dixit *fidem absolvi: absolvi perfidia* potius soleat et debeat. *Acidal.*

Sed creditum fama] Rectumne? an scribendum, *deditum fama?* Lips.

Creditum fama] Velim *famæ.* Sic sup. VI. 2. ' crediderat epistolæ.' *Freinsh.*

Deditque postea consulatum Simplici, innoxium et inemptum] Innoxium ait, sine alterius pernicie quæsitum. *Pichena.*

CAP. 61. *Nomen id sibi indiderat*] In libro Matthiæ Corvini legitur, *nam id sibi indiderat.* Rhenanus. Florentinus et Ven. *nam id sibi inderat.* Sed nihil mutavi. *Pichena.*

Ac mox feris objectus] * feris objectos legimus. Vidcat quoque stu-

diosus, quod de Androclo Daco Gellio scriptum est l. v. 14. Cic. pro Roscio Amer. ‘ Noluerunt majores feris corpus objicere :’ et Lamprid. in Comm. ‘ Adolescens omne genus infamavit hominum et ab omnibus est infamatus, irridentes se feris objecit.’ Spartianus in Severo, ‘ Narcissum deinde Commodi strangulatorem leonibus objecit.’ ‘ Subjici feris’ dixit Sueton. Cal. 21. Omnibus nota est Vedii Pollionis crudelitas, qui servos ob minimum delictum in vivaria murænarum immergebat. Senec. l. III. de Ira 40. Aliud erat in ludum venatorium, &c.* *Lupan.* Similiter postea Constantinus pater, per filium attritis Alemannis, qui in Italiam irruperant, ipsorum reges captos spectaculo bestiis objecit: quæ vetus noxiorum hominum pœna fuit. Siquidem apud Pausaniam lib. I. legitur, Lysimachus Macedo Alexandri satelles, in eandem cum leone caveam objici regis ira jussus : sed cum bestiam a Lysimacho interemptam rex audisset, viri perpetua admiratione virtutem prosecutus est. Romæ vero Scipio, exemplo patris sui Æmilii Paulli, &c. * Plinius de chalcantho quoque lib. XXXIV. 12. scribit. Quod vero tanquam inviolabili Marico feræ, quibus objectus, nec laniatus erat, humanissime pepercissent: an iterum infligi pœna, aliudve genus mortis irrogari debuerit a Vitellio, juris quæstio est, cujus Seneca exemplum refert, Declam. 3. lib. I. sed ejus definitio locum alium postulat. *Vertranius.*

Cap. 62. *Si luxuriæ temperaret*] Non dubium est, quin Tacitus, *luxuriæ*, scripserit, ut habet Florent. non, *luxuriam*, ut vulgati. Sic alibi *temperare felicitati*, *victoriæ*, *lachrymis*, *dolori*, *&c.* Pichena. Murct. *luxuriæ*. Nihil interest: sed hoc elegantius, et magis in Taciti usu. *Acidalius.*

Inexplebilis libido] Vide Suet. Vit. c. 13. *Savil.*

Ex urbe atque Italia irritamenta gulæ] Simile de Nerone Ann. XV. 37. ‘ Volucres et feras diversis e terris, et animalia maris Oceano ab usque petierat.’ Genus istud hominum sugillat Seneca epist. 60. ‘ Quamdiu unius mensæ frumentum multa navigia, et quidem non ex uno mari subvehent?’ ita quidem in edit. vulg. sed libri calamo exarati sufficiunt nobis *instrumentum ;* quod ego amplexus sum in Animadversionibus meis; nescio quam feliciter; pugnante pro recepta lectione Critici Senatus principe, cui nunc nihil respondeo, nisi hoc, non agere eo loci Senecam de ‘ turba servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda felicitas,’ ut idem loquitur Epist. 17. sed nec de immodica hominum cupiditate, quam reprehendit Epist. 114. Quid ergo? de conviviorum luxuria: nam cur heic iterum inculcaret *frumentum*, cum proxime dixerit ; ‘ Quamdiu sationibus implebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet?’ Verum locum illum fulcivimus suis tibicinibus l. XI. Suspic. c. 16. *Gruterus.*

Cap. 63. *Seram veniam post scelus quærebat*] Codex manuscr. manifeste habet pro *seram, secundam.* Itaque et nos sic scripsimus. *Rhenanus.* Nescio cur Rhenanus veterum librorum scripturam mutaverit scripseritque: *secundam.* Reposui ergo Flor. auctoritate vocem, *seram*, optimo sensu : ait enim : Cum Plautius objecta non probaret, pœnitentia ductus sceleris sui veniam quærebat : sed sero ac frustra, cum nihilominus Dolabella occisus fuisset. *Pichena. Seram* alias legi notatum, sed nemini adhuc receptum. Mihi olim *post* glossema videbatur, et Tacitum scripsisse : *veniam secundum scelus quærebat.* Esse enim aliquando *se-*

cundum idem quod *post*. Nunc hæsito. *Acidal.* Facile apparet hæc minus intellecta ab eis, qui hactenus heic retinuerunt Rhenani, *secundam*, plane contra mss. et edd. vett. in quibus constanter, *seram*, quod auctoris legitimum. Loquitur de Plautii pœnitentia ; qui cum objecta Dolabellæ probare non posset, inductus pœnitentia, veniam petiit delationis suæ : quemadmodum, meo judicio, recte exposuit Pichena. *Gruterus.*

Et famam clementiæ affectare] Nos, *affectaret*. Subauditur, *ut*. Rhenanus. Sic quidem Veneta edit. at Romana, *tenuit ne periculo, &c. adfectaret*, fortasse sincerius vulgato. *Gruterus.*

Cap. 64. *Longum interfectori*] Hic ordo verborum in meis libris : et sententia liquet. Alii trajiciunt ; quid nisi libidine quadam omnia mutandi ? *Lipsius.*

Longum interfectori visum. In itinere] Reposuimus, *Longum interfectori*, (subauditur, *erat.*) *In itinere visum, &c.* Rhenanus.

Cujus hoc primum specimen noscebatur] Vocabulum postremum hinc auferri posset sine ullo sententiæ malo. Ann. lib. I. 6. ' Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippæ cædes.' *Gruterus.*

Non minax tristibus] Scripsimus, *non minis tristibus*. Rhenanus. Danesius legebat : *Non minis tristibus*. Ursinus. Vulgo, *non minax*. Sed suspecta illa vox, nec veterum librorum fide adstruitur. Florent. corrupte, *non inmix*. Corrigendum olim putavi, *non nimia tristibus*, id est, non superba et intolerabilis erga tristes ac miseros, ut Triaria. At nuper aptius, ni fallor, emendavi, *non inmitis*, voce ab auctore nostro frequentissime usurpata, et scripturæ priscæ similiore, quam *minax*. Pichena. In Flor. *immix*. Hinc Pichena facit *nimia*. Sed ausim affirmare, me rectius conjecisse : *non minima ex tristibus :* proxime etiam vulgarem scripturam, quæ ex compendio scribendi corrupta. Tristes illi vocabant mulieres, nullo illicito gaudio aut lascivia corruptas sed pudicas et frugi. *Colerus.* Forte : *non immixta tristibus ;* i. non particeps ullius crudelis aut acerbi consilii. *Gronovius.*

In gaudium evicta] Castigavimus, *evecta*. Rhenanus. Magis probavi vocem, *evecta*, ex nonnullis Manuscr. quam *evicta*, ut in vulgatis. *Pichena.* Muret. mutat, *evecta*. Ego quod vulgatur, scripsisse Tacitum credo, imo scio. *Acidal.*

Cap. 65. *Exhortationibus ejus*] Emendavimus, *ex orationibus*. Rhenanus.

Comitatu principis adjectus] Nos, *comitatui*. Idem.

Exemplo L. Arruntii. Eum Tiberius] Annal. IV. *Savilius.* Vulgo, *L. Arruntii, quem Tiberius.* Emendationem indicavit Flor. qui habet, *Arruntium Tiberius.* Pichena.

Vectius Bolanus. E præsentibus] Distingui malim, *Bolanus e præsentibus. Angebat, &c.* ut significet Bolanum e comitatu principis in Britanniam missum. *Lipsius.*

Missus in locum ejus, Vectius Bolanus e præsentibus] Distinctio hæc a Lipsio reposita, confirmatur etiam a Flor. Aliter in vulgatis : *Vectius Bolanus. E præsentibus, &c.* Pichena.

Cap. 66. *Augustæ Taurinorum*] Vulgo, *Turinum*, caput populorum Subalpinorum, quod firmissimo Regis nostri præsidio tenetur. *Lupanus.*

Cladibus obliteratum est] Verbum *est*, expunximus. *Rhenanus.*

Alpibus digressi sunt] Magis proprie corriges, *degressi*. Pichena. Significantius legas *degressi*. Atque ita lib. I. ' Cæcina propiore transitu Peninis jugis degredi jussus.' Lib. III. ' Pullo amictu palatio degreditur.' *Acidal.*

Cap. 67. *Separatæ primum*] Scripsi,

Separati. Rhenanus.

Honestæ missionis] Satis ab Ulpiano in c. 2. Pandectarum de his, qui notantur infamia, et a Martiano c. 13. de re militari explicatur, tria esse missionum genera, *Honestam*, *Causariam*, (unde a Livio *Causarii* milites, qui ea se excusant) *Ignominiosam*. Lupanus.

Arma ad tribunos deferebant] Sic Flor. vulgo, *ferebant*. Pichena.

Tum resumpta militia] An cum de Vespasiani bello auditum, Vitellius iterum prætorianos sibi adscivit? potius intelligo, eos tum pro Vespasiano militiam resumpsisse: infra enim ait: ‘ Ad omnes exercitus legatosque scriptæ epistolæ, præceptumque, ut Prætorianos Vitellio infensos, reciperandæ militiæ præmio invitarent.’ Ergo antea non recipcraverant. Et de Vitellio inferius: ‘ Prætorianos nuper exauctoratos insectatus.’ *Pichena.*

Tertiam decimam struere amphitheatrum jussit] Codex regius habet, *Tertia decima.* Cujus occasione vocabuli sic reposuimus. *Tertiadecimani struere amphitheatrum jussi.* Rhenanus. Danesius legebat, *Tertiadecima ac septima suis hibernis redditæ. Undecimani struere amphitheatra jussi, &c.* non ut in vulgatis, *Undecima ac septima s. h. redditæ. Tertiadecimani, &c.* Ursinus.

Voluptatum obliviscerctur] Ita Flor. at vulgo, *voluptates.* Pichena.

Cap. 68. *Et quidem partes modeste distraxerat*] Et hoc verbum ex Flor. restitui. Vulgo, *distinxerat.* Pichena. Hinc incipiendum duximus caput: alii adsuebant præcedentibus, idque sensum turbaverat. *Freinsh.*

Apud victores orta seditio] Vix tandem emersi me ex hac salebra, et vidi errorem. Transpositi enim per negligentiam versus sunt, iique in hunc ordinem cogendi: *Et quidem partes modeste distraxerat, nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset. Apud victores orta seditio, ludicro initio. Discubuerat Vitellius, &c.* Si tamen locus integer est, de quo ambigo. Scripsi *distraxerat*, non, *distinxerat*, ex Vatic. et videtur ad sententiam aptius, quia intellegit Vitellium satis clementer et modeste legiones adversæ partis disparasse, et per varias provincias distraxisse, ne coirent. *Lipsius.*

Orta seditio ludicrorum initio] Nos, *ludicro initio.* Rhenanus. Non est quod transpositum censeas: nec enim invidia bello e numero cæsorum in acie, quam ultra non sævitum a Vitellianis; sed e numero cæsorum post pacem partam sociorum: quia duæ cohortes auxiliarium Gallorum cæsæ. *Mercerus.* Transposita hæc Lipsius autumat. Ego vulgatum textum reliqui: refertur enim cæsorum numerus ad duas cohortes in ea seditione interfectas, ut paulo infra narratur. Ideoque detestabatur civile bellum, in quo, tam levibus caussis, tot mala possunt accidere. *Pichena.* Levem originem habuit seditio, nempe studium luctandi, sed adeo res rediit, ut explicari nequiverit, nisi duarum cohortium strage: unde civilis belli detestatio, quæ oblata quavis de causa semper arripitur. Tacit. ‘ advertere proximi, deinde plures, hinc per omnem aciem miraculum, et questus, et sævissimi belli execratio.’ At Erunditiss. vir ea quasi luxata sic restituit in suas sedes: *modeste distinxerat, nisi numerus cæsorum, &c.* quasique ibi agatur de numero interfectorum Bedriaci, et hoc sensu: modeste se gessit Vitellius cum victis, et inde laude dignus, nisi tot civium prælio perdidisset. Sed cur sine chirurgia non referimus *nisi numerus cæsorum* ad *ludicro initio*, et respectum dicimus ad duas Gallorum cohortes cæsas in illa turba? *Salinerius.*

Numerus cæsorum invidiam bello auxit] Budense volumen habet, *nūs nūs cæsorum invidiam bello auxis-*

set. Correxi locum, *nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset.* Rhenanus.

Aut licentior] Antea, *licentiosus*, legebatur: quod sane eligam præ isto quod supposuit Rhenanus. *Lips.*

Intentus aut licentiosus] Scripsimus, aut *licentiosior.* Nam in Budensi volum. legitur, *licenter.* Rhenanus. Addit verbum Florent. *aut licent^. agit*, id est, *licenter agit.* Pichena.

Pervigiliis] * Cereri Græco sacro.' Vitellius, narrante Sueton. c. 10. ' in Apennini quidem jugis etiam pervigilium egit;' Tacito fortassis ad illud factum hic alludente. Bacchanalia autem, ut opinor, pervigilia fuerunt in honorem Bacchi, omnium perditissima, et vera morum corruptela. De illorum origine, incremento, destructione apud Rom. legatur Livius l. XXXVIII. et Tullius de Legibus. *Savillius.*

Castris propiora] Codex Manusc. *promptiora*, nec est absurda lectio. Nec illic habentur mox duæ voces; *altero e;* sed tantum, *altero legionis quintæ, Gallis auxiliaribus.* Rhenanus. Vide Sueton. Vit. 10. *Savillius.*

Per lasciviam et certamen] Verius, *ad certamen:* quod in Florentino item exstat. *Lipsius.*

Per lasciviam et certamen luctandi accensis] Lege ex Flor. *ad certamen.* Quod et Lipsius judicio suo conjectavit. *Pichena.*

CAP. 69. *Postera die*] Nos, *postero.* Rhen.

Externoque bello parantibus fatis] Concitore Civili et Batavis, quodque mox Gallorum rebellio continuavit. Tac. Hist. IV. et V. *Savill.*

Inter initia belli assumptus] Ita Danesius legebat pro eo, quod in vulgatis est, *inter inania belli, &c.* Ursinus. Lipsius mallet, *immania.* Mihi vox, *inania*, magis probatur, hoc sensu: Assumpta a Vitellio Gallorum auxilia, ut speciem magni exercitus facerent, cum revera nihil aliud essct, quam inane et inutile vulgus. *Pichena.* Non placet *immania*, multo minus *munia.* Auxilia respectu legionum *inane* quid sunt; at et *robur* dicuntur Hist. I. 61. ' quorum robur legio una prima et vicesima fuit.' Sic naturæ bona in comparationem veræ virtutis Ann. l. XIII. ' Omnium ora in se vertebat, corpore ingens, verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.' Eodemque modo cultus sine imperii vi lib. XVI. ' Tantusque Romæ quantus consulibus honor esset: scilicet externæ superbiæ sueto, non erat notitia nostri, apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur.' *Salinerius.* Non habet hic locum *inania.* Feram, quod in aliis libris est, *munia*, donec quod probem aliud inveniatur. Conjeci ipse olim, *minas;* neque nunc displicet: nondum tamen in eo acquiesco. *Inter minas*, id est, dum bellum parat, et minatur, aptissima quidem sententia. Quid si pro *inania* legas *initia?* Acidalius.

Affectæ tamen imperii opes sufficerent] Vocat eleganter *affectas opes imperii*, quas imminutas intelligit exhaustasque. *Rhenanus.*

Exitiabile id Reip.] Scripsi, *Exitiabile*, Flor. volente. Vulgo *Exitiale.* Pichena.

CAP. 70. *Lacera corpora*] Xiphilinus refert in prœlio circa Cremonam utrimque cecidisse 40,000. Tacitus ex præcepto Sallustii nunquam aut raro numerum exprimit. *Savillius.*

Inhumana pars viæ] Forte, *inamœna.* Rhenanus. Male heic infarcire cupit Rhenanus *inamœna;* ubi locus diritatis et horroris. Sic alibi dixit ' inhumana securitas,' Hist. lib. III. 83. *Gruterus.*

Lauru rosisque] Nos, *lauro.* Rhenanus.

Regium in morem] Non mirum id in Romanis Principibus; nisi abrogan-

da Suetonio fides in Galb. 18. ‘ Per omne iter dextra sinistraque oppidatim victimæ cædebantur.’ *Savillius.*

Erupisse legionum agnem] Liber Corvini regis, *irrupisse.* Rhenanus. Rectius, ut opinor, ex Flor. *inrupisse:* quam ut vulgo, *erupisse.* Nam de ipsis Vitellianis legionibus sermo est, quæ in Othonianos irruperant. *Pichena.*

Equites cohortos] Nos, *coortos.* Rhenanus.

Falso vera aut majora vero miscebant] Manuscr. volumen, *Falsa vera aut majora vero miscebant.* Sensus est, Falsa et vera aut majora vero miscebant. *Rhenanus.* Florentini lectionem, *falsa vera, aut majora vero, &c.* vulgatæ anteposui. Ea erat, *falso vera, &c.* Pichena.

Spacia certaminum recognoscere] In volumine Man. *Spacia certamina recognoscere.* Repone, *Spacia et certamina recognoscere.* Rhenanus.

Horruit] Sueton. Vit. 10. ‘ ut campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem, detestabili voce confirmare ausus est, optime olere occisum hostem, et melius civem.’ *Savillius.*

Cap. 71. *Luxu et saginæ mancipatus*] Nisi Cornelius in dandi casu singulari dixerit, *luxu,* Lucilium, Virgilium, Cæsarem secutus, uti supra Hist. l. 1. ‘ prætextu veteris amicitiæ datum,’ de quo Gell. lib. iv. malim scriptum, *luxui et saginæ mancipatus emptusque,* id est, traditus et acceptus, quæ propria verborum significatio est: de illo scriptum Ann. ii. *Vertranius.* Videtur legendum, *luxu et sagina.* Ursinus.

Cohortati aliorum consulatus] Emendavi, *coartati, &c.* Rhenanus. Nonnulli sane loco dejecti; sed quisque, ut patet, binos menses explevit, recepta tum istius temporis consuetudine: adi notas in lib. i. *Savillius.*

Dissimulatus M. Macri] Scribendum videtur *Martii Macri.* Nam ita eum supra crebro nominat, qui præfectus gladiatoribus fuit. *Lips.*

Dissimulatus Martii Macri] Vulgo, *M. Macri.* Lipsius verum illius nomen restituit, quo supra a Tacito appellatur, et Flor. congruit, in quo legitur, *Marci Macri.* Pichena.

Cap. 72. *Interrogaius quisnam mortalium esset*] Nos, *interrogatusque quis mor. esset.* Rhenanus.

Cap. 73. *Speculatores e Syria Judæaque*] Delevimus præpositionem *e,* quæ subintelligitur. *Rhenanus.* Aberat a vulgatis præpositio, *e,* quam ex Flor. restitui. *Pichena.* Iterum Muretus præpositionem addit, *speculatores e Syria.* Possis etiam legere, *superbia socordiaque* nominandi casu, id est, quantum Vitellio aucta sit superbia. *Acidalius.*

Et procul vel juxta sitas vires] Particulam *et* submovimus. *Rhenanus.* Hic etiam ex Flor. addidi illud *et,* quod in editis vacabat. *Pichena.* Inseruerim cum Mureto copulam, *et procul, &c.* Acidalius.

Cap. 74. *Fausta Vitellio omnia precantem*] Malim hic *omina;* ut ostendi supra ad i. 35. *Freinshem.*

Per silentium audierunt] Consueverunt enim bene sentientes milites, acclamationibus preces adjuvare. *Ferrettus.*

Præfectus Ægypti Ti. Alexander] Ita videtur legendum, ut fortasse illud, *Ti.* ob præcedentem postremam syllabam Ægypti omissum sit a librario. Sueton. certe *Ti. Alexandrum Ægypti præfectum* edit in Vesp. 6. *Ursinus.* Censet Muret. inserendum *Ti. Alexander,* quæ nota valet, *Tiberius:* quod nomen etiam huic Alexandro. *Acidalius.*

Tertiam legionem, quod e Syria in Mœsiam transisset] * Sarmatas vicit. Hist. i. 79. iii. 24. Mox *transgressa* (sic lego Hist. ii. 85.) *in partes* Vespasiani, *exemplum cæteris Mœsiæ legionibus præbuit.* Et duce Duillio Aponiano Veronam venit. Hist. iii.

10. Capuæ hiemavit Hist. IV. 3. Deinde iterum in Syriam remissa est Hist. IV. 39. nempe quod olim ibi fuisset. Uude et morem, qui in Syria, retinuerat, Solem salutandi, H. I. 24. Hinc ergo Mucianus eam *suam numerabat*, ut ait auctor hoc loco. *Freinshem.*

Omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium] Exemplar manuscript. *omnis exercitus flammaverat ad arrogantiam, &c.* Ubi *flammaverat* accipit absolute. *Rhenanus.* Ubi elegantia Mureti mutantis, *omnis exercitus flammaverat ad arrogantiam, &c.* Apage inficetam et non necessariam correctionem. *Acidalius.*

Sed inerat a mole belli] In Florentino: *sed iniant a mole:* ex quo Pichena, *sed in tanta mole.* Lipsius.

Inerat a mole belli plerumque cunctatio] Legitur in exemplari Ms. *inerat amor belli.* Scripserim, *inerat timor belli, plerumque cunctatio.* Appositive. *Rhenanus.* Corrupte antea; *inerat a mole belli.* Flor. facilem mihi viam ad veram emendationem aperuit, in quo ita legitur: *iniant a mole belli;* unde ego: *in tantâ mole;* idque etiam clare inveni in altero Manuscr. *Pichena.* Hic non necessario Muretus mutat: *in tanta.* Phrasis Taciti eum decepit, quam notabis in simillimo loco hujus ipsius libri propius initium: 'Sed quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat.' Velleius l. II. 'Admonitio frequens inerat et castigatio, vindicta rarissima.' *Acidalius.*

Quo LX. ætatis annos, et duos filios juvenes] Suspicor legendum, *quo sexagesimo ætatis anno se et duos, &c.* Pichena. Nihil hac figura orationis rotundius. Dicas esse unionem, itaque nibil mutandum: ut pluribus probo in suspicionum farragine. *Gruterus.*

Esse privatis cogitationibus progressum] *Regressum* ad marginem notatum: quod nemo recipiet, qui sequentia ex opposito dicta recte accipiet. *Acidalius.* Apposuerunt viri eruditissimi suis edit. legendum forte, *regressum:* male prorsus: omnibus enim modis amplectendum *progressus*, nisi solidam vim facere amamus sententiæ auctoris; ut ostendi in Diatribis meis ad Tacitum. *Gruterus.* Vulgo *progressum:* at potior visa est quam reposuimus, *regressum*, cum sententia hoc velit, et sic alibi loquatur auctor; ut supra IV. 11. 'nullo ad pœnitendum regressu.' *Freinshem.* Recte vocem, *regressum*, reposuit Freinshemius, cum ante, sed nullo sensu, *progressum*, legeretur. Privatæ, et illæ de invadendo principatu cogitationes hic inter se contenduntur. *Privatæ cogitationes* dicuntur, quibus ad quasvis, sed quæ infra Principem sint, publicas dignitates, potentiam, auctoritatem adspiramus. Quicquid enim infra Principem est, quantumvis cætera maximum et publicum, adspectu principis est et dicitur *privatum;* passim Tacitus et alii auctores sic loquuntur. Illæ *privatæ cogitationes*, etiam ambitiosissimæ, &c.* *summa et præcipitia.* Refer autem huc illud Juvenalis Sat. X. 'Quid Crassos, quid Pompeios evertit, et illum Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites? Summus nempe locus.' Et ista, 'Altæ turris tabulata, unde altior esset Casus, et impulsæ præceps immane ruinæ.' Hæc vera est sententia hujus loci. *Boxhorn.*

Inter summa aut præcipitia] Nos, *inter summa ac præcipitia.* Rhenanus. Auscultandum Rhenano, refingenti *et præcipitia*, neque secus editio antiquissima, et per consequens Ms. Vaticanus, ejus prolis mater. *Gruterus.*

CAP. 75. *Viro militari*] Vespasianus enim, antequam mitteretur in Judæam, in Germania fuerat legatus legionis, postea in Britannia, ubi triginta prœliis interfuit, viginti civitates expugnavit, insulamque Vectem Romano subjecit imperio, unde obtinuit

'triumphalia ornamenta.' Suet. Vesp. IV. *Savilius.*

Præsenti facinori] In exemplari Ms. est, *facinore.* Rhenanus.

CAP. 76. *Post multos secretosque sermones jam et coram*] Ergo multos istos sermones non coram eo protulerat, quocum loquebatur? nugæ. Latet omnino cæcum aliquod vulnus, et conjicio toto capite considerato, aliquid hic fuisse de amicis, &c. * *Freinshemius.* Nescio cur hunc locum mutare aggressus sit vir doctus. Ratio, quam adfert, nulla est. *Coram* hic significat palam, multis audientibus, et quasi in publico. Ita ea voce usus Tacit. Ann. VI. ubi M. Terentius; 'Spectamus porro, quæ coram habentur;' id est, quæ publica, et oculis judiciisque omnium offeruntur. Vides igitur aliud hic esse *secretos sermones*, aliud *coram loqui.* Boxhornius.

Juxta Deos] Videtur dictum pro, Per favorem Deorum, sicut dicimus, *secundum Deos*, pro, Post deos. At codex Budensis habet, *vixit Deos:* ex qua scriptura nihil erui queat, nisi quis legendum suspicetur, *vixit nepos*, hoc est, ganeo, scil. Vitellius. *Vixisse* dicimus, quos periisse significamus. Tum distingue: *Vixit nepos. In tua manu positum est.* Sed hæc conjectura esto. *Rhenanus.* Hoc est, voluntate, et quasi decreto Deorum: ii enim favorem suum Vespasiano sæpius ostenderunt, ut alibi Tacitus; et post Muciani orationem ait: 'responsa vatum et siderum motus referre,' et statim: 'Recursabant animo vetera omina,' et quæ sequuntur. Etiam lib. præced. dixit: 'occulta lege fati, et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium post fortunam credidimus.' Seu potius hoc sibi vult Mucianus: Ejusdemque momenti fere tua voluntas est, ac Deorum favor. *Pich.*

A contumelia et laude propius fuerit] Muciani mens videtur: cum Vitellius suis vitiis corruptisque moribus imperium laceret, contumeliosum potius quam laudabile esset, si eligi Imperator post illius obitum exspectares, atque interim illum regnare in perniciem reipublicæ permitteres. Ideo paullo post sequitur: 'Torpere ultra, et pollnendam perdendamque rempublicam relinquere, sopor et ignavia videretur.' Verior tamen sensus est, ni fallor: Hinc, Vespasiane, &c. * *Idem.*

Quo posses videri concupisse] Regius liber habet manifeste, *quo posses videri concepisse.* Est *concipere* ex destinato suscipere. Ann. l. I. 'Fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit.' Liv. l. IV. 'In ea Sp. Melius spem regni conceperit.' Sic etiam dicitur *scelus concipi*, quod suscipitur. *Rhenanus.*

Splendidior origine quam nos sumus] Flor. corrupte habet, *splendiori:* forte *splendidiori;* sed neque sic esset vulgata lectione melius. *Pichena.*

Ne Othonem quidem ducis arte, aut exercitus sui, sed] Castigavimus, *aut exercitus vi.* Rhenanus.

CAP. 77. *Discrimen ac pericula*] Vulgo, *periculum:* at Flor. *pericula*, quod reposui. *Pichena.*

Aperiet et recludet] Vix abest, quin ad hæc Demosthenis sit adspectum: et certe paria sunt, in Olynthiaca: *Ὥσπερ ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν, ἕως μὲν ἐῤῥωμένος ᾖ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν· ἐπὰν δὲ ἀῤῥώστημά τι συμβῇ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥῆγμα, κἂν στρέμμα, κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπερχόντων σαθρὸν ᾖ· οὕτω καὶ τῶν πόλεων, καὶ τῶν τυράννων, ἕως μὲν ἂν ἔξω πολεμῶσιν, ἀφανῆ τὰ κακὰ τοῖς πολλοῖς ἐστίν· ἐπειδὰν δὲ ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ, πάντα ἐποίησεν ἔκδηλα. Lips.*

Recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera] Ita Flor. nam in vulgatis sic transposite: *contecta victricium partium et tumescentia vulnera.* Pichena. Demosthenes prima

in Philippum: Οὐκ ἐπὶ τὴν ἐκείνου πλευσούμεθα; Ποῖ δὴ προσορμούμεθα; ἤρετό τις· εὑρήσει τὰ σαθρὰ τῶν ἐκείνου πραγμάτων αὐτὸς ὁ πόλεμος. *Gronov.*

Nec mihi major in tua vigilantia, parsimonia, sapientia, fiducia est] Vocem *parsimoniæ* Lipsius arguit, tanquam non digna, quæ inter principes et illustres virtutes connumeretur, aut quæ ad imperium adipiscendum ullo adjumento esse possit. Quod licet non sine probabili ratione ab eo dictum sit, mihi tamen videtur, Mucianum non temere inter alias virtutes, etiam Vespasiani parsimoniam laudare, atque in ea victoriæ fiduciam reponere: cum belli nervos pecuniam esse constet, ut inferius dixit: ac si ea prodigeretur, ut a Vitellio fiebat, frustra in aliis virtutibus, atque in cetero bellico paratu spes relinquebatur. *Pichena.* Torpor vigilantiæ, inscitia sapientiæ, ad amussim respondent: verum *parcimonia* non videtur ἀντίθετον *sævitiæ*. Nec (addo) σωφροσύνη τῆς ἀκολασίας. Thucyd. l. III. ἀμαθία τε μετὰ σωφροσύνης ὠφελιμώτερον ἢ δεξιότης μετὰ ἀκολασίας: i. *imperitia cum modestia utilius quam peritia cum licentia.* Nec *avaritia virtuti.* Audi Sall. Catil. 'nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant.' Juvanda omnia sunt interpretatione. Ad Græca in Scholiast. Τὴν ἀκολασίαν ἀντέθεικε τῇ σωφροσύνῃ· δεῖ δὲ τὴν μὲν σωφροσύνην ἐνταῦθα ἐπὶ τῆς εὐηθείας δέξασθαι, τὴν δὲ ἀκολασίαν ἐπὶ τῆς εὐμεταβλησίας: i. *Licentiam opposuit modestiæ: oportet autem hic accipere modestiam pro simplicitate* (hoc est, quando placitis acquiescunt), *licentiam vero pro instabilitate* (hoc est, quando a semel placitis discedunt). Ad Latina hæc ego. *Virtus* aliquando ponitur vice munificentiæ, sive beneficentiæ. Thuc. lib. II. Καὶ τὰ ἐς ἀρετὴν ἠναντιώμεθα τοῖς πολλοῖς: i. *Et in iis, quæ ad virtutem spectant, a multis discrepamus.* Ubi Schol. ἀρετὴν λέγει νῦν φιλίαν καὶ εὐεργεσίαν. Sic noster contendit *sævitiam* cum *parcimonia*, id est, aversione crudelitatis: mitis enim erat Vespasianus et parcus puniendi. Ut ex Suet. c. 10. Nec absurde hoc vocabulum ad alia quam ad frugalitatem transfertur. Plin. Ep. x. 25. 'Statuam poni mihi a te eo quo desideras loco (quanquam hujusmodi honorum parcissimus) patiar.' Plaut. Aul. II. 2. 29. 'Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.' Τὸ *parcior* ibi hominem non signat, qui rei inserviat, sed qui imbiberat illud aureum: γνῶθι σεαυτόν. Quamobrem dives Megadorus Euclionis ingenium optime callens, merito nuptiis cum ejus filia diffidit, dicitque eum esse *parcum*, hoc est se intra suum ordinem continentem, non affectare affinitates potentiorum: quæ omnia clarius Euclio ipse vs. 49. Cæterum non mihi persuaserint qui illos immanes commentarios vulgavere *parcior* nota significatione accipiendum esse; nam ratio horum, 'Credo, ædepol, ubi mentionem ego fecero de filia, Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur:' hæc est, 'Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.' Ad hoc Megadorus indotatam Euclionis filiam ducere volebat: 'Scio quid dictura es, hanc esse pauperem, hæc pauper placet.' Et: 'Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.' *Salin.* Ambigendi de voce, *parcimonia*, justa Lipsio causa, si vulgari significatione accipitur. At hic nova illa et vix alibi unquam usurpata. Clementiam enim intelligit Tacitus, aut quid clementiæ affine, quod alio vocabulo non possis exprimere. Id clarum ex antithesi, quia ut *torpori Vitellii, vigilantiam Vespasiani et inscitiæ, sapientiam: sic sævitiæ parcimoniam* opponit. Ac forte ideo transponenda hæc vox, collocandaque post sequentem *sapientia*, ut ordo contrariorum rectius mutuo sibi respondeat, quem non ita

sollicite observasse auctor potest, neque admodum necesse fuit. Omnino autem non *major* legendum, sed *minor:* quod mirum non vidisse alios, si sententiam loci viderunt. *Acidalius.* Non necessarium est, ut ista Vespasiani et Vitellii naturæ propria invicem conferantur: alioqui quomodo etiam respondebit sapientia Vespasiani sævitiæ Vitellii? Quare calidiuscule Lipsius emendasse videatur: *in tua vigilantia, acrimonia.* Quin disertus ille Mucianus publicam Vespasiani parsimoniam Reip. maxime utilem censebat. Unde de eo Xiphil. Ὁ δὲ Μουκιανὸς καὶ χρήματα ἀμύθητα παντα-χόθεν, ὅθεν ἐνεδέχετο, εἰς τὸ δημόσιον ἤθροιζεν ἑτοιμότατα, τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπη-γορίαν εἰς ἑαυτὸν ἀντὶ τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἀναδεχόμενος. Νεῦρα γὰρ ἡγεμονίας τὰ χρήματα ἀεί ποτ' εἶναι λέγεται. *Colerus.*

Nam qui deliberant, desciverunt] Similis sententia est in vita Agric. 'Jam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare: porro in ejusmodi consiliis periculosius est deprehendi, quam audere.' *Pichena.*

Cap. 78. *Recursabant animo vetera omina*] Ita Flor. at male in vulgatis, *vetera omnia:* nam etiam paulo infra dixit, 'implesse fidem ominis videbantur.' *Pichena.* Non male; sed cum referat Flor. *omina,* cur id spernamus? In re simili pene Curtius l. III. 'Vetera quoque omina, ut fert sollicitudo, revocaverat.' *Gruterus.*

Primi consulatus] 'Quem gessit,' ait Sueton. 'per duos novissimos anni menses' extremo Claudii principatu. *Savillius.*

Implesse fidem ominis videbantur] In regio libro legitur, *videbatur,* impersonaliter. *Rhenanus.*

Carmelus] Vide Sueton. Vesp. 5. Duos montes *Carmelos* auctor est Hieronymus, alterum Galilææ provinciæ ad Australem plagam, in quo fuit Nabal maritus Abigail: et alter juxta Ptolemaidem, mari imminens, in quo Helias flexis genibus pluviam impetravit. Hujus meminere Sueton. Tacitus, Plinius, Strabo, Ptolemæus. Et hujus quoque frequens in sacris Bibliis fit mentio; gratissimumque Deo locum fuisse constat, quum populo Hebræo per eum et in eo, modo gratiam donaque, ut Jerem. II. et XLIX. Mich. VII. modo iram et pœnam demonstraret, ut Isaiæ c. XVI. et XXXIII. et XXXVII. Et Jer. IV. et XLVIII. et Amos. I. et Nahum. I. Et in Cantico, 'Caput illius assimilabitur Carmelo,' c. VII. et Isaiæ c. XXXV. In Carmelo, lib. I. Regum, Saul parta victoria de Amalecitis erexit sibi fornicem triumphalem, et obtulit holocaustum Domino de initiis prædarum. Ex quo mihi conjici posse videtur, Deum, quem Carmeli dicit Tacitus, fuisse Deum, qui sine fine vivit et regnat, cui Hebræi illo in monte sacrificium offerebant, eumque ibidem venerabantur, aram et reverentiam habentes, minime vero templum, hoc enim solum in Hierusalem, innominatum vero, quia non illi particulare nomen ut cæteris Diis gentium. Basilidem autem sacerdotem eum, de quo paulo post Tacitus, Hebræum fuisse conjicio, quia Suetonius de ea re verba facieus meminit Josephi captivi Hebræi Vespasiano ea fœlicia vaticinati, ob id vinculis soluti: quem Beroaldus multis rationibus eundemmet historiæ scriptorem fuisse comprobare contendit. Adhæc Sueton. Vesp. 4. ita scribit, 'percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.' Id de Imperatore Rom. postea eventu patuisse prædictum: ut et Tacitus l. v. Hist. 13. Orosius 'Judæi in Carmelum montem seductis sortibus, quæ portendebant, exortos a Judæa duces rerum potituros esse.' Paria Hegesippus lib. v. Hæc commemorare volui, ut videant nostri seculi et futuri homines, eam esse Dei summi opificis omnipotentiam, ut etiam ex

ore Taciti et Suetonii, alioquin acerrimorum Hebraicæ et Christianæ religionis subsannatorum et irrisorum, et gentilium aliorum, suam gloriam et honorem invitis ipsis, et caligine ignorantiæ perstrictis mentis oculis, elicere potuerit; eosque futuri Messiæ, et Christi Jesu Domini nostri, et generis humani Redemptoris, vaticinium literis mandare coëgerit: ita tamen, ut quæ scripserunt non intellexerint, gratiæ illius minime participes, cui honor et gloria sit in secula seculorum. *Marc. Donatus.*

Aram tantum et reverentiam] Malim, *ara tantum et reverentia.* Rhenanus. Τῇ αἰτιατικῇ ἀντὶ τῆς ὀρθῆς κέχρηται: i. *quarto vice primi casus utitur.* Non repetam, quæ dixi in admonitione ad lectorem, et Hist. lib. I. ibi ' tradito principibus more.' *Salin.* Ego contra et hæc et præcedentia verba, *simulachrum* ac *templum*, recte quarto casu, &c. * *Pichena.*

Quicqui id est] Lego, *quicquid id est.* Acidal.

Cap. 79. *Mutianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream*] * alii Palæstinæ attribuunt. Certe Ptolemæus Judææ Palæstinæ nomen ei tribuit. Strabo et Tacit. Hist. IV. totum tractum a Judæorum tribubus cultum, Judæam vocant. Alii partem Palæstinæ Judæam faciunt. Plinius Idumæam cum Palæstina confundit, tamen hanc a Samaria, et Galilæa separat. Quod a me dictum est, ut ostenderem vario modo has regiones partiri, ne quis miretur, si Cæsaream Tacitus Judææ, alius Palæstinæ tribuat. Hujus quidem mentio fit in Actis Apost. c. 21. quæ prius *Turris Stratonis* vocabatur. Deinde ab Herode majore instaurata, *Cæsarea* nuncupata est in honorem Augusti. Huic quoque templum erexit, et ludos quinquennales dicavit. Antiochia vero Syriæ caput, et Cæsarea Judææ nominantur a Tacito, ea loquendi forma, qua Aventicum gentis Helveticæ caput Hist. lib. I. dixit. Antiochia porro una est e primariis Syriæ civitatibus: nam Syria dividitur in multas partes, quas lubens omitto, quarum una *Syria Antiochena* dicitur. Verum mirum est Cæsaream *Judææ caput* a Tacito vocari, cum Hierosolyma Judææ caput fuerit: nisi dicas Tacitum post Hierosolymitanum excidium scripsisse, quo tempore et urbis, et ecclesiæ dignitas ad Cæsaream transierat. Quare a nostris, id est Christianis, Metropolis facta est. *Lupanus.*

Eo ardore, ut, ne Titus quidem filius exspectaretur] Nos duas istas voces, *eo ardore,* submovimus et distinximus, ut hic novæ sententiæ sit initium, *ut ne Titus q. fil. expectaretur.* Rhenan.

Impetu militum] Illorum studia in Vespasianum, modus suscepti ab eo imperii, et quæcunque hic circumstantiæ observatu dignæ occurrunt, optime a Josepho descripta ἁλώσ. IV. c. 36. (qui coram inspexit) cum aliis speciatim in literas missis, quæ hic apud Tacitum silentio damnata, et Egesippo l. IV. c. 27. si genuinus ille auctor est, ac non potius suppositicia excerpta ex Josepho. *Savil.*

Non parata cognitione] Cui rei hic cognitio? quam vocem Taciti mens planissime spernit. Emendo vero, *non paratu ac concione.* Lips.

Non parata cognitione] Cognitio proprie de judicibus: Ann. l. IV. 42. Sed usurpative a nostro non illepide de militibus imperium in aliquem collaturis. An Mœsici sine cognitione Vespasianum imperare dixerunt? Suet. c. 6. ' Cum alii alium alia de causa improbarent, et quidem e legione tertia, quæ sub exitu Neronis translata ex Syria in Mœsiam fuerat, Vespasianum laudibus ferreut, assensere cuncti,' &c. At Syriacæ legiones paucorum impulsu, dictum factum, eum in imperatorem asciveruut. Cæterum eruditissimus vir *non paratu ac concione:* quo nil potius, si mendæ hic se penetrassent. *Sal.* Legerim

cum Pichena: *Non parata concione:* qui Lipsium sequutus est: nam ille; *Non paratu ac concione.* Freinsh.

Cap. 80. *Pauci milites solito adsistentes*] Præivit mihi ad hanc lectionem Flor. Vulgo, *assistunt.* Pichena.

In ipso nihil tumidum] * Qui crevisse putat.' Attamen non leviter innovavit Vespasianus, si vera quæ Sulpicius Severus scribit l. II. Sac. Hist. ' Vespasianus cum Hierosolymam obsideret, sumit imperium: et, ut mos est, diademate capiti imposito, ab exercitu Imperator consalutatus, Titum filium Cæsarem facit.' Sed palam illa falsa. Nec mos ejus ævi diadema tulit, nec Flavius per somnium usurpavit. *Lips.*

Tantæ multitudinis] Quantæ igitur? et quæ inde offusa caligo? Forsan: *tantæ mutationis.* Lib. III. ' Dum hac totius orbis mutatione fortuna imperii transit.' Josephus δ'. ἁλώσ. λς'. Συνιόντες δὲ οἵτε ἡγεμόνες καὶ οἱ στρατιῶται καθ' ἑταιρίαν φανερῶς ἤδη μεταβολὴν ἐβουλεύοντο. *Gronov.*

Militariter locutus] Rectissime. * Qui *militariter lautus,* castigant, ineptiunt. *Lips.*

Militariter locutus] Castigavimus *militariter lautus.* Significat Vespasianum non fuisse exquisita seu urbana eloquentia excultum. *Rhenanus.* Ex his verbis apparet Vespasianum non fuisse exquisite urbana militia excultum. Unde Livius ait orationem Tempanii fuisse militariter gravem, et Sueton. in Jul. eloquentiam militarem probat, quæ non est nimis exculta flosculis eloquentiæ. Sic Cicero Cæsaris Commentarios *nudos* vocat, quasi sine pigmentis oratoriis, et sine vestitu cultiore orationis. *Lupanus.*

Læta omnia et affluentia excepit] Nec sit prorsus mala lectio, si quis *omina* legat. *Rhenanus.* Lipsius olim, *læta omnia et faventia:* quod jure postea sprevit. Muretus, *læta omina.* Nondum hoc satis. Perge porro, *læta omnia et affluentia.* Acid.

Jam id ipsum] Alii *Jamque:* at Fl. *Namque,* quod refertur ad verba, *læta omnia et affluentia.* Recte ergo sequitur, *alacrem militem i. v. V. ad.* Pich.

Theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est] Illud enim omnibus Græciæ civitatibus in usu, ut ex Græcis Oratorib. et Historicis discimus. Res ab Ausonio notata ludo Septem Sapientum, Prologo. *Savilius.*

Germanica hiberno cælo ac laboribus dura mutarentur] Reposui, *Germanica hiberna.* Hiberna vocat hibernacula. *Rhenan.*

Diligebantur] Id est, amabant vetera et nota castra, juxta ac suas ædes. Clarum, nec monitione dignum: nisi correctores, *dirigebantur,* maluissent. *Lips.*

In modum penatium diligebantur] Fœdum erratum est hoc loco, castigavimus, *in modum penatium dirigebantur:* nam loquitur de construendo. *Diriguntur* autem castra aut domus, quoties ordines debiti servantur. *Rhenanus.*

Cap. 81. *Opibus ingens*] Adtextam censeo vocem, *ingens:* certe obnubilat sententiam et phrasem, quæ alias Tacito crebra. *Lips.*

Antiochus vetustis opibus ingens] Non certe cum Lipsio adtextam vocem *ingens* censeam. Nec, quod ait, sententiam obnubilat. Nam de phrasi non repugno: sed utroque modo promiscue Tacitus. Magis concinnem, quod præcedit, *Sohenus haud spernendus viribus;* non alia caussa, nisi ut aptius opponantur, *haud spernendus* et *ingens.* Acidalius.

Excitus ab urbe] Ex Judæa cum Tito veniebat, cum a patre ad Galbam mitteretur, qui cognita Galbæ morte regressus est Corintho. Agrippa nihilominus, inquit Josephus l. IV. 29. ' ut apud novum principem locaret gratiam,' ait, qui vulgo circumfertur Hegesippus l. IV. 21. *Savil.*

Ignaro adhuc Vitellio] Scripsimus,

adhuc. Rhenanus.

Vespasiano magnificentia munerum grata] De Vespasiani avaritia scriptores omnes tradiderunt: et Tac. sup. eod. lib. ‘ prorsus si avaritia abesset, omnibus ducibus par.’ *Pichena.*

Nondum additis] Vespasianus ipse addidit. Vide Tranquillum c. 8. in Vespas. *Lips.*

Cappadociæ legionib. nondum additis] Vespasianus confirmato jam imperio, ut scribit Sueton. 9. ‘ Cappadociæ propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit.’ Ex Tacito tamen non apparet penitus inermis: ‘ Cappadocia Pontusque et quicquid castrorum Armeniis prætenditur.’ *Savil.*

Beryti] * Muciano tribuere omni modo conatur. Sed si historiæ spectetur veritas, et rerum in Judæa et Syria gestarum series ad animum revocetur, malo Josephi fide stare, qui, ut ante diximus, oculos testes habuit. *Idem.*

Cap. 82. *Revocare veteranos*] In quibusdam, *evocare:* et recte. Isti enim sunt vere *Evocati:* de quibus in Milit. nostra, lib. I. *Lips.*

Donativum militi] Codex Budensis, *Donativo.* Forte, *Donativa.* Rhenanus. Scripsi, *Donativum*, quia sic ratio exigit, et Flor. innuit. Vulgo, *Donativa.* Pichena. Muret. *Donativum.* Nec facile aliter scripsit Tacitus. *Acidal.*

Nec Vespasianus quidem] Scripsimus, *ne.* Rhenanus.

Claustra Ægypti] Josephus ἀλώσ. l. IV. 37. fuse hanc materiam exequitur, quam Italiæ necessario sint hæc horrea, quantum undique per totam regionem munitionis robur difficillimos faciat terra marique aggressionibus aditus, et præsertim Alexandrini portus pericula, quæ descriptio satis curiosa est. Post consilia tamen Beryti habita, si Josephum sequimur, Vespasianus Alexandriam prius, quam Ægyptum adiit. *Savil.*

Cap. 83. *Gnarus modicas vires esse*] Infinitum verbum *esse* delevimus. Mox scripsimus, *Sed legio sexta et tredecim vexillariorum millia:* non *sexta et* VIII. *&c.* Rhenanus.

Si sibi Brundusium] Sic et in regio libro legitur. Ego vero scripserim, *Si simul Brundusium.* Docti mecum sentient. *Rhenanus.*

Cap. 84. *Ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinato*] Sic corruptus est locus, ut Lipsius suspicatur: Florentinus nihil juvat, nisi quod in eo legitur, *obstinante.* Sed fortasse non mala vulgata lectio: ut sit sensus, Vespasianum, initio imperii, adeo obstinatum non fuisse, ut postea fuit, in retinendis seu probandis iniquis exactionibus. Vel talia suadentibus aures tantummodo præbuisse: at progressu temporis egregium artificem ipsummet evasisse. *Pichena.* Hæc phrasis insolens non est, ut visum doctissimo viro: dicimus enim *obtinere animi firmitudinem*, pro in destinatis firmiter perseverare. Plaut. Asin. ‘ Si istam firmitudinem obtines animi, salvi sumus.’ *Obtinere injuriam*, pro A re injuste perpetrata non discedere. Liv. XXIX. * quam nostro consona. ‘ Sed necessitate armorum excusata.’ Et ‘ donec indulgentia fortunæ, et pravis magistris, didicit aususque est.’ *Salinerius.* Placet satis Florentinum *obstinante.* Sic enim Plautus Aulul. II. 2. ‘ Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.’ Cæterum *obtinere iniquitatem*, ut Ciceroni pro Quinctio: ‘ non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum, auctoritatem adjuvare.’ Et Philipp. secunda: ‘ contra injuriam quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit.’ *Gronovius.*

Largitus privatim, quod avidius de rep. sumeret] Flor. *largus privatim.* Forte non spernendum. Sed nec anteferendum vulgatæ. *Pichena.* Mur. *quo.* Non opus mutari, nec utro modo legas, interest. *Acidalius.*

Charissimus quisque] Castigavimus,

Rarissimus. Rhenanus.

Cap. 85. *Transgressi in partes*] Participium, *transgressi*, submovimus. *Illyrici exercitus studio in partes.* Rhenanus. Vir doctus hanc narrationem, et quæ porro Vitellium inter et Vespasianum gesta complectitur, haud uno crimine damnat, non constare scil. suis membris, non pertractatam exacte, sed aspersas confusionis nebulas, me prorsus refragante, et si non hebet mihi judicii acies, patrocinante. Illyricum dividebatur in tres Provincias, &c.* V. c. habet, *transgressi in partes:* cum in vulgatis desit verbum *transgressi.* Ursinus. Librorum Vet. ac præsertim Flor. scripturam restitui, quam Rhenanus depravaverat, tollendo verbum, *transgressi*, tanquam supervacuum. Quod tantum abest ut redundet, ut potius mihi necessarium videatur. Ostendere enim debuit Tacitus, tunc primum Illyricum exercitum Vespasiano accessisse: quod si tantummodo, *studio in partes*, dixisset, credi poterat, eum olim fuisse Flavianarum partium. *Pichena.* Quod supra ad II. 74. indicavi, locum hunc sic constituam: *Illyrici exercitus studio. Transgressa in partes tertia legio.* Freinshem.

Aquileiam jam progressæ] ** hostiliter egerant.* Sed cur dissimulem nostrum alibi a se ipso, et a Suetonio discordare? Apud hunc Mœsici audiunt in itinere mortem Othonis, qui apud nostrum vivus est Mœsicis Aquileiam jam ingressis: *Sed præmissi Mœsia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant.* Quid si ῥητορικῶς, non vere, ut averterent Othonem ab extremorum cogitatione? Discordia igitur silet, quam inter eos excitavit doctiss. vir: de corruptione vero quid dicam non habeo, quando eam minime hic odoror. *Salinerius.*

Ita tres Mœsicæ legiones] Lego, *jam tres*, &c. Acidalius.

Per epistolas alliciebant Pannonicum exercitum] Hæc verba, *Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant*, adulterina sunt, et suppositicia: proinde erasimus. Supra nescio ubi sic loquitur Tacitus, 'aut abnuenti vim parat.' Distinximus vero sic sententiam, *ita tres Mœsicæ, legiones per epistolas alliciebant.* Nunc vides nihil deesse. *Rhenanus.*

In eo motu Aponius] Correxi ex Flor. Vulgo, *in eo metu.* Pichena.

Per avia Mœsiæ ultra montem Hemum] Hemus mons est Thraciæ, quem adeo altum scribunt, ut ab eo Ionium et Ægæum mare spectari dicant. Mœsia vel Mysia scribitur. Quatuor Mœsias Ptolemæus facit, in Europa duas, superiorem et inferiorem: in Asia, majorem et minorem. De Europea hic loquitur, quæ *Bosnia*, et *Servia*, et *Bulgaria* vulgo dicitur, ditionis Turcarum. *Lupan.*

Cap. 86. *Primi Antonii*] Egesippi super hoc nobili duce errorem non celo, sive errores potius. Is enim l. IV. 29. facit eum 'Præfectum tertio ordini militari:' id est, legioni tertiæ. Atqui Septimæ præponit eum statim noster. Item in Mysia eum collocat: noster clare in Pannonia. Quis autem præponderare fidem Cornelianam nesciat? *Lips.*

Falsi damnatus] Annal. XIV. *Savil.*

Senatorium ordinem reciperaverat. Præpositus a Galba septimæ legioni, scriptitasse] Hæc aliquanto melius distiuxi. Vulgo enim sic: *reciperaverat, præpositus a Galba septimæ legioni. scriptitasse.* Pichena. Potius est hæc verba sequentib. jungi per distinctionem hujusmodi: *Senatorium ord. reciperaverat. Præpositus a G.* VII. *legioni, scriptitasse*, &c. Acidalius.

Flavianus] Malui quam, *Fabianus.* Farnesianum codicem audio, et Tacitum ipsum, qui non aliter sequenti libro appellat. *Lipsius.*

Titus Fabianus Pannoniam] Initio lib. conseq. idem dicitur *T. Appius Flavianus:* ubi rectius, non liquet.

Vertranius. Addidi nomen, *Ampius*, ex Flor. Ita enim Tacitus eum nominat, initio lib. seq. *Pichena.*

Pompeius Sullanus] Imo *Siluanus.* Ita enim libro proximo: ‘ Sex millia Dalmatarum ducebat Pompeius Siluanus, consularis senex.’ *Lips.*

Poppæus Siluanus Dalmatiam] Ita restituendum fuit: nam infra l. III. et IV. sic appellatur. Male in vulgatis, *Pompeius Sullanus.* Pichena.

Sed procurator aderat Corn. Fuscus] Malim legere, *Et procurator, &c.* nam extrema proxime præcedentis vocabuli litera est, S. Hinc errori præbita ansa. *Rhenanus.*

Idemque pro Galba] Scripsimus, *idem pro Galba.* Rhenanus.

Nova, ambigua, ancipitia malebat] Induximus particulam *et;* ut legas, *nova, ambigua, et ancipitia malebat.* Rhenanus.

Aggrediuntur] Procul dubio verius ex Flor. quam, *aggreditur,* ut in vulgatis. Cave enim hæc ad Corn. Fuscum referas, sed ad Vespasianum, cæterosque suarum partium duces. *Pichena.*

CAP. 87. *Procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis*] Velim discere a quoquam, quomodo hæc accipienda sint. Sed ne longius absurditatem hujus lectionis prosequar, veram, ut confido, promam, unde statim patebit receptæ falsitas: rescribo igitur, *Procacissimis etiam inter sevcros* (hoc est, retinentes disciplinæ) *lixarum ingeniis.* Hoc ait, ut intelligatur quantum damni intulerit ista hominum fæx, inter omnigenam omnium licentiam, quæ etiam inter severos disciplinæ custodes vix continetur. Similia fere statim subjicit: ‘ tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiamsi summa modestia regeretur.’ Adde infra Hist. IV. 20. ‘ lixarum procax manus.’ *Freinshem.*

CAP. 88. *Et effusa plebs*] Fere semper scribitur in Flor. *plebes.* Prisco more. *Pichena.*

Vernacula urbanitate] Libri aliquot veteres, *vernacula utebantur urbanitate.* Fuit omnino, *ut rebantur,* &c. * Lips.

Incuriosos milites, vernacula urbanitate] Aliquod vitium hic latere suspicor, cum Flor. ac Ven. verbo sint auctiores, *vernacula utebantur urbanitate.* Tamen vulgatam lectionem mutare nolui, et satis mihi fuit, de scriptura vetere fidem facere. *Pichena.*

Cum filium comitaretur] Hæc non sunt sine mendo. Si filium comitatus est pater, quomodo iguotus, ut deinde agnosci eum oportuerit? Intelligo jocatum fuisse in filium, quem non noverat, a quo nec ipse agnitus, nisi post factam cædem. Malim igitur, *conviciaretur.* Reinesius.

Spectaculum erant ipsi tergis] Pronomeu *ipsi* non est in Budensi codice. *Rhenan.*

CAP. 89. *Paludatus accinctusque*] Sueton. diserte narrat sic fecisse, c. 11. ‘ Urbem ad classicum introiit paludatus, ferroque succinctus, inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.’ Videtur hic mos fuisse introëundi urbem armis victam. Josephus ἁλώσ. l. IV. 35. hujus quoque ingressus meminit. *Sarillius.* Ex his verbis satis patet, inter *prætextam* et *paludamentum* longam esse differentiam. Nam paludati erant Consules, exercituum duces, et ipsi Imperatores. Valerius de Crasso loquens, cum in Parthos proficisceretur: ‘ Pullum ei traditum est paludamentum, quum in prælium exeuntibus album et purpureum dari soleret.’ Id quoque melius Plinii exemplo in Paneg. demonstratur: ‘ Gestus Consulatus non hoc urbis otio, et intimo sinu pacis, sed juxta barbaras gentes, ut illi solebant, quibus erat mos paludamento mutare prætextam.’ Ascouius quoque notat in Verrem *prætextam* fuisse nobilium virorum et mulierum gestamen. Tacit. Hist. III. ‘ Sed ubi Cæcinna prætexta lictoribusque insignis dimotæ turba incessit,

exarsere victores.' *Lupanus.*

Decora facies et non Vitellio principe dignus exercitus] Hæc tota clausula non est in Ms. libro. Suspicor e margine in contextum relatam. *Rhenanus.*

Augustæ nomine decoravit] Reposui, *honoravit.* Idem.

Cap. 90. *Sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum*] Quid si *solas?* quod requirere illa videntur, *sine falsi verique discrimine.* Nec tamen mutaverim. *Acidalius.*

Cap. 91. *Comitia Consulum cum candidatis civiliter celebrans*] Quid per *Comitia Consulum,* hoc loco intelligatur, cum in nullam reip. partem admitteretur populi suffragium, aut non capio, aut *Comitia Consulum civiliter celebrare* tantundem valet ac munera a candidatis Consulatus edita (sive ipsi sive alii ederent) civiliter celebrare. Libera rep. candidati captandis populi studiis dabant gladiatores, donec prohiberetur, lata in id a Tullio lege, et crimen ambitus haberetur. Cic. in Vatin. ' Ego de ambitu ex S. C. tuli, quæ dilucide vetat biennio, quo quis petat petiturusve sit, et gladiatores dare, nisi ex testamento.' Ubi vero iis, quæ petere instituissent, potirentur, non licitum modo fuit, sed aliquo modo in omnibus muneribus necessarium populo ludos edere, excogitatis quæcunque in oblectationem publicam valerent. Eximio igitur et sumptuoso apparatu omnia instruebantur, quoties res poscerct. Sub imperatoribus populo licet excluso a conferendis honoribus, tamen et Candidati et designati et qui jam dignitate fungebantur, consuetas gladiatorum, Circensium, &c. voluptates ei exhibuerunt, solo popularis gratiæ aucupio. Tempore Alexandri Mammeæ, ' Quæstores candidati munera populo dederunt.' Sub Nerone, ' Quæstorib. designatis gladiatores edendi necessitas erat,' inquit Tacit. ' Consul designatus est et munus edidit.' Marcellus JC. l. xxxvi. Interesse autem spectaculis in Principe arguebat animum popularem. Xiphil. de Oth. εἰς τὰ θέατρα συνεχῶς εἰσεφοίτα θωπεύων τὸ πλῆθος. Suet. de Aug. 15. ' Ipse circenses spectabat: spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat.' Tac. Ann. i. de eodem : ' Civile rebatur misceri voluptatib. vulgi.' Sic raro ibidem conspici, arrogantis erat, tetricique et popularitatem fugientis animi. Cujus rei se ipsum damnat Julianus in Misopogone: ἀεὶ μισῶ τοὺς ἱπποδρομέας, ὥσπερ οἱ χρήματα ὠφληκότες τὰς ἀγορὰς, ὀλιγάκις οὖν εἰς αὐτοὺς φοιτῶ : i. *fugio circenses, ut, qui in ære alieno sunt, publicos conventus, raro itaque intersum.* Aut si intraveris, mens peregriuatur, aut ' aliud agit,' ut Cæsar, ' qui vulgo reprehensus est,' narrante Sueton. ' quod inter spectandum epistolis libellisque legendis ac rescribendis vacaret.' Sic Vitellius non adfuisse tantum videtur spectaculis frequens, quæ candidati Consulatus aut designati edebant, sed et suas partes egisse, Ex. gr. ' Mirmyllonum contra Thraces in Theatro,' aut ' Venetorum contra Prasinos in Circo,' et sic ' omnem infimæ plebis rumorem affectasse :' ingens hoc tempore argumentum ad popularitatis famam. Suet. Tito 8. *Savil.*

Irrisere plerique impudentiam æmulationis] Fuit Thrasea semper suspectus Neroni, ideoque minus potens: quamobrem merito *imprudentiam æmulationis irriserunt:* ita enim malim quam *impudentiam:* nam si similiter Vitellius olim se opposuit Thraseæ, quemadmodum Helvidius illi: oportuit Helvidium fuisse Vitellii similem, Thraseam vero Helvidii. Sed Thrasea in summo potius odio fuit Neroni, et Vitellius ob similitudinem morum, et propter patrem, in summa gratia. Imprudenter igitur contulit Thraseam et Helvidium, &c. *Ferrettus.* Æmylio magis placet scribi, *imprudentiam:* ego nihil muto, &c.* *Vertranius.*

Quod neminem ex præpotentibus] Auctoritate Flor. scripsi, *neminem*. Vulgo, *quod non ex*, &c. Pichena.

CAP. 92. *P. Sabinum, ac præfecturæ cohortis*] Bene Mercerus, *P. Sabinum a Præfectura cohortis; et Julium*: id est, qui dumtaxat cohorti præfuerat, et docet alium hunc Sabinum a fratre Vespasiani esse. *Lips.*

Præposuerat Prætorianis P. Sabinum] Non esse hunc Sabinum, qui præfectus urbi et Vespasiani frater, recte monuit Savillius. Nam hic vinctus detecta proditione Cæcinæ, lib. seq. at Flavius Sabinus liber in urbe, et in suo magistratu, usque ad civilem tumultum, quo crematum Capitolium. Itaque manebit per hunc Sabinum vera Onufrii nota, de prænomine Flaviæ gentis. Et hic igitur legendum: *P. Sabinum a præfectura cohortis, Julium Priscum, dum centurio esset*: hoc enim vult, prætorio præpositos duos a Vitellio; Sabinum hunc, qui antea præfectus cohortis fuerat, Priscum, qui tum centurio. Et *cohortis*, scil. auxiliaris: nam iis præfecti, ut legionariis Tribuni. Tacitus sæpe et universa historia prisca. *Mercerus.* Libenter Merceri emendationem sum amplexus, nam cum ea fere congruit Flor. qui habet, *ad præfectura cohortis.* Observavit etiam Mercerus, istum P. Sabinum, alium esse a Flavio Sabino Vespasiani fratre, quod Lipsio causam erroris dedit. *Pichena.* Quot hic tricas invexit hyperbatica locutio, quibus usus non erat, si Tacito Latinorum magnificentissimo ea concederemus, quæ sæpius in Thucydide miramur. Si tenuem characterem noster affectasset, ea profecto sic exarasset: *Præp. præt. P. Sabinum, ac Jul. Priscum, dum centurio esset cohortis præfecturæ*: ambo enim præfecti prætorio. Hist. III. 'P. Sabinum prætorio præfectum ob amicitiam Cæcinæ vinciri jubet, substituto in locum ejus Alpheno Varo.' Et, 'Vitellius ut e somno excitus Jul. Priscum et Alphenum Varum cum XIV. prætoriis cohortibus obsidere Apenninum jubet.' At is Priscus, antequam præfectus prætorio, erat centurio unius prætoriæ cohortis, ut Sempronius Densus, Hist. I. 42. Et *præfectura* facta prætorii mentione, non semel a nostro usurpatur. Ann. IV. 2. Doctiss. vir credit hunc P. Sabinum alibi dici Flavium Sabinum, fratremque esse Vespasiani, post urbis curam prætorianis præfectum: indeque Panvinium carpit, qui negat prænomen *Publii* unquam in Flavia gente receptum fuisse. Verum P. iste Sabinus, alius est a Flavio Sabino fratre Vespasiani, qui nostro semper scribitur Flavius Sabinus, aut Sabinus tantum. Hist. I. 46. et 77. II. 63. et 99. IV. 64. Hæc pace doctiss. viri a me dicta sint. Cæterum adversus pervicaces his uterer. Si Flavius Sabinus præfectus prætorio fuit post urbis præfecturam, quando redditur urbanæ præfecturæ? paulo enim ante mortem, et in ipsa morte agebat præfecturam urbis. Hunc scil. Vitellius vinxisset ob suspicionem amicitiæ cum Cæcina (ut accidit P. Sabino) quem nec Flavianis jam urbi imminentibus custodire sustinuit? *Salmerius.* Nititur emendare Lipsius. Sed nimium licenter addidit de suo, quod libuit: ut phrasin taceam non Taciti, *præponere præfecturæ.* Neque Lipsius eam religionem hic servavit in mutando, quam solet: etiam sententiæ ambiguus, duplicem lectionem dedit. Mihi et verba et sententiam diligentius pensitanti sic videtur: voces duas *præfecturæ cohortis* trajectas esse, alteram earum et leviter mutatam, quas si liceat mihi sic vicissim mutare et trajicere, credam locum sanum fore: *Præposuerut prætor. P. Sabinum, ac Julium Priscum, dum prætoriæ cohortis centurio esset.* Certo enim id colligitur e proximo libro collegas hos prætorianæ præfecturæ fuisse. Et de Prisco verisimile est, quia Centurionem

fuisse dicit, fuisse prætoriæ cohortis. Atque ideo tanquam rem novam et magnæ promotionis exemplum addit, ex Centurione prætoriæ cohortis, præfectum ipsius prætorii factum. *Acidalius.*

Dum centurio esset] In Farnesiano, non erat vocula, *esset:* itaque ex facili et vero emendavi, *tum centurionem.* Significat utrumque ex parvo aut modico ad primam dignitatem promotum. *Lipsius.*

Julium Priscum tum centurionem] Ita Lipsius correxit, cum inepte in vulgatis legeretur, *dum centurio esset.* Ortus enim est error, quia mss. et in his Flor. habent, *dum centurionē.* Pichena.

Nec unquam satis fida] Non bene divelluntur hæc a præcedentibus. Distinguo: *Variis in hunc aut illum inclinationibus: nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est: simul ipsum Vitellium.* Freinsh.

Ubi nimia est] Volumen regis Corvini, *ubi minima est.* Legerim, *ubi vi nimia est.* Rhenan.

Quod reversis ab exilio jura libertorum] Jus libertorum Tacito, Marcello, Ulpiano, id est, quod aliis *jus patronatus*, scil. quod patronus in manumissos habet. ‘ Sunt enim manumissoribus permulta in libertos concessa,’ inquit Ulpianus. His autem fere jus illud libris studii nostri legitur constitisse: impositis libertatis causa dono, munere, operis, vel officio, vel obsequio, vel alimentis exigendis, vel ex pacta societate liberti bonorum dimidia a superstite exigenda, vel defuncti liberti bonis ex successione accipiendis. Proinde ex hoc Taciti loco discere oportet, cum exulibus ablata bona fuissent omnia, mobilia et immobilia; jura quoque ablata fuisse, ut quæ in libertos haberent. Vitellius ab exsilio reversis jura libertorum restituit: hoc est, ut a libertis patroni colerentur, inopes alerentur, illisque si decessissent, succederent: fraudabant tamen Vitellii edictum et patronos liberti, qui pecunias et facultates abderent, et potentioribus adscriberent. Tum illo se modo jus, et adversus id vafrities servilis habebat: secutis autem seculis omnia mutata. Neque enim bona cuiquam, nisi in perpetuam exilii pœnam damnato ablata sunt lib. XXXIX. D. de jure fisci: et restitutus ex exilio patronus ipso facto amissum jus patronatus recepit: cujus sententiæ sunt Ulpianus et Hermogenes l. III. D. de bonis libertorum et 21. D. de jure patronatus. *Vertran.* Genuinum certe sensum Vertranius assequutus est; at verborum difficultatem non ademit. Patrono egenti tenebatur, &c. * tamen jus libertorum illis concessit, quod parum vel nihil profuit calliditate libertorum, qui pecunias, quibus potissimum eorum divitiæ constabant, transferebant in potentes amicos, sicque patronos fraudabant: ita enim interpretor *ambitiosos et occultos sinus.* Namque intimos amicos *sinus* quandoque appellatos observamus. Ita Cic. ad Att. ‘ in sinum et familiaritatem adolescentis.’ Et iterum: ‘ Bibulum noli dimittere ex sinu tuo.’ Et in Verr. III. ‘ Calumniatores de sinu suo apposuit,’ id est, familiares et amicos. Sic Tac. Hist. IV. ‘ quos ubi spoliis sanguineque expleverint, mutari, exquirique novos sinus,’ id est, amicos. Addit autem Tacitus *ambitiosos*, hoc est, per ambitionem conquisitos, ut eorum favore et gratia tutarentur. Sic Jurisperiti *ambitiosa decreta* dixere per gratiam favoremque elicita. Ulpian. l. IV. de decret. ab ord. faciend. et l. III. D. de minor. l. LXV. § 2. D. ad SC. Trebell. Dixit autem Tacitus non solum *ambitiosos sinus*, sed et *occultos*, haud congrue, siquidem apud eosdem JC. legimus, *in sinu habere*, id est, in occulto l. XXVII. D. de prob. Lamprid. in Comm. ‘ prædam omnem in sinu con-

tulit,' hoc est, occultavit. Iterum: 'Qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicerentur.' Tertull. in lib. De fuga in persec. 'Paciscens cum delatore, vel milite, vel ministro aliquo præsidis, sub tunica et sinu, quod aiunt.' Et Tac. Hist. lib. III. 'Sed opes Cremonensium in sinu præfectorum legatorumque fore,' id est, occulta potestate. *Marc. Donatus.*

Quanquam id omnimodo] Probavi vocem *omnimodo* ex Flor. Vulgo, *omnino*. Pichena.

Abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus] Sinus ambitiosi videntur, cum pecuniæ depositæ essent apud potentiores. *Pichena.*

CAP. 93. *Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora*] In volumine regis Corvini legitur, *Germanorum Gadavorumque*. Lego, *Batavorumque*: ut per *Germanos* etiam transrhenanos intelligamus, Tencteros, Bructeros, Usipetes, et Chamavos, qui in exercitu Vitellii erant. At hodie Galli inediæ, æstus, frigoris, sitis, et alieni cœli longe tolerantiores. Secus tamen produnt auctores de vetustissimis Gallis, quos Germanis faciunt persimiles. *Rhenan.* Beatus, *Batavorum*. Sed meminisse potuit ejus, quod supra eodem Cornelius dixit, 'cohortes Batavorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissas:' quæ si non inde redierunt, non possunt videri Tiberi adjacuisse. Igitur nihil ex recepto scripto mutandum censeo. *Vertran.*

CAP. 94. *Convulsam castrorum decus* XX. *millibus e toto exercita permixtis*] Muret. *convulsumque*. Mihi duriter etiam dictum videtur, *permixtis e toto exercitu*. Nec tamen facile mutarim: nisi forte nova voce, sed valde significante scripsit Tacitus *emixtis*. Quod dicere vult, vix sane expressius pariter et acutius alio verbo dixerit. *Acidal.*

Super insitam animo ignaviam] Flor. inserit vocem, *insitam morte animo*. Putarem, *insitam forte:* etsi hoc ad caussam sequentem traho. *Lipsius.*

Super insitam animo ignaviam] Corruptam vocem addit Flor. *insitam morte animo*. Unde divinabam, an legendum: *super insitam inerti animo ignaviam*. Quod Vitellio certe non incongruens, cum lib. præced. de eo Tacitus dixerit: 'fortunam principatus inerti luxu, ac prodigis epulis præsumebat.' Et ne cui fortasse idem videatur, *inertia*, atque *ignavia*, Ciceronis locum refero, qui lib. XII. epist. ad Cornificium ait: 'nec tua ignavia etiam inertiam afferret.' *Pich.*

Conscius sibi instare donativum, et deesse pecuniam, * *omnia alia*] Liberare hunc locum stigmate Lipsius vult interpretatione: an liberet, plane nescio. Illud scio, quidquid illis postremis sit, sententiam puncto finiendam post vocem *pecuniam*. Neque enim sermonis textus aliter patitur. Sequentia integra prorsus ego non censeo. Quod si ea illorum, quam Lipsius vult, sententia: tamen minimum una vocula deerit, et talis: *Interim omnia alia militi largiebatur*. Sed certe, sententia hæc, difficile est, ut vera sit: quando neque cum præcedentibus neque sequentibus cohæret. *Acidal.*

Liberti principum conferre] Verbum, *conferre*, non est in libro Bud.

CAP. 95. *Cæcina ac Valens*] Ita nos, vulgo, *et*. Rhenan.

Neroni fecisset] Reposui pro, *jecisset*. Lipsius.

Inferias Neroni jecissent] Non est in lib. Budensi *Neroni;* nec *jecissent*, sed *jecisset*. Rhenan.

Faces Augustales] Forte recte se habet, *faces*, eo quod plures aræ fuerint exstructæ. Florent. tamen habet, *facem*. Sic lib. XV. 'Structam ante Augurale aram subdita face accendit.' *Pichena.* Mur. *facem:* leve nimis hoc. *Acidal.*

Vitellii Asiaticus] Lege Sueton. Vit. 12. *Savil.*

Sumtu Caianæ aquæ] De Caiana aqua, id est, ut volunt, aquæductu illo sumtuoso, nugæ magnæ. Nec Ferreti quidem emendatio ad genium meum aut librorum, *Caianæ aulæ*. Nobis suboluit mendum et ejus causa, e deductione copulæ: quam reddimus, legimusque, *sumptu saginaque*. Saginæ vox apta, quoties de helluone Vitellio: et Tacito velut de industria usurpata. Ut, 'luxu et saginæ mancipatus emptusque.' Iterum: 'medio die temulentus et sagina gravis.' Nec aliter Cicero pro Flacco: 'Qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat.' Hæc apta et bona. Palmerii tamen conjectura non minus recta, *sumptu gancaque*.

Sumptu Caianæ aquæ] Quid hic sibi velit *sumptus Caianæ aquæ*, haudquaquam intelligo: deinde quid *sumptus* ad *aquam* facit? malim ergo, *Caianæ aulæ*. Ferrettus. Homo variæ lectionis et doctrinæ Æmil. Ferrettus, et a maximo rege Francisco literarum parente in Parisiensem Curiam adscriptus, dubitat, et *Caianæ aulæ* reponendum putat: quod a me dictum ne putes, ut hominis doctiss. laudi detraham, qui omissis causis, et altercationibus illius fori Parisiensis, totum se Juris Civilis professioni addixit. Quam ob rem locum pluribus illustrandum suscepimus, ne quid antiquitatis, quoad in nobis erit, prætermittatur. Itaque Sueton. in Cal. sic refert cap. 12. 'Inchoavit autem aquæductum regione Tiburti, et amphitheatrum juxta septa.' Idem in Claud. 19. 'Opera magna potius quam necessaria, multa perfecit. Sed vel præcipua, aquæ ductum a Caio inchoatum.' Et paulo post: 'Claudiæ aquæ gelidos et uberes fontes, &c. in urbem perduxit.' Frontinus lib. I. de aquæductibus, 'Caligula duos ductus inchoavit, quos Claudius consummavit.' Plinius XXXVII. 15. 'Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a Caio Cæsare, et peracti a Claudio.' Ex quo Plinii loco et reliquorum verbis potest intelligi, *Caianam aquam* dici per adjectivum a Caio deductum, quæ a Caio Caligula inceptа est. Sicque Sueton. in Vesp. 2. *Caiana nece* dixit: id est, quo Caius Caligula interfectus est. *Lupanus*. Hic locus non nisi ex Plinii interpretari potest lib. XXXVI. 15. Illis concinit Sueton. Claud. 20. apud quem C. Cæsar Caligula inchoavit aquæductum regione Tiburti, et eum Claudius perfecit. Cornelius autem, ut de maximo dicturus sumptu in Caianam aquam impenso, Vitellianas libidines inexplebiles scripsit. Quare mirari satis non possum, cur *Caianæ aulæ* scriptio magis placeat Ferretto. *Vertran*. Fœda depravatio in vulgatis omnibus irrepserat: *et sumptu Caianæ aquæ:* super ea variæ emendationes. Lipsius aptissime ad sensum restitnit, *et sumptu saginaque*. Palmerius autem verius, ut opinor, et ad literam propius: *et sumptu ganeaque*. Quam lectionem recipere non dubitavi, cum a Flor. codice non parum juvetur, qui habet: *et sumptu gajaneaque*. Et est ea vox auctori nostro familiaris. Ann. l. III. 'ventris et ganeæ paratus:' et l. IV. 'inter ganeam ac stupra.' *Pichena*. Etiam hic me sollicitat emendandi cacoëthes, et lego: *Epulis, et sumptu: ut Gaianæ aquæ satiare*. Comparat ecce Vitellium cum Caligula, nec audet ulli dare palmam luxuriæ. Τὸ *satiare* transit in vim nominis: 'Ad nostrum vivere triste.' Plaut. Bacchid. 'Hic veteri perdidit.' Id. Pers. 'age circumfer mulsum bibere.' *Salmer*.

Novies millies sestertium] Vide Pecuniæ Veteris III. 6. et IV. 6. *Gronov*.

CAP. 96. *Nullius interpretabantur unius legionis eam scditionem*] Volumen regium quoque continet, *nullius interpretabantur:* sed nos castigavimus, *mollius interpr. &c.* Rhenan.

CAP. 97. *Singularem illic ac favora-*

bilem] 'In administranda provincia (Africa) singularem innocentiam præstitit,' ait Suet. Vit. 5. Tacito suffragatus; sed in Vespasiano penitus contrarium sentit. Tacitus, 'famosum invisumque proconsulatum in Africa Vespasianus egerat.' Sueton. Vesp. 4. 'Exin sortitus Africam integerrime nec sine magna dignatione administravit.' *Savil.*

Proinde socii de imperio] Scripsi, *perinde*. Rhenan.

CAP. 98. *Prout invaluissent*] Cave mutes cum Lipsio, *prout ii valuissent*. Acidal.

Suomet astu] A Ferreto est: male antea, *statu*. Lipsius.

Suomet statu occultati] Malim, *suomet astu*. Ferretus.

Mare quoque Etesiæ] Intricata valde lectio in scriptis. Vaticanus: *mare quoque et Blæsi flabra aquilonis, harum flatu:* nec aliter Farnes. At Budensis, *mare quoque et esi flabra Aquilonis verum flatur*. Nos legimus, *Mare quoque etesii flabant Aquilones. Horum flatu*. Plinius lib. II. 'Post biduum iidem Aquilones constantius perflant, per dies XL. quos Etesias vocant.' Et clarum certe est, Aquilones propitios optabilesque iis, qui ex Italia Orientem adnavigant: qui ex eo Italiam, contra. Cæsar l. III. belli civil. 'Ipse enim necessario Etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti.' *Lips.*

Mare quoque Etesiæ flabant, harum flatus in Orientem] Codex Matthiæ regis habet, *Mare quoque et esi flabra Aquilaris Verum flatur in Orientem navig. secundum inde adversum erat*. Lego: *Mare quoque Etesiarum flatu in Orientem nav. secundum, inde adversum erat*. Duæ porro voces *flabra aquilonis*, e margine codicis archetypi, quem doctus aliquis annotarat, in contextum a describente sunt relatæ. De sinceritate lectionis istius nihil ambigo. Sic Ann. l. v. 'Quia flatibus Etesiarum implentur vada, hibernus revolvit fluctus.' *Rhenanus.* Ego vero ausim rescribere, *Mare quoque Etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum*. Nam quæ in vulgatis et scriptis libris adduntur, a margine irrepserunt, ad quam studiosus adnotarat ex Lucretio: *Etesia flabra Aquilonum*. Mercerus. Nulla hic lux a Flor. In eo enim æque corrupte legitur: *Mare quoque et Esi flabra Aquilonis: arum flatu*. Pichena. Magna scripturæ diversitas, sed nata e glossis. Aperte enim illa in Vaticano et Budensi, *flabra Aquilonis*, interpretamentum sunt ad vocem *Etesiæ*. Itaque non audi Lipsium: *Mare quoque Etesii flabant* (vel *inflabant*) *Aquilones. Horum flatu*, &c. Neque enim assuta illa cogenda in emendationem erant: ut de locutione ipsa non dicam, *mare flare*, vel *inflare:* quæ historica nequaquam est. Illis resectis simplicissimam et apertissimam lectionem facio: *Mare quoque Etesiarum flatu in orientem*, &c. quomodo et Muretus conjecerat ante nos. *Acidal.*

Inde adversum erat] Sensus vellet, *inde adversum iter*. Freinshem. Crederem, si reliqua vulgata constarent. Sed nihil certius quam ὑποβολιμαῖα et expungenda in vulgatis esse τὰ *aeflabanth.* in Mss. *flabra aquilonis* (quod Rhenano, Mercero, Acidalio, mihi denique, omnibus, opinor, alios ignorantibus in mentem venit) scribendum, *Mare quoque etesiarum flatu:* ita τὸ *erat* necessarium; τῷ *iter* locus nullus est. *Gronov.*

CAP. 99. *Seu perfidiam meditatio*] Scripsi, *seu perfidiam meditanti*. Rhen.

Ut impar apud Vitellium] Scripsi, *apud Vitellium*, ex Flor. Ven. et aliis veteribus. Vulgo, *ad Vitellium*. Pichena.

CAP. 100. *Mox vexillarii quartædecimæ*, &c.] Lege, *quintædecimæ*, quæ una ex quatuor inferioris Germaniæ legionibus: quartadecima enim, hostili in Vitellianas partes animo, in

Britanniam missa erat. *Savil.* Falsus numerus: nam *quartadecimā* e victis legionibus remissa in Britanniam a Vitellio. Vidit Savilius, et vertit *quintæ decimæ*. Lipsius in libris esse testatur, &c.* *Mercer.* Mendosum hunc locum, suspicor ex Flor. qui habet: *Mox vexilla in quatuordecim* XIII. *legionum.* Considero etiam quod postea dicitur: *dein quinta et duoetvicesima secutæ.* Infert enim alias legiones præmissas, et tamen nullæ apparent. Leviter ergo dubitavi, num sit legendum: *et ex vexillariis quatuordecim millia: legionum dein quinta.* Octo enim Vitellianæ legiones erant: ideo non mirum, si ex unaquaque vexillarios illos, ut expeditiores ad iter, cum equitatu præmiserit. Forte scriptum in veteribus, MILL. quod pro, XIII. sumptum fuerit. Nec nimis magnus vexillariorum numerus videatur, cum superius eod. l. dixerit: 'Sed legio sexta, et tredecim vexillariorum millia, ingenti agmine sequebantur.' Hanc tamen conjecturam ego ipse nihili facio. *Pichena.*

Et duodevicesima] Vatic. et ipsa res poscunt, *duoetvicesima.* Lipsius.

Dein quinta et duoetvicesima secutæ] Correxi ex Flor. Vulgo, *duodevicesima.* Pichena.

Cum vexillariis Hystris Britannicurum leg.] Exemplar Budense: *Cum vexillario hystrium Britann. &c.* Legendum *cum vexillariis* III. *Britann. leg.* Rhenan.

Ipse Ravennam devertit] Ita in Budensi exemplari legitur: nam librarius ille perpetuo propemodum *devertere* scripsit pro *divertere.* Rhenan.

Prætextu clussem alloquendi] Forte, *prætextu.* Si *prætexto*, retines, et participium accipis, erit ea loquendi forma, quam in solo Tacito Lipsius observavit, nos etiam in Val. Max. notavimus l. IV. c. 3. Ad eum locum notas nostras vide. Sed *prætexto* iterum ut nomen l. III. 'Deliguntur legati ad exercitus, ut prætexto reip. concordiam pacemque suaderent.' Ubi Mur. tamen emendabat, *prætextu.* Sed et Sueton. *prætextum* neutro genere disertim usurpat Jul. 30. 'Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit.' *Acidal.*

Mox Paturii secretum] In manuscripto libro legitur, *ad secretum.* Lego, *id secretum componendæ proditioni quæsitum.* Rhenan.

Lucilius Bassus] Frustra solicitant libri. Nam Vaticano est, *Blæsus:* Farnesiano, *Blexus.* At Bassi cognomen, &c. * *Lipsius.*

CAP. 101. *Corrupti in adulutionem causas tradidere*] Codex Budensis, *Corruptos* habet. Reposui, *corruptas in adulationem causas tradidere.* Rhen.

Vilem mox fidem] Nos, *mox vilem fidem.* Idem.

Æmulatione etiam invidiaque] Addidi ex Flor. ac Ven. illud, *etiam*, quod a vulgatis aberat. *Pichena.*

Pervertisse ipsum Vitellium] Vox Vitellii inepte repetita, et inculcata, ut solet, ab interprete. Scribo ea ejecta, *pervertisse ipsum videntur.* Lipsius.

HISTORIARUM LIB. III.

Cap. 1. *Certare pro Italia*] Non temere mutem *pro Italia*, et tamen sententiæ non videtur convenire. Forte scribendum, *per Italiam:* id est, in Italia. Hæc enim sit eorum forsan consultatio, an manendum intra Pannonicos Alpes, an statim in Italiam bellum transferendum. Sed non mutem. Antonius infra: 'Sibi salutem securitatemque Italiæ cordi fuisse.' *Acidal.*

Cap. 2. *Antonius Primus*] Septimæ legionis legatus, quæ Galbiana dicta est. *Savil.*

Sed addito spatio, rediturum et his robur meditatione belli] Non finienda hic sententia puncto: sed nectenda cum sequentibus, *rediturum et his robur med. belli; nec procul, &c.* Acidal.

Juxta Gallias Hispaniasque, utrinque viros, equos, tributa] Non feres, *utrinque.* Non enim de duabus tantum loquitur, Galliis, Hispaniisque; sed et Britannia. Itaque dicendum potius fuerat, *undique.* Sed alibi laborat locus. Credam ego vocabulum *vires* inculcatum ex sequenti versu, ubi *viros;* atque eo sublato, ita scribenda distinguendaque reliqua: *Nec procul Germaniam, unde Britanniam freto dirimi; juxta Gallias, Hispaniasque, utrimque viros, equos, &c.* Sic *utrimque* accipies, cum e Germania et Britannia, tum e Galliis et Hispaniis. Jungit enim ob vicinitatem binas utrobique regiones. Quamquam non tam vicina Germaniæ, &c. * in Britanniam trajectus est. Hoc idem de hoc loco censuisse etiam Muretum suspicor, quia vocem *Vires* subduxerat lineola, non ea tamen plane, qua delenda solet signare. *Acidal.*

Jam, reserata militia] Non sperno: aptius tamen fortasse, certe clarius, *reserata Italia.* Atque id Taciti sive Antonii concionantis mentem propius tangit. *Lipsius.*

Jam reserata militia] *Reserata initia* elementa literarum et mentem auctoris propius erit et emendatio mihi videtur certa. *Is. Pontanus.* Sagacissimus Lipsius mendum odoratus est, atque ex ingenio pene correxit, cum restituendum censeat, *jam reserata Italia.* Quo duce, Florent. etiam juvante, qui habet, *jam reserata militiam,* lego, *reseratam Italiam.* Si enim reddideris priori verbo suam literam *m*, remanet, *ilitiam,* ex quo facile, *Italiam.* Idem fere dixit lib. præced. 'Aperuerat jam Italiam ala Syllana.' Nihil jam certius hac emendatione puto; ac nisi delicatiores aures veritus fuissem, eam recipere non dubitassem. *Pichena.* Omnino cum Lipsio legendum, *reserata Italia,* non *militia:* emendationem firmat locus lib. præced. 'Aperuerat jam Italiam.' *Acidalius.* Pro indubitata habeo emendationem Pichenæ. Similiter in re simili supra II. 17. 'Aperuerat jam Italiam, bellumque transmiserat.' *Freinshem.*

Cap. 3. *Hæc et talia*] Nos, *hæc atque talia.* Rhenanus.

Huc illuc tracturus interpretationem] Sive, *interpretatione.* Acidalius.

Eoque gratior militibus] Flor. *gravior;* nec male, ut sit δεινότερος, plus ponderis et auctoritatis. Infra ea vox eodem sensu: 'Eo gravior auctor,' &c. Lib. seq. 'Contusis Ubiis gravior, et successu rerum ferocior Civilis.' Contra de eodem Antonio, infra lib. IV. 'Unde paulatim levior viliorque haberi.' *Pichena.* Amplector omnino Codicis Flor. lectionem, *gravior,* cum et eam invenerim item in editionum prima. *Gruterus.*

Cap. 4. *T. Ampius Flavianus*] Ve-

rum hoc nomen erui e libris, qui aut *Tampius* aut *Tumpius* præferunt, cohæsu scilicet notæ. Ampia gens inter Romanas nota. Vulgo *Appium* hic legas, falso: quia non uni duplex prænomen esse potuit. *Lipsius.*

Cap. 5. *Ut transmitteret*] Clausula corrupta, manca, nec scio an loco posita. Farnesianus: *ut transmitteretur in Italiam impunem eo visui foret scriptum Aponio, Satium revirescere crederetur.* Nec aliter Vatic. nisi quod, *usui:* et supra *Satium* adnotat, *Sotium.* Ficulnum auxilium: certe mihi, qui sine libris non enato ex hac lacuna. *Lipsius.*

Cæterum ut transmitteret in Italiam] Budense exemplar habet, *Cæterum in Italiam impune et eo usui foret scriptum Aponio socium revirescere credebatur.* Ex verbis istis hujusmodi lectionem exsculpsimus: *Cæterum quum in Italiam, impunito eo usu, foret scriptum, socium revirescere credebat.* Nunc perpendat lector, utra lectio huic loco magis sit accommoda. Videtur autem mihi ideo dictum *impunito eo usu*, quia non semper licet e castris ad amicos mittere literas, ad cavendam proditionem. *Rhenan.* Vulgo in fine periodi legitur, *credebat.* Itaque sensus esse poterit; Cæterum credebat adscriptum destinatum socium Aponio revirescere partes Vespasiani iterum sequuturo, ut impune tutoque transiret in Italiam, ibique utilitati esset Vitellianis. Supra enim inquit, ‘profugus, deinde sponte remeaverat, perfidiæ locum quæsisse credebatur.’ *Ferrettus.* Subobscurus locus hic ita illuminandus videtur. Tiscurus Appius Flavianus, qui supra *Fabianus*, legatus consularis Pannoniam tenebat, qua omissa legionum cœptante motu, Italiam ingressus, dein remeaverat in Pannoniam, eoque nomine perfidiæ suspectus erat. Illi Fuscus Panneniæ procurator suadebat, ut cum copiis sine militum suspicione transiret in Italiam, et surgentibus tum maxime partibus, se utilem suis Vitellianis præberet, seque Aponio Saturnino legato Mœsici exercitus in partibus tutandis socium scriptum, viribus et auctoritate revalescere crederet. Quo sensu verba Corneliana accipienti nihil de sinceritate lectionis receptæ ambigendum est. *Vertran.* Transpositionem magnam hic fuisse primus observavit Lipsius, cui homini sane plurimum debet Tacitus; solertiss. ingenio, diligentia, judicio, ab eo correctus, illustratus. Quod necesse est agnoscant et fateantur etiam inviti, qui tanti viri singulari eruditioni invide et maligne detrahunt. Addidit Savilius observationem notatu sane dignam, paginas transpositas fuisse, quia par versuum numerus ab his verbis, *Quæsitum inde quæ sedes*, ad illa, *Ac ne inermes Provinciæ*, qui ab istis ad illa, *Et partes præsumpsere.* Quorum doctissimis observationibus pauca sunt, quæ addantur. Nam in lib. omnibus habes; *Ceterum ut transmitteretur in Italiam impunem eo usui foret, scriptum Aponio Satium revirescere crederetur:* quæ postrema duo verba dissimulant. Mihi certum est ita scribenda: *Ceterum ut transmitteretur in It. impune, magno u. fore scriptum Ap. Saturnino ut cum Mœsico exercitu celeraret*, et quæ sequuntur, usque ad illa, ‘Decorum pro causa ratus, si placere Galbæ principatus et partes revirescere crederetur. Quæsitum inde.’ Et in fine ejus paginæ ‘Vitellium ut inimici præsumpsere.’ Primum in consilio Petovione, &c.* cum suis properaret, nam sane ita legerim. Conjunctio luxatarum paginarum in hac voce, *Saturnino;* cujus prior pars in illo *Satium*, quod libri omnes agnoscunt, altera in verbo, *ut innocuum exercitum*, pro, *ino, ut cum exercitu.* Ceterorum ratio certior et liquidior, quam ut verbis indigeat. *Mercerus.* Hæc restitui juxta Florentinum, hoc sensu: ut transmissio

illa impune fieret, et usui esset. In vulgatis confusius: *cæterum ut transmitteret in Italiam impune, et eo usui foret.* Pichena. Vir doctiss. duo profert, quibus ea confusa credi vult: alterum, Flaviani in Italia dicuntur esse, et ibi quærere de sede belli, cum nondum tamen eo pervenissent, nam paulo post describitur eorum adventus, *Antonio vexillarios, &c.* alterum, non eos potuisse, nec debuisse Veronam venire tot a tergo relictis. Ad primum sic respondeo: Petovioni agitur de sede belli, inde iter Italiam versus arripitur. *Cæterum ut transmitteret in Italiam impune, et eo usui foret, scriptum Aponio socium revirescere crederet: quæsitum inde quæ sedes belli legetur, Verona visa potior, possessa ipso transitu Vicentia.* Vides igitur literas Petovione ad Aponium dari, qui jam Aquileiam obtinebat. Petovioneque consultari de occupanda Verona, inde Italiam peti, et attingi: *possessa ipso transitu Vicentia.* Illa autem, *Antonio vexillarios e cohortibus*, referenda sunt non ad priorem Antonii irruptionem (ut clarius infra), sed ad excursionem, quam occupata Verona inde fecerat, ut ea caperet, quæ studio celeritatis amiserat. Secundum sic refuto; quæ manus erat ibi, quæ primo resisteret? quis ei a tergo instaret, tribus Mœsicis legionibus Aquileiam jam ingressis? jure igitur Antonius aliis locis prævertit occupationem Veronæ, nam ea, *potior visa patentibus, &c.* Instat rursus doctiss. vir, aitque hanc totam narrationem dissonam: sed par fuerat principes Sarmatarum prius in commilitium vocare, cæteraque illius tractus providere, quam e Pannonia discederetur: quodque Verona in vulgatis Vitellianis auferatur auxilio duarum legionum VII. Galbianæ et tertiadecimæ Geminæ; quarum tamen in Italiam descensio recensetur post Veronam captam, postque pugnam ad Forum Alieni ' vulgata victoria post principia,' &c. Prioribus sic obviam itur: præ impetu nonnulla Antonium fugisse, quæ nihilominus in Italia curantur, nostroque eo ordine dicuntur, quo ab eo gesta sunt. Posteriora diluere arduum non est: Antonius duabus legionibus comitatus, Veronam cepit, iisque ibi relictis, rapit vexillarios e cohortibus, et equitum partem ad invadendum vicina Aquileiæ: eum (audita prospera ad Forum Alieni pugna) duæ illæ legiones sequuntur, ut quæ illum plurimi facerent, ejusque victoriis interesse vellent; at Patavii paucos dies indulgent quieti, quod Antonius omnia more torrentis sit exsecutus, unde nec ei nec aliis copia respirandi: nec mihi objicias male a duabus his legionibus Veronam deseri, præsertim Cæcina non illinc longe cum exercitu considente; is enim proditionem meditabatur. *Sed Cæcina, &c.* Et ad Veronæ defensionem satis erat septima Claudiana cum Saturnino. *Interim Aponius, &c.* Nunc breviter et continenter hoc exordium recensebo, nec a vulgatis latum unguem discedam. Antonius una cum Pannonicis legionibus intrat Italiam, Veronam capit, tentat levi prœlio Vitellianos, inde intendit animum (quod prius erat faciendum) ad Sarmatas, cæterasque gentes continendas et alliciendas: post cum vexillaribus cohortium, et equitum parte, occupatum it loca illa quibus in transitu abstinuerat, ut derepente Veronam partibus adjungeret: hostes fudit ad Forum Alieni, Patavioque cum duabus legionibus (quæ eo alacres ierant) Veronam redit, eamque ostentandi gratia vallo militari circumdat. At Antonius (dicat aliquis) solum petiit expeditas cohortes: ' mihi expeditæ cohortes sufficient.' Petiit, at omnes traxit: ' ut cautos quoque ac providos permoveret, vulgus et cæteri unum vivum ducemque,' &c. alioquin minime noster sibi constaret, si Antonius pe-

tita duntaxat obtinuisset: nam qui ante adventum duarum legionum rapere potuisset equitum partem ad Italiam invadendam? cohortes enim proprie de equitibus non dicuntur. Cæterum sedis opportunitas nunquam neglectui habita est: Atheniensis Messanæ inhiabant quod haberet προσβολὴν τῆς Σικελίας: id est, Siciliæ aggressionem. Thucyd. l. II. Liv. l. XL. Scipio 'ad oppugnandam Uticam vires belli convertit, ut si eam deinde cepisset, sedem ad cætera exsequenda haberet.' Socii Aponius et Flavianus erant Hist. II. 'juncti inde Mœsici ac Pannonici exercitus,' &c. quorum Aponius Mœsiacas: 'in eo metu Aponius Saturninus Mœsiæ rector.' Flavianus Pannonicos regebat: 'T. Flavianus Pannoniam,' &c. At Flavianus, in consternatione legionum, desertor partium, Italiam petierat: inde studio rerum novarum ultro in Pannoniam redierat; ideo Primus inde scribit Aponio, qui jam Aquileiam possidebat Hist. II. 85. 'Aquileiam jam progressæ.' Et Flaviani pœnitentiam nesciebat, ut eum transitu non prohiberet. *Socium revirescere* eleganti metaphora, quasi arescat, qui partes deserit: uti autem metaphoris ad sobrietatem, inprimis magnificentiam concinnat. Demetr. πρῶτα μὲν οὖν μεταφοραῖς χρηστέον· αὗται γὰρ μάλιστα καὶ ἡδονὴν συμβάλλονται τοῖς λόγοις, καὶ μέγεθος· μὴ μέντοι πυκναῖς: i. *primum igitur utendum est translutionibus, hæ enim maxime voluptatem et magnitudinem orationibus conferunt: non autem crebris.* Consule Thucydidem l. II. ἐν χρῷ ἀεὶ παραπλέουσαι: i. *prope semper adnavigantes*: ubi Scholiastes, εἴρεται δὲ ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς κουρᾶς ἄχρι τοῦ χρωτὸς γιγνομένης: i. *dictum est per translationem tonsuræ usque ad cutem factæ.* Salinerius.

Scriptum Aponio Saturnino, cum exercitu Mœsico celeraret] Quod Lipsius primum de paginis hic transpositis animadvertit, neminem esse credimus, qui in dubium revocet: nam et res ipsa per se clara est historiam attente legentibus, et ab aliis deinde observatum fuit, etiam versuum numerum in hac transpositione optime congruere. Præterea Flor. codex id manifestissime indicat: nam hic pro 'Aponio socium,' ut in vulgatis, habet, *Aponio satium:* inferius vero, pro, 'ut innocuum exercitum Mœsicum celebrare,' ille, *nino cum exercitum Mœsico celeraret.* Adeo ut hinc clarius constet, illud, *satium*, quod legendum, *Satur*, finem unius paginæ fuisse, et fractam vocem, *nino*, principium alterius; quæ simul juncta, conficiunt, *Saturnino.* Nos ergo ad faciliorem lectoris usum, librariorum incuria transposita, in verum ordinem redegimus, partim Lipsii partim Merceri sententiam secuti, atque etiam Manuscripti nostri fidem et auctoritatem. *Pichena.*

Ac ne inermes provinciæ] Quicquid in Latinis exemplarib. incipit ab his verbis, *ac ne inermes provinciæ, &c.* usque ad illa, *si placeret Galbæ principatus*, inclusive præponatur illis, *quæsitum inde quæ sedes bello legeretur, &c.* sic cohærent illa, *ut innocuum exercitum Mœsicum celebrare*, cum hisce, *et præsumpsere partes.* Confusio primo videtur nata, quod linearum et litterarum inter *quæsitum unde* et *Mœsicum celebrare* fere par sit numerus cum illis inter *ac ne inermes* et *Galbæ Principatus* ex transpositione paginæ in exemplari, unde in ea, quæ habemus exempla, transfusum vitium. *Savilius.* Facrnus legebat, *ut invictum exercitum Mœsicum*, pro *innocuum.* Ursinus. Flor. *at ne inermes.* Vulgo, *at ne.* Pichena. Emendo, et in ordinem ita committo, *jus fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus r. S. q. v. o. c. R. e. g. fidei commissæ patientior. Ac ne inermes provinciæ barbaris nationibus exponerentur, opposita in latus auxilia. Infesta Rætia: c. P.*

S. p. e. i. c. V. f. Igitur Sextilius F. c. a. A. e. VIII. c. a. N. j. ad o. r. Æ. a. q. R. N. interfluit missus, nec his aut illis p. t. f. p. alibi transacta. Et interjectus exercitus per Rætiam, Iulias quoque Alpes, ne pervium illa Germanicis exercitus foret, obrepserat. Antonio vexillarios, &c. Eum sane ordinem res ipsa postulat. Ac primo Tacitus Romana pariter et externa Vespasiani auxilia, deinde curam provisumque ducum memorat, ne aut provinciæ exercitibus spoliatæ aliis nationibus in prædam interea cederent, aut ne aliqua hostilibus copiis transitus, et irruptionis occasio relinquerctur: post quæ denique profectionem Antonii et Vari, ingressumque ipsius belli. *Acidal.*

Plebem quoque et vim equitum] Malim; *peditem quoque et vim equitum.* Hist. I. 79. de Sarmatis: 'Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum vis velut extra ipsos; nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum, ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit.' Qui locus huc, et pro hac conjectura nostra faciat. *Boxhornius.*

Omissum id munus] Nos, *remissum id munus.* Rhenan.

Ne quid discordiæ externa molirentur] Ita Faërnus legebat pro eo, quod vulgo legitur; *Ne inter discordias.* Ursinus.

Aut majore ex diverso mercede] Reposui, *aut*, ex Florent. Vulgo, *ac majore.* Pichena.

Et gens fidei commissæ] Mei codices, *commissior, patientior.* An, *fide cognitior?* an impar medicina nostra huic vulneri? Palmerius legit: *fidei commissior: patenti ora, opposita in latus auxilia:* nescio an favente Æsculapio. *Lipsius.*

Gens fidei commissæ patientior] Flor. etiam corrupte: *fidei commissior patientior: posita inlatus.* Ex quo nihil aliud elicio, nisi quod forte, pro, *patientior*, legendum est, *patiens*, ut syllaba *or*, convertatur in *op*, ad verbum, *posita*, pertinens. Reliqua emendare non meæ opis. Sententia postularet, *gens fida, ac laborum patiens:* vel, *atque onerum patiens:* aut aliquid simile. *Pichena.* Τὸ *commissæ* id est junctæ. Virg. Æn. III. 427. 'Pristis Delphinum caudas utero commissa luporum.' Suevorum gens fida Romanis, non fœdifraga censebatur, ut Sarmatæ Iazyges. *Patientior* pro *patiens*, ut *tristior* pro *tristi.* Virg. Æn. I. 'Tristior et lachrymis oculos suffusa nitentes Alloquitur Venus.' *Saliner.* Huic plagæ non Lipsius, non Palmerius, non Muretus, qui legit, *gens fidei commissi patientior*, medentur, etsi tentant: ego ne tento quidem, ita medicinam omnem hic despero. Est et qui legat, *fidei constantior*, qua phrasi Tacitus utitur parum infra hoc lib. 'Claudius Apollinaris, neque fidei constans, neque strenuus in perfidia.' Est et qui velit, *fidei promissæ servantior.* Acidal. Emendem, *gens fidei commissa potentiorum.* Romani habebant instrumenta servitutis, et reges quorum potentiam vi sua sustinebant, ut per eos gentes retinerent in obsequio. Non dissimile illud Annal. VI. de Artabano, qui Seleuciæ plebem primoribus dicitur tradidisse suo ex usu. Et Thucyd. lib. VIII. Pisander suadet Atheniensibus, ut paucis remp. committant, eo enim modo futurum, ut plus ipsis fidei haberet rex Persarum. Sic et Philippus rex ubique fovebat partes potentiorum, quod observatum Demostheni Philippica VI. *Grotius.*

Infesta Rhætia] Videtur scribendum: *opposita in latus auxilia infestæ Rhætiæ.* Ut infra: 'L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit.' *Gronov.*

Portius Septimius] Ita nos. *Rhenan.* Vaticana editio et Veneta *Septimius:* et debet placere: quorsum enim uni duarum familiarum nomina? *Grut.*

Sextilius Felix cum ala Auriana] Ita Flor. et de Vaticano testatur Lipsius. Male vulgo, *cum ala Tauriana*. Pichena.

Ad occupandam ripam Rheni fluminis] Castigavimus contra manuscriptum exemplar, *ad occupandam ripam Æni fluminis*, nam auctore Ptolemæo, Noricum ab occasu terminatur Æno fluvio. De hoc loco meminimus l. I. rerum German. *Rhenan.*

Nec his aut illis prælium tentantibus] Scripsimus, *nunc illis aut his prælium tent.* Rhenan. Rectius ex Flor. ac Ven. *nec his aut illis.* In vulgatis minus apte, *nunc illis aut his, &c.* Pichena.

Fortuna partium alibi transacta] Hoc est, alibi bellum translatum, secundiore Flavianarum partium fortuna. *Pichena.* Volunt dicere, dum hi utrimque contantur, nec belli partem capessunt, quamvis inimicis animis, alibi locorum summa rerum decreta est. Sed forte typorum error est, et scripsit Pichena, *transactum.* Gronov.

Cap. 6. *Antonio rapienti vexillarios*] Legiones, earumque centuriones, iter, et quicquid circumstantiarum limatior cura deposcat, hoc bello perspicue et plene auctor noster pertractavit, longe melius quam ultimo inter Vitellium et Othonem, aut secuto, inter Civilem et Romanos in Germania. Hic Antonius, &c. * *Savill.*

Strenuus bello, quam gloriam] Locus quem fœdatum arbitror non vane. Nam scripti mei, *Strenuus bello magis quam gloria: et dux Corbulo.* Divinabam olim, *strenuus bello, quam gloria: ei dux Corbulo et prospera in Armenia res:* omissa voce, *addiderant*, quam additam censebam a glossographo sententiæ fulciendæ. Genus quidem hoc loquendi, per Tacito crebrum. Annali IV. ‘Agrippa claris majoribus, quam vetustis.’ Annal. I. ‘Pacem quam bellum probabam:’ et sæpius. Plautus ipse non refugit, Rudente: ‘Eo tacent, quia tacita bona est mulier semper, quam loquens.’ Iterum Menæchmis: ‘Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.’ Nec quidquam in his mutandum: intelligitur enim magis, potius: uti Græcis crebro τὸ μᾶλλον. Iterum Plautus: ‘Certum est moriri, quam hunc pati lenonem in me grassari.’ Livius: ‘Multiplex quam pro numero damnum est.’ Laberius: ‘Consistes ægre, et quam descendas, decides.’ Curtius l. VII. ‘Nec me ars mea, quam benivolentia perturbat.’ Noto pluribus, ut illustrem genus dicendi quod obscurum visum multis et in Tacito durum. At de loco hoc ipso, nunc quidem hæreo. Parum aptæ sententiæ videtur, *strenuus gloria:* nec antithesis clara. Rodolphus adnotarat in suo codice, *strenuus bello magis quam bonus.* Certe valde mihi placeat legi, *strenuus bello, quam bonus. Gloriam ei dux Corbulo, &c.* Et vereor uti Rodolphus in libro aliquo reppererit, non ausus sequi. *Lipsius.*

Strenuus bello, quam gloriam] Versentur Mss. codices, conjecturis indulgeamus, nil potius attamen vulgata lectione. Arrius habebatur bellorum peritus, quæ laus sive gloria inde orta, quod stipendia fecerat sub optimo duce Corbulone: magno enim in pretio habentur, et undique magnis conditionibus invitantur, qui sub strenuis ducibus meruerunt: quotus enim quisque est, qui eos quovis pretio non ambiat, quos sub Alexandro Farnesio militasse sciat? quis modo non montes auri promitteret militibus Henrici quarti regum ducumque fortissimi? Verum Arrius iste spei de se conceptæ minime respondit, nam neque fortem militem, neque constantem ducem se præbuit: *pavidus turbæ suorum miscetur, intulitque formidinem.* Salinerius.

Quam gloriam ei dux Corbulo et prospera in Armenia res addiderant] Turbat hic Lipsius, sine causa. Mihi liquet, si pro *addiderant*, scribam, *cir-*

cumdederant: quo verbo quin sit Tacitus hic usus, dubitari non potest, si exempla ejus locutionis ipsi velut propriæ, sparsa ubique plurima inspiciantur. Aliquot mihi notata ad Dialogum de Oratorib. quæ huc inde transfer. *Acidal.*

Occupantes Aquileiæ] Budensis codex et Romana editio, *occupata Aquileia, in proxima quæque.* Haud displicet: possit et legi, *in proximo quoque.* Lipsius.

Occupantes Aquileiæ proxima quæque] Codex Budensis, *occupata Aquileia, proxima quoque.* Subaudi *occupantes.* Rhenan. Flor. *occupata Aquileia, proxima quæque.* Sed non ideo melius. *Pichena.* Alii libri, *occupata Aquileia, in proxima quæque.* Id magis placet. Lipsii, *in proximo quoque,* ferri non pote. Elliptica namque oratio est, cui verbum subauditur. Tales in Tac. crebræ Ann. II. 'Quod arduum, sibi; cætera legatis permisit.' Agric. 'Nihil per libertos servosque publicæ res.' Hist. l. I. 'Omnia serviliter pro dominatione:' et hoc lib. 'Nihil prorsus quod aut corrumperet hostem, aut tereret.' *Acidal.* Verum omnino, *occupata Aquileia, in proxima.* Ea urbe in potestatem redacta vicini portas eis aperuere. Hoc est, accipiuntur in proxima. Sic Virgilius, 'et dominum Æneam in regna recepit.' *Gronovius.*

Inde Patavium et Ateste] Ateste situm est in Enganeis montibus prope Patavium, a quo nobilem illam Estensium familiam, quæ plus minus centum annos Ferrariæ imperat, deductam volunt Cœlii Calcagninus et Rhodiginus, Atestinamque vocandam dicunt. Nunc tantum castellum est sub ditione Venetorum, quod aliquando invisi, nominis celebritate adductus, cum Patavii in nobili Musarum domicilio Lazaro Bonamico bonarum literarum professori operam darem. *Lupanus.*

Scribonianæ nomen] Aliquot libri, *Sebonianæ.* Lipsius.

Alam cui Scribonianæ nomen] Lipsius ait, in nonnullis cod. legi, *Sebonianæ:* quod etiam Flor. habet. *Pich.*

Inermos plerosque oppressere] Scripsi, *inermos* ex Flor. Vulgo, *inermes.* Sic Ann. l. I. 'quem ignarum inermemque, quamvis firmatus animo Centurio, ægre confecit.' *Idem.*

CAP. 7. *Post principia belli*] Abest particula, *post,* a Budensi: eoque Rhenanus, *principio belli,* rescribit, me favente. *Lipsius.*

Victoria post principia belli] Exemplar Matthiæ regis, *victoria principia belli secundum Flavianos date legiones.* Lego: *victoria principio belli secundum Flavianos data, legiones, &c.* Rhenan. Melius erit si legas, *principio belli:* et *post* auferas, quod deest etiam Corviniano, et vulgaribus libris superest. *Vertran.* Abest quidem illud, *post,* a Flor. quod congruere videtur cum Rhenani lectione: idque Lipsius probat. Tamen in eo codice scriptum est, *principia,* ut litera, *p,* utrique dictioni inservire videatur: nam sæpissime in eodem libro invenitur, *p'*, pro, *post.* Pichena. Mihi non deleto, sed mutato *post,* legi placeat: *ipso principio belli.* Acidal.

Quia audacius quam] Sperno illud, *audacius:* nec protervo militi umquam ea in duce displicuerit, sed rigor potius et severitas. Itaque bene Vaticanus, *adductius:* cui verbo ea vis. Tacitus Ann. XIV. 'Pluribus sermonibus, modo familiaritate juvenili Nero, et rursus adductius, quasi seria consociaret.' Idem Ann. XIV. 'Adductum quasi et virile servitium:' ita enim ibi malo cum codice Budensi, quam *Addictum.* Suetonius sensu simili Tiberium incessisse scripsit, 'vultu adducto, plerumque tacitum:' id est, gravi, serio, et severo. Ita Seneca 'vultum adducere in tristitia' usurpat: et Capitolinus de Ælio Vero scribit, 'fuisse fronte in supercilia adducta venerabilem.' Caussa aperta

huic significationi, a gestu. Qui enim alacres, comes, fronte etiam fere sunt exporrecta et diffusa: qui tristes, severi, eadem contracta et adducta. Non alia mente Propertius subductum vultum pro gravi dixit: ‘ Nunc volo subducto gravior procedere vultu.’ *Lipsius.*

Quia adductius, &c.] Concordes sunt Flor. et Vat. in voce *adductius*, cui in vulgatis substitutum fuerat, *audacius*. De ea vide, si libet, plura apud Lipsium. *Pichena. Audacter* aliquid agere est ἐλευθέρως, sive liberc, et nullo respectu rem exequi: inde apud Comicos: *audacter credere* et *audacter monere:* quin et Sallustio *audacia* dicitur eodem fere significatu. Catil. ‘ Duabus his artibus audacia in bello, ubi pax evenerat, æquitate, seque remque publicam curabant.’ Liberius igitur et severius Minucius iste milites regebat, quam per civilia bella par esset, ubi severitati locus non est, quod Cassium non fugit. Plutarch. in Brut. ‘ Unde Brutum improbabat, quod nimis austerus atque severus foret eo tempore, quo humanitate atque clementia opus erat:’ nec Octavium Ann. I. ‘ad arma civilia actum, quæ neque parari possent, neque haberi per bonas artes:’ neque Othonem Hist. I. ‘ vulgus et plures seditionibus et ambitioso imperio læti, per turbas et raptus facilius ad civile bellum impellerentur.’ Quid enim facerent militibus obnoxii et magis servientes, quam imperantes? Atqui alius ab iis Pericles, qui potentiam bonis artibus adeptus est. Thucyd. l. I. κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως, καὶ οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ' αὐτοῦ, ἢ αὐτοῦ ἦγε: id est, *continebat audacter multitudinem, et magis eam regebat, quam ab ea regeretur.* Saliner.

Si placeret Galbæ principatus] Male diducta sententia et scripta. Puto: *si placere Galbæ principatum et partes, præsumpsissent.* Putavit, inquit, Antonius e re futurum, si homines animo præsumerent, Galbæ principatum et optimatum partes Vespasiano placere. *Lipsius.*

Si placere Galbæ principatus] Castig. *si placeret, &c.* Rhenan.

Cap. 8. *Quæsitum inde quæ*] Varie olim peccatum in libris: sæpe etiam in transpositu foliorum aut trajectu. Quod hic factum mihi liquet. Quomodo autem id alii Critici non advertere ante me? mirum. Nam historiam saltem lege non ignave: videbis, imo tanges. En, hic deliberatur de sede belli in Italia, et Verona eligitur. Atqui nondum in Italiam copiæ ullæ transmissæ. Pagina demum sequenti narratur, ‘ Antonio rapienti partem equitum ad invadendum Italiam Arrius Varus comes fuisse, et Aquileiam et proxima quæque occupasse.’ Veronamne igitur venire potuerunt, a tergo his relictis? Sed et tota narratio, incomposita, dissona: cui verum veteremque ordinem dare, haud nostrum: in meliorem tamen paullo aptioremque sic redigi censeam, ut dedi in Excurs. *A.* Lipsius.

Quæsitum inde, &c.] Hic primæ paginæ statuitur finis, in voce, *partes:* et secundæ principium in verbo, *revirescere;* idque juxta Merceri opinionem verius videtur: nam Lipsius aliquantulum variat, ac verba illa, *revirescere crederentur*, penitus tollit aliaque immutat. Nos ordinem tantum restituimus, verbis omnibus integris, ad vetcrum librorum fidem, manentibus: nam pro, *crederet*, id vulgo, in Flor. legitur, *crederentur.* Pichena. Doctiss. vir, *si placere Galbæ principatum et partes præsumpsissent: facta.* Priora interpretor. Flaviani ejusmodi Galbæ cultu, ejus amorem, et imitationem Vespasiano vindicabant, quasi ad normam Galbæ regnaturus is esset, cujus milites adversus ejus desertorem tam acriter pugnarent, tantumque tribuerent memoriæ vita functi. Nec omnino infirma est conjectura, si ex cultu, quo quis alium

prosequitur, ejus ingenium illi dicamus non displicere. En Vitellius inferias Neroni facit, Hist. II. ‘ lætum fædissimo cuique, apud bonos invidiæ fuit, quod exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset.’ Sequitur, ‘ et partes præsumsere, facta tribunis:’ id est, Flaviani, antequam prælio transigeretur, captabant defectionem Vitellianorum, promittebantque eorum centurionibus ac tribunis honores eosdem, quos apud Vitellium gessissent. Τὸ *præsumere* est præoccupare. Virg. Æn. l. XI. ‘ Arma parate, animis et spe præsumite bellum.’ Ad quæ Servius, ‘ mente præoccupate.’ Noster Hist. l. I. ‘ Fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis præsumebat.’ Acute: ad alia quæ decent strenuos duces, nondum imperator, conviviis sumptuosis videbatur principem se gerere. *Saliner.*

Vicentia] Vicetiam appellant Plinii meliores libri, et Strabo Οὐϊκέτιαν. Etiam lapis:

INTER
ATESTINOS
ET
VEICETINOS
FINES. TERMINOSQ.
POSVIT. *Lipsius.*

Possessa ipso transitu Vincentiu] Reposui, *Vicentia.* Sic enim Plinius atque Ptolemæus vocant. Quidam et *Vicetiam* ex inscriptione, quæ in agro Veronensi reperta est. *Rhenan.* Ex Flor. restitui *Vicetia,* quam vocem ex Plinio et Strabone firmat Lipsius. Male in vulgatis, *Vicentia.* Pichena.

Et intereeptus] Vatic. et Farnes. *intertectus exercitus Retiam Juliasque.* Ego ne hæc quidem integra puto aut satis composita. Legam tamen: *interjectus exercitus Rætieas Juliasque Alpes, ne pervium illa Germanieis exercitibus foret, obsepserat.* Lipsius.

Et interjectus exercitus, Rhætiam, Juliasque Alpes, ne pervium] In vulgatis legebatur, *et intereeptus exercitus per Rhætiam Juliasque Alpes, ac ne pervium.* Lipsius correxit: ego juxta illius sententiam cetera restitui: quoniam fere congruunt cum Flor. qui habet: *Et intertectus exercitus pretium Juliasque Alpes.* Sed vocem, *Rhætiam,* mutare nolui, cum recte mihi videatur dictum, *obsepserat Rhætiam, et Alpes Julias.* Pichena. Lego, *interseptus:* nam Rhætos et Germanos Antonius intersepsit. ‘ Suis stimulis excitos Mœsiæ duces, sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Rhætorumque.’ Τὸ *exercitus per Rhætiam Juliasque Alpes:* id est, Rhætorum, qui timebantur, ne per eas descenderent. *Saliner.*

Per Rhætiam Juliasque Alpes] Ab ortu in occasum euntibus post Carnicas Alpes Juliæ occurrunt, quæ ab Tarvisio in Noricum et Austriam perducunt. *Lupanus.*

Ne pervium illa] *Illa,* sicut *qua,* pro *illac.* Sic Ann. l. II. ‘ Incubueratque Sagittarius, illa ruptarus.’ Hac forma Livius *ea* adverbialiter usurpat l. VI. quod ad *qua* refertur. Emenda locum: sic enim vulgo legitur: ‘ Volsci qua modo simulato metu cesserant, eunt in veram fugam effusi.’ Scribe: *Volsci qua modo simulato metu eesserant, ea in veram fugam effusi.* Rhenan.

Consilia post res afferebantur] Hæc lectio placet: nam quod in lib. Regio scriptum est, *post tres menses,* plane supposuit aliquis, ne vocabulum corruptum *tres* ex *res* solum relinqueretur. Nimis longum tempus futurum erat, si addidisset, *annos,* nimis breve, si *dies.* Rhenan.

CAP. 9. *Prima hostibus prodidit*] Lips. *vendidit.* Lego, *primo hostibus prodidit tempora belli, dein quos armis.* Acidal.

Arma tractantium] Verius, *retractantium.* Acidal.

De exitu sccuri] Manuscripti, *de*

exercitu. Quod edidi, magis placet. *Lipsius.*

In Vitellium ut inimici, præsumpsere] Προήρπαζον. *Savillius.* Secundæ paginæ finem ponimus in voce, *inimici;* tertiæ vero initium, in verbo, *præsumpsere*, ut optime censuit Mercerus. Hic autem scripsimus, *in Vitellium*, Flor. codicis auctoritate: nam præpositio, *in*, a vulgatis aberat: et transpositione demum absoluta, sequitur textus: *Facta tribunis.* At si quis desideret, illam ipsam paginarum transpositionem, quomodo se habeat, inspicere; non ab re duximus, eam hic ante oculos lectori proponere: nam restitutio verusque ordo clarius apparebit. Incipit ergo in his verbis: ‘ Cetcrum ut transmitteret in Italiam impune, et eo usui foret, scriptum Aponio, socium revirescere crederet. Quæsitum inde quæ sedes;’ usque ad verba, ‘ de exitu securi, Vitellium ut inimici.’ Postea sequitur: ‘ ut innocuum exercitum Mœsicum celebrare. At ne inermes provinciæ:’ et pergit ad ea; ‘ decorum pro causa ratus, si placeret Galbæ principatus. Et præsumpsere, facta tribunis et centurionibus,’ &c. *Pichena.* Nil mirum si posterior hæc vocula vim passa est, tot capitibus (nam a quinto incipit corruptio) mira securitate describentium ordine motis. Restituendum est igitur: *in Vitellium ut inimici, rescripsere*, nempe ad epistolas quas Cæcina misit. Similis fere locus infra Hist. III. 81. ‘ Obviæ fuere et virgines Vestales, cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis, &c. Virgines cum honore dimissæ: Vitellio rescriptum,’ &c. Ergo hic etiam statim repetitum verbum scribendi: ‘ quod submisse Cæcina, &c. ipsorum duces contemptim scripsissent.’ *Freinshem.*

Tunquam insultantes Vitellio scripsissent] Verbum, *scripsissent*, videtur mendosum. Itaque pro eo Faërnus, *corripuissent*, reponebat. *Ursinus.*

Cap. 10. *Et ut proditionis ira*] Videatur vox abesse: legendumque; *proditionis auctorem*, vel, *compertum:* nisi tamen compendio fuit, *et ut proditione, ira militum:* id est, ut in proditione, quasi ea esset. *Lipsius.*

Rapiuntur arma metu proditionis: ira militum in Tampium Flavianum incubuit] Ita legebat Faërnus. Tampia vero familia ex denariis et antiquis titulis nota. *Ursinus.* Lipsius aliquod verbum hic deesse putat, suppletque. Nec dubito, quin optimo judicio. Leviter tamen dubitavi, num legi possit; *et ut proditorem, ira militum.* Pichena. Integra qua a verbis, qua a sententia: ut manca viderentur, fuit in causa brevitas a Cornelio affectata: verum nec ista tanti sit; quam enim ad nauseam, si sic dixisset, *et ut ira proditionis, ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit:* hoc est, Milites ira (quam contra proditores concipere solent) adversus Flavianum inflammati sunt. Iis affinia videntur hæc: ‘ ne dum Primus ac Fuscus, et specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant.’ An suavius ad aures accideret: *ullam licentiam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant?* Ad Midæ forsitan. Eadem fere Sallust. Catil. ‘ Facinorosorum circum se tanquam stipatorum catervas habebat.’ Postremum non reor hoc genus interpretandi insolitum tibi visum in *ira proditionis*, id est, propter proditionem. Virg. Æn. III. ‘ Scelerum furiis agitatus Orestes.’ *Furiæ scelerum* scil. quæ illum propter scelera, nempe matricidium, agitabant. *Saliner.* Clarum desiderari vocem aliquam: sed id mihi quoque clarum, non aliunde inserendam, sed hic latentem eruendam. Lego: *Rapiuntur arma metu proditionis. Ira militum in T. Amp. &c.* Qua correctione nihil certius. Nec audiamus Lipsium, *auctorem, compertum*, vel tale quid inculcantem: Muretum multo

minus, verba interpolata trajicientem, *Rapiuntur arma, et ira militum in T. Ampium Flavianum ut proditorem incubuit.* Acidal. Putem: *ut proditi ira militis.* Existimabat miles se a Flaviano, ut Vitellii propinquo, proditum hosti: vide sequentia. *Grotius.* Nihil hic deesse putem, sed scribendum: *Rapiuntur arma metu proditionis ira, &c.* Freinshem.

Obturbabatur militum vocibus Aponius] Vocabulum *Aponius* delevimus. *Rhenan.* Vulgo, *Aponius.* At restitui, *Aponianus,* historia ipsa cogente; nam is paulo infra iterum inter tumultus sedatores nominatur. Aponius vero inter præcipuos erat, in quos ira militum incubuerat. *Pichen.*

A conviciis ac probris] Nos, *et probris.* Rhenan.

Sensit ludibrium miles] In Ms. codice est, *Sentit.* Rhenan.

Aliquo militari decore insignem] Vox, *decore,* a Flor. est. Vulgo, *honore.* Pichena.

Sua quisque in tentoria dilaberentur] Ita scripsisse Tacitum crediderim, teste Flor. Vulgo, *dilaberetur.* Pich.

CAP. 11. *Legatum, eo atrocius aggrediuntur*] Melior verborum ordo sit: *legatum aggrediuntur, eo atrocius, &c.* Acidal.

Quippe Mœsicæ legiones] Vocabulo *legiones* expuncto scripsimus, *Quippe Mœsici adjutam a se Pannon. ultionem.* Nam sequitur, *Pannonici.* Codex Budensis continet, *Mœsice,* sed perperam meo judicio. *Rhenan.* Ex Flor. hæc, *Quippe Mœsicæ legiones adjutam a se Pannonicorum ultionem.* At in vulgatis: *Quippe Mœsici adjutam a se Pannoniorum, &c.* Pichena.

Primus et Aponianus, et Messalla] Addidi copulam ante vocem, *Aponianus,* auctore Flor. *Pichena.*

Balnearum fornicibus abditus] Reposuimus, *fornacibus.* Rhenan. Muretus *fornicibus.* Acidal.

Omissis lictoribus] Erat hic legatus Mœsici exercitus, et tamen lictores habebat. *Ferrettus.*

Obversis militum studiis] Flor. *militibus:* forte, *militaribus.* Pichena.

CAP. 12. *Vespusiano tenebantur*] Mur. præpositionem addit, *a Vespasiano:* quam subintelligi Tacitus voluit, ut pœne innumeris aliis locis: quorum multis deinceps cum idem similia insereret, silentio transmittam. Hic *Vespasiano* vocem etiam dandi casu apte acceperis, et verbum *tenebantur* eleganter interpreteris, obstrictæ erant: quomodo pulcherrime Apuleius utitur Metam. l. III. 'Nam me, quæ sola mortalium novi, vis amoris, quo tibi tenor, indicare compellit.' *Acidalius.*

Cornelium Tuscum] Lege, *Fuscum.* Lipsius.

Prope uccurrit] Castig. *propere accurrit.* Rhenanus. Placuit verbum, *adcucurrit,* ex Flor. Vulgo, *accurrit.* Pichena.

Hadriam pervectus] Nos, *provectus.* Rhenan. Hic ex Flor. reposui, *pervectus:* in vulgatis, *profectus.* * Flor. etiam habet, *Atriam.* Pichena. Muretus *Acriam:* quod miror. *Acidal.*

A præfecto alæ Mennio Rufino] Interjecta adhuc vox in Vat. nempe; *alæ Juveniorum Rufino:* quæ examinanda est; nam *ala* profecto plerisque locis Taciti, addita habet nomen ejus, a quo primitus instituta est: hic autem tam nomen esse potest, quam adjectivum, a *Juvene* deductum. *Gruter.*

CAP. 13. *Primores Centurionum*] Hanc Cæcinæ rebellionem Josephus nobis eodem modo describit l. IV. c. 41. *Savillius.*

Secreta castrorum] Flor. *secretorum,* habet: ex quo bene, *secretum.* Lips.

Secreta castrorum affectans] Vol. regium, *Secretorum castrorum affectans.* Lego, *secretum castrorum affectans.* Rhenan. Flor. corrupte, *secretorum.* Puto legendum, *secretum,* seu potius, *secretiora castrorum.* Pichena.

Transfugisse classem in arcto com-

meatuum] Reposui, *transf. cl. inopia commeatuum.* Rhenan.

Totis castris in fama proditio] Tamquam in ore, in sermone, in notitia hominum. *Ferrettus.* Illud *infama* unico verbo in v. c. legitur. *Ursinus.* Nolim mutari. Usurpata enim etiam alibi nostro phrasis, *in fama esse.* Supra l. II. ' Erat tamen in ore famaque Vespasianus.' *Acidal.* Corrigebam, *infamata proditio.* Verum Lampugnanus ex suo Mirandulano : *sed ubi totis castris rei fama didita.* Venetus, *in fama proditio.* Sed Rom. *infamia prodidit :* et forte ; *castris infamia prodita,* aut etiam *didita:* ut verbum minus cognitum varietates istas invexerit. *Gruterus.*

Cuncta simul erumpunt] Lego, *cuncti.* Acidal.

Germani exercitus gloriam] Nos, *Germanici, &c.* Rhenan.

Junctas manus et capta traderent arma] * Herodian. l. I. ' Tibi quam pulchrum fuerit redire in urbem triumphanti, vinctosque et captivos reges præteragenti.' *Lipsius.*

Othoniani exercitus robur] Liber Ms. habet, *Germanici.* Forte legendum, *Britannici.* Rhenan.

Quos tamen iisdem illis campis] Reposui, *quos tum iisdem campis illis.* Mox, *ut tot armatorum millia,* vocula, *tot,* non est in libro Ms. *Rhenanus.* Muretus, *iisdem illis campis.* Parum in eo momenti. Plus ut distinctio recte adhibeatur, quæ vulgo pessima. Lege, *quartadecimanosque, quos tamen iisdem campis illis fuderint straverintque. Ut tot armatorum, &c. Antonio donum darentur?* Cum interrogatione inquam efferenda: nec minus etiam illa: *Id Basso, id Cæcinæ visum, &c. partib. viles?* Aliter sententia partim languet, partim et obscura est. *Acidal.*

Exuli Antonio] ' Tempore Neronis,' inquit Tac. ' falsi damnatus,' et fortasse in exsilium pulsus. *Savil.*

Etiam militibus] Cum Ferreto omnino lego, *etiam milites auferre.* Lips.

Etiam militibus principem auferre] Malim, *etiam milites auferre:* primum, quia princeps re ipsa non auferebatur militibus; sed milites principi: deinde, ut conveniant quæ sequuntur, *licet integros incruentosque.* Ferrettus. Hic nihil aliud monebo, nisi quod in Flor. legitur: *etiam militibus principem auferre litem; integros, &c.* quod mendi suspicionem auget. *Pichena.* Non deterreor metu proscriptionis, quæ mihi a triumviris impendet. Vertranius enim et doctiss. vir subscribunt Ferreto ista ad hanc faciem decurtanti, *etiam milites auferre:* quapropter diversis punctis hæc mihi legas: *etiam militibus principem auferre: licet integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus aut prospera, aut adversa?* Non usus est Œdipo ad hanc declarationem. Incorruptæ fidei milites, nec tantillum de sua integritate dubitari volunt: indeque dicere non sustinent: *etiam milites principi auferre.* Sed potius, *etiam militibus principem auf.* quasi illud nefas cogitatu sit, istudque (licet in idem recidat) suam fidem præstringere nequeat: *licet integros,* quid dicturos se integros et incruentos, ac Flavianis quoque viles, reposcentibus prospera, aut adversa? *Saliner.* Sequor Ferretti emendationem Lipsio memoratam. Addo interpunctionis lucem hoc modo: *etiam milites auferre licet integros incruentosque. Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus, aut prospera aut adversa?* Et postrema interpretor ex simili Luciani loco: ' Non potes hoc causæ, miles, præstare senatus, Assertor victo redeas ut Cæsare; certe, Ut vincare, potes.' *Grotius.* Et ego Ferretto subscribo, quicquid argutetur Salinerius. Sed superest in τὸ licet aliquid scabri, quod muto in *deditos;* ut sit: *etiam milites auferre, deditos integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos, &c.* qui de-

diti sint nullo discrimine facto, nullo sanguine aut sudore; et ob id etiam aspernabiles iis, quibus accesserint; nec habentes, quod respondeant interrogantibus, vel, ubi nunc ad Bedriacum victoria? vel, τί παθόντες, et quas ad incitas redacti ad tam deforme subsidium salutis descenderint. *Gronov.*

Cap. 14. *Relictis castris*] *Inter Hostiliam et paludes Tartari flum.* Savil.

Prima Italicæ et undevicesimæ Rapaci jungerentur] Nos, *uni et vicesimæ Rap. jung.* Rhenan. In v. c. legitur, *Undevicesimæ Rapaci:* ut sup. lib. II. Sed videndus Plutarchus in Othone. *Ursinus.*

Cap. 15. *Discordes animis, discretos viribus*] Hæc duo vocabula *animis discretos*, non sunt in regio cod. qui sic habet, *discordes viribus hostium exercitus aggredi statuit. Discordes viribus*, id est, Propter vires. *Rhenanus.*

Immensum belli luem] Accusativus *luem* non est in lib. Budeusi. Malim, *vim.* Paulo post est illic, *progredi paucos.* Rhenanus. Faërnus legebat, *immensam belli molem.* Ursin. Lego, *belli molem.* Et sic Muretus. *Acidal.*

Quo licentius popularentur] Absente scil. duce. *Pichena.* Possit et aliter distinguere, *a Bedriaco progressus. Quo licentius popularentur, explor. &c.* Sed ego vix probem. *Acidal.*

Cap. 16. *Quinta ferme hora diei*] Id est, ut nos horas numeramus, undecima aut circiter. *Savillius.*

Vacuo medio relinquit iter] Emendavi, *Vacuum in medio reliquit iter.* Rhenan.

Prælio occurrerent] Sive, *accurrerent.* Acidal.

Cap 17. *Constantis ducis, aut fortissimi militis*] Satis erat, *fortis.* Nec aliter scio, Tacitus. Cur enim non et *constantissimi* ante dixisset, si hic *fortissimi?* Nimirum syllabæ postremæ *simi*, natæ ex adhæsu sequentis vocis *militis.* Idem.

Occursare paventibus] Nos, *occurrere paventibus.* Rhenan.

Ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio] Lego et distinguo: *Ibi plurimus labor, unde aliqua spes: consilio, manu, voce insignis, hosti conspicuus suisque.* Primo illud verissimum est, plurimum illic laboris fuisse, ubi spes major victoriæ, majusque operæ pretium. Tac. infra; 'Ingrata quæ tuta, et ex temeritate spes, omnisque cædes et vulnera et sanguis, aviditate prædæ prensantur.' Cetera satis clara. *Colerus.*

Arctiore illic via] Tamen paulo ante dixit, 'angustiis viarum conflictabantur.' *Savilius.*

Atque illi consternuntur] Scripsi, *consternantur.* Rhenan.

Arma equosque abripere] Nos, *arma, equos abripere.* Rhenan. *Arma equosque*, ex Flor. ac Ven. *Pichena.*

Et exciti prospero clamore] Hic addidi, *et*, Flor. auctoritate. *Idem.*

Cap. 18. *Forte victi*] Neminem, qui diligenter animadvertat, negaturum arbitror, quin hic desideretur aliquid: supplendum autem nihil dixi, adjutus nullo codice. *Ferrettus.* Mutilus locus Lipsio videtur, nec mihi omnino integer. Tamen hujusmodi potest esse sensus: Cum has duas legiones, adversa suorum fortuna consternatas, neque fessos hostes aggredi ausas, ostendisset; rationem subjicit: Forte cum se suosque victos viderent, nihil ultra profici posse sperabant, sine duce, quem tum demum sibi deesse intelligebant. Sine duce enim erant, quia Cæcinam vinctum asservabant. *Pichena.* Nec Rodolphus mihi persuaserit ut legam, *victuri;* neque cum doctiss. viro sentio, cui hæc mutila videntur. Vitelliani sine Cæcina prosperis male usi, 'excipiunt Vitellianos temere effusos,' victoria excidere: iidem pejus sese per adversa gesserunt: 'non laxare ordines, non recipere turbatos;' non itaque tantum Cæcinam desiderave-

runt ad victoriam persequendam, quantum in fuga, et in adversis, ubi cujusque virtus expetitur sine æmulatione: maxime quum minore detrimento quis victoriam e manibus amittat, quam ab hostibus vincatur. *Salincr.* Defectum hic esse Lipsius suspicatur. Frustra: plena et integra omnia, si cum Rodolpho legas *victuri*, sed vero et aliter distinguas, quomodo voluisse Rodolphum ego non dubito. Lipsium, cui lectio ejus nota, idem non animadvertisse miror. Jungendæ hæ voces superioribus, ut sint comprehensionis ejus postremæ. Lege: *Sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire, ultroque aggredi hostem, tantum per spatium cursu et pugnando fessum, forte victuri. Haut perinde, &c.* Acidal. At nihil dum hic de victoria: nec sane forte victi sunt, sed latissima ipsorum culpa, quod ducem non haberent, sed forte regerentur: idque ipsum hic indicare voluit Tacitus, legendumque censeam: *Forte acti*, hoc est, non imperio nec jussu ducum, sed forte fortuna regebantur. Notandum istud *forte* plerunque opponi consilio certo, propositoque et instituto cum ratione: quomodo supra XV. 60. 'forte, an prudens:' et XV. 38. 'forte, an dolo, incertum.' *Agendi* autem verbo etiam ducis imperium continetur, ut apud Virgil. l. VII. 'magnum Agmen agens Clausus:' *Commandant une grande trouppe.* Sic *agere regnum*, pro regere, administrare. Vide Indicem edit. Flori subjunctum, verbo *Agere.* Freiushem.

Quos militiæ gloria legionariis quamquam raptim ductos, æquabat] Quia ablativus *gloria* non est in exemplari Ms. forte *militiæ* dictum est adverbialiter, pro *in militia.* Legitur autem illic *æquabant.* Rhenanus. Turpe mendum irrepserat in omnib. editis, contra Mss. fidem, addita voce, *militiæ gloria legionariis, &c.* Nam si verba, *quanquam raptim ductos*, attentius introspicias, fateberis, nihil ad gloriam, immo ad corporis vires. Nec satis video, quid aut detrahere possit militari gloriæ jam partæ, properatum iter; aut proficere, si quantumlibet otiose ducti fuissent. Potius dicere oportuerat, *militiæ assuetudine*, aut *exercitatione*, aut aliud simile. Itaque cum vox, *gloria*, a Flor. absit, atque ab aliis veteribus, ut testatur Rhenanus, ego ut addititiciam et adulterinam rejeci: ac restitui, *quos militibus legionariis, &c.* hoc sensu: Vipsanius viribus ac laborum tolerantia, pares illos reddiderat, æquabatque legionariis militibus. Forte in exemplarib. antiquis scriptum fuerat, *militib.* more frequenti; unde librarii error. *Pichena.* Libri priores voce auctiores: *quos militiæ gloria:* quæ mihi pro vera lectione est, &c. * *Freinshemius.*

Raptim ductos] An ideo miratur æquari, quia raptim et celeriter ducti? non eo facit, nisi si forte absque justis, ut in festinatione, armis. An verius scribi, *raptim dilectos?* et quod subitarius fuerit hic miles, sed sub bono duce mox bonus. *Lipsius.*

CAP. 19. *Antonius ultro insistit*] Ita in Ms. libro. *Rhenan.*

Anceps prælii fortuna] Ita Flor. et alii veteres, ut Lipsius testatur. Vulgo, *belli fortuna.* Pichena. Discrimen non modicum inter bellum et prælium: illud πόλεμος, istud μάχη. Ann. l. XII. 'si non prœlium, certe bellum absumsisset.' Nihilominus adducor in hanc opinionem *bellum* aliquando sumi pro *prœlio* sive pugna. Virgil. Æn. X. 'Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.' Hic si principium belli (ut res exigit) putamus a profectione Pallantis, is non utique occubuit primo belli die. Virgil. l. VIII. 'in medio classes æratas, Actia bella, Cernere erat.' At apud Actium pugna illa navalis, qua fractæ vires Antonii. *Salincr.*

Posse coloniam plano sitam] Ita in Ms. libro: non *in plano*. Sic infra: ‘ Turrim vicino sitam,’ pro *in vicino*: quare præpositionem *in* sustulimus. *Rhenan.* Nescio an Muretus audiendus, qui præpositionem addit, *in plano*. Credam consulto a Tacito omissam, ut alias ejus generis alibi solet. Infra quidem etiam abest in eadem phrasi, ‘ Turrim vicino sitam.’ Sed et ibi eandem inculcat. Hoc quoque lib. ‘ Namque et Africam, eodem latere sitam, terra marique invadere parabat.’ Lib. v. tamen Hist. legitur, ‘ castraque in plano sita vi fluminis differebantur.’ *Acidal.*

Et majorem rapiendi licentiam] Lego, *sed*. Rhenan. Danesius ex v. c. legebat, *sed majorem, &c.* nam ex particula *sed*, facta est copula *et*, omissa litera, ob extremam præcedentis verbi, *irrumpentibus*. Ursinus.

Clementiam et gloriam inania laturos] Videtur legendum, *clementiæ gloriam inanem laturos, &c.* pro eo, quod mendose legitur in vulgatis, *clementiam et gloriam inania laturos, &c.* Ursinus. Muretus, *clementiæ gloriam inanem*. Non sequor. Eadem vulgati vis et frequens Tacito figura hæc sermonis ἓν διὰ δυοῖν, *clementiam et gloriam*, id est, clementiæ gloriam. Sic de mor. Germ. ‘ Occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira.’ Hist. l. iv. ‘ Nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obstupefecerat:’ id est, metus periculi et pudor dedecoris. Eod. lib. ‘ Sapientissimum quemque reverentia fideque, juniores periculo ac metu continuit:’ id est, reverentia fidei et periculi metu. Lib. v. ‘ Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur.’ *Acidal.*

Sed opes] Malim, *et opes*. Rhenan.

Deditæ ad duces pertinere] * non militum.’ Ideoque ‘ prædam urbis deditæ ad duces pertinere,’ Cornelius refert ex jure militari. *Idem.*

Cap. 20. *Ratione et consilio, &c.*] Nescio addendum an subintelligendum saltem, *ita ratione, &c.* Clarior sensus sit: sed omittere etiam alibi auctor solet. *Acidalius.*

Non si pateant] Rodolphi lectio valde mihi arridet, nescio an a libris: *non si pateant portæ, non die, nisi explorato intrandum*. Lips.

An operibus et vineis aggredienda] Fœdum glossema in Flor. codice insertum fuit: quod ipse librarius forte agnovit, ideoque circumscripsit. Fuit autem hujusmodi: *an operibus et vineis (machinamenti genus ad expugnandos muros, in modum turrium factum) aggredienda urbs foret*. Pich.

Num secures dolabrasque, et cætera] Nos, *Num secures, dolabras, et cætera expugn. urbib. secum attulissent*. Rhenanus. Copulam, *que*, in vulgatis vacantem ex Flor. restitui. *Pichena.*

Advectis tormentis machinisque vim victoriamque] Exemplar Budense tantum habet, *tormentisque*. Forte legendum, *advectis tormentis vimque victoriamque*. Rhenanus.

Cæteraque, quæ usui forent, allaturos] Castigavi, *cæteraque usui allaturos*. Item, *vagos ex Cremonensibus*. Idem.

Cap. 21. *Sistere tertiam legionem in ipso*] In Florent. ac Ven. legitur, *tertiamdecimam legionem*, quod verius censeo; atque eandem esse, quam Tacit. supra, *Tertiamdecimam Geminam* appellat: ‘ duæ legiones, Septima Galbiana, Tertiadecima Gemina, cum Vedio Aquila legato, Patavium alacres veniunt.’ Hæ fuerunt ex Pannonico exercitu: nam lib. præced. ait: ‘ At in Pannonia Tertiadecima legio, ac Septima Galbiana, dolorem iramque Bedriacensis pugnæ retinentes:’ et de iisdem infra: ‘ cur resumpsissent arma, Pannonicas legiones interrogabat.’ Quod autem hic sequitur: ‘ mox tertiadecima densis arbustis intersepta:’ suspicor legendum, *tertia*, quæ inter Vespasiani legiones, id est, ex Mœsico exercitu sæpe recensetur. *Pichena.*

Cap. 22. *Proruere, ratio fuit*] Notavi in Antiquis lib. II. cap. 16. videri inducta voce legend. *ac proruere fuit*, id est, licuit. Sed vereor, ut ego quoque interdum (cur negem aut purgem communem Criticorum hanc noxam?) inter sectores, non medicos. Nunc sane vocem eam tolero. *Lips.*

Proruere ratio fuit] Vox penultima minime hinc tollenda, ut visum viris maximis; nam in ea, meo judicio, sententiæ cardo totius, quam iterum expressit alio habitu, hoc lib. c. 36. 'Cum transgredi Apennina integro exercitus sui robore, et fessos hieme atque inopia hostes aggredi in aperto foret.' Nimirum *ratio* eo loci valet, quod isto iterum lib. c. 59. 'Fortuna Flavianis ducibus non minus sæpe quam ratio adfuit.' Et alioquin dixit diserte totidem syllabis, Ann. III. 21. 'Et dum ea ratio barbaro fuit,' &c. *Gruterus.*

Inops consilii] Ita Flor. vulgo, *vacuus consilii*. Infra eod. lib. de Vitellio: 'Tum consilii inops in palatium rediit.' *Pichena.*

Paratis jam dispositisque Flavianis] Distinctio ex Florent. ac Ven. Vulgo, *paratis jamque dispositis*. Idem.

Quartam Macedonicam dextro suorum cornu] Faërnus legebat, *dextrum;* non *dextro cornu*. Ursinus.

Cum vexillis nonæ secundæque] Quos alibi sæpius *Vexillarios*, hic *Vexilla* dixit. Vide quæ ad Ann. lib. I. uberius adnotavi. *Pichena.*

Sextadecimanos duodevicesimanosque] Nos, *Sextadecimanos duoetvicesimanosque*. Sic et alibi loquitur. *Rhenanus.* In v. c. est, *Duodevicesimanosque et primanos*, &c. Ursinus.

Atrox his rursusque illis] Submovi particulam *que; Atrox his, rursus illis.* Muret. *his, rursusque illis exitiabile.* Ego legam, *his modo, rursus illis exitiabile.* Ea solens Tacito formula. Lib. III. 'Hos modo, rursus illos clamore et plausu fovebat.' *Acidalius.*

Eademque acie arma] Ita est in exemplari Budensi, non *utraque*. Rhenanus. Muret. *eademque utraque acie arma*. Acidalius.

Notum pugnæ signum] Id signum proprie *Tessera* vocabatur. Explicat hunc morem accurate Lipsius de mil. Rom. l. IV. dial. ult. *Pichena.* Muret. vocem *pugnæ* delet. At Lipsius ad Annal. duplicem ait fuisse tesseram: unam ad excubias, alteram ad pugnam; et ad hanc ista verba trahit. *Acidalius.*

Primipili centurio] Nam in ejus Centurionis custodia Aquila. Ego De Milit. Rom. lib. II. Dial. 8. *Lipsius.*

Primipili centurio] Primipilus enim Aquilæ præerat, ut ait Veget. II. 8. et in acie signifero suo adsistebat, Aquilamque tuebatur. De primopilo vide latius Lipsium de mil. Rom. l. II. Dial. 8. *Pichena.*

Cap. 23. *Sustinuit labentem aciem Antonius*] Non improbo vocem, *labentem:* tamen magis proprium, ac Tacito familiarius puto, *labantem.* Sic Ann. lib. II. 'nec dubium habebatur, labare hostes.' Hist. lib. I. 'postquam vulgatum erat, labare Germani exercitus fidem.' Lib. V. 'fluitantem labantemque militem eminus fodiebant:' de morib. Germ. memoriæ proditur, 'quasdam acies inclinatas jam et labantes, a feminis restitutas.' *Pichena.*

Quartadecimæ legionis] Qui potest? Nam quartadecima legio pro Othone steterat, et post Bedriacense prœlium statim a Vitellio in Britanniam remissa. Sed nec mentio ejus in hac pugna, imo bello. Reponam fidenter, *quintadecimæ*, quæ inter Vitellianas paulo ante censa. *Lips.*

Magnitudine eximia quintædecimæ legionis balista] Formam balistæ explicat lib. ult. Vitruvius, Vegetius quoque quædam addit: hi omnes, saxa tantum balistis jaci auctores sunt cum Tacito: sed dein mutata quoque forma est. Quapropter in commentariis Theodosii schema balistæ qua-

drirotis vidi cum interpretatione, qua ostenditur sagittas ex ea cœptum fuisse jaculari. *Alciatus.* Veget. l. IV. c. 22. ‘ balista funibus nervinis chordisque tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola, tanto spicula longius emittit, et si juxta artem mechanicam temperetur, et ab exercitatis hominibus, qui mensuram ejus ante collegerint, dirigatur, penetrat quodcunque percusserit.’ Ictus balistæ magnam valli partem in castris ad Cremonam dejecit. *Savilius.* Male vulgo, *quartæ decimæ*, quod Lipsius ex historia animadvertit: ideo emendavimus. *Pichena.*

Libramenta tormentorum] Atqui unius tormenti, sive Ballistæ, mentio est. Ergo, *tormento tum abscid.* aut ante, *Ballistæ*, legendum, et *proruebant.* Lipsius.

Neutro inclinata fortuna] Scripsimus, *neutro inclinabat fortuna.* Rhenanus.

Luna surgens] Idem ex pari causa effectus in nocturno prœlio inter Pompeium et Mithridatem apud Plutarchum et Dionem. Sed epitome Dionis variat nonnihil Taciti descriptionem. * *Savillius.*

Falso, ut in corpora, ictu] Ita e libris restituimus: nec sententiam difficile capi, e similibus auctorum locis. Nam hæc fraus sive error alias quoque objectus hosti. Plutarchus in pugna Pompeii cum Mithridate. * *Lips.*

Falso, ut in corpora, ictu] Melius forte, *jactu.* Acidalius.

Ex occulto jaculantibus incauti offerebantur] Vatic. editio non agnoscit vocem *incauti;* et vero cum præcesserit, *ex occulto*, satis intelligebatur. *Gruterus.*

Cap. 24. *Cur rari sumsissent*] Ex historia et sententia, *cur resumsissent.* Nam Pannonici semel victi, arma tamen iterum sumserant. *Lips.*

Cur rari sumpsissent] Alias, *cur rursus.* Ferrettus. Armati et dispositi Pannonici milites tunc erant: ‘ At Vitellianus exercitus, tertia ferme noctis hora, paratis jamque dispositis Flavianis impingitur.’ At non eodem numero, quo jam Bedriaci pugnaverant: quod illic a Vitellianis plerique eorum cæsi sint: ‘ At in Pannonia XIII. legio ac VII. Galbiana dolorem iramque Bedriacensis pugnæ retinentes:’ Hist. II. Antonius igitur ut eos in prælium accenderet, refricat dolorem dictæ cladis: quanam, inquit, alia de caussa, nisi quod jam a Vitellianis victi fuistis, nunc pauciores, quam olim sub Othone, pugnam initis? agite ergo, dum datur occasio, ignominiam illam abolete, injuriasque vestras vindicate. Doctiss. vir, *cur resumpsissent arma.* Sed acriorem aculeum priora relinquunt. *Salin.*

Sub M. Antonio] * eadem tamen intelligitur navis. Quanquam philosophi, narrante Plutarcho, Theseo, adhuc certent et sub judice lis sit, *τῶν μὲν ὡς τὸ αὐτὸ, τῶν δὲ ὡς οὐ τὸ αὐτὸ, διαμένει, λεγόντων*: i. *aliis eandem esse affirmantib. aliis negantibus.* Savillius.

Mox infensus prætorianis] Puto *infensius:* hoc est, Verbis asperioribus. Non enim his magis quam aliis infestus erat: sed hos compellabat inclementius. *Gronovius.*

Nam ignominiam, &c.] Adfert Lipsius ut simile huic Curtianum dictum lib. VI. Quod simile phrasi quidem, non tamen sententia; cui propius Terent. Hecy. II. 1. ‘ nam de te Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.’ Nec abludit Ciceronis illud ad Att. Ep. VI. 18. ‘ Hic Appius erat idem. Nihil sane jacturæ.’ Ita enim interpretor: Idem erat Appius, (hominem sæpius istis epistolis notat,) qui semper, neque jacturam sui faciebat ullam. Forte sic et Propertius: ‘ Sed de me minor est famæ jactura pudicæ.’ Gell. certe XIII. 19. ‘ Nam cum id genus sis, quod video, ut sine jactura tui pecces, nihil perdes, utrum dixeris.’ Tac. hoc lib. XXVIII. non aliter: ‘ Nisi quod neque Antonius, neque Hormus a fama vitaque sua,

quamvis pessimo flagitio, degenerave-re.' Val. Max. IX. 2. 'Damasippus nihil laudis habuit, quod corrumperet.' *Acidal.*

Tertiuni] Milites hos ἐκ τοῦ τρίτου στρατοπέδου vocat Xiphilinus, additque eam legionem Γαλατικὸν dictam fuisse, id est, Gallicanam: et Tac. Hist. l. IV. 'Tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa.' *Colerus.*

CAP. 25. *Vagus inde, consilio*] Romanus codex, *vagus inde, an consilio:* quod valde amplector. Ambigit videlicet, fortuitu natus inter milites is rumor, an arte ducis sparsus. *Lips.*

Vagus inde, an consilio] Amplexus sum illud, *an*, ex Rom. cod. Florent. adstruente, Lipsio id probante. *Pichena.* Vix est, ut probanda quidem Rom. codicis lectio, *an consilio:* etsi Lips. quidem probat. Ego dubito, quia vagum rumorem nescio an fortuito natum possis dicere. *Acidal.*

Contraheret, diduceretve] Sententia et ἀντίθεσις sic visa postulare: vulgo, *duceretve.* Lipsius.

Postquam pulsos sensit] Nondum sane *pulsos.* Et Tacitus scil. sic loqueretur, *sensit pulsos?* potius *vidit.* Lege, *perculsos:* quod res ipsa, et verba antecedentia hæc clare probant; 'Ut quos nullo rectore,' &c. *Acidal.*

Ut placatos patris manes, neve se, &c. adversarentur] Faërnus legebat, *ne piatos patris manes, neve se ut parricidum aversarentur.* Ursinus. Aliquid huic loco aut deesse aut superesse suspicor: nam quod ait, *neve se,* aut illud, *ve,* abundat, aut illud, *ne,* præcedens requiritur. Flor. corrupte, *precabatur platos,* supra additis literis, *ca,* ut fieret *placatos.* In altero Ms. *precabatur ne piutos.* Ego aliis integrum judicium relinquo. Restitui tantum ex Flor. verbum, *aversarentur,* nam in vulgatis erat, *adversarentur.* Sic Ann. I. 'Sua facinora aversari Deos lamentantur.' Fortasse Tacitus Livium imitatus est lib. III. posteaquam Virginius filiam occiderat: 'orabat, ne quod scelus Appii Claudii esset, sibi attribuerent; neu se ut parricidam aversarentur.' Sed hic Taciti locus forte defendi poterit, ut verbum, *precabatur,* sit absolute positum; precabatur scil. pro facinore a se perpetrato: deinde adjiciat; et precabatur etiam, ne se ut parricidam aversarentur. *Pichena.* Quod vulgo est, *placatos,* magis mihi placet. Muretus audacter nimis, utroque spreto, scribebat, *precabatur patris manes, ne se ut parricidum aversarentur.* Ubi et male verbum *adversantur* iterum mutat, de quo init. lib. I. diximus. *Precabutur placatos,* id est, Precabatur, ut sibi placati essent. *Acidal.*

Publicum id facinus] Ut hæc verba suo loco sint? nunquam credam. Non convenit stomachatio ista lamentanti et lacrumanti filio: magis militibus, qui cum factum advertissent, arma civilia exsecrabantur. Atque illud, volente Tacito, retraham: scribamque omnia isto ordine: *neve se ut parricidam adversarentur. Simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, deinde plures: hinc per omnem exercitum miraculum, et questus, et sævissimi belli execratio. Publicum id facinus: et unum militem quotam civilium armorum partem? Nec eo segnius* (vel *secius*) *propinquos, &c.* Idem.

CAP. 26. *Quæ super cunctu*] Codex Bud. habet, *que.* Lego, *Quin super cuncta:* nam sæpe *que* pro *quin* posuit Librarius. *Rhenanus.*

CAP. 27. *Ligones, dolabras*] Dolabris olim utebantur milites ad portas effringendas. Liv. XXXVIII. 3. 'Aliis partibus securib. dolabrisque cædebantur et refringebantur portæ.' Paulus JC. in tractatu Pandect. de off. Præf. Vig. 'Præfectum vigilum debere vigilare totam noctem, et oberrare calceatum cum hamis, et dolabris.' Legitur tamen apud Fe-

nestellam *cum armis et dol.* Sed ab audaculo emendatore emendatum puto. Nam *hama* vel *hamus* instrumentum est ad incendia compescenda. Plin. in epist. ‘ Et alioqui nullus usquam in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda.’ Cato de re Rust. *hama* usus est pro ferramento rustico. Itaque causam adhuc requiro, cur Paulus *calceatum* voluerit esse Præfectum vigilum, aliud si caligatum dixisset: nam Ulpianus *caligatum militem* appellat, in capite, Quod ait Prætor, in Pandect. tractatu, de his qui notantur infamia, et Venuleius in cap. de militib. in Dig. tractatu de cust. et exhib. reorum. Nisi forsan dixeris calceatum debere esse Præfectum vigilum, quod calceis uteretur: nam ignis et carbones pedibus illi erant atterendi. Ligones hoc loco Taciti ad terram fodiendam sunt maxime accommodi. *Lupanus.*

Vitelliani provolvunt] In cod. Bud. est, *prævolvunt*. Rhenanus.

Cap. 28. *Multa cum strage, incesserat*] Id est, quia multa strages, timidior et cunctantior jam miles. *Lips.*

Multa cum strage incesserat contatio] Rectum est, post multam stragem in alacriores editam jam cæteri contantius oppugnabant, quum monstrata ad excidium Cremona novis viribus novo impetu ferri cœpere. *Mercerus.* Hanc distinctionem, *prosternerent multa cum strage. Incesserat cunctatio;* ex Flor. restitui. Male antea: *prosternerent. Multa cum strage, &c.* Pichena. Flaviani primum ardentes vallo instabant, sed soluta compage scutorum, lanceisque transfixi, nonnihil de alacritate remiserunt: quamobrem hinc ablegandum est *tentatio:* nam (ut apposite scripsit Pichena) signa cunctationis hæc sunt: ‘ in duces fesso jam militi, et velut irritas exhortationes abnuenti.’ Et ‘ nou jam sanguis, neque vulnera morabantur.’ *Salinerius.* Lipsius scribit *tentatio.* Ego *contatio* retineam, non tamen vulgari significatu, ut si scribas *cunctatio*, sed pro scrutatione, a *conto* vel *contari*, pro scrutari. Respicit enim ad ea verba Tacitus, quæ jam jam præmiserat: ‘ Disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur.’ Proprie ergo hic usus ea voce: et magis proprie, quam ad finem lib. IV. ‘ Qua contatione bellum adversus patrem cogitaverit, an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit.’ Sic enim Lipsio ibi placitum emendare pro *cogitatione*, et a *conto* derivare, tanquam propriam ejus vim auctor expresserit: quod secus est tamen. Respexit ibi saltem metaphoræ consuetudine: hic vere expressit. *Acidal.*

Quamvis pessimo flagitio] Quid si legas, *quovis pess. fl.* Rhenanus.

Cap. 29. *Balistam in subeuntes propulere*] Pro voce *balistam* substituit Muret. *molem ;* opinor, e libro: sed nos non recipimus tanquam glossam ejus, quæ vulgo obtinuit. *Acidal.*

Deturbatis qui restiterant] Scripsi, *qui resisterent.* Rhenanus. Venetus, *restiterant*, et fere consentit Flor. qui habet, *resisterant.* Vulgo, *resisterent.* Pichena. Muret. *restiterant.* Ego et alterum fero. *Acidal.*

Completur cæde] Quis vero numerus cæsorum in his prœliis? Tacuit noster, expressit Egesippus: ‘ Exstincta triginta millia et ducenti viri de exercitu Vitellii. Primusque (id enim Antonio cognomentum erat) quattuor millia quingentos de Mysiacis militibus amisit.’ *Lipsius.*

Cap. 31. *In testudinem glomerabantur*] Ita rectius in Flor. nam statim sequitur, *incutiebant:* at in vulgatis, *glomerantur.* Pichena.

Cum languescere paulatim] Hoc ex Flor. Vulgo, *languere.* Idem.

Non in vulgus inops, sed in tribunos] In cod. Bud. *non in vulgus inopsque in tribunos.* Forte, *quin in tribunos.* Rhe-

nanus. Eadem fere Sallust. Catil. ' nam semper in civitate quibus opes nullæ sunt, invident bonis, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant; odio rerum suarum mutari omnia studeni.' *Salinerius.*

Reverteretur] Videtur legendum, *verteretur*. Ursinus. Scribo cum Mureto, *verteretur*. Acidal.

Nomen atque imagines] * C. Marii nomen.' Dio XLII. Marcellum ait ' nomen Pompeii, cum id scutis suis milites inscriberent, delesse:' uti scilicet fautorem se Cæsari ostenderet. Idem l. I. notat, Romanos milites ' Cleopatræ nomen scutis inscripsisse,' quasi imperatoris. D. Ambrosius (sive quis alius ille scriptor) ad hunc ritum respexit Oratione funebri de Valentiniano: ' Valentinianus habens in se imaginem Christi. Nec injuriam putaveris: charactere Domini inscribuntur et servuli, et nomine Imperatoris signantur milites:' nisi tamen ad puncturas et stigmata militum hoc refers: quod non sperno. *Lipsius.*

Tumentemque lachrymis fatigant. Extremum malorum, tot fortiss. viri] Sic Flor. auxilio distinximus. Male in vulgatis, *lachrymis fatigant, extremum malorum: tot fortissimi viri, &c.* Videbatur enim extremum malorum, lachrymas appellare, sensu et constructione reclamante. Vere Tacitus *extremum malorum* intelligit, fortes viros eo redactos, ut proditoris opem invocare cogerentur. *Pichena.* Vatican. *tot:* melius. Sed et aliter distinguenda hæc: *lacrymis fatigant. Extremum malorum, tot fortiss. &c.* Velut exclamatio est. Etiam pro superius *assistat*, rectius forte legatur *existat.* Acidalius.

Tot fortissimi viri] Nos, *Ac fort. viri.* Rhenanus.

Cum Antonius inhiberi tela jussisset] Non damno hanc lectionem, sed si Tacitum novi, vera hæc erat: *infulas pro muris ostentant: cum* (pro tunc) *Antonius inhibere tela jussit, et signa aquilasque extulere.* Plura in hoc auctore loca fœdata sunt, temeritate vim istius particulæ *cum* ignorantium, ut suis locis notamus. *Freinsh.*

Posita omni fiducia] Castigavimus, *posita omni ferocia.* Rhenanus.

Subit recordatio illos esse] Exemplar Matthiæ regis habet, *subit ratio.* Legerim, *subit miscratio illos esse, qui nuper Bedriaci victoriæ temperassent.* Rhenanus.

CAP. 32. *Editum illic a Cæcina gladiatorum spectaculum*] Præpositionem *a* delevimus: nam subauditur. *Rhenanus.*

Eademque rursus belli sedes] Ex Flor. et Ven. addidi copulam, *que.* A vulgatis abest. *Pichena.*

Majore opum specie] Emendavi, *Majorum opum sp.* Rhenanus. Muret. *majore opum spec.* utrumque probum. *Acidal.*

Is balneas abluendo cruore propere petit] Nos, *abluendo cruori.* In exemplari Matthiæ regis est *balnea*, nec refert. *Rhenanus.* Ex Flor. *Is balineas, abluendo cruori, propere petit.* Vulgo, *balneas.* Pichena.

Cum teporem incusaret] Cum non tepere quereretur. *Ferrettus.*

CAP. 33. *Viles ad prædam*] Turnebo ne accedamus rescribenti, *miles ad prædam.* Taciti enimvero mens, eos ipsos qui aut ætate aut imbecillitate non erant ullius æris, raptos tamen per sævitiam et ad illusum. Curtius non absimiliter in direptione Persepolis: ' Neque avaritia solum, sed etiam crudelitas in capta urbe grassata est: auro argentoque onusti, vilia captivorum corpora trucidabant.' *Lipsius.*

Aut quis forma conspicuus] An *aut puer forma conspicuus.* Gronov.

Ipsos postremo direptores] Talis illa in capta urbe descriptio Quinctiliani lib. VIII. ' Et conata retinere infantem suum mater, et sicubi majus lucrum, pugna inter victores.' *Lips.*

Dominorum abdita scrutari] Videtur legendum, *domorum abdita*. Ursinus. Muret. præter rem, *domorum abdita scrutari*. Acidal.

Utique exercitui, vario] Castigavi, *utque exercitu, vario linguis, &c.* Rhenanus. Danesius legebat; *Utique exercitui vario linguis*, non, *utque exercitu, &c.* Ursinus.

Cap. 34. *Hic exitus Cremonam habuit*] In exemplari Matthiæ regis tantum est, *hic exitus Cremonam:* tum subaudiendum *habuit;* aut legendum *Cremonæ*. Rhenanus. Haud aspernandum, quod custodit Rom. codex: *Hic exitus Cremonæ, anno;* ostendit hæc discrepantia, quid sibi permiserint exscriptores. *Gruter.*

Ti. Sempronio, et P. Cornelio Coss.] A. U. C. 536. et primo anno belli Punici secundi. *Savillius.*

Per Alpes rueret] A Beato hoc est: antea, *irrueret*. Legam *ingrueret*. Lipsius.

Per Alpes irrueret] Reposui, *rueret:* nam *ruere* pro *irruere* sæpe usurpat. *Rhenanus.* Non a Rhenano solum est verbum, *rueret*, ut ait Lipsius; sed et Flor. agnoscit. Antea, *irrueret*. Pichena.

Uberi agri annexu] Cogitandum an legi possit, *adhæsu*, ab adhærendo. *Rhenanus.* Ex Flor. distinxi, *ubere agri, annexu connubiisque gentium*. Falso in vulgatis, *ubere agri annexu, connubiisque gent.* Virgil. Æn. 1. ' Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.' *Pichena.* Distingue: *ubere agri, annexu* (vel *innexu*, quod forte melius) *connubiisque gent.* Notum e Poëta, ' Uber agri.' *Acidalius.*

Civilibusque infelix] In exemplari Matthiæ regis est, *intacta*. Rhenanus.

Pudore flagitii] Ita mei libri. Budensis, *pistore:* vulgati pessime, *post rem flagitii*. Lipsius.

Antonius post rem, flagitii crebrescente invidia] Volumen Corvini regis habet, *Antonius pistore flagitii*. Lego, *Antonius pudore flagitii, crebres. invidia*. Rhenanus. Variata distinctione castigationes omnes pessundamus: *Antonius post rem (flagitii increbrescente invidia) edixit: τὸ post rem* non aliter accipio atque *post factum:* exemplum non longe petam: *Consilia post res afferebantur*. Salinerius. Cum nonnulli codices habeant, *post rem flagitii*, Salinerius eam lectionem, distinctione tantum, subtiliter defendit. Sed ea est apud me Flor. nostri auctoritas, ut vocem, *pudore*, quæ in eo legitur, prorsus anteferam, Lipsio quoque probante. *Pichena.* Vera omnino ista lectio, *Antonius pudore flagitii crebrescente invidia, &c.* E vulgato tamen *post rem*, non pessime possit scribi: *Antonius, postremi flagitii crebr. &c. Postremum flagitium*, ut extremum, ultimum, pessimum. *Acidalius.*

Cædi cœpere] Illic, *cecidi*. Reposuimus, *Occidi cœpere*. Rhenanus.

Occulte redemptabantur] Sic malui ex Flor. quam ut vulgo, *redimebantur*. Rhenanus.

Magnificentia municipum] Placet magis quod in Rom. codice est, *munificentia*. Lipsius.

Cap. 36. *Non alloquio exercitioque*] In volumine Corvini regis est, *non exercitioque*. Lego, *non alloquio non exercitio militem firmare*. Rhenanus.

Non in ore vulgi] Vera nostra conjectura. Nam in libris omnibus, *more vulgi:* quod sane haud convenit. At *in ore agere*, est Latinis, &c. * in ore ejus jugulatur.' Dicendi hoc genus restituendum Plinio censeo in Panegyrico: ' Sunt in honore hominum et in honore famæ magna nomina, ex tenebris oblivionis, indulgentia Cæsaris.' Et lego: *Sunt in ore hominum et in ore famæ*. Lipsius.

Non more vulgi agere] Faërnus legebat: *Non lege vulgi agere, &c.* Ursinus. Antea, *more vulgi agere*. Lipsius ex conjectura emendavit, idque Flor. confirmat: immo ipse Tac. lib. præced. *nec quicquam magis in ore*

vulgi. Pichena. Vulgus inter ancipitia semper trepidat, ' vulgus formidolosum' lib. I. Ann. At Vitellius quasi bellum cum Vitellianis nil sua referret, luxui sic se dederat, ut abjectis imperii curis, nec trepidare (qui mos vulgi per ardua) meminisset. Graphice ignavia Vitellii repræsentatur, dispeream si eam pictor melius expresserit. Doct. vir, *in ore vulgi.* Salinerius.

P. Sabinum prætorii præfectum] Dubitat Lipsius de hoc Sabini prænomine, quod nunquam fuisse ait in Flavia gente. At Mercerus in Notis tradidit, recte monuisse Savilem Anglum, non esse hunc Sabinum, qui præfectus urbi, et Vespasiani frater, sed alium ex alia gente. Idem adnotavi etiam præc. lib. c. 92. *Pichena.*

Cap. 37. *Suum dolorem proferebant*] Unde nam hic dolor? an propter Cæcinæ proditionem, inclinatasque Vitellii partes? imo potius, quia proditio non successerat: nam Senatum, odio Vitellii, minime alienum Vespasiano fuisse, jam tum apparebat. Sed verior sensus videtur, eos dolore affectos, propter miserrimum reip. statum, in talium potestatem delapsæ. Sic infra, ' et plerique haud perinde Vitellium, quam casum locumque principatus miserabantur.' *Pichena.*

Cum irrisu accipientis tribuentisque] Aliter Flor. *tradentisque accipientisque.* Idem.

Blandiretur] Castigavimus, *eblandiretur.* Rhenanus.

Rossius Regulus iniit ejuravitque] In vol. Corvini regis est tantum, *Rosius Reg. iniit, ejuravit.* Rhenanus. Muret. *Rosius.* Acidalius.

Nunquam antea non abrogato] * in paucas horas petenti dedit.' De eodem Plutarch. ' Mortuo Cos. majore, quanquam unica magistratui dies superesset, Can. Rebilium consulem fecit.' Verum in eo Plutarchi locus suspectus est, quod majori consuli suffectum refert Caninium. *Præcipuus consul* Velleii posteriore, *insignis* Virgilii VII. *prior*, Ciceronis Pisoniana: et *major* Plin. VII. 43. L. Crasso dicitur, vel is, penes quem fasces sunt, vel is, qui prior creatus sit. Si Fabium, cum moreretur, fasces habuisse Plutarchus novit, ideoque *majorem* dixit; bene est: sin minus, primo loco Fabius creatus non potest videri, qui neque creatus est. C. enim Julius contentus Dictaturæ potestate, quartum consulatum titulo tenus gessit, atque binos consules substituit sibi, ait Tranquillus, qui sunt apud Dionem l. XLIII. Q. Fabius et C. Trebonius. Tum in illo Cæsar prævaricatus est, &c. * Cornelio scriptionem probes: ego ex superioribus ostendisse videor, *nonnunquam* legi debere: qualiter apud Papinian. 43. D. de Religiosis: ' strictam rationem insuper habemus, quæ nunquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet.' Scribendum esse *nonnunquam*, alii quoque annotaverunt. *Vertranius.*

Can. Rebilus] De quo illud Cic. salse dictum exstat, ' quam vigilantem habemus consulem, qui toto consulatus sui tempore somnum oculis non vidit?' *Savillius.*

Præmia festinarentur] Codex Bud. habet, *dictarentur.* Legerim, *ista darentur.* Rhenanus.

Cap. 38. *Animadvertit*] In cod. Bud. est, *advertit.* Rhenanus. Muret. *advertit.* Acidal.

Ubi aspernatum Vitellium] Fœdus lapsus est: restituimus, *ubi asperatum V.* Rhenanus.

Illic infensus Blæso] Nos, *ille infensus Blæso.* Idem.

Causam confusionis quærenti] Volumen regium habet aperte, *causam effusionis quærenti.* Id fortassis accipi potest de subita provolutione, qua se L. Vitellius calumniator in terram ante pedes Vitellii Cæsaris effudit. At *confusionis* vocabulum etiam usur-

pat lib. seq. de Domitiano: ‘ Crebra oris confusio pro modestia accipiebatur.’ Livius lib. 1. dec. 5. ‘ Paulo post rediit confuso vultu.’ *Idem.*

Tot Germanicæ legiones] Hæc clausula non est in libro Ms. *Idem.*

Principis labores e convivio prospectante] *Labores* mortem vocat. *Rhenan.*

Cap. 39. *Maturam pœnitentiam*] Reposui, *maturum perniciem*: subaudi, *ipsi Vitellio afferret.* Idem.

Vencno grassari] Ergo hinc referam, in silentio interpretum, Suetonii hæc de Vitellio, capite xiv. ‘ Nobiles viros, condiscipulos suos, tantum non ad societatem Imperii omnibus blanditiis allicefactos, varió genere fraudis occidit: etiam unum veneno, manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione.’ Priora Dolabellam notant; hæc de veneno, Junium Blæsum. *Lipsius.*

Nobili gaudio] Nescio, an, *notabili gaudio.* Idem.

Nobili gaudio Blæsum viscendo] Fecit ut crederetur facilius, quod Blæsum visit gaudio nobili, id est, Eminente, illustri, manifesto. *Ferrettus.* Placeret, *notabili gaudio*, et ita legebat Faërnus. *Ursinus.*

Qua (ipsa enim verba referam) se pavisse oculos] Modica transpositio est in Flor. *Quæ se (ipsa enim verba referam) pavisse, &c.* Pichena. Hoc non de Blæso interfecto dixisse Vitellium Sueton. ait, sed quendam in ipsa salutatione supplicio traditum, statimque revocatum cunctis clementiam laudantibus coram interfici jussisse, velle se (dicentem) oculos pascere. *Colerus.*

Ut parum abfuerit] Nos, *ut parum effugeret, ne, &c.* Rhenanus.

Cap. 40. *Pernicibus nunciis accepit*] * dehinc vehicula disposuit. Nam fuit olim cursus publicus vehicularis, ut ex Justiniani Cod. patet in tractatu de cursu publico, atque Plutarch. in Galb. Capitol. in Maximinis duobus: ‘ Jam primum is nuntius, &c. tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, ut quarto die Romam venerit.’ Hanc equorum cursitationem Persæ *Angareiam* vocant. Cursoribus quoque usi, &c. * *Lupanus.*

Cap. 41. *Ne in tanto quidem discrimine*] In lib. Ms. *ne in tanto discrimine quidem.* Item *quo minus illicitas rapere voluptates.* Alii, *quo minus rapere illicitas, &c.* Rhenanus. Muret. *ne in tanto quidem discr.* Quasi multum intersit. *Acidalius.*

Apud avidos periculorum] Faërnus emendabat, *apud pavidos peric.* Ursinus. Non absurde Faërnus litera amplius, sed contra mentem scriptoris. His enim similes depinguntur nobis Ann. 1. 14. Nec alieni quorum meminit Hist. III. 26. ‘ Terrebat ipsorum miles periculi quam moræ patientior.’ *Gruterus.*

Decoris sccuros] Bono sensu: in Florentino tamen, *dedecoris*, fortasse et meliore. *Lipsius.*

Dedecoris securos] Castig. *decoris sec.* Sunt autem *decoris securi*, qui nullam honesti curam habent. *Rhenanus.* Id est, Omnia agentes sine cura decori, et honesti. *Ferrettus.* Miror cur in mentem venerit Rhenano, hanc lectionem consensu veterum exemplarium, ac præsertim Florentini confirmatam, mutare. Aliquid simile supra, Antonius ignaviam militibus suis exprobrans ait: ‘ ignominiam consumpsistis.’ Apuleius Metam. l. 1. ‘ Rubore digesto:’ et l. II. et IX. ‘ devorato pudore.’ *Pichena.* Imo *dedecoris:* quod visum et Mureto. *Acidalius.* Malim hoc cum Pichenæ Ms. et editionum prima, *dedecoris securos.* Gruterus.

Eo metu, paucis quos adversa non mutaverant] Addidimus particulam *et, Eo metu, et paucis, &c.* Rhenanus. Muretus *et* tollit: sed non simul omne loci vitium. Superest enim etiamnum fœda trajectio unius versus, quem suum in locum, a sententia ducti, sic reducimus: *Eo metu cohortes Ariminum præmittit, alam tueri terga jubet: ipse paucis, quos adversa*

non mutaverant, comitantibus, flexit in Umbriam, &c. Acidal.

Ipse flexit in Umbriam, atque inde Etruriam] Addidimus præpositionem, *in; atque inde in Etruriam.* Rhenan.

Gallias et Germaniæ gentes] Vocem apte inserit Vatic. codex: *Gallias et exercitus et Germ. gentes.* Nam in Gallia exercitus, VIII. legiones. *Lips.*

Gallias, et exercitus] Duas dictiones, *et exercitus*, delevi. *Rhenanus.* Verba, *et exercitus*, quæ aberant, ex Flor. et Vat. reposui. *Pichena.*

CAP. 42. *Sævitia maris*] Romana editio, *segnitia maris:* quod auribus meis blanditur: significatque, nullo, vel adverso vento, usum. *Lips.*

Segnitia maris aut adversante vento] Scribo, *haud adversante vento.* Rhenanus. Vulgo *sævitia muris.* Lipsius adnotavit in Rom. edit. legi, *segnitia maris*, sed sententiæ non convenire. Mihi contra, ea vox aptissima videtur, et a Flor. confirmatur, optimo sensu. Valentem scil. cujus naves, non remis, sed velis utebantur, aut nullo vento, aut adverso usum. *Pichena.* Æque auribus blanditur atque animo scriptura edit. Rom. *segnitia muris:* nam non video quomodo alteri verbo heic locus sit. Nulla fere est sævitia maris vento secundo; oritur ea potius adverso: itaque dicit auctor interruptum iter Valentis, aut ob malaciam maris, aut ob tempestatem adversam. *Gruterus.*

Nondum exuerat] Rectius sic Flor. quam vulgati, *non exuerat.* Ait enim *nondum;* innuens, eum ipsum quoque postea exuisse. *Pichena.*

Metu intacta] Pichena censet, *infracta:* at mihi pro sententia nunc videbatur, *intentata.* Destitit Valens ab aliis tentandis, metu ne temere se crederet et interciperetur. Quod si eamdem sententiam e voce, *intacta*, elicis: haud immutem. *Lips.*

Cæterorum fides metu intactu] Et a cæterorum mutauda fide metu abstinuit. *Ferrettus.* Ἀναλόγως *intacta* ut *infracta:* idque verbi et pro valde frangere, et pro non frangere usurpatur Serv. ad Æneid. XII. Duo deterruere Valentem ab ingressu Galliæ Narbonensis, Maturi monitus et comitum fides metu circumjacentium populorum tacta titubansque: 'nam circumjectas civitates procurator Valerius Paulus strenuus militiæ, et Vespasiano ante fortunam amicus, in verba ejus adegerat.' Nec diu Valentis comites destinata dissimulaverunt. 'Fab. Valens cum IV. speculatoribus ad naves regreditur mature.' Potuit ergo Pichena, et si qui alii ab emendationibus destitisse. *Salinerius.* Spernit Lipsius Palmerii conjecturam, *metu intuta*, et nescio quid majoris corruptionis hic timet. Mihi integra omnia videntur, si pro *intacta*, rescribatur *infracta*, bona et clara sententia. Valens monitione Maturi territus: ceterorum fides metu infracta est. Is metus unde, statim subjicitur: mox deinde trepidi Valentis ad naves reditus, ceterorum nutantium mutantium in partes transitus memoratur. Non multo alia sententia, legere etiam possis negante particula immissa: *ceterorum fides metu non intacta:* quomodo et alias loquitur lib. II. 'Nec erat intactus teli superstitione,' &c. Atque hoc prope verius arbitrer. *Acidalius.*

CAP. 43. *Exauctorati*] Sed ut solum intelligas (quantum mihi ista dijudicanti constat) veteranos Othonis Prætorianos. Alios a Vitellio sacramento solutos non invenio: moxque diserte Prætorianorum meminit. *Savillius.*

Forojuliensem coloniam claustraque] In libro Ms. *Forojuliensem coloniam, claustra, &c.* Appositive. *Rhenanus.* Ejusdem coloniæ meminit etiam lib. præced. Plures quidem erant Forojulienses, &c. * *Pichena.*

Eo gravior auctor] Sic supra: 'Tum progressus Lucilius auctorem se palam præbet.' *Rhenanus.*

Quæ ubi paratu firma] Codex Cor-

vini *parta* habet. Lego: *quæ ubi paeta firma, et aucta rum. apud v. Vit. a. increbuere.* Idem.

Totidemque centurionibus] In cod. Corvini, *totidem centurionibus:* et nos sic scripsimus. *Idem.*

Regreditur mature: ceterisque] Priora lego: *regreditur. Maturo ceterisque.* Intelliegit enim Marium Maturum procuratorem Alpium, qui discessu Valentis velut exsolutus, transiit in Flavianas partes. Posteriora recte olim Rhenanus emendavit, cum vulgo esset, *volentibus liberum fuit,* insiticia voce: aut, ut in quibusdam, *auctor fuit.* Qui scilicet glossographi ignorarunt genus dicendi a fonte Græco: quod peritum illum sagacemque Germanum non fugit. Ingenii enim et industriæ laudem Rhenano libens do: et scio inter primores eum suæ gentis. At carpsi olim liberius. Non ego, sed ætas: (etsi revera multa in Rhenani judiciis, quæ probet nemo judex e Sclectis.) Nunc abiit ille fervor: et obtendere manum ad magnorum virorum culpas possim, quam diducere et explicare. Revera autem quantula hæc sunt, de quibus litigamus? litteræ, syllabæ, voculæ. Ridere mihi lubet, cum virorum graviuni et grandium velitationes, imo pugnas, video in his nugis: et metuo ut excitent me ad alteram Satyram. Nunc cum Aristophane satis mihi inclamasse: Λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει Ἄνδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπωλίδας.

Ad naves regreditur: Maturo ceterisque] Lipsii correctionem ac distinctionem sequor: nam proculdubio de Mario Maturo intelligit, quem paulo supra nominavit: corrupte vulgo, *regreditur mature: ceterisque.* Pichena. Valens a plerisque suorum desertus cito cum paucis ad naves regreditur: cæteri (inter quos Maturus) Vespasiani partes inducrunt. Doctiss. vir legit, *regreditur. Maturo cæterisque.* Putem adductum con-

junctione *cæterisque.* Sed aliquando magnificentiæ gratia non decederet uti παραπληρωματικοῖς συνδέσμοις. *Sulinerius.*

In verba Vespasiani adigi volentibus liberum fuit] Erasimus vocem, *liberum:* nam imitatione Græca dixit Tacitus, 'Cæteris remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit.' Ut l. xv. 'Hæc atque talia plebi volenti fuere.' Sic enim castigandum monuimus, ubi vulgo, *valentia fuere.* In vita Agric. soceri: 'ut quibus bellum volentibus erat:' l. i. 'ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.' Nec est locutio valde dissimilis, infra: *Mutiano volenti scripsere.* Adduximus superiori loco quædam exempla ex auctoribus Græcis, quæ non visum est hic repetere. *Rhenanus.*

Inclitus erga Vespasianum favor] Germanius est, quod erui e Rom. ed. *inditus erga, &c.* Portento simile est vitium tam conspicuum, tam diu locum suum obtinuisse præter jus. Sic noster alibi de Claudio: 'cui non odium, non amor, nisi indita.' *Gruter.*

Cap. 44. *Non sine motu adjunxit cæterarum*] Scil. legionum. *Ferrettus.* Faërnus legebat, *non sine motu cohortium junxit cæterarum,* ex v. c. cum in vulgatis sit, *junxit,* et desit verbum, *cohortium.* Ursinus.

Cap. 45. *Venusio*] 'Jugantum civitate.' Ann. xii. *Savil.*

Auxerat potentiam] Fallor, aut Tacitus scripsit, *potentia.* Quis enim alias iste qui auxit? At genus illud dicendi perelegans, *Auxit potentia,* id est, Aucta est, significatione occulta quadam patiendi. Cato in hoc ipso verbo: 'Eodem nomine complures ex agris accessitaverc: eo res eorum auxit.' Velleius *Sedandi* verbum sic usurpat: 'Postquam tempestas sedavit, Adherbal taurum immolat.' Plautus *Leniendi:* 'Dum hæ consilescunt turbæ atque iræ leniunt.' Et plures ejusmodi Latinæ linguæ delicias gus-

tare tibi fas apud Agellium l. XVIII. c. 12. Non dissimile, quod in Thucydidæo charactere observat Dionysius: sæpe τὰ παθητικὰ ῥήματα, δραστήρια· τὰ δὲ δραστήρια, παθητικὰ esse. *Lips.*

Auxerat potentiam] Mallet Lipsius, *potentia*, passiva significatione verbi, *auxerat*. Sed vulgatam lectionem non improbo; cum non male etiam active intelligi possit, atque ad Cartismanduam referatur, quæ scil. sibi ipsi potentiam auxerit. Sic Ann. XI. 'nos virtutem auximus, Barbari ferociam infregere.' Ubi pariter Lipsius mallet, *virtute*. Pich.

Capto per dolum] Annal. XII. *Savillius.*

Caractaco] Ita sæpius nominatur a Tacito, lib. XII. Vulgo, *Caratacо*. Pichena.

Brigantum defectione] Liber regius, *Brigantum defectio*. Statque sententia. *Rhenan.*

CAP. 47. *Polemonis libertus, præpotens olim*] Ingeminat Flor. *præpotens libertus olim*, sed nihil mutavi. At Polemonis Regis Ponti meminit etiam Ann. l. II. *Pich.*

Haud temnendæ manus auctor] Nos, *haud temnendæ manus ductor*. In Ms. volumine legitur, *tependæ manus ductor*. Possit legi; *haud pœnitendæ manus*. Rhenan.

Vetustam admodum civit.] In Florentino: *vetusta mama civitatem*. Omnino leg. *vetusta fama*. Lips.

Vetustam admodum civitatem] In Ms. volumine est, *vetusta manum civitatem*. Forte scribendum, *vetustissimam civitatem*. Rhenanus. Vulgo, *vetustam admodum civitatem*. Quod et ineptum et a Cornelianis phrasib. alienum. Flor. *vetusta mama civitatem*. Corrupte quidem, sed veram, ni fallor, emendationem ostendit, quam reposui, *vetustam Asiæ civit.* Pichena. Correxit ex Ms. Flor. Pichena, in quo erat *vetusta mama civit.* Unde ego potius fecissem; *vetusta fama civitatem*. Inf. H. IV. 83. 'Templum vetere fama.' *Freinsh.*

Classis quoque faces intulit] Nos, *classi*. Rhenan.

Vacuo mari eludens] Omnino *illudens* legendum: quod Lipsius ad marginem non male posse legi ait. *Acidal.*

Contemptim vagabantur] Scripsi, *contemptius vag.* Rhenan.

Cameras vocant] Nostrasne hæc vox? certe etiam hodie Cubilia tecta et clausa Cameras vocamus; et ab ea similitudine prisci, opinor, has naves. Strabo in describenda Bosporana ora: Ἀκάτια ἔχουσι λεπτὰ, στενὰ, καὶ κοῦφα, ὅσον ἀνθρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα. Καλοῦσι δὲ αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας. Ubi a glossula fortasse illæ voces, οἱ Ἕλληνες. *Lips.*

CAP. 48. *Vespasiani animum*] Scribas, *ea res Vespasianum*, voce sequenti inducta, brevius et verius. Ita loquitur Ann. II. 'Octo aquilæ petere silvas et intrare visæ, advertere Imperatorem.' *Lips.*

Cogit in naves] Flor. *coëgit*. Pich.

Sedochezorum regis] Vatic. *Scdothezorum*. Rom. *Sedotosorum*. Nullam hunc populum ego natum scio. *Lips.*

In ostio fl. Cohibi, tutum sub Sedochezorum] Flumen Cohibus et Sedocheci populi illi in alta nocte et silentio apud scriptores. Notius equidem flumen reddi posse existimo sic legendo: *In ostio fl. Chobi.* Sic appellat Arrianus in descript. Ponti Euxini: Ἀπὸ τοῦ χαρίεντος, ἐς Χώβον ποταμὸν εἰσεπλεύσαμεν. Populorum nomen si tam feliciter quam audacter correxi, bene habet. Sic autem emendabam: *Sub Sedochi Lazorum regis auxilio.* Lazi populi Pontici, et, ni fallor, Sarmatæ fuere, apud Ptolemæum, Plinium, Agathiam, Procopium, Stephanum. Trajani ævo Rex eorum Malassas fuit. Jul. Capitolinus de Anton. Pio: 'Pacorum Regem Ladis dedit.' Ubi crediderim

planissime legendum esse: *Pacorum Regem Lazis dedit.* Colerus.

Cap. 49. *Ceu felicitas*] Castigo *seu felicitas.* Rhenan.

Viam sibi ad potentiam] Legendum esse *vim sibi*, e Mss. docuimus Observ. I. 14. *Gronov.*

Cap. 50. *Propinqua hieme*] Mur. *propinquante.* Acidal.

Undecima legio] Nusquam de hac legione mentio supra: tamen eredendum est, eam in Dalmatia remansisse: nam sup. lib. dixit, Silvanum Dalmatiæ præfuisse. *Pich.*

Ad Fanum Fortunæ iter sistunt] Urbs ad Hadriaticum mare, quæ *Fano* nunc dicitur. Mosque fuit veterum *Fanum* appellare oppida, in quibus Dii vel Deæ colebantur. Quare urbes, quibus a Sanctis nomen est, nos Latine *Fanum* vocabimus, ut in Picardia Sancti Quintini, Sancti Riheri oppida, *Funum Quintini, Fanum Richerii* Latine appellabis. *Lupanus.*

In regione] Male enim omnibus libris, *in legione.* Lips.

In legione bello attrita] Faërnus legebat, *in regione bello attrita.* Ursin.

Clavarium] Donativi nomen esse Tacitus auctor est: ipse *clavem* in Constitutionibus Cæsarum legi, nomen cujusdam indictionis extraordinariique tributi esse. Quapropter l. XII. Cod. Just. tit. est, 'de prætoribus et collatione et gleba, et clavi, et pholle, et VII. Solidorum functione.' *Alciatus.* Donativum ad emendos sibi *caligures clavos:* ut *calcearium* in Sueton. Vesp. 8. ad emendos calceos. *Suvil.*

Cap. 51. *Distulerant tanquam majora meritum*] Ita Faërnus legebat; non, *distulerunt:* ut habent vulgati. *Ursinus.* Lege, *distulerunt.* Acidal.

Quæ stutim exsolverentur] Ita Flor. Vulgo, *exsolverent.* Pich.

Tunto acrior apud majores, quod sicut] Nos, particula *quod* expuncta, sic scripsimus: *Tanto acrior apud majores sicut virtutibus gloria, ita flagitii pœnitentia fuit.* Nam exemplar regium manifeste habet *flagitii*, ut de flagitio occisi fratris intelligas. *Rhenan.*

Ex veteri memoria petita] Castig. *repetita.* Mox est in exemplari regio, *poscet.* Rhen.

Cap. 52. *Et certiora de Muciano*] Magis placet Florentina scriptio, *ex Muciano.* Lips.

Certiora ex Mutiano sperabantur] Præpositionem *ex* sustulimus. *Rhenanus.* Flor. *ex Mutiano, &c.* non *dc.* Pichena. Videbatur Antonius appetens novarum rerum, nec amplius Vespasiano fidus; quæ suspicio inde orta, quod milites imperio regeret ambitioso, 'ut suas legiones colere, omnibus dictis factisque viam sibi ad potentiam struere;' qua etiam de caussa Piso reus majestatis factus est, Ann. II. 55. Nectebant igitur moras nonnulli ex ducibus, metuentes, ut sequi Antonium esset perfidiæ conscientiam subire. At Mutianum expectabant, de cujus fide non suspicabantur. Scriptum est *certiora*, quod qui præsentia spe futurorum fastidio habent, incerta præ certis sequi videntur. Sallust. Cat. 'incerta præ certis, bellum quam pacem malebant.' Vel duces ob Antonii fastum et impotentiam ægre eum sequebantur, 'quippe nimius jam Antonius:' præsertim quod nec magni jam facerent ea, quæ sibi Antonius indulgebat, nam certiora et firmiora sperabant a Mutiano, quippe qui dux primarius erat, et credebatur acta Primi pro irritis habiturus. At propius vero accedemus, si dicamus duces expectasse Mutianum, ut ejus jussa sine hæsitatione exequerentur. Nam is absens ita se gerebat, 'ut ex eventu rerum adversa abnueret, vel prospera agnoscceret.' Verum vir doctiss. mavult *rectiora* quasi dicta sint de virtutibus Mutiani in comparationem vitiorum Primi: verum de Licinio jam legi, *pulam laudures, secreta male audiebant.* Salin.

In Senatorium ordinem] Sic Flor.

Antea, *in Senatorum.* Pich.

Muciano volentia] Ita libri. Sallustianum videtur: 'Pompeius multis suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.' Beatus tamen *volenti* maluit. *Lips.*

Muciano volentia rescripsere] Castigavimus, *Muciano volenti scripsere*, hoc est, grata rescripsere. Redolet Hellenismum hæc locutio. Non prorsum absimilis illis, 'Hæc atque talia plebi violenti fuere.' Item 'remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus.' In vita Agric. 'Ut quibus bellum volentibus erat.' Sane quantum ad dativum *volenti* attinet quod Græcis est βουλομένῳ meminimus supra. *Rhenanus.* Ex Flor. *volentia rescripsere.* Vulgo, *scripsere.* Pichena. Si standum fidei edit. Rom. restituendum *scribere*, quod heic altero aliquantum suavius. *Gruterus*

Factaque ejus] In exemplari regio est, *aut facta ejus.* Rhenan.

Cap. 53. *Coaluissent pericula sua*] Vix est ut ipsa res hanc scriptionem toleret. Nec enim opinor timuisse Antonium a Muciani criminationibus, neque etiam hoc in litteris ad Vespasianum queritur, sed tantum præmia, quæ mernerat, intercipi: huc etiam modo dixit: 'consilia ejus factaque non perinde æstimari:' quapropter legendum censeam, *eviluissent pericula sua.* Pericula pro rebus fortiter gestis, ut mox, 'præmia periculorum:' et supra II. 40. 'fidem atque pericula polliecantur.' Ea autem nunc non ut debebant æstimari, sed eviiescere queritur. *Freinsh.*

Immodicus lingua et obsequii insolens] Vulgo, *linguæ;* et utrumque a Tacito usurpatur: prætuli tamen Flor. lectionem, quam et Venetus agnoscit. *Pichena.*

Cap. 54. *Ut ad vires hostium spectandas*] Particulam *ut* expunximus: nam subintelligitur. *Rhenanus.* Illud, *ut*, additum ex Flor. *Pichena.* Muretus, *ut ad vires, &c.* Nihil opus. *Acid.*

Quæ afferret] Nos, *referret.* Rhenanus. Muret. *adferret.* Neque hoc opus. *Acidal.*

Magno documento opus] Addidimus verbum *est.* Rhenan.

Cap. 55. *Secuta e classicis legio*] Supra dixit c. 50. 'e classicis Ravennatibus legionariam militiam poscentibus optimus quisque adsciti.' Hic e classicis legionem scribit, utrobique an de militibus classis, an de navalibus ministris seu remigibus sit intelligendum, indagandum. Hos *classiarios* vocavit Sueton. in Galb. 12. in Tib. 62. in Oth. 8. et Vespas. 8. Hircius lib. III. bell. civ. 'Aqua prohibere classiarios instituit.' His sic se habentibus, si demus, *classicos* Tacito eosdem esse, quos *classiarios* Suetonius et Hirtius appellavere, constat nautas, remiges, et navium ministros quoscunque in legionem militarem redactos. Si vero a largiori significatione *classicos* acceperimus pro his omnibus, qui classi inserviunt, dubio procul et milites classi assignati sub eadem voce continebuntur. Nam et apud JC. 'in l. unica C. de classic. lib. II. et C. Theod. eodem l. unica. classici milites' sunt deputati navibus. Quinimo et *classiarios* quandoque nuncupatos observamus apud Lamprid. in Comm. 15. *Marc. Donatus.* Muret. *secutæ classicæ legiones.* Nescio, an e libris et Historiæ fide. *Acidal.*

In multos annos] Sueton. Vit. 11. 'Comitia in decem annos ordinavit, seque perpetuum Consulem.' *Savillius.*

Tributa dimittere] Viri eximii repositum eunt, *remittere*, et hoc quidem vult auctor; sed idem manet retento altero, ut pluribus ostendi in Suspicionibus. *Gruterus.*

Vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat] Nescio quid sibi Flor. velit, in quo corrupte legitur, *haberat.* Pichena. Videtur significare *hiabat:* nam hoc verbum alibi quoque sic cor-

ruptum nos invenisse meminimus. *Gronovius.*

Qui Mevaniam insederat] Vocula addita e libris. *Lips.*

Qui Mevaniam insederat] Pronomen relativum *qui* submovimus: nam hæc clausula, 'Mevaniam insederat,' per parenthesim interjecta est: et subintelligitur *Mevaniam insederat* s. is exercitus. *Rhenan.*

Cap. 56. *Diem obtenderent*] Bene ita libri, non, *obtunderent*, ut visum Beato. Quibusdam scriptum, *nube radium obtunderent*: vitiose. *Lips.*

Diem obtenderent] Scripsimus, *obtunderent.* Obtunditur lux et fulgor per obumbrationem. *Rhenanus.* Verbum *obtenderent* e Ms. placitum Lipsio, non *obtunderent*: quod ego Rhenano potius assentiar retinendum. Valet, hebetarent, obscurarent. Ac si *obtenderent*, malis, mutandæ et reliquæ voces, legendumque: *ut nubem atram diei obtenderent*: quod mihi non adeo probetur. *Acidal.*

Longe, nec ubi feriri] Præivit ad emendationem hanc Vatic. qui refert, *longe necui feriri.* Nam alii libri hic mutili. Ominosum vero antiquitus, si hostia fugisset, nec suo loco, id est, ante aram, cæsa fuisset. Festus: 'Piacularia appellabant, quæ sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam oporteret, cecidisset.' Plinius: 'Notatum est vitulos, ad aras humeris hominis allatos, non fere litare: sicut nec claudicante, nec aliena hostia deos placari, nec trahente se ab aris.' *Lips.*

Longe quam ubi feriri hostias mos est] Delevi particulam *quam.* *Longe*, id est, procul ab eo loco, ubi feriri hostias mos est. *Rhenanus.* Lipsius e Vat. recte. Nec male Muretus, *longe quam ubi feriri.* Acidal.

Arcuere eos] Vere: non *arguere.* Lips.

Læsurum acciperet] Faërnus legebat, *acciperent;* ad aures referens. *Ursinus.* Sive *acciperent*; aures nempe. *Acidal.*

Cap. 57. *Apinius Tiro*] Aliter nomen illud concepit edit. Rom. in ea enim *Aponius*, et vero nomen istud notius Romanis altero; quod nescio an alibi adhuc inveniatur. *Aponii* omnes libros, omnia marmora occupat: et vel quinquaginta suffecerit Inscriptionum nostrarum vere thesaurus. *Gruterus.*

Et collata utrinque castra] Castig. *ut collata, &c.* Rheuan.

Cap. 58. *Quæ ubi Vitellio cognita*] Ms. exemplar non habet, *ubi.* Possunt sic distingui verba: *Quæ Vitellio cognita.* Subaudi, sunt. Parte cop. *Rhenan.*

Exercitum et legiones appellat] Rectius Flor. *exercitum*, quam vulgati, *exercitus.* Pich.

Dantes nomina sacramento adigit] In Ms. exemplari est, *dat nomina.* Forte scribendum et distinguendum, *dant nomina, sacramento adigit.* Rhenan.

Pondus argenti Senatoribus inducit] Nos, *indicit.* Rhenan.

Ea simulatio, officia metu profecta verterat in favorem] Egregie hæc versa sunt Italice, pessime Gallice: neque enim Vitellii heic ulla interpretatio; sed Senatores antea obsequiosi metu, sponte animum talem induunt: hoc est, cum viderent equites Romanos et libertinos nihil non ultro offerre Vitellio, et ipsi quoque servos pondusque argenti indictum, libentes produxere in medium. *Gruterus.*

Conterriti, mœstive] E Florentino, in quo est, *contempti mestine*, Pichena emendat, *contemptim et sine discr.* Belle, belle. *Lipsius.*

Mox contemptim et sine discrimine] Vulgati omnes corrupte, *mox conterriti mœstive discrimine.* Flor. mihi veram lectionem osteudit, in quo legitur; *mox contempti mœstine discrimine.* Pichena. Miraculum est nemini scripturam hanc ineptissimam, vel quasi

dicis causa, raptam in jus, ante Pichenam. Sane boni succi nulla in eis guttula. Vatic. edit. proxime accedit ad autographum Florentinum, habetque, *contenti mœstive discrimine:* e quibus nihil elicio melius, quam quod venit in mentem Pichenæ. *Gruterus.*

Quæ non dabantur, remisit] Codex Matthiæ Corvini, *Qua non dabantur, omisit.* Adhuc nullus commodus sensus elici potest. Pro *non dabantur*, lego, *nunciabantur*, et bene habebit locus. *Quæ nunciabantur, omisit;* hoc est, omisit punire senatores equitesque, de quibus nunciatum foret, quod e castris se subduxissent. *Rhenanus.* Flor. *quæ non dabantur, remisit.* Vulgo, *omisit.* Pichena. Apage istud *omisit*, natum e cod. Budensi, restituatur Ms. omnium editionumque, *remisit:* alia enim longe vis in hac voce, quam altera. Sed ignoscendum Rhenano, qui ne per somnium adsecutus loci hujus sententiam; utique cum et *dabantur* mutet in *nuntiabantur:* quod nullo modo tolerari potest circa Vitellium, imperantem plus precario. *Gruterus.*

Cap. 59. *Possessa Mevania*] Muret. *obsessa:* male. *Possessa* est nostro occupata. Sic c. 8. hujus lib. ' Possessa ipso transitu Vincentia.' Et Mevaniam jam exercitus insederat: quod paullo superius narravit. *Acidalius.*

Ereptus Samnis] In Florentino *erectus:* sed illud placet, ereptum, nempe Vitellio, qui possidebat. Aut si *erectus*, capi licet animis erectos ob Vitellii discessum, et sic defecisse. *Lips.*

Erectus Samnis, Pelignusque, et Marsi, æmulatione] Reposui, *erectus*, ex Flor. procul dubio rectius quam, *ereptus*, ut in vulgatis. Non enim vi, sed sponte hi populi ad Vespasianum defecere, Campanorum æmulatione. *Pichena.* Lego, *Erectus Samnis Pelignusque: et Marsi, æmulatione, &c.* Ait Samnitas Pelignosque erecto erga Vespasianum studio fuisse. Quæ interpretatio pendet e præcedentibus verbis: ' ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit.' *Acidal.*

Nive se eluctantibus] Castigavi, quemadmodum est in volumine Budensi, *nives eluctantibus.* Sic in vita Agric. ' Super virtutem hostium, locorumque difficultates eluctatus.' Eodem modo Hist. l. I. ' Immensa viarum spatia, ægre sub armis eniterentur.' Et hoc loco post: ' Custodias Vitellii elapsus.' Ann. lib. IV. ' Ejusque statuam vim ignium bis elapsam.' *Rhenanus.*

Notitia locorum] In volumine Bud. legitur, *noctu locorum.* Forte, *notu*, pro notione seu notitia. *Rhenanus.*

Cap. 60. *Signaque legionum assequerentur*] Absolute usurpat *assequi.* Idem.

Ambiguas, si deliberarent; acres, si desperassent] Desperatio enim temeritatem parit, et ex ea vires augentur. Livius l. X. ' quod vix Romanus totiens victor anderet, ausi Samnites sunt (tantum desperatio ultima temeritatis facit) castra Romana oppugnare.' Lib. XLVII. ' coactus ergo periculo militum Prætor, receptui cani jussit, ne objiceret incautos furientibus desperatione ac rabie.' Tac. infra l. IV. ' Vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniæ, pertinacia accenderentur.' *Pichena.* Malim, *deliberaret*, itemque, *desperasset.* Acidal.

Ratione perfici] Vulgati, *proficisci;* scripti, *profici:* ex quo nobis *perfici* visum facere. *Lipsius.*

Cap. 61. *Tradere donum victori, et sibi in posterum gratiam certabant*] Suspecta mihi vox extrema, tanquam a glossographo. Comparet quidem in editionum prima, sed et eadem præfert, *tradidere*, quod verissimum puto; dummodo sic porro distinguatur; *tradidere; donum victori, et sibi in posterum gratiam. Per eos, &c.* Constructio quidem non videtur procedere: sed eadem ei difficultas; manente illo, *certabant.* Simillima autem periodus

nostro Hist. lib. I. 44. ' Omnesque conquiri et interfici jussit; non honore Galbæ, sed tradito principibus more, munimentum ad præsens; in posterum ultionem.' Hist. lib. IV. 18. ' Matrem suam sororesque simul omnium conjuges parvosque liberos, consistere a tergo jubet; hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem.' Eadem ratione locutus, Hist. l. II. 78. ' Nec simulacrum Deo aut templum, sic tradidere majores, aram tantum et reverentiam:' quæ mutatum eunt nostri Critici, sed in pejus. Sæpius hoc modo Tacito scriptum, quæ facile inveniet quivis attentior lector. *Gruterus.*

Missus exemplo Varus] Nos, *missus extemplo Varus.* Rhenanus.

Præmiis defectorum, vera fides] Vide quæ scripsimus Observ. III. 10. *Gronovius.*

Ac reliquum perfidiæ certamen, verba transf.] Delibero an mutem, *Acre igitur perfidiæ certamen: crebra transf.* Acidal.

CAP. 62. *Immane quantum animo exitium Valentis*] Nisi me Tacitus fallit, vocula hic excidit. Repono; *im. q. an. auctus, exitium Valentis.* Vitellianis animus periit, Flavianis crevit. Initio lib. II. ' Titus aucto animo ad patrem pervectus.' *Idem.*

Ludicro Juvenalium] Hoc malui, quam quod vulgo est *Juvenum.* Lips.

Fonteium Capitonem in proditionem corruptum] Hæc clausula, *in proditionem*, non est in libro regio. *Rhenanus.* Auctiores vulgati, *in proditionem corruptum.* Sed cum ea verba absint a Florentino, a Veneto, et a Rhenani etiam codicibus, atque aliena videantur; glossema fuisse censeo, sustulique. *Pichena.*

CAP. 63. *Id quoque non sine dedecore*] Muretus, *decore.* Male, nec sensum cepit, qui iste: Vitelliani quod transituri in partes essent, non sine dedecore erat: sed erat cum majore, quod sub signis vexillisque ad editionem procederent. Aliqua tamen etiam in Mureti lectione sententia sit, si porro mutes, *idque non sine decore;* verum illa ut acutior, sic verior. *Acidalius.*

Intentus armatusque] Codex regius, *ornatusque:* quod germanum est. Loquebantur enim ita etiam in armis. Unde et gladiatorum ornamenta. Tacitus l. v. ' Pauci ornati militariter; Livius l. IX. ' Diemque iis qua equis armisque instructi ornatique adessent, edicit.' *Lips.*

Ad prælium intentus armatusque] In libro regio legitur, *ornatusque.* Livius dec. I. l. IX. ' Diemque iis, qua equis armisque instructi atque ornati adessent, edixit.' Item lib. I. ' Armati ornatique.' Ubi vulgo legitur, *ordinati armatique.* Rhenanus. Lipsius ex regio codice emendavit, *ornatusque:* et nos Florentini fidem adjicimus. Sic Cæsar de bell. Gall. l. III. ' Naves eorum paratissimæ, atque omni genere armorum ornatissimæ.' Sueton. Jul. 24. ' Disciplina cultuque Romano institutam et ornatam.' *Pichena.*

Secreta Campaniæ offerre] Bud. cod. habet, *secretam.* Lego, *secretum Campaniæ.* Rhenanus.

Electione lictorum] Quorsum lictores? Si enim privatum serio indueret, nihil iis opus. Scribendum omnino *litorum.* Secessum videlicet, &c. * Campaniæ sinus promitti.' Suetonium ego in hac voce paullo gravius et obscurius corruptum restituo. Tiber. c. 72. ' Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque instans in medio triclinio, adstante lictore singulos valere dicentes appellaret.' Cui enim rei lictor hic in triclinio? aut ex quo ritu? Beroaldus et priscæ editiones, *ut stans in medio.* Legam et rescribam totum locum: *aut stans in medio triclinio, aut stans in litore, singulos, &c.* sive relegata altera voce brevius, *aut stans in medio triclinio, aut e. litore.* Temere enim repetita

videtur a librario. Sententia autem liquida et pura, Tiberium Caprcis dissimulando morbo stantem valedixisse comiter singulis, sive in triclinio, sive in ipso litore. Nam modica ea insula, et amici plerique diversabantur, ut opinor, in opposita Italiæ terra. *Lips.*

Electione litorum] Corrupte in vulgatis, *electione lictorum.* Lipsius ex ingenio, *litorum*, correxit: vere, nam id ipsum habet Flor. *Pichena.* Vere et eleganter Lipsius *litorum:* nec Muretus tamen prorsus inepte *locorum.* Acidal.

Cap. 64. *Vigilum cohortes*] * curare consueverunt vicinis.' Corrigendum in fine hujus Scholii, *curare consueverunt vicibus:* et quod ad *Sparteolos*, ipsa vox in Tertulliani Apologetico, eodem sensu. *Lips.*

Cap. 65. *Invalidus senecta*] Vocem Rodolphus addit: *senecta sensuque:* valde apposite, modo e libris. *Idem.*

Invidia et æmulatione fortunam fratris moderaretur] In Bud. cod. legitur, *fortunæ fr. &c.* Distingue, *invidia et æmulatione fortunæ frutris, moraretur.* Ubi *moruretur* accipit absolute, pro cunctari. *Rhenan.*

Affectam ejus fidem præjurisse] * reip. remedio fuit.' Lib. IX. 'In corpore tamen affecto vigebat vis animi consiliique.' Emendandus est depravatus Livii locus lib. v. ubi in vulgatis edit. legitur, 'Vires corporis effœtæ:' tu scribe, *affectæ.* Rhenan.

Offensarum operta] Ita Farnesianus, proba et solemni Tacito dictione. Alii, *operu.* Lips.

Verba vocesque duos testes habebant] Suet. Vit. 15. 'Salutem sibi et millies HS. a Flavio Sabino Vespasiani fratre pepigit:' id est 781250. lib. *Savil.*

Sabinus non insultans] Forte, *Sabini.* scil. vultus. Etsi et illud non malum. *Acidal.*

Cap. 66. *Ne victos quidem*] Varia emendatio vel crux potius adhibita huic loco. Vertranius legit, *Ne victor quidem laturus.* Beatus: *Ne victum quidem luturus.* Mihi sana lectio est, &c. * *Lips.*

Ne victos quidem laturos] Codex Matthiæ Corvini, *Ne victo quidem laturos.* Lego, *ne victum quidem laturus.* Rhenanus. Ego malim, *ne victos quidem laturus:* et procul dubio ita legendum est. *Vertran.* Danesius ex v. c. legebat, *ne victum quidem laturus.* Cum vulgo legatur, *ne victos, &c.* Ursinus. De integritate loci non est, quod tria verba commutem cum doctiss. viro. At ejus sententiam non omnino amplector: nam qui, *non tantum Vespasiuno superbiam*, ad magnanimitatem referri possunt? de qua paulo post, 'nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat.' Ῥητορικῶς Vitellius oppugnatur, et a pactis deterretur. Sit igitur superbus ille, qui principem imperio exutum patitur vitam degere privatam, quasi quotidie eum triumphare desideret. Non est (inquiunt) adeo superbus Vespasianus, ut ad ostentationem luce te frui patiatur, sed miseratione (perire enim et occidere, 'æque apud bonos miserum est' Hist. I.) tibi adimet vitam. Dices nec superbus nec misericors est: esto, sed tui tanto culmine dejecti miserescent tui victi milites, bellumque reparabunt: quæ res necessario Vespasianum in tui perniciem sollicitabit. Migrent igitur castigationes, et attendat lector quam apte sequatur 'ita periculum ex misericordia.' Et 'moriendum victis, moriendum deditis.' *Sulinerius.*

Æmulatu redituram] Censeo nos apte restituisse: etsi in libris, *æmulatore redituram.* Budensis aliquid juvit, qui *æmulatore daturam* præferebat. Tacitus alibi: 'et ne æmulatus in urbe ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur.' *Lipsius.*

Nisi exstincto æmulatore redituram] In cod. Matthiæ Corvini legitur, *æmulatore daturam.* Forte scrib. *æmulo-*

redituram. Rhenanus. Male in vulgatis, *æmulatore redituram.* Emendavit Lipsius conjectura : et Flor. pene consentit, qui habet, *æmulatore dituram.* Pichena. Videtur potius legendum : *nisi exstincto æmulatore futuram.* Gronov.

Nedum Primus et Fuscus] Nos, *nedum Primus ac Fuscus.* Mox est in cod. Matth. Corvini, *ulla in Vitellium.* Rhenanus.

Vitellii cliens, cum Vitellius] Postrema ea verba, *cum Vit. col. Cl. foret,* glossulam sapere videantur, ad subsequentia verba, ' Quin ut censuram patris.' Fero tamen. *Lips.*

Vitellii cliens] Cliens Vitellii dixit, quasi Vitelliorum, seu Vitellii domus. Nam de L. Vitellio patre intelligit; bis collega Claudii in consulatu, juxta Glareani chronologiam. *Pichena.* Etiam ipse hercle glossulam hæc suspicarer una cum Lipsio, nisi orationis structura me teneret, quæ sine illis non plena. Nec sane Vespasianus Vitellii nunc aut semper cliens : sed olim esse potuit, cum Vitellius pater Claudio collega. Itaque etiam ad sententiam necessaria hæc additio. *Acidal.*

Honores deceret] Recte : et capio. In Romana tamen editione *honores degeret:* ex qua (si quid mutandum est) fecerim, *tegeret.* Rodolphus enim longius abire a scripto videtur, qui reponit, *negligeret.* Lips.

Ut censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregiæ domus honores deceret] Turbat sententiam immissa vox *deceret.* Servat editio Romana, *degeret.* Amplector Tacito dignissimam vocem. Capienda autem ea hic ἀρχαϊκῶς pro diminuere vel extenuare. *Pontanus.* Malim, *ut censuram patris, et tres, &c.* Deinde pro *deceret* quod sententia nulla patitur, omnino cum Rodolpho scribam, *negligeret.* Nec id longius, ut Lipsio visum, a scripto abit. *Degeret* enim, quod est in Rom. edit. truncatum ex *neglegeret:* cujus primam syllabam abscripsit postrema vocis præced. *honores.* Sententia omnino ista : Si non tot honoribus domus suæ, saltem desperatione instingueretur in audaciam. Sed pro *accingeretur,* possit forte legere *accenderetur.* Acidal.

Moriendum deditis] Hæc clausula non est in libro manuscr. *Rhenan.*

Cap. 67. *Parvulus filius*] In libro manuscripto est, *parvus filius.* Rhenanus.

Cap. 68. *Rom. principem*] Sueton. Vit. 15. paullo aliter. *Savil.*

In acie cecidere. In sua concione] Exemplar. Bud. *in acie cecidebant sua concione Vitellius.* Legerim, *acie ceciderant, sua concione Vitellius* scil. cecidit. *Sua concione* pro in sua concione. *Rhenan.*

Interclusum aliud iter] Exemplar Bud. *interclusum alterum iter.* Et sic nos scripsimus. Mox, *in palatium rediit.* Rhenanus. Vulgo, *alterum.* Rectius *aliud* ex Flor. nam plura itinera quam duo fuisse credendum est, ut etiam verba sequentia indicant. *Pichena.*

Cap. 69. *Arcem Capitolii insedit*] Joseph. ἁλωσ. l. iv. 42. *Savillius.*

Mixto milite et quibusdam Senatorum] Participium *mixto* non est in codice regio. Verum pro *et quibusdam,* est, *ex quibusdam,* ut stet sententia, arcem Capitolii insedit, milite : hoc est, cum milite, ex quibusdam Senatorum equitumque. Mutavimus itaque particulam, *et* in *ex,* et ablativum *mixto* sustulimus. *Rhenanus.* Plerique veteres libri et inter eos Florent. habent eam vocem *mixto,* quam et Rhenanus et Lipsius exturbandam censuerunt, neque in editis recepta est. Mihi religio fuit illam parvi pendere, a tam vetusto cod. firmatam. Appellat enim Tacitus, &c. * *Pichena.*

In Capitolium] Hæ duæ voces a glossographo fortasse : certe in Capitolium eos accitos, sine monitore ullo, nimis clarum. *Lipsius.*

In Capitolium accivit. At Sabinus

misso] Desunt in Flor. codice ea verba, *At Sabinus:* et certe supervacua videntur, cum de eodem Sabino sit sermo. *Pichena.* Recte vidit Lips. glossema esse, *in Capitolium.* Sed qui minus vidit esse et statim in sequentibus, *At Sabinus, misso?* Certe enim et hic vox *Sabinus* a glossographo, quam Tacitus nunquam addidit, cum non de alio quam de ipso Sabino sermo præcesserit. Nec particula quidem *At* convenit: pro qua scribo *Ac:* ut totus locus ita concinnetur: *fratris filium accivit: ac misso per neglecta, &c.* Acidal.

Et ni subveniretur] Ita emendavi, Flor. lucem præferente, qui corrupte habet, *ipso sed ni subveniretur.* Vulgo, *nisi subveniretur, &c.* Decrat necessario copula, quam reposui: nam duo nuntianda erant: ipsos scil. circumsideri; atque artas res, nisi subveniretur. *Pichena.*

Cap. 70. *Deditionibus cohortium judicatur*] Nihil hic muta. 'Judicare,' 'dijudicare,' dicunt Latini cum de bello et præliis loquuntur. Sicut et κρίνειν Græci. Cic. lib. x. ep. 7. ad Att. 'Hoc vide, non esse judicium de tota contentione in Hispaniis.' Curio apud Cæsarem de bell. Civ. lib. II. 'vos autem incerta victoria Cæsarem sequuti, dijudicata jam belli fortuna, victum sequamini!' Paterculus lib. II. 'Discordiæ civium ante conditionibus sanari solitæ, ferro dijudicatæ.' *Boxhornius.*

Victis utilia, victoribus tantum pulchra esse] Cur non potius: *Pacem et concordiam victis utilem, victoribus tantum pulchram esse.* Gronovius.

Iret obviam legionibus, et de summa rerum] Copula ex Florentino. *Pichena.*

Ne a militibus internuntius] Particulam *a* delevi: nam subauditur: nisi quis putet vocabulum *internuncius* cum dativo *militibus* construendum, per participium *existens;* tum multo minus opus erit *a* præpositione. *Rhen.*

Cap. 71. *Dextra subeuntibus*] An, *dextræ subeuntibus?* atque ita, ut disco, Florentinus. *Lipsius.*

Dextra subeuntibus] Quod Lipsius innuit, legendum sibi videri, *dextræ*, pro, *dextra*, ut in vulgatis, testor ego id ipsum habere Flor. ac Ven. *Pichena.* Lips. *dextræ* videtur malle. Ego scio etiam *dextro* scribi posse, ut hoc referas ad *latere.* Sicut illud ad *porticus.* Sed neutrum malo: quia vulgatum æque bonum. *Acidalius.*

Saxis tegulisque Vitellianos deturbabant] Hoc verbum miror a librario omissum fuisse. *Rhenanus.* Scripsi, *obruebant*, Flor. auctore. Vulgo, *deturbabant.* Pichena.

Porticum jecere] In cod. regio est *jacere*, pro jacebant. *Rhenanus.*

Revulsas undique statuas] * sed etiam cum crepidis. Obiter quoque monitum studiosum volui, Athenis in gymnasiis poni solere imagines Philosophorum, ut Apollinaris ad Faustum scribit: Zenxippus curva cervice, Aratus panda, Zeno fronte contracta, Epicurus cute distenta, Aristoteles brachio exerto pingebantur. *Lupanus.*

Ignem oppugnatores] Hoc quidem ambigi potest; at non quod Philostratus incuriose scribit lib. v. 'Domitianum obsedisse Vitellianos in Capitolio, atque illos clanculum fugientes templum incendisse.' Ille dixit, qui perperam multa alia: classicus nemo scripsit. *Lipsius.*

Progressos depellerent] Nos, *depulerint.* Item *populo Ro.* Rhenanus.

Sustinentes fastigium Aquilæ] Pausanias Corinthiacis: Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς, Ἡρακλῆς καὶ Νίκαι πρὸς τοῖς πέρασίν εἰσι. Nisi scripsit ταῖς πτέρυξιν. Vide P. Scriverium ad Martialis x. 19. *Gronovius.*

Traxere flammam] Flor. *traxerunt.* Pichena.

Cap. 72. *Porsenna dedita urbe*] Forte in hac narratione Tacitus alia aliunde accepta tradit, quam quæ ab aliis memoriæ prodita extant, ut sane ab istis dissidentia Livius habet; nisi

auctor noster errasse dicendus sit, cum hanc descriptionem sic prosequitur. Obsides Porsennæ traditos memorat Dionys. lib. v. et Livius lib. II. De urbe dedita nihil prorsus reperio in illis, qui in hanc usque ætatem transmissi supersunt, Tacito excepto, si non fallit memoria. *Savillius.*

Temerare potuissent] Ita Farnesianus, melius certe, quam, *tenere*, quod obtinuit. Pollutio enim ista ad locum sacrum refertur. *Lipsius.*

Capta temerare potuissent] Scripsimus, *tenere potuissent*. *Tenere*, hoc est obtinere, tamquam sui juris factam. Sic enim habet Codex Bud. alioqui verbum *temerare* non displicet, quo sæpe Tacitus utitur. Sensus est, saltem tenere non potuerunt, adeo non cremare exscindereque. De hoc tamen loco cogitet lector. *Rhenanus.*

Quo tantæ cladis pretio stetit] Verbum *stetit* erasimus, et distinximus, *quo tantæ cladis pretio, pro patria bellavimus.* Rhenanus. In omnibus veteribus adjicitur verbum, *stetit*, a Rhenano sublatum; ego levissima mutatione retinerem ac legerem, *quibus annorum causis? quo tanta clades pretio stetit? pro patria bellavimus?* Pichena. Emendent alii; nos interpretationi vulgatorum inserviamus. Tacitus insurgit adversus Capitolii temeratores, *quibus armorum caussis?* injustis, scil. Capitolium conflagravit. *Quo tantæ cladis pretio stetit?* propugnatio et conservatio Capitolii adversus Gallos et Porsenam nihil est, si cum hujusmodi clade comparetur. *Pro patria bellavimus:* ut illud, 'Fuimus Troës, fuit Ilium,' &c. Virgil. Æn. II. Non amplius pro patria pugnamus; sed ejus perniciem tantum in votis habemus. *Salinerius.* Deponit hunc locum Lipsius, et alii: mihi vix ullus restitui facilius posse videtur, mutatis saltem interpunctis: *quibus armorum caussis, quo tantæ cladis pretio? Pro patria bellavimus.* Quærit, quæ armorum caussa, quæ tantæ cladis merces? respondet, Patria: invidiose et acerbe tanquam ut patria servaretur, arcem patriæ et imperii sic perire necesse fuerit. Ex voce quam libri inserunt, *stetit*, apposite *scilicet* facias, si videatur. *Acidalius.* Melius forte Pichena, quam qui cum nostra edit. volverunt: *quo tantæ cladis pretio pro patria bellavimus?* non quin sensus sit elegantissimus: sed quod præcedentia, *quibus armorum causis?* non satis consentiunt. Optimam autem lectionem Rhenani arbitror, qui vocem *stetit* expunxit; si modo ita distinxit: *quibus armorum caussis? quo tantæ cladis pretia? pro patria bellavimus.* Nam hic sensus acutior est quam ut facîles, præsertim in his notis, quas quantum fieri potest breves esse cupimus, describatur aut explicetur. *Freinsh.* Vide Observ. III. 17. *Gronovius.*

Pulsis regibus] * horum consulatum intercessere. Emendo igitur Cornel. scriptum, a quo denarii nota elapsa est, ut pro *interjecto* CCCCXV. *annorum spacio*, scribendum asseverem, CCCCXXV. *Vertranius.* Se ipsum hoc intricat Vertranius, dum putat dicere auctorem plurimum Capitolio additum ab Horatio: quin indicat potius gloriam operis cessisse isti Horatio: ea nempe consistebat in dedicatione: quam ipsam cum prolixissime persequatur Liv. II. 8. miror, ubi eidem fuerit memoria, neganti Livium meminisse Pulvilli anni illius gestis. *Gruterus.*

Opes ornarent] Est qui *onerarent* scribi velit: me nolente. *Acidal.*

Felicitati ejus] Appian. I. ἐμφ. Εὐτυχῆ αὐτὸν οἱ κόλακες διατυχοῦντα ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς ὠνόμαζον, καὶ προῆλθεν εἰς βέβαιον ὄνομα ἡ κολακία. Plutarch. Sylla: Καὶ πέρας ἐκέλευσεν ἑαυτὸν ἐπὶ τούτοις εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι. τοῦτο γὰρ ὁ φῆλιξ βούλεται μάλιστα δηλοῦν· i. *posthæc voluit felix cognominari.* Savil.

Lutatii Catuli nomen] Fallit nos ergo, aut falsus ipse Dio, qui adseverat inter alios honores datum Cæ-

sari, ut nomen ejus Capitolio inscriberetur, deleto Catuli, idque eum recepisse. Quod ex hoc loco omnino non potest. *Lipsius.*

Inter tot Cæsarum opera] Sic Flor. Vulgo, *inter tanta.* Pichena.

Cap. 73. *Ex diverso trepidus miles*] Flor. *trepidi milites.* Pichena.

Non lingua non auribus competere] Manifeste Sallustii est: 'Formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.' *Acidul.*

Fugum cœptuntem] Suspicor legendum, *fugam temptantem*, vel potius *captantem.* Pichena.

Quod edicta in populum jecerat] Insolens mihi phrasis, *edicta in pop. jacere.* Fortasse scribi debuit, *fecerat:* nisi potius, *quod edicto, &c. jecerat.* Acidalius.

Per varios casus elapsi] Sollicitat hoc quidam et *astus* corrigere vult. Frustra. *Casus* etiam hic pro occasionibus, ut alibi monstravimus. *Acidalius.*

Cap. 74. *Lineo amictu*] Ex hoc loco colliges lineis vestibus uti solitos Rom. Sacerdotes. Cic. Act. II. in Verr. 'lineam vestem' appellat. *Lupanus.* Isiacus fuit ille, teste Suetonio, non Romanus sacerdos. *Gronov.*

Immixtus ignarusque] Ita Vatic. quod germanum judicavi, non, *ignoratusque.* Novitas quædam in ea voce est, quam Sallustio debet: 'More humanæ cupidinis ignara visundi:' id valet, Ignota. *Lipsius.*

Ignoratusque, apud Cornelium Primum] Nos, *ignoratus apud Cornelium Primum paternum clientem, &c.* Rhenanus. Lipsius ex Vat. reposuit, *ignarusque,* probum verbum atque usitatum. Sed Florent. sequi malui, qui habet *ignoratusque,* nec minus Tacito familiare. Supra, eod. lib. 'ni duo milites præclarum facinus ausi, arreptis e strage scutis, ignorati vincla ac libramenta tormentorum abscidisseut:' et lib. seq. 'eadem in Vocalum parabantur, nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset.' Sallust. Jug. 'nocturnis et aviis itineribus ignoratus,' Rom. palantes repente aggreditur.' *Pichena.* Lips. e Vat. *ignurus* scripsit, magis germanum ratus vulgato, *ignoratus.* Falso. Multo hic aptius hoc. Etenim *ignurus* quid sonat nisi *ignotus?* At *ignoratus* multo aliud: et semper, ubi fallendi res, hoc Tac. utitur. Supra hoc lib. 'Ni duo milites, &c. iguorati vincla ac libramenta tormentorum abscidissent:' et lib. IV. *Acidulius.*

Præmia navatæ operæ petebant] Vol. Bud. *præmiu enavatæ, &c.* Est autem elegans vocabulum *enavatus,* ab *enavundo:* ubi *e* consummatiouem significat, ut in verbo *evinco:* Aun. lib. III. 'Tanto magis imbelles Heduos evincite.' Item in *emunio,* cujus participio utitur in vita Agric. 'Sylvis et paludibus emuniendis.' *Rhenanus.* Dancsins legebat, *enuvatæ.* Ursinus.

Cap. 77. *Neque multi cecidere*] Castigavi, *neque inulti cecid.* Rheuanus.

Reliquas in litore captas] Covarruviæ codex, *reliquæ in litore captæ:* quod verius. *Lipsius.*

Reliquæ in littore captæ] Male in vulgatis, *reliquas in litore captas.* Lectionem, quam reposui, probat Lipsius ex vet. cod. et ex meis Venctus firmat Florentinusque innuit, qui habet, *captæ.* Pichena.

Lauream prosperæ gestæ rei] Emendavi, *lauream prospere gestæ rei.* Rhenanus. * 'neque in fascibus insignia laureæ.' Sueton. Dom. 6. 'De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.' Persius, 'missa est a Cæsare laurus Insignem ob cladem Germanæ pubis.' *Lupanus.*

Cap. 78. *Festos Saturni dies*] Saturnalia, quibus initium 10 Decemb. finis 24. ejusdem mensis. *Savillius.* Romani ut aurei seculi memoriam refricarent, quo Saturnus regnavit, quotannis XIV. Cal. Jan. Saturnalia celebrabant, quibus erat servis rerum omnium data licentia, et par cum do-

mino potestas. *Lupanus.*

Dum tegeret invidiam] Ne unus ipse omnia velle et facere videretur, eoque cunctatus. Sed placet magis Pichenæ lectio ex scriptura Flor. *dum regerit.* Nimirum invidiam ipse in Mucianum retorquet: invidiam, inquam, ejus culpa et consilio Capitolium exustum. Cur enim moratus est, aut inhibuit? At in crimine tamen Antonius, nec parere in tanta necessitate debebat. *Lipsius.*

Vel dum regerit invidiam] Vulgo, *tegeret*, neque id corruptum suspicatus fuissem, nisi Flor. indicio, qui habet, *regeret.* Emendavi ergo, *regerit.* Conabatur Antonius invidiam rerum a se male gestarum in Mucianum transferre, qui suis epistolis victoriam semper moratus esset. *Pichena.*

Dum peractum] Romanus, *patratum bellum:* probe. *Lipsius.*

CAP. 79. *Fœda fuga consternuntur*] Scripsi, *consternantur:* ut supra, 'atque illi consternantur.' *Rhenanus.*

CAP. 80. *Prætextu reip.*] Nos *prætexto reip.* nam sic et auctores alii loquuntur. *Rhenanus.*

Et ni dato a duce præsidio] *Et* particula non est in libro Ms. qui mox habet, *sacrum etiam in exteras gentes legatorum jus. In* pro erga, hoc est, cum exteræ gentes mittunt legatos. *Rhenanus.*

CAP. 81. *Placita Stoicorum æmulatus*] Tac. vocat *placita Stoicorum* ea loquendi forma, qua Plin. lib. XIV. 'Medicorum placita;' et XXIX. 'Majorum placita.' Nam *placere* significat statuere, constituere. Cic. Epist. Fam. lib. IX. 'Placet Stoicis suo quamque rem nomine appellare.' Unde apud Justinianum dicitur, 'quod Principi placuit, legis habere vigorem,' id est, quod ratione et adhibitis in consilium viris doctis et prudentibus placuit Principi. Quod non debet intelligi, ut quod Principi absque consilio et ratione per fas et nefas placuit, legis vim habeat. Eadem loquendi formula, *Arresta*, id est, sententias supremarum Gallicarum curiarum, nos *placita* vocabimus Latine, quo nomine Joannes Lucius noster librum a se nuper editum inscripsit. Ἄρεστον vero legitur in Actis Apostolorum c. VI. et XII. *Lupanus.*

Disserens armatos monere] Hæ voces haberi possent pro spuriis, plane, non motos armatos, auctor ipsemet statim fatetur, intempestivam hujus sapientiam salsissime deridens. *Gruterus.*

Dirempta belli commercia] Quid clarius? Corrector tamen adventat, *diremta bellico commercia.* Lipsius.

Dirempta belli commercia] Lego, *dirempta bellico commercia*, hoc est, velut dato belli signo, dirempta commercia. Notum est quid *bellicum canere.* Rhenanus. Haud immerito vir doctiss. Rhenanum carpit: noster enim præ oculis habuit, quæ Magus, et quæ Æneas contra reddidit Æn. X. Magus 'Non hic victoria Teucrum Vertitur, haud anima una dabit discrimina tanta.' Æneas 'belli commercia Turnus Sustulit ista prior jam tum Pallante peremto.' Confer cum his: 'eximi supremo certamini unum diem postulabant, &c. rescriptum Sabini cæde et incendio Capitolii diremta belli commercia.' *Salinerius.*

Ad serum usque diem] Ita Flor. vulgo, *ad serum usque dici.* Pichena.

CAP. 83. *Abditi in tabernis*] Sensus est, quoties pars altera inclinasset, et propterea abderetur in tabernas, et in domos: postulabat populus eos erui domibus et tabernis, ac jugulari. Quamobrem militibus in sanguinem et cædem versis, potiebatur populus majore parte prædæ. Dictum est autem, *pars altera abditi* eadem forma, qua alibi, 'major pars ruebant in prælium.' *Ferrettus.* Optima, quod ea nonnunquam Tacitus scribat, quæ solœcismum sapere videntur: 'Et si vellet imperium, promtas ostentavere,' sermo de veteranis est, et maluit

promptas, respiciens ad legiones, quam *promptos* quod jam a libris exulabat. Nec Terentius abstinuit a simili imparilitate: Andr. 'Ubi illic scelus est, qui me perdidit?' Vide Dionys. ad Amm. Thucydides: *τῶν δὲ Συρακουσίων ὁ δῆμος ἐν πολλῇ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν.* i. *populus autem Syracusanorum multum inter se contendebant.* Ad hanc faciem quoque jam dicto *populus* annectit *abditi:* par erat enim, ut plebs formidolosa fugientibus ad se militibus tabernas peteret, aut iisdem adversarios in domos compellentibus sequeretur, et elausos erui jugulariique postularet, quo præda ipsa potiretur, quod sequentia satis probant, *parte majore prædæ potiebantur:* sed sic distinguenda sunt: *Aderat pugnantibus spectator populus, atque in ludicro certamine hos modo, rursus illos clamore et plausu fovebat: quoties pars altera inclinasset abditi in tabernis; aut si quam, &c.* Salinerius. Lipsius *abditos* reposuit. Nos Fl. et Veneti consensum adjicimus. Male vulgo *abditi.* Pichena.

Jugularique expostulantes] Scripsimus, *postulantes.* Rhenanus. Verbum, *expostulantes*, ex Flor. ac Ven. restitui. Vulgo, *postulantes.* Pichena.

Exultabant, fruebantur, nulla partium cura] Abest quidem a vulgatis verbum, *fruebantur.* Sed cum in Flor. atque in aliis veteribus quos viderim, constanter inveniatur, minime spernendum duxi. Refertur enim ad id, quod supra dicitur, ne minimo quidem temporis voluptates intermissas: ideo ait, exultabant, ac fruebantur, scil. voluptatibus, gaudebantque. Lipsius id verbum immutare mallet, *exultabant, furebantque.* Aptiori sensu, si esset a libris. *Pichena.* Intricatus et ineptus verborum sensus. Emendo distinguoque: *voluptates intermissæ: velut festis diebus, id quoque gaudium excederet, exsultabant, nulla partium cura, &c.* Verba, *id quoque gaudium excederet*, sic quasi *παρενδεκτικῶς* interjiciuntur: ut in illo sup. loco: 'Vitellianus miles transiturus in partes, id quoque non sine dedecore, sed,' &c. Innuit, si festis diebus ita exsultassent, nimium id gaudium fuisse, quo tum miserrimo reip. tempore efferebantur. Verbi *fruebantur*, quod alii libri inserunt, nullam habui rationem, nec censeo habendam. Nec quod Lipsius *furebantque* inde facit, placet. Quamquam possim non incommode traducere, *nulla partium cura, malis publicis læti fruebantur.* Sed omitti, melius. *Acidalius.*

Cap. 84. *Ut novissimam speciem retinebant*] Emendavimus, *spem.* Rhenanus.

Arasque cruore fœdare] Faërnus legebat *fœdatas:* vel, si magis placet, *fœdas.* Ursinus. Muretus *arasque cruore fœdas:* bona quidem sententia: sed vereor ut huic loco apta. *Acidal.*

Cap. 85. *Per aversam palatii partem*] Roman. *portam:* quod præfero; aut potius utraque voce spreta, *per aversa palatii.* Sæpe ita noster loquitur; itemque Velleius: 'Antonius per aversa castrorum, proruto vallo, receptus est.' *Lipsius.*

Arentinam in domum] Exemplar regium habet, *Arentini. Per aversam palatii partem Arentini, in domum, &c.* Rhenanus. Corviniano inest, *Arentini*, et recius. *Vertranius.* Lipsius ex Rom. codice præfert, *portam:* at vulgatam Tacitus ipse confirmat, qui supra eod. lib. dixit: 'monuit Martialem, ut per secretam ædium partem occulte abiret.' *Pichena.* Lipsius reseeta voce, *per aversa palatii*, eo impulsus, quod in Rom. cod. invenisset *portam.* Quæ tamen lectio minus placet; nam more suo Sallustium expressit Tacitus, apud quem in Catilina legas: 'in abditam partem ædium secessit.' *Ger. Vossius G. F.*

Sellula] Sueton. Vit. 16. 'gestatoria sella.' *Savilius.*

Pudenda latebra] Sueton. Vit. 16. 'In cellulam janitoris, religato pro

foribus cane, lectoque et culcitis objectis.' *Savillius.*

Ludibrio eximeret] In exemplari regio legitur, *ludibus.* Suspicor scribendum, *ludibriis.* Mox nos, *vox una.* Rhenanus.

Cap. 86. *Pater illi L. Vitellius (nam septimum et quinquagesimum*] Codex Bud. *Patrem illi Luceriam septimum et quinquagesimum ætatis annum explebat.* Conjicio legendum : *Pater illi L. Nucerian. septimum et quinquagesimum ætatis annum explebat.* Sive, *Pater illi L. Nucerin.* (aut *L. Nuceria*, pro a Nuceria) *jam septimum, &c.* De avo Vitellii Cæsaris, Sueton. in hæc verba scribit : ' P. Vitellius domo Nuceria.' Cæterum quia manuscriptum volumen habet, *Patrem illi Luceriam ;* simplicius sit legere, *Patrem illi Luceria* (subaudi dedit) *septimum, &c.* Rhenanus. De patre et ætate Vitellii cum Tacito Tranquillus sentit : in ætate diversus ab illis Dio, qui vixisse illum annis quinquaginta quatuor tantum, et non septem, refert : Sed quod inter auctores discrepat, sit in medio. *Vertranius.* Additur in Veneto, aliisque veteribus, *nam septimum.* Forte, *jam septimum.* Pichena. Cum compareat in Ms. regis Corvini, *Patrem illi Luceria ;* monstro simile est ingeniosæ industriæ Rhenanum tam variis ambagibus circumire ; neque accessisse ad fontem veri. Haud enim aliquis facile neget, restituendum, *Patria illi Nuceria. Septimum ;* nam quid opus iterare de patre, cujus centies ante facta mentio ? Sueton. clare c. 2. ' P. Vitellius domo Nuceria.' *Gruterus.*

Non constantia morum] Egregium dogma : etsi quis hæc notet ? millena sunt. Sed in *constantia* aliquis hæreat ; et an non melius, *convenientia,* aut tale ? Res ita habet, consensum et similitudinem morum ac virtutum, veram amicitiam parere : sed nec virtus sine *constantia* est : ergo nec mutemus. *Lips.*

Constantia morum continere putat] Forte, *contineri.* Acidalius.

Meruit magis quam habuit] Meruit quidem : sed eo modo, quo dixit Comicus, ab assentatoribus amicos per obsequia parari. Eos enim qui non virtute, sed commodis aut voluptatibus amicitias metiuntur, propric amicos non esse, eoque minime diuturnos definivit Aristot. Ethic. lib. viii. c. 3. et 4. Propterea Tacitus ait, Vitellium quidem, sua prodigalitate ac luxu, amicitias utcumque meruisse, non autem habuisse : quoniam fortunæ amici, cum fortuna simul evanescunt. *Pichena.*

Reip. haud dubie intererat] Vocabulum *Reip.* in regio libro omissum, doctus quispiam hic infulsit, cum eo non sit opus : nam Latine dicitur, *Haud dubie intererat Vitellium vinci,* hoc est, ad rem pertinebat, utile erat. Itaque genitivum *Reip.* dispunximus. Livius dec. iv. lib. 7. ' Quod plurimum intercrat ad animos civitatum.' *Rhenanus.* Vox *Reip.* quam Lipsius ex Vat. reposuit, est etiam in Florentino et Veneto. *Pichena.*

Præcipiti in occasum die] E Vatic. nam alii, *præcipitanti.* Lipsius.

Præcipiti in occasum die] Scripsimus, *præcipitanti in occasum die ;* nam *præcipitare* etiam absolute usurpant auctores. Livius lib. xxvii. ' Creditum vulgo est, in puteum aperto ex equo præcipitasse.' Sic enim scriptum reperi in vetusto cod. cum eum librum conferrem. Quanquam in vulgatis edit. legitur, *præcipitatum esse.* Rursus lib. xxxix. ' Et pars maxima inermes per invia et rupes deruptas præcipitantes fugerunt.' *Rhenanus.* Tanquam ruente in occasum. Notissimum enim est *præcipitem* de omni fere re dici posse. *Ferrettus.* Florent. et Venetus habent, *præcipiti in occasum die,* quod Rhenanus mutaverat in *præcipitante.* Pichena.

HISTORIARUM LIB. IV.

Cap. 1. *Si quem procerum habitu*] Male vulgo *procerum*, absque accentu. Sic infra, ' et est plerisque procera puericia.' *Pichena.*

Fortuna captæ urbis] Non displicet Vertranii divinatio, *forma captæ urbis.* Lipsius.

Fortuna captæ urbis] Malim, *forma.* Vertranius. Roma a Flavianis expugnatur, non ut omnia agerent et ferrent, sed ut urbs tantum servitio Vitellianorum eximeretur. Hist. III. ' urbem senatui ac populo R. templa Diis reddita.' Verum victoriæ temperare dum nequeunt, adeo per urbem grassati sunt, ut ea viderctur ab hostibus capta, non a civibus recepta, ejusmodique clades et fortunas pertulisse. *Fortuna captæ urbis*, non *forma captæ urbis*, ut Vertranius, doctiss. viro applaudente. Valer. lib. I. ' ex victore speciosissimo insidiis Hasdrubalis et Xanthippi Lacedæmonii ducis ad miserabilem captivi fortunam deductum.' *Salmerius.* Nulla ratione admittenda emendatio Vertranii, *forma*: nam *forma* et *species*, vel inimica esse possunt; *fortuna* non item. *Gruterus.*

Cap. 2. *Servitio parata occupari, redeuntem, &c.*] Nos, *servitio parata, occupare redeuntem, &c.* Rhenanus.

Ariciam equites] Liber unus, *Arriani equites.* Quid? an Arrii Vari turmas intelligit? Non opinor; et magis est, ut vera sit vulgata. *Lips.*

Intra Bovillas stetit] Bovillæ, teste Plinio in lib. III. locus est in Latio prope Romam. Ascon. Pedian. scribit in Bovillis Clodium a Milone occisum. *Lupanus.*

Circumjecti pressere] Faërnus legebat, *oppressere.* Ursinus.

Par vitiis fratri] Ita Faërnus legebat. Nam *fratris*, quod est in vulgatis, non ita placet ut *fratri.* Idem.

Nec perinde prosperis socius, quam adversis in Gemonias tractus] Sic Faërnus legebat: nam illud *abstractus* penitus inceptum. *Ursinus.* Caveant tirones, ne interpretentur, *abstractus*, id est, sejunctus, vel segregatus; sed quasi in exitium tractus: ut Ann. l. IV. ' claritudine infausti generis, et paternis adversis foret abstractus.' *Pichena.* Mire hic hallucinatur Ursinus, minus intellecta mente auctoris; quam tamen erat cognoscere ex locis aliis, geminæ propemodum similitudinis. Accidit Vitellio, quod ait Titus infra cap. 52. ' Suum cuique sanguinem indiscretum; sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad junctissimos pertineant.' Addatur lucis causa Ann. II. 37. item cap. 36. sub finem de moribus Germ. Vim vocis *abstractus*, egregie cepit, Taciti vindex singularis, Curtius Pichena. *Gruterus.* Non id concoquo. *Abstractus* sive disjunctus a fratre Vitellius adversis? Conjunctus imo, ut res loquitur. Vereor, ut vox *abstractus* sincera: quæ inelegantur etiam opponitur alteri, *socius.* Sententia quidem sic absque ea plena: *Nec proinde prosperis socius, quam adversis.* Ita enim est: magis adversa eadem experiebatur, quam prosperis erat fruitus. Sed quid reliquo igitur vocabulo fiet? nescio: nisi quia Muretum video, nescio unde, lectionem auctiorem notasse, *in Gemonias tractus.* Quam ego ad sensum aptissimam, nec credo præter historiam, vehementer amplectar. *In Gemonias abstractus*, item ut frater, adversis ejus magis erat socius, quam prosperis fuerat. *Acidalius.*

Cap. 3. *Capuæ*] Hist. II. 'Capua Vitellio fida.' *Savillius.*

Acceptos a Vitellio gestabat] Præpositionem *a* submovimus, subintellectam in ablativo *Vitellio*. Rhenanus.

Senatus cuncta Principibus solita Vespasiano decernit] Hujus SC. fragmentum exstat ad verbum inter antiquitatum Rom. rudera. *Savillius.*

Mox Illyricos] Castigavimus, *mox Illyrico*. Rhenanus.

Civilia de se, de rep. egregia] Ita correxi. Vulgo, *et rep. egregia*. Pichena. Muretus, *civilia de se, de rep. egregia*. Acidalius.

Cap. 4. *Ipsa quoque insectatio in Vitellium*] Flor. secutus reposui, *in Vitellium*. Vulgo, *in Vitellianos*. Verisimile enim est, Mucianum imperii fere socium, in ipsum tantummodo Vitellium invectum fuisse; at illius duces quasi indignos sua insectatione judicasse. *Pichena.*

Triumphalia de bello civili data] Flor. *de bello civilium:* quod corruptum videtur. *Idem.*

In Sarmatas expeditio] Quæ fuerit, non dixit; neque debuit: nam appareret exiguum aliquid fuisse. Atque hoc factum opinari licet ipso civili isto bello, cum Mucianus lento itinere in Thraciam et Mœsiam venit. *Lipsius.*

In Sarmatas expeditio fingebatur] Quæ sit expeditio ista adhuc quæro. Si transactam intelligit, nullum antehac in Sarmatas bellum gessit Mucianus, qui Syriæ tantum præfuit: nec supra de alio Sarmatico bello fit mentio, nisi quod sub Othone confecit M. Aponius Mœsiæ rector, ob hoc triumphali statua donatus, ut Hist. l. I. Si de futuro atque imminente intelligendum, quomodo ante susceptam expeditionem triumphalia tribuuntur? Potius suspicor, vere de civili bello Muciano data, neque id Senatores simulare voluisse: finxisse autem, non propter anteacta illius merita tantum dari, sed quia resp. tanti viri opera indigeret adversus Sarmatas hostes, quorum motus fingebantur, ideo necesse fuisse, tali honore licet insolito, illum decorare: nihil tamen firmo. Suspectus enim mihi locus. *Pichena.* Hæc non mediocriter sollicitavere Pichenam, virum doctrinæ minime vulgaris, quasi nunquam expeditio Muciano in Sarmatas fuerit: quoque non facile credat triumphalia insignia permitti in spem futuræ victoriæ. Quid si respectum sit ad repulsionem, &c.* *Salinerius.* Mirum hoc de Sarmatis. An quia invidiosum erat et contra fas, triumphalia de civili bello cuiquam a senatu decerni? Ideo autem in ea sententiam senatus addiderat, in spem futuræ victoriæ Sarmaticæ istos honores Muciano cumulatos? An quia Mucianus Dacos, Romanam ripam jam insidentes, et castra legionum rescindere ausos repulerat? Illud quidem nemini mirum videri debet Dacos, Getas, Sarmatas eodem nomine aliquando appellari: hinc certe honorum istorum origo Muciano. Egregium ejus facinus non tacet Tacit. lib. III. 'Mota et Dacorum gens,' &c. Hist. lib. IV. 'Vulgato rumore a Sarmatis Dacisque Mœsica ac Pannonica hiberna circumsideri.' *Colerus.*

Mox Deos respicere restituique Capitolium] Reposui, *Mox Deos respexere: restitui Capitolium*. Rhenanus.

Consul designatus] Super re ad Senatum a Consule relata primus erat cujus audiebatur sententia. *Savillius.*

Promsit sententiam] Aut mihi mens, aut huic loco aliquid defit. Quid enim hic, in quo Helvidius offenderit? Sed nec ista ipsa sententiola integra: scripseritque Tacitus, &c.* *Lips.*

Ut honorificam in bonum principem] Τὸ *ut* (ut emendationes declinemus) veritatis nota est. In Agric. 'Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem aggressus:' de qua Ann. lib. XIV. 'igitur Monam insulam incolis validam et receptaculum perfu-

garum.' Et idem est, ac si scripsisset *honorificam in bonum principem*. Sententia vero, Helvidii fuere laudes adulationis expertes, quæ bonum principem Senatus decerent, et quæ a Prisco effundi par erat, qui 'e moribus soceri nihil æque ac libertatem hausit.' At a Vespasiano ægre acceptæ sunt, qui licet 'civilia de se et rep.' tamen 'ut princeps loquebatur.' Sensit aliter Suetonius Vesp. 15. de Prisco, sed Cornelius ejusmodi virorum præcipuus est fautor. Verum Pichena causas offensionis ejus eas fuisse putat, quæ post a Cornelio recensentur : nempe ejus sententiam super legatione, super prætorum postulatione, superque Capitolii restitutione. Dissentio : qui enim verum esset? 'falsa aberant et studiis senatus attollebantur.' De legatione enim scribitur, 'vicit pars quæ sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum annitentibus retinere morem.' De postulatione 'Vulcatius Tertullinus tribunus plebis intercessit, ne quid super tanta re principe absente statueretur.' Itaque incertum, placitura senatui fuisset nec ne Crispi sententia. De restitutione, 'eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit.' *Sulinerius*. Nebulæ satis densæ huic loco. Dispellam, transposita minima vocula: *promsit sententiam honorificam, ut in bonum principem*. Quasi innuat, non more suo fecisse Helvidium, qui alias sententiam in senatu satis libere severeque dicere solitus esset, quondam soceri sui exemplo. Vespasiano sane non nimis amicum vixisse Priscum illum doceat Xiphilin. et vide Sueton. et Plinium quadam epistola de hoc Helvidio. *Colerus*. Placet mihi, quod Rodolpho placuisse notat Lipsius : sed vocem *attollebuntur* et cum ea sensum leviter muto, ut fiat : *promsit sententiam, ut honorificam in bonum principem ita falsa aberant*. Et *studiis senatus attollebatur*. Id initium offensæ Prisco fuit, quod sententiam dixisset severam et adulationis expertem: deinde quod ob id ipsum magnis senatus laudibus ac favore celebraretur. *Grotius*. Tantum locum ita formem, *ut honorificam in bonum principem, ita falsa aberant : et studiis, &c.* quomodo video et olim placuisse Rodolpho Agricolæ : quanquam dissentiat vir doctiss. qui non putat expleri hoc modo sententiam. Ego autem nihil deesse arbitror : hoc enim vult, honorificam fuisse orationem Marcelli, ut in bonum principem, cum esset laudis materia : nec tamen adulatoriam, sed abfuisse falsa. Nec est, ut quem moveat ista loquendi ratio : *ut honorificam in bonum principem, ita falsa aberant*. Nam et alia hujusmodi supra ad II. 7. notavimus. *Freinsh.*

Studiis senatus attollebatur] Sic rectius visum ex Flor. quam ut vulgo, *attollebantur*, ut ad Helvidium ipsum referatur. *Pichena.*

Isque præcipuus illi dies magnæ offensæ] Superiora verba integra esse non asseveraverim. Quod autem Lipsius quærit, quid sit, in quo Helvidius offenderit; mihi videtur in iis, quæ inferius perscribuntur. Primo, cum eligi, non sortiri, &c. * *Pichena.*

Cap. 5. *Italicæ septima, Tarracinæ municipio*] Locus nec bonus nec firmus, de firmissimo viro. Nam libris abest vox, *septima:* quam nos tamen inseruimus, sententiæ utcumque fulciendæ, admonitionibus Vertranii et Ferretti. Scimus enim Italiam, &c. * *Lipsius.*

Regione Italiæ, Tarracinæ municipio] Veteres libri legunt *Regione Italiæ*, nullo prorsus numero, qui discriminet, addito, et *Tarracinæ municipio* dubia scriptura, nonnunquam *Tarentinum municipum*, interdum *Tarentinæ municip.* quandoque et *Tarentino*. Sane mirum videatur adeo illos operose versari in designanda *Tarracina*, celebri, quodque fama ignorari non pa-

tiebatur, oppido, et in ista Romæ vicinia. Sed quicquid tandem fuerit, majori admiratione dignum, a quibusdam *Tarracinam* hic legentibus inseri explendo sensui *septima*, ab aliis *secunda*, cum tamen luce clarius sit *prima* contineri *Italiæ regione*. Nam Italiæ ex Augusti divisione undecim fuerunt regiones. Plin. III. 15. &c. * *Savil.* Deest *secunda*: in XI. enim regiones divisit Augustus Italiam. *Ferrettus.* Cornelius regionis Italiæ, non adjecto numero, mentionem habuit. Quare vitium exscriptorum accuso, qui notam septenarii numeri prætermiscrunt. Est enim apud Plinium III. 5. 'Supra flumen Onfens oppidum Tarracina, lingua Volscorum Anxur, intra regionem Italiæ septimam ex descriptione Augusti.' Itaque sic repono, *regione Italiæ septima Tarracinæ, &c.* Dicitur autem Tarracina municipium pro oppido, non ex veteri nominis significatione. Sic infra eodem, 'pacis opera haud procul castris in modum municipii exstructa:' et ita forte supra Hist. II. Antipolis *municipium* dicitur. *Vertran.* *Septima* non est a libris, neque Tarracina in septima regione Italiæ; et insuetum Tacito regionem adjicere, nec necessarium noto municipio Terracinæ. Quin et libri variant, et aliud quærendum. *Mercerus.* Venia mihi a Vertranio opus. Nam cum ille simplici tantum conjectura ductus suppleverit, ego vocem, præter fidem omnium librorum additam, sustuli, contentus stellula potius locum notasse, quam arbitrario jure auctum perferre. De oppido quidem *Tarracinæ* Florentinus consentit. Sed verba, *regione Italiæ*, corrupta esse, nemo est, qui ambigat, vel Lipsii argumentis. Neque ego sum tanti, qui ea corrigam, quid tamen mihi in mentem venerit, licet ineptias, proferam, præsertim cum communium literarum vestigiis non longe mea divinatio aberret: *Helvidius Priscus igitur, natus Tarracinæ municipio.* Certe aliquid simile sententia poscit, ac fortasse alii meliorem lectionem excogitabunt. *Pichena.* *Regio πολύσημον* est et inter cætera idem cum Provincia. Curt. I. v. 'hinc in regionem Mediæ transiit, ubi supplementum novorum militum e Cilicia occurrit.' Quid ergo addemus, *septima?* Quid (velut Picheua) reformamus, *Helvidius Priscus igitur natus Tarracinæ municipio?* Saliner. Recte judicaverat Vertranius, deesse numerum regionis: illud autem minus recte, legendum, *regione Italiæ septima:* nam nec vocem tam longam, cujus nulla in libris vestigia reperiuntur, temere inscri receptum est: et Plin. III. 5. Tarracinam non in septima quidem Italiæ regione, sed in prima videtur constituere; quapropter ita potius scriptum fuisse suspicer: *regione I. Italiæ:* hoc est, regione prima Italiæ. Sequentia quoque melius ita constitui credam, *Tarracinas municipio:* sicut dicitur 'Patria Lesbius:' 'natione Syrus:' et similia. *Freinshem.*

Ingenium illustre] * defensionibus expertum.' Annal. XVI. 'neque famosi carminis, quia protulerit ingenium:' i. specimen doctrinæ atque eloquentiæ ediderit. Appuleius in Apolog. de accusationibus nobilium reorum: 'qui mos incipientibus adolescentulis ad illustrandum ingenii florem apud antiquos concessus.' Nimirum, postquam eloquentia docteque dicendi ac scribendi arte inclaruisset, ad Philosophiam eum se vult contulisse. *Gronov.*

Non ut plerique] Disce, juventus, et vide verum finem quem Sapientiæ studiis proponas. *Lipsius.*

Civis, senator] Magnæ laudes: et quæ jure nos rapiant in admirationem viri. Cui Tacitum ipsum perfamiliarem fuisse, mihi liquet. Non minora de eo elogia sparsim reperias in Dissertationibus Epicteti apud Arrianum: et Plinius etiam in Epistolis

celebrat, plus uno loco. At tam illustre sidus (heu, quid speremus?) in tenebris pæne jacebat, absque una hac Taciti face. *Idem.*

Cap. 6. *Quando etiam sapientibus*] Verissime: nec mutandum. *Idem.*

Agmen reorum sternebatur] *Reum* appellasse Latinos scriptores illum, de quo quæreretur, qui causam diceret, qui lege aliqua teneretur, qui aliqua culpa argueretur, passim observamus. Unde *reum facere* pro accusare dixit Cicero in Verr. in Orat. pro Plancio, pro Sextio, de Arusp. resp. et ad Att. quod pariter Jurisperitis receptum, l. III. D. de accusat. ita etiam et *agi reus* eodem sensu dictum quo accusari. Valer. Max. VI. 8. ' incesti reus agebatur :' et VIII. 1. Plinius junior, ' Dum ille peragitur reus, sedimus.' His sic se habentibus, obscurum et improprium videtur, quod Tacitus delatores *reos* appellaverit, quum potius *actores* essent dicendi. Delatorem autem fuisse Marcellum Eprium, præsertim sub Nerone, constat ex Tacito supra et infra: cujus potentia si ceeidisset, sternebatur actio delatorum aliorum minus potentium. Hunc scrupum sic tolli posse censemus. *Rem* pro *lite* antiqui dixere, unde illud Cic. contra JCtos in Orat. Murænana: *Tot homines, tam ingenuosos statuere non potuisse, utrum rem an litem dicere oporteat.* Et Varro lib. VI. de L. L. *Quam rem seu litem dicere oportet.* Hinc *rem amittere* est litem amittere, l. VII. de restit. in integ. l. XXII. § penult. D. rem ratam haberc. A *re* autem, id est, lite, *reus* dictus antiquis, et *reus* non modo accusatus et conventus, sed et accusator et actor appellati. Cic. 2. de Orat. *Reos appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur;* sic enim olim loquebantur. Apud Festum: *Reus est, qui cum alio litem contestatam habet, sive is agit, sive cum eo actum est.* Ex quibus manifestum est, *reos* olim fuisse, qui nunc litigatores seu litigantes, et per consequens, nomine *rei* non solum *accusatum* sed et *delatorem* intelligi posse, sicque jure optimo Tacitum, Marcellum Eprium, licet delatorem, *Rei* nomine vocare potuisse, sicuti et uterque ex contrahentibus *reus* appellatur a JCtis, l. v. § conventionales, D. de verb. oblig. Addamus tamen, Eprium et alios, &c. * *Marcellus Donatus.*

Testatum] Nostri libri. Visum Rhenano, *certatum.* Lipsius.

Et egregiis utriusque orationibus testatum] Scripsimus, *et egregiis orationibus utriusque certatum.* Rhenanus. Muretus corrigit, *utrimque;* idque Tacitus ipse firmare videtur, qui paulo infra: ' hæc magnis utrimque contentionibus jactata.' *Pichena.*

Quis multos anteiret] Ablativus *quis* non est in libro manuscripto. *Rhenan.*

Ni memoria flagitiorum urgeretur] Non male etiam vulgati, *urgeret:* tamen Flor. ac Ven. lectio mihi potior. *Pichena.*

Ut uniuscujusque vitam famam penetrarent] Nos, *famamque.* Rhenanus. Flor. *ut in cujusque vita famamque.* Vulgo, *ut uniuscujusque, &c.* Pichena.

Senecione] Male: fateor fuisse Herennium Senecionem insignem virum, sed quem Domitianus occiderit, non Nero. Sequor igitur libros scriptos, qui hic, *Sentio:* etsi virum ignoro. *Lipsius.*

Cum Thrasea, Sorano, Sentio] Congruit etiam Flor. cum aliis, qui habent, *Sentio:* idque Lipsio magis probatur, quam, *Senecione,* ut in vulgatis. *Pichena.*

Etiamsi puniri oporteat] Addimus negativam particulam, *non,* qua hic opus est, *etiamsi puniri non oporteat.* Vide Helvidii modestiam. *Rhenan.*

Quam bonos amicos. Esse satis Marcello] Aliter distinguunt Florent. ac Venet. *Quam bonos amicos esse. Satis Marcello.* Pichena.

Cap. 8. *Sed consulem designatum censuisse dicebat. Sed secundum*] Alterum *sed* expunximus ut legas, *Sed consulem designatum censuisse dicebat secundum, &c.* Rhenan. Rom. edit. *sed secundum vetera, &c.* Veneta, *sed vetera*, quod ferri posset, ut tueretur se Marcellus, et auctoritate Consulis designati, et exemplis veterum. Res quidem eodem redit altera lectione manente, verum vis aliqua subest repetito illi *sed*. Gruter.

Id magis vitandum] *Vitandum* non est in cod. Bud. Posset etiam addi vel subaudiri. *Id magis* scil. curandum. *Rhenan.*

Ne pervicacia cujusquam] Nos, *pervicacia quorundam*. Rhenan.

Se meminisse] Malim legere, pronomine *se* expuncto, *meminisset temporum, quibus natus sit: q. c. f. p. a. i. ulteriora mirari:* subaudi, *meminisset*. Rhenan.

Per hujusmodi imagines illusisse] Bene ita libri. * Vulgo est, *illuxisse*. Lipsius.

Cap. 9. *A prætoribus tractabatur ærarium*] * Marco Philosopho. Senatus euim consultum, Hadriani temporibus factum, delatoris a præfecto ærario adesse jussi meminit l. xv. D. de jure fisci. Sub Pio Aburnius Valens JCtus refert Arrianum Severum præfectum ærarii pronunciasse, l. xlii. D. de jure fisci. Marcus item Philosophus causam ad præfectos ærarii misit, teste Papiniano xii. D. de his quæ ut indignis auferentur. Sub quibus Gellius, &c. * *Vertran.*

Fuere, qui et meminissent] Censere Capitolium publice restituendum, Vespasianumque adjuvare, quid aliud est, quæso, quam principem in ordinem redigere? quæ Helvidii sententia delatoribus non excidit, sed eam arrepta occasione Vespasiano retulerunt, unde postea nonnullis additis cædes Prisci. Quid autem Pichena sibi velit, ego nondum assequor, nisi subfrigidum aliquid tali viro affingere sustineamus. *Saliner.* Frigidiuscula hic aliorum explicatio: vult Tacitus fuisse e Senatoribus aliquot delationibus ac calumniis exercitos, qui liberiorem istam sententiam, et conjunctam satis cum Vespasiani contumelia, reconderent in præsens ac suo tempore in deterius auribus ejusdem instillarent, eo ipso creaturi Helvidio periculum: nam Senator iste, nimium Philosophus, pessime periit sub Vespasiano, ut cognoscere est ex Arriano, Cassio, Suetonio, aliis. *Gruter.*

Cap. 10. *Falso testimonio circumventum*] *Circumveniri judicio* usus est Martianus in cap. 1. Pandectarum tractatus ad leg. Corn. de sicariis, pro eo, quod nostrates dicunt condemnari per factiones et invidiam. Sic 'circumveniri falso testimonio' dixit Tac. pro eo, quod vulgo dicitur, condemnari per falsos testes. Cic. in Verr. 'Quid te a Centuripina civitate cæterisque civitatibus Siciliæ circumveniri atque opprimi dicis? tua te Messana circumvenit.' *Lupan.*

Proditor corruptorque amicitia] Non damno: revera enim philosophus magister amicitiæ, uti et aliarum virtutum est. Nec tamen vetus conjectura mea mihi eviluit, *corruptorque amici, et cujus se magistrum ferebat.* Vix enim est ut Tacitus omiserit, quod valde ad rem et ad culpam facit, fuisse hunc Celerem Bareæ præceptorem. Juvenalis docet: 'Stoicus occidit Barcam, delator amicum, Discipulumque senex.' Interpres Juvenalis hanc quoque rem affirmat, in versum, 'magni delator amici.' 'Alii dicunt Philosophum Egnatium Celerem, Bareæ Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit, et damnavit: et ipse postea sub Vespasiano, hoc ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est.' *Lipsius.*

Cujus se magistrum ferebat] Emen-

davimus, *Ejus se magistrum ferebat.* Rhenan. Lipsii conjectura adeo mihi certa, ut eam recipere ne minimum quidem dubitaverim. Nam cum ex historia clarum sit, Celerem fuisse Bareæ magistrum, res ipsa per se locum corrigit, nec est, quod Tacitum philosophari credamus, magistrum amicitiæ philosophum appellando. *Pichena.* Γενικῶς ut philosophus. Integra sunt, nec de via decederc debent conjecturis doctissimi viri. Non damno tamen : *corruptor amici, et cujus se magistrum ferebat :* nam revera Celer magister erat et amicus Sorani. Juvenal. Sat. III. Sed nec alibi Tacitus eum fuisse magistrum Sorani dicit : Ann. XVI. 32. ' tantum iræ P. Egnatius concivit, cliens hic Sorani, et tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat.' Cujus integrum nomen P. Egnatius Celer. Possunt hæc etiam missis castigationibus adaptari ad sensum doctissimi viri. *Amicitia* pro amico ; τὸ πρωτότυπον ἀντὶ τοῦ παραγωγοῦ : i. *primitivum pro derivativo :* ut Ann. III. ' contumaciam ejus insectari ; vetus Augustæ odium, recentem Liviæ conscientiam exagitare, ut superbiam, fecunditate subnixam, popularibus studiis inhiare dominationi apud Cæsarem argueret.' Et ut, ' sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem.' Non diversa sunt quæ sequuntur. *Alcæus,* ἄγαγε καὶ Ξέρξης Πέρσαν στρατηγόν : i. *Duxit et Xerxes Persam exercitum.* Virgil. Æn. VIII. ' Divum tu maxime rector, Jupiter, Arcadii quæso miserescite regis.' Propert. ' Vos eritis testes, si quos habet arbor amores, Fagus et Arcadio pinus amata Deo.' *Saliner.* Nihil hic moror emendationem et explicationem doctiss. Lipsii. Magistrum se ferebat amicitiæ Celer, quia Philosophus et quidem Stoicus. Sic locutus Lactantius l. v. ' Quorum alter antistitem se Philosophiæ profitebatur, verum ita vitiosus, ut continentiæ magister, non minus avaritia, quam libidinibus arderet.' *Colerus.*

Motis ad ultionem animis] Corruptissimus antea locus, quem restituimus ab ingenio : cum libris esset, *motis adulationibus animis:* aut, ut Vatic. *notis adulationi.* Lipsius.

Motis ad ultionem delationibus expectabantur] Ita Faërnus jampridem emendavit, pro, *motis adulationibus animis expectabantur.* Ursin. Musonius Patres in Celerem accendebat, laudans eos (ut reor) quod semper a delationibus abstinuissent et semper accusatores aversati essent. Idque ei processit, nam licet eo cadente Priscus et Marcellus expectarentur, indeque agmen reorum ; nam ' si caderet Marcellus agmen reorum sternebatur, eaque de caussa patres in studia diduxerat ;' et nunc aliquantum retardarentur, ' ea cogitatione renovari odia accusationum videbantur ;' tamen ' motis adulationibus animis,' et quia ' vilis et nocens reus protegi non poterat,' Celer postero die damnatus est : ' damnatusque Publius, et Sorani manibus satisfactum.' Eandem viam affectavit Helvidius cum iterum in Marcellum inveheretur, qui certe senatum in suam sententiam traxisset, ni Mucianus pro delatoribus censuisset : ' igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives, et eloquentia clarus, nulli unquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat.' Doctissimus tamen vir maluit, *motis ad ultionem animis.* Saliner.

CAP. 11. *Inter patres*] Ita Mercerus, et recte : non *partes.* Senatum nempe intellegit discordem, ut ante ostendit. *Lipsius.*

Discordia inter partes] Scribo, *patres.* Nam de Senatorum dissensionibus sentit. *Mercerus.* Vulgo, *inter partes :* nam ubi partes, ibi conse-

quenter discordia. Quid ergo opus dicere, discordiam fuisse inter partes? Sed nullæ fere partes jam erant, cum omnia in victorem Vespasianum cessissent: itaque correxi, *inter patres:* hoc est, Senatores, quod ex antecedentibus satis liquet: id Mercerus etiam animadvertit. *Pichena.*

Non leges, non princeps in civitate essent] Ita Flor. Vulgo, *non principes:* falsum. Unus enim Princeps, Imperator: filii vero, Cæsares appellati. Immo Domitianus ipse in urbe erat. *Idem.*

Variique Arrii potentia] Tantum habet liber regius, *Ariique potentia.* Rhenan. Fuit cum scriptum esset *Variquc Arrii potentia*, ut adjectione nominis *Arrius* hic ab Alfeno Varo discerneretur, de quo secuturus est sermo. Corvinianus liber habet, *Ariique potentia:* et melius. *Vertranius.* Exciderat in vulgatis cognomen, *Arrii*, quod ex Flor. ac Ven. restitui. *Pichena.*

Unus ambiri, coli] De hac flagranti ambitione Muciani, locus incerti scriptoris apud Suidam, in voce Ἀγήλειεν, ait: Ὅτι Μουκιανὸς ὁ Ῥωμαῖος τιμᾶσθαι ὑφ' ἁπάντων ὑπὲρ πάντας ἤθελε, καὶ ἤχθετο εἰ καὶ ὁστισοῦν οὐχ ὅτι ὑβρίσειεν αὐτὸν, ἀλλ' ὅτι μὴ οὐ μεγάλως ἀγήλειεν: *Muciauus Romanus honore ab omnibus affici, et super omnes volebat: et ægrescebat, si quisquam non dicam contumelia eum affecisset, sed nisi summo cultu prosecutus esset.* Lipsius.

Vim Principis complecti] Flor. *amplecti.* Pichena.

Asiaticus enim is libertus] Libertus hic fuit gratissimus Vitellio, Tranquillo et Cornelio auctoribus. *Ferrett.* Neque Taciti neque ejus ævi mos est *enim* præponere: deinde sensus in his verbis nullus. Lego: *Asiaticus neminis libertus*, acute admodum. Fuerat libertus Vitellii: eo mortuo manebat libertinæ conditionis sed sine patrono: itaque pro ingenuo agebat. *Grotius.* Locus integer, si sic distinguas; *Asiaticus enim (is libertus) malam, &c.* Sic enim τῷ *enim* uti solent elegantiss. auctores: ubi, nempe, plurium mentio est, et de postremo singulare quid exponitur. Neque tum ea particula ejus quod præcessit, causam indicat, sed quod sequitur diversitatem. Posset tamen defendi lectio, &c. * *Boxhorn.*

Malam potentiam servili supplicio expiavit] Hist. lib. II. 'Sumptum de eo supplicium servilem in modum.' Hist. l. IV. 'solatio fuit servus Virginii Capitonis, &c. patibulo affixus.' *Servile supplicium* crux vel patibulum. Vulcatius in Avidio Cassio cap. 4. Capitolinus in Macrino c. 12. Hirtius de bell. Hisp. c. 2. In eundem sensum Livius l. XXX. 'De captivis, ut quisque liber aut servus, suæ fortunæ a quoque sumptum supplicium est,' id est, servi cruce, securi liberi multati. Idem l. XXXIII. c. 36. l. XXIX. c. 18. et l. XXIV. 14. et XXII. 32. Et quis non? Non negandum tamen, præter servos et aliquando liberos summosque viros cruce peremptos; uti Polycrates Samiorum tyrannus teste Cic. lib. de Finibus, Herod. in Thalia, et Eusebio de præpar. Evang. lib. VIII. 14. et Hamilcar Pœnorum dux tradente Justino: et Annibal eorundem dux, si epit. Livianæ credimus l. XVII. et Gavius civis Rom. de quo Cic. in Verr. act. v. Mago Suffetes Magistratum Insulæ Cimbis cruci affigi jussit ex Livio l. XXVIII. præter alios plurimos, quos enumerare nimis longum esset. Erat namque crucis mors cæteris acerbior, scribente D. Augustino in Joan. tract. 36. 'Supplicium crucis ideo durius, quod diutius cruciabat, et omnes crucifixi longa morte necabantur.' Erat et ignominiosissimum, tradente eodem Augustino in Matth. Serm. 18. Verum post Salvatoris nostri Christi Jesu mortem, adeo venerandum, tantæque majestatis fuit crucis nomen, ut Constantinus Mag-

nus lege lata sanxerit, ne quis amplius crucis supplicio, quod tum frequentissimum erat, puniretur, tradente Cassiodoro hist. l. I. Trip. c. 10. et Sozomeno hist. l. I. Eccles. c. VIII. et Nicephora l. VII. 46. Nec illud prætermittendum, crucem ab antiquis etiam *Gabalum* vocatum. Varro: ' Nos barbari, quod innocentes in gabalum suffigimus homines.' *Marcellus Donat.*

CAP. 12. *Capta legionum hiberna*] Nos, *capta legionum castra hiberna.* Rhenan. Inseruit Rhenanus vocem *castra:* quæ cum neque in Flor. neque in aliis meliorib. libris inveniatur, jure a nobis exturbata est. *Pichena.*

Insulam inter vada] Valde turbant libri. Quidam, *insulam vocatam sitam:* alii, *insulam Vacasitam:* Budensis, *insulam juvata sitam.* Et certe inter vada, &c. * *Lipsius.*

Simulque insulam inter vada sitam] Exemplar Matthiæ Corvini habet, *Simulque insulam juvata sitam.* Quid si legas, *sub vada sitam?* Sic lib. scq. dixit, *Judæi sub ipsos muros struxere aciem.* Rhenanus. Libri veteres *insulam Voca sitam occupavere:* unde fecerim *insulam vacantem occupavere,* id est, ἀδέσποτον, ut bona vacantia dicimus. *Grotius.*

Societate validiorum attriti] Vaticanus liber, *societateve aliorum adstricti:* quod minus placet. *Lipsius.*

Nec opibus Romanis, societate validiorum attriti] Lego, *nec opibus a Romanis:* ut sit sensus, nec opibus a Romanis attriti Batavi, qui socii validiores essent. De his Hist. lib. v. *Vertranius.* Mendosa hæc, neque Flor. juvat aut variat. Testatur Lipsius in Vat. legi: *societateve aliorum astricti:* unde legendum putavi: *nec opibus, Romanorum societate vel aliorum attriti:* nam fortasse scriptum erat *Rom.* quod interpretatum fuit *Romanis.* Sed nunc secundum Vaticanam lectionem potius interpretor, eos neque ab opibus potentiaque Romanorum, neque ab aliis sociis astrictos, id est, severe habitos, sed tanquam liberos, arma tantum et milites ministrasse. Eadem fere de iisdem Batavis in lib. de moribus Germ. *Pichena.* Vox *Romanis* in Vat. deest. Atque ita bene habet. Nam ut Romana societas intelligeretur, satis erat dixisse, *societatem validiorum.* Tac. lib. v. ubi iidem Batavi canssantur: ' sibi non tributa, sed virtutem et viros indici:' ut rectissime in Florentino scriptum. *Colerus.*

Mox aucta per Britanniam gloria] Hactenus defuit hic participium *aucta,* quod nos addidimus. *Rhenanus.* * a Vespasiano. Eximia Batavorum in Britannia facinora multis narrat Dio lib. LX. sed Celtas ibi vocat more Græcorum. Ipse adeo Tacitus noster paulo infer. Batavorum cohortes, &c. * *Colerus.*

Rhenum perrumpere] Deesse videtur verbum, *suetus, solitus, exercitus,* aut quid simile: forte legendum *perrumpens,* aut interpretandum, *perrumpere,* quasi ad perrumpendum. *Pichena.* Excidit absque dubio vox: *perrumpere suetus.* Perperam autem scriptum in Vat. *arma quoque retinens.* Etenim si non equi virique simul natassent, cur diceret *integris turmis Rhenum perrumpere?* Idem plane in Agric. iterat: ' Lectissimos auxiliorum, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos repente immisit.' Dio de Batavis: πέμπει Κελτοὺς, οἷς ἔθος ἦν καὶ διὰ τῶν ῥοωδεστάτων ῥᾳδίως αὐτοῖς ὅπλοις διανήχεσθαι. Xiphilin. in Adriano: τὸ ἱππικὸν τῶν καλουμένων Βαταύων τὸν Ἴστρον μετὰ τῶν ὅπλων διενήξατο. Ideo addit hoc miratos barbaros immensum cœpisse timere. *Colerus.* Nihil temere mutarem in voce extrema; nam et iterum occurret c. 65. ' Lætum militibus idem nomen: atque ipsum, quanquam Senatorii ordinis, ad utraque munia

sufficere.' *Gruterus.*

CAP. 13. *Discrimen adit*] Nos, *adiit.* Rhenanus Hist. lib. I. *Savil.*

Ultra quam barbaris solitum ingenio solers] Vix possum mihi persuadere ita relictum ab auctore nostro: ego sane potius dixissem, *ultra barbarum ingenio solers.* Gruterus.

Simili oris dehonestamento] * bene usus sit.' Dicitur autem *Captus oculis*, ut *Captus mente*, et qui mente caret ac oculis, et qui mente oculisque non bene utitur. Uno tamen caruisse oculo Annibal fere creditur ab omnibus, et duces præterea bellicosissimi Antigonus, Philippus, Sertorius. *Ferrettus. Os* pro tota facie sumitur hic, et apud Virgil. Æn. I. ' Os humerosque Deo similis.' Hannibal porro alterum oculum amisit in transitu Apennini, dum in Italiam contenderet. *Lupanus.*

Antonii Primi] * in hiemis principium. Tacitus enim, me judice, nec temporis nec loci notandi satis observans est. *Savillius.*

Quibus avertere accita a Vitellio auxilia] *Avertere* mutavimus in *averteret*, et præpositionem sustulimus, *Quibus averteret accita Vitellio auxilia.* Rhenanus.

Redintegrandum bellum] Castigavimus, *redintegratum bellum.* Idem.

CAP. 14. *Dissidii certus*] Libri veteres, *desciscendi certus.* Utrum mavis rectum. *Lipsius.*

Civilis desciscendi certus] Codex Budensis, *Civilis discidii certus.* Id expone, *certus*, subaudi *Claudius Civilis, civilis dissidii*, id est, Belli civilis, quod Romæ erat: et sic nos scripsimus. *Rhenanus.* Melius in Flor. ac Ven. *desciscendi certus;* quam in vulgatis, *dissidii certus.* Pichena.

Rursus impubes] Ita ex Flor. Vulgo, *impuberes.* Idem.

Servitia mala enumerat] Emendavimus, *servitii mala enumerat.* Rhenanus.

Tradi se præfectis, centurionibusque] Est in cod. Bud. *tradi se præfectis, centurionibus:* sine *que.* Idem.

Inania legionum nomina] Sic Annal. lib. VI. ' neque penes Arsacidem imperium, sed inane nomen apud imbellem externa mollitia.' Senec. de clem. 9. ' tantum agmen nobilium, non inania nomina præferentium.' *Pichena.*

Esse sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos] Liber regius, *et sibi robur peditum equitumque, consanguineos, Gallias idem cupientes. Esse* subauditur, et in accusativo, *consanguineos*, subauditur *Germanos.* Rhenanus.

CAP. 15. *Missi ad Caninefates*] Diximus supra, *Cannanefates* ex antiqua inscriptione legendum esse ubique apud Tacitum. *Ursinus.*

Batavorum cohortes] De quibus actum Hist. I. et II. *Savillius.* Ipsas Batavorum cohortes *Britannica auxilia* vocat, quod diu in Britannia fuerint cum XIIII. legione; ut supra pluribus locis apparet. Remissas autem in Germaniam dixit Hist. lib. II. ' cohortes Batavorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissæ, principium interno simul externoque bello parantibus fatis.' *Pichena.*

Ut supra] Hist. II. *Savillius.*

Stolidæ audaciæ Brenno] In libro regio, *Brinio*, qui paullo post appellatur *Brimio.* Forte, *Brinno*, quem hodie *Brunonem* dicimus. *Rhenanus.* Curt. lib. VI. ' stolida audacia ferox.' Hic autem *Brinio*, a Flor. appellatur *Brinno;* a Veneto, *Brenno.* Pichena.

Nomine placuit] Sive etiam, *omine.* At *Brinionem* ipsum *Brunonem* scribi verius fortasse sit. *Lips.*

Impositusque scuto, more gentis] * tollitur in altum.' In Excerptis Georgii Pachymerii lib. II. ' Imperatorio clypeo insidet is, qui Imperio destinatur.' Adde, si lubet, Zosimum lib. III. in electione Juliani. *Lips.*

Ipso rebellis familiæ omine placuit. Impositusque scuto] Verbum *placuit* erasimus: nam integra est sententia si sic distinguas, *ipso rebellis fam. omine, impositusque scuto, more gentis, et sustinentium, &c.* Expone *impositusque scuto. Que*, id est non solum *impositus scuto: et*, id est, verum etiam, *sustinentium* humeris vibratus, dux deligitur: nam video quid illi imposuerit, qui verbum *placuit* hic infulsit. *Rhenanus.* Non male etiam Venetus, et alii, *omine:* tamen vulgatam lectiouem, *nomine*, antefero. *Pichena.* Ex hoc more nata illa loquendi ratio, quæ in Fastis Germanorum et Annalibus, medio ævo scriptis, toties offertur: *Levatus est Princeps, Comes, Imperator.* Idem est, quod creatus. *Boxhornius.*

Accitis Frisiis] De moribus Germ. *Savillius.*

Proximo occupato Oceano] Legam, *proxima occupatu, Oceano irrumpit.* Et accedit, quod in Flor. est, *Proxima occupata.* Lipsius.

Proxima occupatu, Oceano irrumpit] Ita Lipsius correxit, et distinxit. Vere, nam Flor. fere congruit, qui habet, *proxima occupata.* Confuse in vulgatis: *proximo occupato Oceano, irrumpit.* Pichena. Non invitus cum Lipsio legerim, *hiberna proxima occupatu, Oceano irrumpit:* sed aliquanto libentius, addita particula: *hiberna, qua proxima occupatu, Oceano irrumpit;* aptiore sententia. Qua proxime occupari poterant, per Oceanum irrumpit. Sed et verbum *accitis* mihi suspectum. Imperiosum enim illud: nec obnoxii, credo, Frisii Caninefatibus. *Adscitis* substituerim: ut adjunctos et sociatos dicat. *Acidalius.*

In superiorem insulæ partem] Ita nos; alii *in superiore ins. parte.* Rhenanus.

Viribus cohortium abductis] Bona et fida lectio e libris. Frustra Rhenanus e Budensi admutilato codice turbat, miscet. *Lipsius.*

Quippe viribus cohortis adductis] Duæ voces, *Quippe viribus*, non sunt in libro Corvini regis, ubi tantum legitur, *nomen magis exercitus quam robur, cohortium abductis Vitellius.* Unde erui lectionem, *Nomen magis exercitus quam robur, cohortibus abductis, Vitellius e proximis Nerviorum, &c.* Rhenanus.

Cap. 16. *Tumultum oppressurum*] In Corvini lib. *compressurum:* nec semper obscœnam significationem hoc verbum habet, quæ res castigatorem movit, ut mutaret. Sic Ann. lib. I. ‘ Dissideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat.’ Item lib. seq. ‘ Sub eo bellum ortum, et comprimere cœptantem Gestium Gallum Syriæ legatum, &c.’ *Idem.*

Nec Brennonem] In Corvini regis libro, *Brimionem.* Idem.

Directa ex diverso acies] Legendum puto, *acie.* Nam sequitur, *et obversis navibus.* Pichena.

Quas incensis castellis] Castigavi, *quasi incensis, &c.* Rhenanus. Danesius legebat: *Quasi incensis.* Ursinus.

Cap. 17. *Arma contra communes dominos*] Id est, Romanos. Eadem loquendi forma Modestinus, in Pandectarum tractatu, Romam *communem patriam* dixit: nam Antoninus lege lata sanxerat, ut qui imperio Romano subditi essent, cives Romani fierent: quæ causa fuit, ut Romani cives facti, Romam communem omnium patriam agnoscerent. Quare Plin. III. 5. Italiam ‘ unam cunctarum gentium in toto orbe patriam’ appellat. Itaque Tacit. ‘ communes dominos’ Romanos vocat, quod Frisiis, Batavis, Caninefatibus, Gallis, et Germanorum nonnullis imperarent. Sic Justin. lib. V. ait Lysiam Syracusanum quingentos milites suis stipendiis in auxilium patriæ communis eloquentiæ misisse. *Lupanus.*

Genitos ante tributa] Tributis origo annis fere centum viginti ante, ut

Gallia tum aluisse videatur homines senii provectissimi. *Savillius.*

Mutis animalibus] Non muto vocem, *mutis:* sed suspicione *urutis*, in libris scriptis fuisse conjicio, unde *mutis* exscriptum, cum debuerit forte *brutis*. Acidalius. Quasi non *muta* eadem, quæ bruta, et quidem elegantius. Vide ad Senecam epist. 90. *Gronovius.*

Hominis bonum] In libro Corvini regis, *hominum*. Rhenanus.

CAP. 18. *Mummium Lupercum*] * cur et quando discessit? Sed hæc Germanici belli descriptio in paucis quibusdam negligentiæ notanda est, (si quid video,) sparsim indicandæ, ubi se res dabit. Maximam partem explent et explanant capitum argumenta, et in textu Anglico quandoque a me recepta vocula una et altera, ut instituta librorum collatio docebit. *Savillius.*

Pretio fugeret] In libro Corvini regis, *fungeretur*. Rhenanus.

In Frisios avehitur] Nos, *advehitur*. Rhenanus.

CAP. 19. *Ne terreret abeuntes*] Mihi potior lectio, *ne teneret abeuntes*. Ita supra H. IV. 13. 'retentare legiones.' *Freinshemius.*

Excitari bellum: quin cuncta quæ acciderant] Cod. Bud. *Qui cuncta quæ acciderant*. Castigavi, *Quin cuncta quæ, &c.* Rhenanus. Flor. et Ven. *excitari bellum, cunctaque quæ acciderant*. Sed nihil mutavi. *Pichena.*

Fraude ducum evenire] Vocem sustuli, *metuebantur*, auctore Vaticano: quæ perperam hic inserta, et de priore linea repetita. *Lipsius.*

Sed fraude ducum evenire] Addidi verbum, *metuebantur*. *Sed fraude metuebantur*. Mox nos, *exponeret*. Rhenanus.

CAP. 20. *Lixarumque ignavia*] Reposui, *ignava*. Rhenanus.

Ut Batavos numero impares circumfundant] Regium vol. habet, *circumdant*. Malim, *et Batavos numero imparcs circumdant*. Rhenanus.

Illi veteres militiæ] Ipsa est Taciti phrasis, et egregia restitutio Florentino codici debetur, atque industriæ Pichenæ. *Lipsius.*

Illi veteris militiæ memores in cuneis congregantur] In regio volumine est, *illi veteris militiæ inciviles congregantur*. Legerim: *Illi veteris militiæ vi habiles, congregantur*. Rhenanus. Pulcherrima phrasis ac Tacito familiaris, hic perierat, nisi ab optimo Flor. restituta fuisset, ut alia multa. Nam qui vim ejus non perceperant, vocem inseruerunt; *Illi veteris militiæ memores*. Quod inepte dictum, non fallet attentum lectorem. Quid enim sibi vult, Batavos veteris militiæ memores? an illius militiæ tantum, quam tirones olim didicerant? potius dixisset, *diuturnæ militiæ*. Verius ergo reposuimus, *veteres militiæ:* et ex eodem Flor. *in cuneos:* pro, *in cuneis*, ut in vulgatis. Ejusdem phrasis plura exempla in Tac. Ann. l. I. 'vetus operis ac laboris.' Lib. VI. 'scientiæ cærimoniarumque vetus:' et eod. l. 'vetus regnandi.' Est etiam similis locus apud Symmachum, qui ep. lib. IX. 33. Cornelium fortasse imitatus, ait: 'securus vitæ, et militiæ vetus, nunquam refugit examen superiorum:' ita enim in antiquis exemplaribus; at in recentioribus est depravatio eadem, *militiæ veteris*. Postremo præter Florentini auctoritatem adjicimus in hoc Taciti loco firmando, Vaticani fidem, teste Juliano Medice, qui illum, me rogante, inspexit. *Pichena.* Lego, *in cuneos*. Acidalius. Liber editionis Venetæ, *Illi veteris militiæ memores in cuneis, &c.* sed non etiam ille, qui omnium primum publicatus Romæ, opera Joannis Spirensis, statim ab inventa arte typographica: in eo enim, *illi veteres militiæ, in æneis*. Nihil sincerius, et vel ob hujus unius loci productionem, multum debebat Taciti cultor religiosæ curæ

Curtii Pichenæ. Erueram id ego quidem ante aliquot annorum lustra ex codice illo nostro exoleto; sed nullo item subnitebar teste omni exceptione majore; qualis nunc est ille librariæ Florentinæ. *Gruterus.*

Cap. 21. *Hostium se consiliis uti*] Nos, *hostium consiliis uti se.* Rhenanus.

Perfugus Batavus] Castigavi, *perfuga Batavus.* Rhenanus.

Quippe ubi relata Civili] Emendavi, *quæ ubi relata Civili.* Mox accusativus, *universam*, non est in libro manuscr. *Rhenanus.*

Cap. 22. *Sed parum provisum, ut*] Itane in litteræ unius salebra viri docti hæserint? Nam, *ni*, antea legebatur, non, *ut*, velut nos emendavimus. Itaque consensu Vertranius et Rhenanus corrigunt, *sed parum provisum, ni copiæ;* et provisum interpretantur commeatum, annonam. Ludibria. Nostra sententia clara. Peccatum, &c. * *Lipsius.*

Sed parum provisum, ni copia, &c.] Scribendum meo judicio, *sed parvum visum, ni copiæ, &c.:* nam accusandi casu dictum est hic *provisum*, a vocabulo *provisus, us, ui*, quartæ inflexionis. Sic lib. xvi. ‘ dispositu provisuque civilium rerum peritus.’ *Rhenanus.* Danesius legebat, *sed parvum provisum, ut copiæ, &c.* Ursinus. Diruunt ædificia, quæ castris adjacebant, ne inde facilius oppugnarentur: sed nihil ea re aut parum promoverunt non vectis in castra comeatibus, qui ibidem erant; ‘ rapi permisere.’ Nam inde fames et deditio, ‘ virgulta postremo et stirpes, et internatas saxis herbas vellentes miseriarum patientiæque documentum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent.’ Doctiss. Vir, *sed parum provisum ut copiæ.* Sed vulgata (ut vides) exsibilanda non sunt. *Salinerius.*

Utramque Rheni ripam] Accusativus *utramque* non est in libro manuscripto. *Rhenanus.* Manuscripto deest *utramque*, et hic superfinit. *Vertranius.* Lipsius vocem, *utramque*, tollendam censet, quæ a Bud. codice abest, aut pro ea rescribendum, *utrinque.* At vulgatam, &c. * *Pichena.* Non delenda vox *utramque* (deleri et Muretus voluit) sed rescribenda *utrinque;* quod Lipsius ambigue censuit, sed ambigendi nulla causa. Ab utroque latere statuerat sibi Germanos, et id juxta omnem istam Rheni ripam. *Acidalius.*

Silvis lucisque] Sic libri nostri, non *jugisque.* Enimvero in sacris Germanorum lucis ferina ista signa. *Lipsius.*

Silvis lucisque] Edit. prima, *luciisve*, non male. *Gruterus.*

Juxta belli civilis] Puto germanum esse. Romanus tamen codex, itemque Flor. *mixta belli civilis;* non item male. *Lipsius.*

Justa belli civilis externique facie] Scripsimus *juxta*, ut sit adverbium similitudinis pro æque, quod tamen *justa* scribunt. Sic Ann. lib. i. ‘ Nam in pace causas et merita spectari; ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere.’ *Rhenanus.* Probavi vocem, *mixta*, ex Flor. nam vulgo, *juxta, &c.* * Pichena. Amplectenda Florentina, quam et servat princeps edit. hoc positu, *belli civilis externique mixta facie, &c.* Gruterus.

Quinque millia armatorum Romanorum tuebantur] Difficilis locus est. Cod. Bud. habet, v. *millia armatorum tuebantur.* Igitur genitivus *Romanorum* suppositivus videtur. Ut paucis dicam mentem meam, divino sic legendum: *Quod duabus legionibus, tum vix quinque millium armatorum, tuebantur. Quod*, scil. vallum; *tuebantur*, scil. Romani, *duabus legionibus, tum vix quinque millium armatorum.* Id est, Quæ duæ legiones vix quinque millium armatorum erant, hoc est, vix continebant quinque millia armatorum. *Rhenanus.* Divinatio Beati

mirum in modum placet, ut legam, *quod duabus legionibus, tum vix quinque milium armatorum, tuebantur.* Vertranius. Danesius legebat, *Tum vix quinque millia armatorum tuebantur, &c.* in vulgatis enim libris deest illud *tum.* Ursinus. Exturbavit Rhenanus vocem, *Romanorum,* quia a suo codice aberat. Sed ego Flor. auctore restitui. Dixit enim Tacitus, &c.* *Pichena.* Mirifice hic se vexat Rhenanus, dum non revocat sibi in memoriam verbi *situm* significationem peculiarem, quam ei circumdat auctor noster, &c. de qua tamen ipse alibi plura dixit. O memoria, quam sæpe nobis imponis! *Gruterus.*

CAP. 23. *Sibi quæque gens consistunt*] Lego, *Simul quæque gens, &c.* nam supra quoque librarius quodam loco *sibi* scripsit pro *simul;* quemadmodum ante monui. Mox non est in volumine manuscr. *appositis plerique scalis.* Rhenanus.

Irrita hærebant] Satisfacit magis quod extat in Vaticano et refert edit. princeps *irrita pendebant;* quod mutarunt homines vocis istius ignariores. *Gruterus.*

Per testudinem suorum] Explico in Poliorceticis, Dial. l. I. 5. *Lips.*

Per testudinem suorum. Scandebantque jam quidam] Sic melius distinxi, indicante Flor. qui habet, *scandebantque.* Antea minus apte: *invasere vallum. Appositis plerique scalis, alii per test. suorum, scandebant jam quidam.* Pichena.

Struere machinas] Castigavi, *materias.* Rhenanus.

CAP. 24. *Lectos e legionibus*] Exciderat in libris omnibus præpositio *e,* quam restitui suadente Mureto, immo Tacito ipso, qui infra l. eod. ait, ' et lectus in eandem spem e legionibus miles.' *Pichena.*

Duodevicesimæ legionis legato] Nos, *duoetvicesimæ legionis legato.* Rhenan. Male Rhenanus. *Pichena.*

Ipse pavidus torpere] Quædam editiones, *ipse navibus invalidus corpore.* Forte, *ipse pavidus, invalidus, torpere.* Duplex certe vitium et segnitas huic seni, corporis animique. *Lips.*

Ipse pavidus torpere, invisus militibus] In Flor. etiam legitur, *ipse navibus, invalidus corpore, invisus, &c.* quod Lipsius de aliis libris testatur. Forte legendum: *Ipse pavidus, invalidus corpore, &c.* Ait enim paulo infra: ' e cubiculo et lectulo:' et statim: ' unius senis valetudine.' *Pich.* Editi fere, *Ipse navibus invalidus corpore: invisus militibus,* quod ego non spreverim alia distinctione, *ipse, navibus invalidus, corpore invisus militibus.* Cum, inquit, sciret sibi non esse robur navium, cum sciret item odiosum se valetudine militibus, subvenit castris obsessis, qua potuit, per alios, &c. *Gruterus.*

Adsciri in societatem] Reposuimus *acciri in societatem.* Rhenan. Restitui verbum *adsciri,* ex Flor. et Ven. pro *acciri,* ut in vulgatis. Sic infra lib. eod. ' neque Antonium Primum adsciri inter comites a Domitiano passus est.' *Pichena.*

Traditore] Proditore. *Ferrettus.* Videndum an legi debeat, *proditore.* Ursinus. Video hic corruptorem Italum, et fœcem patrii sermonis. Latinius enim certe Tacitus *proditore* scripserit. *Acidal.*

Virtutemque suam malo omine exsolverent] Est qui *nomine* hic mutare velit, ob verbum *exsolverent.* Atque ego vel propter hoc ipsum nolim. *Nomen* enim *exsolvere,* non *se nomine,* Latine. Ceterum sententia nequaquam mutationem patitur. Hortabatur liberarent se malo isto omine, quo dux sibi invalidus, ægrotus, et e lectulo imperium perhiberet. Nam id præcesserat: ' Tot armatas fortissimorum virorum manus, unius senis valetudine regi.' *Acidal.*

Vocibus insistentes] Alii, *vocibus instinctos.* Lips.

His inter se vocibus insistentes] Co-

dex regius, *his inter se vocis insistentes.* Forte, *votis.* Rhenan. Flor. *instinctos.* Vulgo, *insistentes.* Sic Ann. II. 'His vocibus instinctos exercitus, propriæ quoque causæ stimulabant:' et in vita Agric. 35. 'Instinctos ruentesque ita disposuit.' Livius l. v. 'divino spiritu instinctus.' *Pichena.* Quando in aliis libris *instinctos*, suspicari sit, a Tacito scriptum *instinguentes.* Acidal. Amplectenda scriptura, quam produxit ex Ms. Pichena, *vocibus instinctos;* utpote quæ item compareat in exemplari Rom. editionum omnium antiquissimo. *Grut.*

Cap. 25. *Exemplaria omnium literarum*] In codice regio, *exemplares omnium literarum. Exemplares,* subauditur literas. *Rhenan.*

Instituitque pessimum facinus, &c. a queis ante militi, quam ducibus legebantur] Noli mutare *legantur* cum Lipsio. Id innuit, Hordeonium auctorem ejus moris, qui semper obtinuerit, quod minime profecto verum. Et instituebat ille saltem pro tempore, sui purgandi et extra omnem suspicionem ponendi. Induxit Lipsium, ut hoc suspicaretur, locutio, *instituit facinus.* At enim verba non sic jungenda: sed separatim capienda, *pessimum facinus,* tanquam interjectio, quæ Parentheseos nota circumscribatur. Quod Tacito non insolens. Infra hoc lib. 'Illue commeantium centurionum, militumque emebantur animi; ut (flagitium incognitum) Rom. exercitus in externa verba jurarent.' *Acidal.*

Epistolæ Aquiliferis] Cur Aquiliferis? quia legendæ nimirum ad Signa: id est, in Principiis. Facit omnino ad hunc morem, quod Spartianus in Peseennio Nigro refert ex epistola M. Antonini Imperatoris: 'Itaque nisi litteras recitandas ad signa.' *Lips.*

Magis usurpandi juris] Vaticanum jure sequor in elegantissimo genere dicendi. Nam vulgati scilicet, *Caussam,* inculcaverant, sine caussa. Prisci autem hac brevitate sermonis usi sæpe. Sallustius: 'Quæ postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit.' Livius: 'Ea prodendi imperii Romani, tradendæ Annibali victoriæ esse.' Plautus: 'Jusjurandum rei servandæ, non perdundæ conditum est.' Ulpianus: 'Siquis evitandi criminis id egit, ut reip. causa abesset.' Recte enim ita liber Florentinus. *Idem.*

Civitates adversum nos armatæ] In eod. regio, *adversum nos arma.* Placet lectio vulgata: nam alioqui verbum *ceperunt,* aut simile subaudiendum foret. *Rhenan.*

Cap. 26. *Incognita illi cœlo siccitate*] In eod. regio, *incognita cœlo siccitate;* hoc est, illi cœlo Germanico. *Rhenan.*

Ad hostem pergere, loco Gelduba nomen est] Erit inoffensior cursus orationis si restituamus fide Rom. edit. *pergere, loco cui Gelduba nomen est.* Graterus.

Ad virtutem accenderetur] Sic Flor. Vulgo, *incenderetur.* Pichena.

Gugernorum pagos] Sic Cæsar *Helvetiorum pagos* vocat. Hoc annotatum supra l. XII. in fine, et hoc lib. Taeitus Germanorum et Nerviorum ante voeavit. *Lupanus.*

Ductus a Vocula exercitus] *A* præpositionem erasimus: nam subintelligitur. *Rhenan.*

Cap. 27. *Auctus est Germanorum numerus*] Nos, *Auctus et Germanorum numerus. Et* pro *etiam.* Idem.

Navem arripiunt] Emendavi, *navem abripiunt.* Idem.

Cap. 28. *At Civilem immensum*] Locum recte ita purgavimus, cum legeretur, *immensis actibus,* vulgo in Covarruviano erat, *auctibus:* in Rodolphi codice, *laudibus.* Quæ omnes externæ et addititiæ voces, pro libito explentium. At mihi Vaticanus ille bonus bene præivit, qui legit, *immensis universa Germ.* Ex quo phrasim facile elicui Tacito et Sallustio notam. Noster Ann. l. III. 'Opumque, quis domus illa immensum viguit, primus aecumulator.' Sallustius Hist. III. 'Neque jam sustineri poterant, immensum aucto mari, et vento glis-

cente.' Nec tamen absurde etiam scripseris, *immensum quantum*. Nam Vaticano certe spatium aliquod post eam vocem est, quasi altera defiat. Pichenæ quidem placere video, ex Flor. *immensis auctibus:* quod interpretatur, auctum valde viribus copiisque, a Germanis. Ut quisque volet: at nimia pro re et vero illa locutio sit, *immensa*. Lipsius.

At Civilem immensis auctibus] Ita Faërnus legebat, non *actibus*. Ursinus. Variant hic libri vet. Plerique habent, *actibus:* alii *laudibus:* nonnulli, et inter eos Flor. *auctibus*. Lipsius nullam ex his vocibus probat. Nos omnino libri nostri lectionem restituendam censuimus, cum bonum efficacemque habeat sensum, nempe, quotidie affluxisse Civili, &c. * *Pichena*. Attestatur sagaciss. Pichena legi, in Flor. *auctibus*, intepretaturque de auxiliis Germanorum, quæ undique ad Civilem confluebant. Utrumque probo, nam alibi noster: 'sed præcipuus, et cum præsenti exitio etiam futuri pavor subita inundatione Tiberis qui immenso auctu.' Et sequentia, 'societate nobilissimis obsidum firmata,' aperte exigunt superius de auxiliis auctum fuisse. *Salinerius*. Conjecturam in textum hic transtulit Lipsius uti certam, de qua ipse adhuc dubius: fatetur enim etsi in Vat. nulla earum vocum, quæ in aliis libris aliæ atque aliæ, spatium tamen unius cujuscunque. Itaque ad quærendam eam suspicione nititur: qua nihil hic opus. In promptu enim vera lectio Covarruviani libri, *immensis auctibus:* quemadmodum et Velleius l. II. ait: 'Hujus viri (Pompeii) fastigium tantis auctibus fortuna extulit.' Neque id Tacitus ait Germaniam totam celebrasse Civilem, et nomen ejus famamque extulisse: sed immensis viribus ipsum auxisse, societate, ut addit, inita, et obsidibus firmata. Sic infra hoc lib. 'Civilis societate Agrippinensium auctus, proximas civitates adfectare.' *Acidal.*

Alia manu Mosam amnem transiri jubet] Ita Faërnus legebat, pro *transire*. Ursinus. Lego, *transiri*. Acidal. Aut scribendum, *aliam manum:* aut pro *transire* legendum *transiri*. Freinshemius.

Extrema Galliarum quateret] Nos, *quaterent*. Rhenanus.

Quos genus Germanicæ] E Budensi et Romano colligas, *quod gens Germ.* et statim, *vocarentur*. Lipsius.

Quos gens Germ. originis ejurata patria R. nomine A. vocarent] Liber Matthiæ Corvini, *quos gens Germanice orig. ejur. p. Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur*. Forte legendum, *quod gens Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur*. Vel *quod se Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarent*. Rhenan. Faërnus legebat: *Romano nomine Agrippinenses vocarent*, non *Romanorum*. Ursinus. Emendavi Flor. et aliis Mss. auctoribus, *Quod gens Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur*. Male antea. *Pichena*. Lipsius, *Romano:* idem ex aliis libris, *quod gens, &c. vocarentur*. Priora vere: hoc non item. Taciti ipsa lectio est: *quod gens Germ. originis ejurata patria Romano nomine Agrippinenses se vocarent*. Vocula *se* ut perierit, pereat, si quis non videt. *Acidal.* *Quod genus*, id est, Quæ gens. Nec Lipsii aut Pichenæ correctione opus. Græcis idem est γένος. Sallust. 'Mauri, vanum genus.' Martial. Ep. VI. 60. 'Sic leve flavorum valeat genus Usipiorum.' Obiter istic etiam emendo, *Si leve*. Subjungit enim: 'Ingeniosa tamen Pompilli scripta ferentur:' non ut vulgant, *feruntur*. Si enim Usipii, inquit, aliique barbari Italiam occupaverint, tamen immortalia fore Pompilli scripta. *Colerus*. Edit. primigenia, *quod Germ. originis, ejurata patria, Romanorum nomen, Agrippinenses vocarentur:* omnia

vere et belle, nisi quod sede movendum illud *Romanorum nomen*, glossa videlicet manifestaria superscriptaque voci, *Agrippinenses:* quibus Agrippinensibus suum sit nomen, jam alibi dictum Tacito in lib. Annal. *Gruterus.*

In vico Marcoduro] Hodie *Duram* vocant. Multorum oppidorum fit a Tacito mentio, quæ hodie ignorantur, ut *Gelduba*, *Asciburgium*, et multa alia. *Lupanus.*

Nec finem labori attulit] Auctior Ven. *nec fidem quidem labori.* Florent. nihil juvat. *Pichena.* Caput hinc inceperim. *Freinshem.* Videtur iste codex significare: *Ne nox quidem finem labori attulit.* Gronov.

Cap. 29. *Tendere arcus*] Merito de voce *arcus* dubitatum a Lipsio: non tamen satis apposite emendatum *artus.* Scribe, *jactus.* Unde clamor, eo telorum jactus dirigebant: hoc vocat *tendere* sive *intendere jactum.* Atque hinc subjectum statim: 'Ignavorum sæpe telis fortissimi cadere.' *Acidal.* Lipsius cum nihil de arcubus Germanorum legisset emendavit, *tendere artus.* Quod quidem interpretatione non caret. Pro vulgata tamen Strabo scribit l. iv. χρῶνται δὲ καὶ τόξοις ἔνιοι καὶ σφενδόναις. De Belgis loquitur eosque arcubus etiam uti affirmat. Fallor enim, an Tacitus imperitiam Germanorum recte irridet, qui crebra intentione nervorum vires perderent? Apollonius in Excidio Hierosol. l. i. 'sed enim se parcius iufert, Nec crebro vires jactu diffundit iuani.' *Colerus.*

Periculorum ignarus] Malim, *gnarus.* Rhenan.

Cap. 30. *Prætoriæ portæ*] In castris fuit Prætorium ipsius Ducis tabernaculum, et porta Prætoria. In castris Rom. &c. * *Lupanus.*

Nuntiis promissis] Addidi particulam *et* hic imprimis necessariam, *nuntiis et promissis.* Rhenan.

Cap. 32. *Neve externa*] Id moris Tacito est, ut dicturus *bella externa* contentus sit dixisse, *externa*, tantum. Hist. iii. 5. 'remissum id munus ne inter discordias externa molirentur.' Et Hist. iv. 'posito civili bello ad externa modestiores.' Possumus ergo facere gratiam de emendatione doctiss. viro, *neve externa arma falsis velaret.* An *armis falsis:* id est, prætextu bellandi pro Vespasiano. *Salinerius.*

Pretium laboris cepi] Flor. *recipi.* Forte, *recepi.* Pichena. Edit. Rom. *laborum recepi;* non male. *Gruterus.*

Exigua Galliarum portio] Alibi Germanorum eos nomine amplecti videtur. *Savillius.*

Molliora referre jussum] Magis placuit vox, *molliora*, ex meis libris, quam, *meliora*, ut in vulgatis. Sic Ann. l. xii. 'Ille propalam incerta, et sæpius molliora respondens.' *Pichena.*

Cap. 33. *Sororis suæ filio*] Romanus cod. et Rodolphus, *sororis suæ viro.* Lips.

Rapiunt in transitu] Non ineptit quidem aliorum, *capiunt*, sed nescio quomodo transitui isti potius conveniat *raptus.* Gruterus.

Terga in suos vertit] Contra rationem videtur, ut terga in suos verterint. Itaque Muretus eas voculas *in suos* delebat. Mihi tamen commoda interpretatione flectenda sic potius videantur, ut velint, terga dedisse equitem, et ad suos refugisse, terga vertisse et in suos fugam intendisse. *Acidal.*

Is terror Romanis] Dativus *Romanis* non est in exemplari Bud. *Rhenan.*

Cap. 34. *Victoria provenisset*] In exemplar. Bud. *promovisset.* Idem.

Confossus illic a Germanis] Haud dubitanter legam; *confossus illico Germanis. Illico*, statim, extemplo. Dictum autem est, quasi illo loco, ideoque simile quid nostra lingua retinet, ut pro statim, illico, continuo, dicamus etiam auf der ſtatte; quo-

modo Galli, *sur le champ.* Interest autem hic loci *illic* legas, an *illico:* hoc enim efficacius est longe, cum insuper etiam festinationem indicet, qua nisi Germani, ne quid aliud enunciaret fortassis: aut quoniam ira detectæ rei, quam tegebant, pœnam properaverunt. Quomodo Sesualdo, cum Beneventanis auxilium venire indicasset, qui tum a Constante Imperatore obsidebantur, *caput abscissum est*, statim *cum hoc dixisset:* ut recenset Warnefrid. de gest. Longobard. v. S. *Freinshem.*

Ut depositis impedimentis] *Ut* particula non est in lib. manuscr. potestque abesse. *Rhenan.*

Et minari asseverant] Castigavimus, *et minari adsueverant.* Idem.

Ne tempori deessent] Verba militum ad obsessos. *Idem.*

Credita] Rhenanus, *edita:* ego, *dedita*, vel *didita.* Lipsius.

Credita per utrumque exercitum fama] Malim *edita.* Rhenan. Maneat, *credita per utrumque exercitum fama.* Nam *dedita* aut *didita*, minus huc facit: neque enim spargi satis est famam ducis occisi vulnerative; si non et fidem inveniat in animis militum, ubi id evenit; ibi demum his accedit animus, illis abscedit. *Gruterus.*

CAP. 35. *Ut inde terrestri*] Præcessit de *impedimentis legionum et imbelli turba:* an illi igitur frumenta adveherent, inter medios ita hostes? ridiculum: puto defectum aliquem esse, et asteriscum ante hæc verba ponendum, *ut inde terrestri.* Vide sequentia, agnosces. *Lipsius.*

Qui reversus, missos] Magis placet quod e quibusdam libris eruas, *qui ubi rursus missos.* Sententiam certe aptius nectit. *Idem.*

Qui ubi rursus missos Novesium frumentatores] Expressi lectionem Flor. quam Lipsius etiam in aliis Mss. invenit. Minus recte vulgo: *qui reversus: missos Novesium.* Pichena. * Secunda missio præsidio cohortium firmata frustra fuit. Habes sensum quem punctis sic adhibitis coactum non dices: ' Qui rursus missos Novesium frumentatores, datasque in præsidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa militem, arma in vehiculis: cunctos licentia vagos compositus invadit.' Hinc nimis clarum, quam hic ingratis sese intruserint emendationes. *Salinerius.* Lipsius e quibusdam libris ernit, *qui ubi rursus missos.* Sane in quibusdam *rursus:* at τοῦ *ubi* nulla vestigia, nisi in ipso *qui*, quod mutari in *ubi* debet, non et ipsum retineri. Dele igitur. Nam et sonus concurrentium voeum alias asper: et Tacitus relativa hujus generis, ubi omitti possunt, non inculcat. *Acidalius.*

E quinta et quartadecima legionibus] Immo *et quintadecima.* Mercerus.

CAP. 36. *Adventu quintanorum quintadecimanorumque*] At eap. præced. quintanos et quartadecimanos Voculæ exercitui junctos aiebat. Manifeste alteruter locus vitiosus, et ex altero corrigendus, uter ex utro, non claret. *Acidalius.*

Effusus in luxum, &c. veterem iram renovavit] Reposuimus, *Effusi in luxum, &c. veterem iram renovant.* Rhenanus.

CAP. 37. *Vulgus sine rectore præceps, pavidum, socors*] Reposui, *pavidum*, pro, *pavidus*, ex Flor. et est Tacito usitatius. Paulo infra, ' Vulgus alimenta in dies mercari solitum.' *Pichena.*

Vitellius occidisset] Cod. regius habet, *occurrisset*, emendavi, *corruisset.* Rhenan. Rhenanus emendavit, *corruisset.* Mihi potior Flor. lectio, *occidisset.* Pichena.

Quartanique et duodevicesimani] Recte, *duodevicesimani*, ut supra monui. Male qui restituunt, *duo et vicesimani*, quamvis Florentinus ipse suadeat. *Pichena.*

Mixtus Cattis, Usipiis] In codice regio, *Mixtus et Cattis, Usipiis.* Scrip-

si *mixtus ex Cattis, Usipiis.* Rhenan.

Nec incruentati. Ita dispersos et nescios] Judicabam deesse quippiam: nunc restituere juvante Romano cod. posse videor, *nec incruenti. In via dispersos.* Lipsius.

Nec incruenti. In via dispersos] Ita emendavit Lipsius, cum vulgo legeretur, *nec incruentati. Ita dispersos, &c.* Juvat aliquantulum Flor. qui corrupte habet, *nec incruentari via a dispersos.* Pichena. Longe fallitur Lipsius. Narratio incongrua arguit et ante hæc deesse verba non pauca (uti et corrupta præcedentium ultima) et post hæc ipsa multo plura. Nam illa, *quin et loricam vallumque*, sententia nulla cum his cohærent, sed alia quæ præcessisse necesse est, de fide, industria, et fortitudine Treverorum respiciunt. *Acidal.*

Cap. 38. *Is præerat provinciæ*] Verbum, *præerat*, non legitur in Cod. regio. Tum expone, *is provinciæ haudquaquam turbidus*, hoc est, ipsi provinciæ; *ingenio* id est, ob ingenium vel ex ingenio. *Rhenan.*

Una ex rep. annonæ cura] Nihil mutandum. Tale illud Juvenalis de populo Romano est: ‘ duas tantum res anxius optat Panem et Circenses.’ Nam, *Pana*, substituunt leguntque male. *Lips.*

Cui una ex rep. annonæ cura] Hæ duæ voces, *cui una*, non extant in Ms. cod. et mutant, meo judicio, sensum. Nam Tacit. vult dicere, *ex rep. annonæ cura*, scil. existente, hoc est, quia cura annonæ pertineret ad remp. ut sit hæc locutio similis illi Hist. lib. II. ‘ Et quibusdam vicinis coloniis invidiæ æmulatione;’ subauditur, existente. Supra Ann. lib. I. ‘ Seu nihil militi, seu omnia concederentur in ancipiti rep.’ subauditur, futura. Ann. lib. III. ‘ At hercule nemo nescit, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi Rom. per incerta maris et tempestatum, cotidie volvitur, ac nisi provinciarum copiæ et dominis et servitiis, et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostræque villæ tuebuntur? Hanc p. c. curam sustinet princeps.’ *Rhenanus.* Non hæc adsecutus est Rhenanus; ideoque secutus auram codicis sui in vada præcipitat et saxa, a scriptura vulgata, quæ extat in editionibus omnium primis, quod dico, ut ne quis deinceps chirurgicam iterum adhibeat manum, et opus quærat, ubi non est. *Gruterus.*

Cap. 39. *Tanquam transgredientem in partes*] Sic melius in Flor. quam in vulgatis, *quod transgredientem:* nam adverbio *tanquam* ostenditur, &c. * *Pichena.*

Nomen epistolis edictisque præferebatur] Castig. *proponebatur.* Rhenanus. V. C. habet, *præponebatur:* in alio, *præferebatur. Jus penes Mutianum erat.* Ursinus. Muret. *præponebatur:* verius. *Acidalius.*

Jus penes Mucianum erat] Verbum *erat* erasimus. Infra scrips. *quo die* non *qua.* Rhenanus. Abest quidem a vulgatis verbum, *erat.* Sed cum in Flor. ac Ven. habeatur, non fuit negligendum. *Pichena.*

Varoque Arrio] Ita ubique, non *Ario* legendum ex Mss. *Pichena.*

Inanem animum spe, &c.] Sallust. in Jug. ‘ quod homo inanis, et regiæ superbiæ, imperio nimis gauderet.’ Horat. Sat. I. 4. ‘ inanes hoc juvat.’ *Pichena.*

Cap. 40. *Tum sorte ducti, per quos redderentur bello rapta*] Ex hac clausula nihil est in Bud. vol. præter duas voces, *Tum rapta:* dormitat hic librarius. Forte, *Tum qui rapta; quique æra;* subaud. Creati sunt vel electi. *Rhenan.*

Vetustate delapsa] Capitolii incendio liquefacta, ait Sueton. Vesp. 8. *Savillius.*

Et Fastos adulatione temporum] Additur in vulgatis, *et qui Fastos.* At supervacuum esse illud, *qui*, clarum est: nam et a Flor. abest, et meus

auctoris, &c. * *Pichena.*

Modumque publicis impensis] Fuerunt Romæ leges sumptuariæ sive cibariæ, quæ impensam præscriberent ad luxuriam mensarum comprimendam. Vide Gell. II. 24. et Macrob. Sat. III. 17. Augustus, teste Sueton. legem sumptuariam ex integro sanxit. Lex quoque Fannia lata est, quæ ludis modum imponeret. Supra memoravit Tacit. &c. * *Lupanus.*

Tertio Juliano] Paulo ante habes, *T. Juliano.* Rhenanus. V. c. habet: *Titio Juliano;* et sic infra constanter, pro, *Tertio Juliano.* Ursinus.

Inter Musonium Rufum et Celerem] Hæc ex Dione disces: nam Vespasianus philosophos omnes præter Musonium Roma expulit. *Lupanus.*

Demetrio, &c.] Ann. XVI. Sueton. Vesp. 13. Xiphilin. *Savillius.*

Ipsi Publio neque animus] Vox addita, auctore Vatic. *Lips.*

Ipsi Publio animus in periculis] Codex Bud. mutilus est; nam duas voces, *ipsi Publio,* non habet. Forte legendum, *neque animus.* Rhenanus. Lipsius ex Vat. restituit vocem, *neque,* in vulgatis vacantem. Eam ego Flor. auctoritate confirmo. *Pichena.*

Signo ultionis in accusatores dato] Non est in Cod. Bud. *dato:* expone, *signo ultionis,* id est, in signum ultionis in accusatores, ' petit a Cæsare Junius Mauricus, ut comm. princ. p. Senatui faceret.' *Rhenanus.*

Ut commentariorum principalium] * puta Claudii et Neronis. Ita *commentarium principis* legimus apud Modestinum, in l. XXXII. D. ex quibus causis major. Unde et qui principis commentaria perscribebant *commentarienses* appellati ex Vegetio lib. I. qui militum munia, uti excubias commeatusque et alia hujusmodi, in commentarios referebant. Et apud JC. *l. 4. de cust. reo.* observamus, *Commentarienses* vocatos, qui detentorum nomina in commentariis describebant, ac veluti custoditorum diarium conficiebant. Sic accepti in l. XLV. §. 7. D. de jure fisci, *Commentarienses,* quorum manu acta subnotantur, quoties apud fiscum agitur. Illud sane postremo minime prætereundum videtur, quod admiratione haud carere credo, explanationes scil. in Virgilium, Horatium, aliosque auctores *Commentaria* inscribi; quum *commentaria,* ut diximus, brevia sint, ac veluti per capita scripta, hæc autem fluxiore oratione fuseque sint literis mandata. Scio quidem Gellium dixisse: ' Qui commentaria in Virgilium scripserunt:' et alibi. Scio quoque in scholis ab expositionis excellentia Averroem communissima appellatione *commentatorem* vocari. Attamen apud alios probatos ac classicos auctores *commentarium* in hac significatione me legisse minime recordor, ob idque has *expositiones* potius et rectius *Commentationes* dicendas semper censui. Siquidem *Commentatio* passim Cic. meditatio est, et præsertim l. de Orat. ' subitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit.' Et iterum, ' quos locos multa commentatione ac meditatione paratos atque expeditos habere debetis.' *Marcellus Donatus.*

Per quos noscerct] Ex illis enim commentariis innotescere senatui poterant nomina eorum, qui apud principes præteritos delationes exercuerant: ut ex eis quisque senatorum eligeret, quem accusaret, ac perderet, quasi in ultionem reip. *Pichena.*

Consulendum tali super re princeps respondit] Reposui, *consulendum tuli s. re principem resp.* Rhenan.

CAP. 41. *Quo certutim omnes magistrutus, cæteri ut sententiam rogabantur*] Regium exemplar habet, *Omnis iuens magistratus, cæteri sententiam rogabantur.* Lego, *Omnis iniens magistratus, cæteri sententiam rogabantur, deos testes advocabat.* Nunc clara erit

sententia si sic distinguas: ‘ quo certatim omnis iniens magistratus (cæteri sententiam rogabantur) Deos testes advocabat. Nihil ope,’ &c. *Rhenan.*

Nomium Actianam] Nos, *Nonium Act.* Item, *In Vibium Crispum.* Rhenanus.

Scriboniunos fratres] Vide Xiphilin. Nerone. *Savil.*

Cap. 42. *Aquilio Regulo*] Est omnino ille Regulus, Plinio in Epistolis meritissimo flagellatus, et alibi ‘ Bipedum nequissimus’ dictus. Observa ergo de Messalla diversissimo fratre. *Lipsius.*

Sponte ex S. C.] Non de nihilo ambigit Rhenanus. Si enim ex S. C. subiit, quomodo sponte? Divinat, *Sponte ex se.* Haud inepte. Quid si, *Sponte, nec Sc.?* Lipsius.

Sponte ex S. C. accusationem subisse] Hæc verba significant accusationem Crassorum ex sc. decretam, quam sponte subierit Aquilius Regulus. Alioqui legerem, *sponte ex se accusationem subisse.* Rhenan. Possis facillime emendare insertione particulæ negantis: *Sponte, non ex S. C.* nisi quod mihi structura orationis aliam plane harum vocum sedem et originem requirere videtur. Lego: *accusationem subiisse juvenis admodum, non ex S. C. sed sponte; nec depellendi, &c.* Nihil quidem ita sententia pariter et oratione planius pleniusque. *Acidalius.* Semper habui illud *ex S. C.* pro scribæ figmento. Initio aliquis adscripserat ei *sponte* interpretatiunculam, *ex se*, quod cum alteri videretur mendum, formavit inde *ex S. C.* ingeniose quidem, si non præter historiam et mentem auctoris. *Gruter.*

Appetitumque morsu] Copulam, *que*, addidi ex Flor. *Pichena.*

Aut salutem illa sævitia] Ex ductu scripturæ Vaticanæ restitui. Nam ibi, *nec dignitatem hausta litem.* Vulgo, *nec dignitatem aut ista lucem.* Lips.

Salatem illa sævitia redemisti] Muretus, *ista.* Acidalius.

Inter creditores bona, nondum] Sic distingue: *creditores bona. Nondam honorum, &c.* Acidal.

Septuagies sestertio signatus] Volebam *dignatus:* ut in Virgilio: ‘ Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo:’ et ipso alibi Ciceronc. At nunc placet magis Faërni conjectura, *saginatus.* Lipsius.

Septies millies sestertio] Id est, 54,687. lib. 10. 5. sterlingis. *Savil.*

Signatus et sacerdotio fulgens] Forte, *designatus, &c.* Rhenanus. Faërnus legebat, *saginutus*, quod non displicet ob ea, quæ præcedunt. *Ursinus.* Videndum an *signatum* Tacitus dixerit pro insignem vel insignitum: nam quod eruditus vir *dignatus* reponit valde placerct, si quod istius dignationis ac liberalitatis a Nerone aut alio in Messalam collatæ testimonium edcretur. *Fr. Hotomannus.* Hic mendum tollendum est. Sine ullo dubio legimus *septuagies sestertio saginatus.* Jos. Scaliger. Libri omnes et Mss. et editi omnes consentiunt in voce, *signatus:* ex qua Lipsius conjectura fecit, *dignutus.* Ego nihil malim, quam cum Faërno restituere, *saginatus;* quod nuper idem Lipsius probavit. *Pichenu.*

Invenit etiam æmulos infelix nequitia] Generalis est sententia non ad Regulum solum restricta, etsi ad ipsum hic relata. Itaque non præterito tempore, sed præsenti accipiam *invenit;* et particulam *etiam* sequenti voci postponam. Lege: *invenit æmulos etiam, &c.* Acidal.

Consularem visuri sumus] Lipsius, *ausuri.* At vulgata lectio mihi magis probatur. Quasi dicat: Si cum non pervertitis, fiet etiam Prætor et Consul, majoremque potentiam assequetur. Alias non dixisset, *ausuri samas*, sed, *audebimus.* Pichena.

Exempla, quam mores] Inepta aut nihili sententia. Rudolphus, *quam homines.* Vis ad verum duci? lege,

amores: tum alteram litteram divide, habes *autores:* id est, rem et sententiam meram. O quam levia sæpe turbant! *Lipsius.*

Cap. 44. *Cæptam libertatem*] Prisci libri, *cæptatam:* ex quo velim, *cæptatam tantum.* Lipsius.

Cæptam libertatem] Cape inceptam. *Ferrettus.* Vulgo, *cæptam.* Sed Florent. et alios veteres secutus reposui, *cæptatam.* Pichena. Non abhorreo ab eo quod servat edit. Ven. *cæptatam:* tanto quidem minus, quod proxime usurparit: 'Simul eos qui cæptam,' &c. Neque iteret facile voces easdem admittatque alteram analogia. *Gruter.*

Octavium Sagittam] Adjiciunt Flor. et Ven. *Octavium Sabinum Sagittam.* Tamen l. XIII. ubi de hac re fit mentio, nulla est additio. *Pichena.*

Cap. 45. *Manlius Patricius*] Vatic. et Rom. *Patruitus.* Fortasse, *Patruinus:* quod nomen in Symmachi epistolis plus semel leges. *Lipsius.*

Manlius Patruitus ordinis Senatorii] Reposui ex Flor. *Patruitus,* pro *Patricius,* ut vulgo. In cod. lib. pro, *ordinis Senatorii,* legitur, *Senator.* Sed nihil muto. *Pichena.* Cum et Vat. et Flor. item edit. Rom. prima retineant uno consensu, *Patruitus;* vel ea de causa hic auctori redonandum erat. *Gruter.*

Colonia Senensi] *Seniensi* in Vatic. semper. *Lipsius.*

Jussu magistratuum] Decuriones enim proprie magistratus municipales sunt Jurisconsultis. *Alciatus.*

Cap. 46. *Lectus in eandem spem miles*] Magis placet, *erectus in eandem spem,* pro eo quod vulgo legitur, *electus, &c.* Ursinus. Muretus, *erectus:* quod sententiam corrumpit. Miles quia in spem, &c. * *Acidalius.*

Sine multa cæde pelli poterant] Plura hic in Flor. adjiciuntur: *pelli poterant, sed immensa pecunia fer.* Post hæc paginæ transpositio ibi a librario facta fuit, sed adeo evidens, ut nullam pariat confusionem. *Pichena.*

Ad cædem destinaretur] Nos, *destinarentur.* Rhenanus.

Prensare commanipularium] Ita lego: non tamen male, *prensare commanipulares, pectori, cervicibus innecti.* Lipsius.

Prensare commanipularium pectora cervicibus injecta] *Prensare* verbum delevimus, et pro *commanipularium* scripsimus, *cum manipularium,* pro *injecta, invecti: destinarentur, cum manipularium pectora cervicibus invecti, suprema oscula petere;* hoc est, petebant. *Invecti* significat impetum cervices sociorum amplexantium. *Rhenanus.* Quid est *prensare pectora?* inusitata locutio, absurda sententia: quod Lipsius intellexisse postea videtur, cum priori emendationi diffidens, non male etiam scribi posse, *prensare commanipulares, pectori, cervicibus innecti.* Pejus hoc multo quam prius. Nam præterquam quod nec *pectori innecti* recte dixeris, inæqualis etiam structura redditur. At tu pro *pectora* rescribe minima facillimaque mutatione *dexteras.* Sic sibi conveniunt omnia, qua in sensu, qua in sermone: *Prensare commanipularium dexteras, cervicibus innecti, suprema oscula petere.* Acidal. Non abhorret animus a scriptura Venetæ edit. *cervicibus injecti, suprema oscula petere:* neque aliter Rom. quam quod is *injecta.* Gruter.

Spernunt oblatos agros] Addidimus pronomen *sibi. Spernunt oblatos sibi agros.* Rhenanus. Addidit Rhenanus vocem. Sed sustuli, quoniam a Flor. aliisque melioribus libris abest, nec videtur necessaria. *Pichena.*

Cap. 48. *Summaque etiam miscentis*] Faërnus rectissime legebat: *Summaque et ima miscentis.* Ursinus. Constat sententia. Conjectura tamen Rodolphi legentis, *summaque et ima,* mihi prorsus arridet. *Pichena.*

Si pauca supra petiero] Aut *supra repetiero:* ut in Ann. XVI. 'De C.

Petronio panca supra repetenda sunt:' ceu vulgo legitur: aut *pauca repetiero.* Nisi quis malit, *subrepetiero:* ut sit verbum ejus formæ, cujus est *prodeambulo, prosubigo, repromitto, adobruo,* et quod apud Livium reperitur, *superincido.* Rhenan. Muretus, *repetiero.* Melius; sed cur hic auctor veritatis studium testatur? tanquam minus vere illa tradiderit. Videatur vocula excidisse, &c. * *Acidalius.*

Beneficiorum numerus] * TRIBUN. Abiisse in aliud officii nomen videtur, ex Tertulliano de Fuga: 'In matricibus Beneficiariorum et Curiosorum inter tabernarios, et lanios, et aleones, et lenones, Christiani quoque vectigales continentur.' *Lips.*

Æquatus inter duos beneficiorum numerus] Guidus Pancirolus in Notitia imp. Orient. c. 9. et Occid. c. 47. affirmat legendum, *beneficiariorum.* Tamen nihil mutavi, cum idem sensus in utraque voce sit. *Pichena.*

Pravo certamine legatorum] Distinguendum censeo: 'et mixtis utriusque mandatis discordia quæsita, auctaque pravo certamine. Legatorum jus adolevit diuturnitate officii.' Hoc enim ait: dum imperant iisdem uterque suo jure, sæpe contraria, discordia exorta est, et ea *pravo certamine,* dum neuter alteri concedere sustinet, *uncta.* Sed legatorum potestas prævaluit, quia complures per annos eam curam habebant, proconsules quotannis mutabantur, &c. *Gronov.*

CAP. 49. *Neque modica cupiens, sed affinitate Vitellii anxius*] Codex Matthiæ Corvini, *neque modica cupido si affinitate Vitellii anxius. Is cr.* Forte scribendum: *Neque modice cupidus, affinitute Vitellii unxius is, crebris, &c.* Rhenanus. Interpungendus et scribendus ita locus hic est: *neque immodica cupiens; sed affinitate Vitellii anxius is, crebris sermonibus tentaritne, &c.* Vertranius. Non male etiam Rom. edit, *et adfinitate;* ut et hoc inter causas fuerit, cur citius transiret ad res novas. *Gruter.*

Tentaritne Pisonem] Flor. ac Ven. *tentaveritne.* Pichena.

Et pace suspecta tutius bellum] Sic Faërnus legebat, deleta, *in,* præpositione. *Ursinus.* Muretus *in* tollit. Ego possim etiam hic ferre. *Acidal.* Omnino emendandum, *et pace suspecta.* Sic et supra habemus pacem miseram bene vel bello mutari. *Grot.*

Cecidisse Galerianum] In cod. Matthiæ Corvini legitur, *cessisse.* Scripserim, *cæsos esse Galer.* Rhenan.

Centurio a Muciano missus] Particulam *a* subnovimus. *Idem.*

Læta Pisoni omnia] Lego *omina:* quod miror tot locis, nondum etiam hic, emendatum. *Acidal.*

Indulgentia viri et adulandi libidine] Fœdus lapsus est in duobus istis vocabulis, *indulgentiu viri.* Castigavimus, *indiligentia veri;* hoc est, quod forent indiligentes in perscrutanda veritate rei. *Rhenan.*

CAP. 50. *Mox Ophensium*] Rodolphus volvit, *Ruspensium:* sed a conjectura. Ophensium quidem non alibi mentio in hoc tractu: et putamus rectissime emendatum iri, *Oëensium:* statimque, *populus Oëensis.* Rem tetigi. Te advoco C. Plini, &c. * *Lips.*

CAP. 51. *Mare aggressi*] Alias, *ingressi.* Ferrettus.

Quadruginta millia equitum Parthorum] 40. *millia sagittariorum,* ait. Sueton. Vesp. 6. eadem cum Tacito sententia, Parthi enim erant *ἱπποτοξόται,* id est, *ex equis militabant arcu.* Savillius.

CAP. 52. *Ni pater exemplum*] In cod. Matthiæ Corvini, *ni parens e.* Rhenanus. Flor. *ni parens, &c.* Pich.

Bono esse animo jubet] Verbum *jubet* non est in cod. Manuscr. Verum illic legitur *attollere,* quemadmodum et nos scripsimus. *Rhenan.*

CAP. 53. *In L. Vestinum*] Hic est a Claudio in Lugdunensi tabula memoratus, ex colonia Viennensi, eques-

tris ordinis ornamentum, ab illo familiarissime dilectus. *Vertran.*

Ingressi milites, quibus] Non hæc a superioribus puncto divellenda fuerant. Tu junge: *evinctum vittis coronisque ingressi milites, &c.* Continua enim oratio inde ab illis, *Undecimo Kal. Jul.* ad verbum *perluere* decurrit, in eoque comprehensio et sensus ipse sistitur. *Acidal.*

Quibus fausta nomina] Cic. de divin. ‘Cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu Consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.’ *Savillius.* Ita jam pridem Faërnus emendavit, adductus Cic. loco ex lib. I. de Divin. et Plin. XXVIII. 2. in quo est: ‘Cur publicis lustris etiam nomina victimarum ducentium prospera legimus.’ *Ursinus.* Congruit Flor. cum Vat. in voce, *nomina.* Male vulgati, *omina.* Vide Lipsium. *Pichena.* Si idem est ad hanc rem *omen* quod *nomen*, cur emendamus? Idem autem esse docent ea, quæ vir doctiss. e Plauti transcripsit Persa: Virg. ‘Lucridi nomen in patria fuit. To. nomen atque omen quantivis est pretii.’ Quibus enim est nomen faustum, iisdem etiam omen esse faustum dici potest. Plaut. Psend. ‘euge jam χαῖρε, *οἰωνὸν* volo:’ i. *salve, omen.* Salinerius.

A quatrimis et fontibus omnibusque hausta pluere] Dii boni, quam est hæc clausula prodigiosis mendis obsita! Restituimus, *Aqua, rivis et fontibus amnibusque hausta, perluere.* Rhenanus. In vv. cc. est *aqua trinis e fontibus, amnibusque hausta.* Quæ lectio non displiceret, si aliquo antiquitatis testimonio confirmaretur. Ant. Augustinus legebat: *Aqua e rivis, et fontibus amnibusque hausta perpluere, &c.* Ursinus.

Plauto Eliano] Vatic. Barbare vulgo, *Eliatius.* Lips.

Plautio Æliano] Ita legendum ex vv. cc. *Ursinus.*

Lustrata Suevetaurilibus area] Ita scribendum; ut jam pridem emendavimus ex vv. cc. et ipsa antiqui ritus notitia. *Ursinus.* Vulgo, *bove tauriseque.* Emendavit Lipsius; et Flor. annuit, qui habet, *bovetaurilibus.* Pichena. Non animadvertit vir solertissimus, nimio corrigendi pruritu correptus, Capitolino Jovi vaccam simul et taurum auratis cornibus immolari solere. Serv. Æneid. IX. quod vulgatam Taciti probat lectionem, quæ commutata priscæ religionis ritum penitus exsuit. *Gutherius.* Abstine contumeliam. Recte Lipsius; non enim de sacrificio Jovi uni faciendo agitur, sed de area lustranda. Cur autem *tauris* potius diceret quam *tauro* Tacitus? *Gronov.*

Secundum cespitem] Nos, *super cespitem.* Rhenan.

Quibus ligatus lapis] Flor. *quis lig. l.* Pichena.

CAP. 54. *Vel externum servitium*] Restitui ex Flor. ac Ven. particulam, *vel*, quæ vim sententiæ addit. *Pichena.*

Et in interna mala fregissent] Præpositionem *in* erasimus. *Rhenan.*

CAP. 55. *Anteibat alios*] * Sic l. v. Histor. ‘Templum in modum arcis, propriique muri labore et opere ante alios,’ &c. * *Lipsius.*

Opibusque ante alios] Plerique vet. libri hanc lectionem affirmant, ut testatur Lipsius, et consonat Flor. ideo vulgatæ, *anteibat alios*, præposui. *Pichena.*

Hostis populi Romani, quam socius jactabat] Sic restitui. Transmarinum et elegans dicendi genus est, *Jactat esse socius*: quod plebs dixerit, Jactat se socium esse. Homerus: Ἕκτωρ ὃς Διὸς εὔχετ' ἐρισθένεος πάϊς εἶναι· et crebro Græci: quos sæpe et vulgo imitati Latini, sed locis hodie fere corruptis. Plautus Asinaria: ‘Argenti viginti minæ me modo ad mortem appulerunt, Quas hodie adolescens

Diabolus ipsi daturus dixit.' Ita enim consensu manuscripti: sicut et illo Bacchidibus: ' Eia, nunc esse ego opinor Hercules, tu autem Linus.' Apuleium eo exemplo scripsisse censeam lib. VII. ' Summos illi promitterent honores habituri mihi:' nec mutem. Virgilius: ' sensit medios delapsus in hostes.' *Lipsius.*

Hic Trevir, hic Lingon] Forte, *ille Lingon.* Rhenan.

Animos ceterorum scrutari. Ubi quos] Fortasse melius corrigas ac distinguas, *scrutati; ubi quos.* Pichena.

Turingrorumque] Castigavi, *Tungrorumque.* Rhenan.

Furere discordiis pop. R.] Joseph. ἁλώσ. VII. 2. *Savil.*

Capi tum maxime] Emendavi, *capi cummaxime.* Rhenan.

Bellis destineri] Nos, *distineri.* Id.

CAP. 56. *De reliquiis Vitelliani exercitus*] In cod. manuscr. legitur, *reliquis:* subaud. militibus. *Idem.*

Infidisque legionibus] Non est in codice Budensi, sicut nec ablativus *artibus,* paulo post. *Idem.*

Extra conventum] * junxissent. Si tamen pura est lectio; nam libri quidam, *commentum* habent, Florentinus *cōmtum.* Nihil melius elicio. *Lips.*

Extra conventum amandatum in Frisios] Dixit supra eod. lib. Sed *conventus* ille mihi suspectus: nam cum jussu Civilis in Frisios avectus est Claudius, ipsi erant in campo, et in acie. Quid ergo proprie dictum de conventu? neque Flor. eam vocem agnoscit, qui habet, *córū tum.* Venetus *commentum.* An *extra conventum,* significat, privato, et clandestino ducum consilio, absque multitudinis frequentia et conventu, nulloque judicio amotum Labeonem? Idem fere Cic. pro Deiot. ' dico intra domesticos parietes: extra conventum, eam frequentiam, in qua Oratorum studia niti solent.' An potius longe a cœtu militari, ubi periculum erat, ne discordiæ semina Labeo præberet? *Pichena.* Lectio jam recepta omnium ineptissima. Quomodo enim *extra conventum amandatus,* qui ejus pars vix fuit. Id ea, quæ supra dicuntur, satis ostendunt. At vet. cod. habent *commentum.* Emendem: *extra continentem amandatum in Frisios.* Tum enim jubente Civili in Frisios amandatus est Labeo, ipse non in insula Batavorum, sed in expeditione et campo fuit. Id superiora liquido ostendunt. *Boxhorn.* Recte se habet vulgata. Vide, si libet, observ. III. 22. *Gronov.*

Et furtim magis, quam bello Caninefates, Marsacosque incursabat] Muretus, *Marsaticosque.* Forsan et legendum, *furto.* Acidal.

CAP. 57. *Cum ducibus Germanorum*] Faërnus legebat, *Trevirorum.* Ursin.

Eadem rursus omnia] Castig. *eadem rursus numina.* Rhenan.

Eadem fata, ruptores fœderum exspectarent] Malo, *exspectare,* eadem sententia, sed meliori phrasi. Qui *exspectandi* verbum in hoc usu non noverant, mutarunt. Dele etiam comma post *fata.* Acidal.

CAP. 58. *In tot malis hostium*] Mala quæ adversus me ab hostibus parantur: eritque nomen ancipiti significatione, ut *vulnus.* 'Et vulnere tardus Ulyssi.' Gell. IX. 18. ' Cum diceret vulnus, non quod accepisset Ulysses, sed quod dedisset.' Sed quinam hi hostes? Classicus, Tutor, et cæteri Galli, quos paulo ante *occultos* appellat, qui post manifestam defectionem occulta expromunt, vincula scil. sive necem Voculæ pacisciuntur: ' Pignusque tanti sceleris nece aut vinculis legatorum daretur.' *Salincrius.* Vocem, *hostium,* conatur Salmerius defendere. Lipsius varie emendat. Ego corruptam censeo ac legendum, *hodie.* Nam illa ipsa die mortem Vocula expectabat, immo statim post concionem de supremis agitavit. *Pichena.* Quicquid de retinenda aut mutanda voce *hostium*

Lipsius afferat, mihi delenda plane videtur. *Acidalius.* Mihi facilis correctio fuit, *Mortemque in tot manibus hostium.* Videtur Tacit. vestigia Sallustii, ut solet, legere, apud quem Cæsar: 'In luctu atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse.' *Colerus.* Tentabam, *otium et finem miseriarum*, Observ. I. 14. *Gronov.*

Id enim fas armorum et jus hostium] Verbum a Tacito plerunque omittitur, neque hic opus est: tamen optimus Flor. addit, *et jus hostium est.* Pichena.

Si fortuna in præsens, virtusque deseruit] Vocabulum *virtusque* non est in lib. manuscripto. *Rhenanus.*

Etiam vetera exempla deficiunt] Interrogatione hæc inspiranda, languentia alias ac jacentia. *Acidal.*

Deficiunt, quotiens Romanæ legiones perire præoptaverint, ne loco] Ita legitur in Flor. ac Ven. absque ulla interrogationis nota, quod mihi melius visum. Nunc vulgatam lectionem refero, *deficiunt: quotiens Rom. legiones perire præoptaverunt ne loco.* Pichena.

Tolerant nunc maxime inopiam obsidiumque apud Vetera] Emendavi, *tolerant cum maxime inopiam apud Vetera.* Rhenanus.

Pecunia nuper etiam e donativo suffecit] Ita Faërnus legebat. *Ursinus.*

Donativo sufficit] Imo, *suffecit.* Nuper enim donativum acceperant. Supra. *Lipsius.*

Centurio denique aut miles] Reposui, *centurioque aut miles.* Rhenanus.

Augentur excubiæ] Nos, *agentur exc.* Idem.

Si vobis non fuit cordi] * Nec quidquam hic scrupi aut nodi. Rhenanus tamen ait in Budensi, τὸ *cordi*, non legi: ex quo ille juratus emendat, *si vobis non fuit:* id est, licuit, inquit, more Græco. Bene Beate manibus tuis sit, nam perjuria hæc litteratorum, pariter ac amantium, ut spero, venti auferunt. *Lipsius.*

Ut si vobis non fuit cordi, me duce hæc castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui fædarique a Tutore et Classico ne sinatis] Fœde hunc locum interpolatum ausim jurare: nam dativus *cordi* non est in exemplari regio, nec sex istæ voces, *certe pollui fædarique a Tutore et:* sed tantum, *At Classico ne sinatis.* Dixit autem Tacitus imitatione Græcorum *si non fuit* pro si non licuit: nam ἐστὶ pro ἔξεστι illi usurpant: *Vobis me duce hæc castra incorrupta et intemerata servari, at Classico ne sinatis.* Quasi diceret; Æquius feram, si alius quispiam id faciat. Nam Classicum, quum *provincialis* sit, ista non decent. Totam sententiam sic legeris, *Te Jupiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, Te Quirine Romanæ parens urbis, precor venerorque, ut si vobis non fuit, me duce hæc castra incorrupta et intemerata servari, at Classico ne sinatis.* Idem.

CAP. 59. *Prohibuere fœdissimam mortem*] Fœdissimam vocat mortem, quæ desertoris proditorisque manu obvenit. *Pichena.*

Occisis Magontiaci tribunis] Distinctio mutanda; *in eadem verba adigit, occisis Magontiaci tribunis, cæso castrorum præfecto, qui detrectaverant. Classicus, &c.* Nam ita est.* *Mercerus.* Transposui punctum a verbo, *adigit*, ad verbum *detrectaverant*, monente Mercero; clarior enim sententia redditur. *Pichena.*

CAP. 60. *Aut qui ipsos leves*] Vol. manuscr. habet, *at qui ipsos.* Malim, *ac qui ipsos.* Mox nos, *ad quintum fere lapidem coorti Germani.* Rhenanus. Correxi, *atque ipsos*, quia Flor. habet, *atqui ipsos*, unde vulgo, *ac qui ipsos.* Pichena.

CAP. 61. *Propexum rutilatumque crinem*] Non addit Tacitus, an mœroris causa Civilis barbam capillumque raserit, quod morte Germanici ad indicium maximi luctus factum

esse a regulis testatur Sueton. Cal. 5. Romanis vero in usu non fuit barbam in luctu ponere. Id tamen barbaro voto a Civili factum Tacitus tradit. *Lupanus.* Notat Lipsius exempla quædam in barbaris. At Cæsar ipse usurpavit quoque narrante Sueton. 'Diligebat quoque usque adeo (milites) ut audita clade Tituriana, barbam capillumque submiserit, nec ante dempserit, quam vindicasset.' Sed ab alia hoc consuetudine, qua in luctu squallorem omnis generis affectabant. Sic et Augustus apud eundem c. 23. *Acidal.*

Patrata demum clade] Tac. de morib. Germ. 'Aliis Germanorum populis usitatum rara et privata cujusque audentia apud Cattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere.' *Savillius.*

Augescente superstitione arbitrentur Deas] Muretus, *arbitrantur.* Lib. de morib. Germ. 'Vidimus sub Divo Vespasiano Velledam, diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed et olim Auriniam, et complures alias venerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas.' *Acidal.*

Cap. 62. *Legio* XIII.] Immo *sextadecima.* Sed ita non semel peccatum in Taciti libris, nota ternarii pro senario. *Mercer.*

Revulsæ imperatorum imagines, innexa signa] Pro *innexa* legitur in cod. reg. *inhora.* Conjicio fuisse scriptum a Tacito, *symbola. Revulsæ imperatorum imagines, symbola, signa.* Rhenanus. Cum in v. c. sit *inhora* pro *innexa,* posset legi, *mota signa.* Ursinus. Plerique veteres cod. interque eos Florent. habent *inhora.* Quod autem in vulgatis repositum fuit, *innexa,* nullibi in Mss. invenitur. Lipsius nuper corrigendum censuit, *inhonora,* id est, squallida, non uncta, non nitida. Quam correctionem recepi: ac fortasse etiam *inhonora signa* dicuntur, quia revulsæ ab iis Imperatorum imagines fuerant. *Pichena. Innexa signa,* id est, non nexa pilis vel coronis, quibus comebantur. Doctiss. vir ad Ann. l. XV. *Salinerius.* Locus mire vexatus ferro critico; forsan immerito: nam si lectio ista exstat in Mss. omnibus, habet quo se tueatur; ut dicat nimirum, sine honore omni, sine gratia, signa omnia conjecta, conjectaque in unum quasi fascem. Sic alibi legimus, 'innexus sanguine,' 'innexus adfinitatibus.' Aliquando conjectabam *impexa signa,* pro incomptis. Sed enim cum extet in ed. Rom. *revulsæ imperatorum imagines in ora fulgentibus hinc inde,* sine voce *signa,* quam extare in Vat. veteri ipsemet Lipsius diserte non scribit, lectio illa omnibus fere coloribus mihi satisfacit; ut velit: nusquam adspectata signa aut aquilas Romanorum; palam et passim, incurrisse tantum vexilla Germanica. *In ora* dictum eo modo, quo 'præter ora,' hoc eod. lib. c. 31. *Gruterus.*

Cap. 63. *Sævitia ingenii*] Vulgo, *sævitia ingenita:* at ego, *ingenii,* quia in Flor. ac Ven. legitur, *sævitia ingenti.* Lipsius ex Vat. idem affirmat. *Pichena.*

Cap. 64. *Sed præcipuo Deorum*] Flor. *et præcipuo.* Idem.

Quomodo lucem noctemque] Perspicue rectum, atque ita in Vatic. Vulgo, *lucem diemque,* quasi ea differant. *Lipsius.*

Quomodo lucem diemque omnibus hominibus] Ita in Flor. ac Ven. atque in omnibus aliis exemplaribus quæ viderim. Lipsius tamen, quia in Vat. invenit, &c. * *Pichena.* Bene vulgo, quid τῷ *noctem* cum verbo *aperuit?* at naturam dicit ejusmodi mortalibus aperuisse, respiciens ad ea, *nam ad hunc diem flumina et terras, et cœlum quodammodo ipsum clauserant Romani.* Cæterum *lucem diemque* pleonasmus est, ut nos docte monitos voluit acutiss. Pichena. *Saliner.*

Abruptis vectigalibus] Id potius est

quam *voluptatibus*, qnod hæsitanter doctiss. vir hic induxit. Sed qui fit, ut Romani vectigalibus plus valeant adversum subjectos, quam armis? his victos suæ ditionis tantum faciunt, illis exuunt bonis, ita ut impares oneribus ferendis veneant in servitutem: quod paulum abfuit, quin cunctis Frisiis eveniret Ann. l. IV. 'ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora conjugum, aut liberorum servitio tradebant.' Sic armis vincunt, qui rebellare aliquando valent: quos deinde vectigalibus adeo conterunt, ut vires et cogitationes desciscendi penitus amittant. Dices Frisios avarissime habitos, injurias tamen ultum isse. Ann. IV. 74. 'Clarum inde inter Germanos Frisium nomen, dissimulante Tiberio damna.' At ego tibi occinam vulgatum illud οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς: i. *non est cujusque navigare Corinthum.* Et ii remedium in principio mali a desperatione sumsere. Vel simplicius, pecunia nervus est bellorum. Hist. l. II. 'sed nihil æque fatigabat quam pecuniarum conquisitio, eos esse belli civilis nervos dictitans:' eoque Romani victos ita per vectigalia spoliabant, ut nnquam reparare bellum nequirent, quod armis tantum victi redintegrare potuissent. *Saliner.*

Cap. 65. *Metu futuri*] Nos, *metus futuri.* Quando neque subire conditiones, metus futuri, neque palam aspernari conditio præsens sinebat. *Rhenanus.*

Eductis olim] Scribe, *deductis olim*: colonos veteres intellegit. *Lips.*

Deductis olim] Vulgo, *eductis.* Lipsius, *deductis.* Vere, nam Flor. idem habet. *Pichena.*

In vetustatem consuetudine] Aptius et concinnius visum, quam illud tritum, *vetustatem et consuetudinem.* Quod autem posui, in Farnesiano est. *Lips.*

Ipsa edita in turre] * haud temere spernenda. Ut de fatidico numine quopiam loquitur; cui rei apta hæc Adytorum vox. Vulgata nihilo secius valde probo. *Idem.*

Delectus e propinqua consultis] Castigavi, *delectus e propinquis consulta, &c.* Rhenanus.

Cap. 66. *Turingrorumque et Nerviorum*] Nos, *Tungrorumque.* Item paullo post, *ex primoribus Tungrorum*, pro *Turingrorum.* Idem.

Germani transnatantes] Flor. *tranatantes*, unde vulgo, *tranantes.* Ego id verbum restitui, ad alia ipsius Taciti exempla, qui prox. lib. ait: 'Bructeorum cuneus transnatavit:' et inferius: 'Civilis relicto equo transnatavit.' *Pichena.*

Vigens rerum] Reposui *ingens rerum.* Sic Ann. l. I. 'ingens animi.' *Rhenanus.*

Cap. 67. *Projectis fœderis Romani*] Aut nihil, aut nimis, in hoc loco video. Quale istud est, projicere monumenta fœderis? pingue et insulsum. Aliorsum emendatione traxerim: *prolectus Romani generis monumentis.* Sabinus, inquit, invitatus et inductus stirpis suæ origine, Cæsarem se appellat. Quid mirum! ecce supra scriptum: 'Sabinus falsæ stirpis gloria incendebatur. Proaviam suam, D. Julio per Gallias bellanti, corpore et adulterio placuisse.' Possis eodem sensu: 'prolatis R. generis.' *Lipsius.*

Projectis fœderis Rom. monumentis] Suspecta hæc Lipsio, et fortasse non injuria: ideoque corrigenda putat. Si autem vulgata lectio retinenda est, ego duplicem utcumque ex ea sensum elicio. Primum, ut de fœdere intelligatur, quod Romani cum Gallis icerunt, juraudo scilicet pro imperio Galliarum: atque ita fœdus projecisse, hoc est, fregisse Sabinus dicatur, cum se Cæsarem appellaverit. Galliarum enim fœdus a Tacito inferius vocatur cap. 76. et 77. Secundus sensus videtur: Sabinum ea rebellione abjecisse fœdus, quod Lingones cum Romanis babebant. Supra enim constat, Lingones et Treveros

fuisse socios fidosque Romanis, ante alios Galliarum populos; et paulo infra apparet, eos contra Vindicem cum Vergilio bellasse, quando omnes fere cæteri Galli fidem erga Romanos exuerant. Judicium tamen integrum lectoribus relinquo. *Pichena.*

Quibus artibus] Xiphilin. *εἰς μνημεῖον ὑπόγειον κατέδυ, ἐκρύφθη τε ἐν αὐτῷ ἐννέα ἔτη μετὰ τῆς γυναικὸς, καὶ παῖδας ἐξ αὐτῆς δύο ἄῤῥενας ἐκύησε*: i. *subterraneum specum subiit, latuitque in eo cum uxore novem per annos, genuitque ex ea duos filios.* Plutarch. *ἐρωτικῷ* large describit integram historiam cum omnibus circumstantiis. *Savil.*

Insigne Epponinæ] * Tota historia dignissima lectu, apud Plutarchum diffuse est in Erotico extremo. Aliquid et Dionis compendium, in Vespasiano. *Lipsius.*

Epponinæ] At Plutarchus *Emponam* scribit, et id nomen Gallis Heroinam signare addit: *ἦν δὲ γυναῖκα*, inquit, *πασῶν ἀρίστην ἡγμένος, ἣν ἐκεῖ μὲν Ἐμπονὴν ἐκάλουν, Ἑλληνιστὶ δὲ ἄν τις ἡρωΐδα προσαγορεύσειεν. Idem.*

Cap. 68. *Nequaquam egregii*] Mercero accedo: *ne, quanquam egregii duces (jam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent.* Idem.

*Nequaquam egregii ducc*s] Quid certius quam legendum, *Ne, quanquam egregii duces (jam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent?* Mercerus. Restituit egregie Mercerus fere sola distinctione. Vulgo, *angebant. Nequaquam egregii duces, jam enim, &c.* ac deinde *tolerare.* Nonnihil juvat ipse Tacit. Hist. l. II. ‘ diffisus paucitate cohortium, ne longius obsidium et vim Germanici exercitus tolerarent.’ *Pichena.* Annius et Cerialis non ita egregii duces erant ut iis satis tuto bellum delegaretur adversus Galliæ Germaniæque conspirationem. At cur eos Mucianus elegit? Nondum audierat quæ postea rescivit. ‘ At Romæ cuncta in deterius audita Mucianum angebant.’ Hæc autem Muciani æstimatio de Annio deque Ceriali facta fuit recta lance. Quid enim aliud in Annio laudatur quam maturitas? Hist. l. I. ‘ vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut cuique erat, criminando.’ Quæ profecto despectui non est habenda, sed neque par videtur summæ hujus gravissimi belli, cui (si alia non præstaret) non satis ille fuisset, ‘ Unus qui nobis cunctando restituit rem.’ Cerialis gesta quando pulchre procedebat, sæpius erant imputanda fortunæ; ‘ Cerialis ut incuria prope rem afflixit, ita constantia restituit.’ Et ‘ ipse pugnæ avidus et contemnendis quam cavendis hostibus melior.’ Addas ‘ sane Cerialis parum temporis ad exequenda imperia dabat, subitus consiliis sed eventu clarus. Aderat fortuna etiam ubi artes defuissent.’ Cæterum Cornelius deprehenditur in dissidio manifesto. In Agric. ‘ Magni duces egregii exercitus, minuta hostium spes, et terrorem statim intulit Petil. Cerialis, Brigantum civitatem, quæ numerosissima totius provinciæ perhibetur, aggressus.’ Concilio: Magnus dux Cerialis in comparationem decessorum, et bello cum hoc nequaquam comparando, vel eruditus prosperis et adversis hujus belli postea clarus et magnus habitus est. At doctiss. vir Mercerus et Pichena varie corrigunt, nefas rati si Gallus et Cerialis inter gregarios duces recenserentur. *Salinerius.* Non tollit certe corruptionem Lipsius, nec felicius Muretus legendo: *Nec quanquam egr., &c. Summa belli poterant tolerare.* Nos speramus restituisse: *angebant, ne quamquam egr. d. jam enim G. A. et P. Cer. delegerat, summam belli parum tolerarent.* Acidalius.

Petilius Cerialis] Joseph. ἁλώσ. VII. 11. nonnihil a Tacito abit, et labi ipsum asserere ausim, quod Cerialis *ὥσπερ ἐκ δαιμονίου προνοίας* legatus in

Britanniam missus fuerit (ἄρξων Βρεττανίας), et in itinere audita Germanorum et Gallorum seditione composuerit animos. *Savil.*

Arrio] Ita semper in Flor. legitur, non, *Ario*, ut in vulgatis et a Tacito ipso sæpe eodem nomine appellatur. *Pichena.*

Arretinum Clementem] Scribendum, *Arricinum*, ex antiqua inscriptione quam vidimus olim in schedis apud Benedictum Ægium Spoletinum, Rom. antiquitatis virum curiosum, et ita emendandum apud Sueton. Dom. 11. *Ursin.*

Lætum militibus nomen] In Ms. cod. est, *ide nomen.* Fortasse scribendum, *id nomen.* Rhenan.

Quamquam Senatorii ordinis] * ab equite Romano administratam.' Occulte adsentitur Plinius Præfatione operis: 'Dum illud patri pariter et equestri ordini præstas, Præfectus prætorio ejus.' Tamen noster palam adfirmat Clementem hunc Arretinum, et Præfectum et Senatorem fuisse. Adde quæ notavi ad l. IV. supra. *Lipsius.*

Atque ipsum, quanquam Senatorii ordinis, ad utraque] Pugnare isthæc cum Suetonianis et Plinianis, bene monuit disertiss. Lipsius, quos non purgat culpæ. Facio ego, qui testor exstare in edit. Rom. principe, *atque ipsum tanquam, &c.* ex qua patet, alteram lectionem controversam, neque secundum eam statim pronunciandum judici. Quid autem hic proprie velit, per angustias temporis non licet exputare, et satis est, reatu saltem distulisse Tacito. *Gruter.*

Assumuntur e civitate clarissimus quisque] Scil. ex suspectis Muciano, quos ille honoris specie ad bellum Gallicum ablegabat. *Pichena.*

Legiones victrices VI. *et* XVIII.] Bene Savilius, *Sexta et octava:* et mox, VI. *et* X. *ex Hispania.* Mercer. Ex historiæ fide admonuit Mercerus restituendum VI. *et* VIII. Idem innuit Flor. in quo corrupte legitur, *legiones victrices vim.* XI. VIII. Pichena. Immo vero *Sexta et octava.* Casuum discrimen sustulerunt notæ, quæ videntur fuisse in libris Ms. VI. *et* VIII. *Freinshem.*

Tertia ac prima] Savillius legit: *Sexta ac decima.* Nam supra sic in Hispania collocavit. Tamen et Tertia ibi fuit, et diuturna: nec aliam caussam arbitror, cur Hispani hodieque legiones suas *Tertios* appellent. *Lipsius.*

VI. *et* X. *ex Hispania accitæ*] Hunc etiam legionum numerum recte emendavit Savillius Anglus, ut idem Mercerus testatur. Immo ipse Tacitus eas sic appellat lib. præced. *Pichena.*

CAP. 69. *Unde vis auspiciumque*] Nos, *unde jus ausp.* Rhenan.

Per jurgia jactantibus] Sumpsi lectionem a P. Manutio: qui amice mihi in pomeridiano sermone contribuit. Nam vulgo est, *perjuriaque jactantibus:* in manuss. *perjuria jactantibus:* quod Manutianam conjecturam firmat. Romano tamen libro est, *pro jure jactantibus:* quod rejicere, injurium sane sit. *Lipsius.*

Perjuriaque jactantibus] Doctiss. vir verbis P. Manutii *per jurgia.* Eam conjecturam (bona venditoris gratia) titivilitio non emerim. Quisque id proferebat, quo rebatur se valere ad obtinendum principatum; pars se eo dignos ducebant, quod multis fœderibus essent muniti: plerique recensebant vires et opes: nonnulli originis vetustatem. Quidam rebelliones adversus Romanos, quasi merito princeps ille populus esse deberet, qui adversus Romanos non semel fœdifragus misericordiam penitus consumsisset. Hæc ultima certe apud Germanos potentiam imprimis conciliabant. Quanam enim alia de causa Civilis gloriabatur majores suos hostes populi Rom. fuisse? 'ipse e majoribus suis hostis populi Rom.

quam socius jactabat.' Sed eadem pura puta Brinio in ducem ascitus est. Hist. IV. 15. Hæc mihi præivit Lazarus Superantius patricius Venetus, quem nunc nuper magno literarum detrimento luxi lugeoque; φίλτατος enim ἑταίρων erat: is multa et egregia scripsit, quibus longum vivet. Placide quiescat et nos *ab infirmo desiderio et mulicbribus lamentis ad contemplationem virtutum suarum* vocet, *quas neque lugeri, neque plangi fas est.* Cæterum amici memoriam venerantes, serio cavebimus, ne quis in nos merito jaciat illud Sophoclis Ajac. mastigoph. φεῦ φεῦ τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς Χάρις διαῤῥεῖ: *Heu heu ut cita apud homines gratia mortuorum defluit!* Saliner.

Cap. 70. *Præsidiis claudere*] Rom. *Præsidiis capere:* quod recipio. *Lips.*

Unaetvicesimu legio Vindonissa] Non legionis nomen, Vindonissa, primo casu, sed sexto, oppidum Helvetiorum: unde irrupisse ait legionem unaetvicesimam, quæ ex Vitellianis fuerat, et *Rapax* cognominabatur, ut alibi Tacitus. Vindonissæ etiam meminit supra; 'Cohortium, alarum, legionum hiberna subversa crematque: iis tantum relictis quæ Magoutiaci ac Vindonissæ sita sunt.' *Pich.*

Acerrima proximorum odia] Exsequitur Aristoteles, VII. Politic. c. VII. et caussam donat: vide. Sed breviter, pro nostra re: Proverbio jactatum ait, Χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν· καὶ, Οἵ τι πέρα στέρξαντες, οἰδὲ καὶ πέρα μισοῦσι: *Gravia fratrum bella:* et, *Qui nimis amant, nimis oderunt.* Lipsius.

Carucutium] In manuscr. libr. utrobique, *Ceracates.* Rhenan. Cluverius *Numetum* et mox *Nemetibus.* Sed hæc nimis abeunt a veterum et vulgatorum vestigiis. Suspicabar *Vungionum, Tabernatium, Tribocorum:* deinde, *Tribocis Vangionibusque et Tubernatibus.* Ipsum Cluverium vide Germ. Antiquæ l. II. 12. *Gronov.*

Delectu auctus] Sic Flor. Nec male etiam vulgati, *lectu.* Pichena.

Honesto transfugio rediere] Mihi sententia suadet scribere, *redemere.* Honesto transfugio redimebant scelus interfectæ cohortis. *Acidal.*

Pontem Naræ fluminis] Non celebratus hic fluvius ab auctoribus est; solum Ausonium mentionem ejus faeere deprendi: 'Transieram celerem nebuloso flumine Navam.' *Alciatus.* Nos, *Navæ fluminis,* non, *Navas fl.* Rhenan.

Cap. 71. *Rigodulum venit*] Vatic. *Ridogulum.* Hodie dimidiatum nomen tenet, aliquot milliaribus supra Confluentes, pagus *Rigol* dictus. *Lips.*

Tertiis castris Rigodulum venit] Terminatione locorum Gallicanorum solemni legerim, *Rigolodunum.* Assentior doctiss. Lipsio esse pagum, qui hodieque *Rigol* dicitur. Aventinus Confluentiam esse credidit. *Coler.*

Montibus et Mosella amne] Reposui, *Montibus aut Mosella a.* Rhenanus. Libri veteres, *montibus et Moscila.* Tamen Rhenanus reposuit, *aut Mosella:* minus proprie; non enim alterutrum munimentum intelligitur sed utrumque. *Pichena.*

Paulum moræ in assensu] Castig. *in adscensu.* Rhenanus.

Ut ventum ad manus] Flor. *in manus.* Fortasse non male. Sic Ann. l. II. 80. 'ut venere in manus.' *Pich.*

Cap. 72. *Redigeret prædam in fiscum*] Posset etiam legi, *redigeretur prædа in fiscum.* Nam volumen Matthiæ regis habet, *redigeretur.* Rhenan. Ex Flor. *redigetur præda in fiscum.* Vulgo, *redigeret prædam.* Pichena.

Cerialis metu infamiæ] Vulgati, *Cerialis a metu.* Mihi vox aliqua excidisse videtur, et alternasse caussas, ut solet Tacitus: *Cerialis emptus, an metu infamiæ:* sive, *Cerialis clementia, an metu.* Lipsius.

Cerialis a metu infamiæ] Proba hæc sunt nec Tacito insoleutia. Ann. l. XVI. 'plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem

crediderunt, ne a libertate moveretur.' In Agric. ' cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus, et rubor, a quo se contra pudorem muniebat.' Nempe quo rubore semper coloratus, nunquam dignosci poterat, an eum aliquid puderet. Immanem bellnam, qui nihilominus verecundiam sibi vendicabat. Sueton. c. 18. ' commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud senatum sic quondam jactaverit: usque adhuc certe animum meum probastis et vultum.' Liberius certe Caligula apud eundem c. 29. *Saliner.*

Posito civili bello] Est in vol. Matthiæ Corvini, *posito civium bello.* Rhenan. Flor. *civium.* Pichena.

Qui vocem precesque adhibere] Indecorum hoc et inconveniens, ut victores lacrimis silentioque veniam aliis petierint. Nec scripsit aut sensit hoc Tacitus, sed contra de ipsis legionibus deditiis. Itaque unam litterulam addo saltem, quæ sensum plane mutet in diversum, legoque *quia*, non *qui.* Muretus *qui* ipsum deletum ibat: quod ad sensum æque bonum, ad sermonis textum minus. Et facilius est unam litternlam perisse quam tres omnino temere natas. *Acidal.*

Quæ militum ducumque] Ex Flor. sic restitui. Vulgo, *ducumve.* Pich.

Primum illorum stipendiorum] Scripsi, *primum illum stipendiorum.* Rhenanus.

Cap. 73. *Ne quisquam alienum servitium*] Nos, *nec quisquam ulien. ser.* Rhenan.

Cap. 74. *Id solum vobis addidimus*] V. c. habet, *adjicimus*, sed placeret, *ademimus.* Ursinus. Suavius hoc *addidimus*, quam bonus Fulvius putavit. Significat enim interdum quæ Menander vocat ἐπίθετα κακὰ, ut sit, oneris imposuimus, durius in vos statuimus: ut Maroni ' Teucris addita Juno.' Vide ad Senecæ Herculem Furentem ver. 1237. *Gronov.*

Laudatorum principum] Acuta gnome: quam non abest quin callide abductam Sallustio credam, in oratione Sullæ ad Bocchum. * *Lipsius.*

Parabantur exercitus] Castig. *parabuntur.* Rhenan.

Quid aliud quam bella] Oraculum, cujus fidem proavi viderunt: et nos videmus, videbimusque, quamdiu secta in tot dominos Europa non audiet unius Aurigæ habenas. Plutarchus igitur vere, &c. * *Lipsius.*

Cap. 75. *Quanquam nuntios occultarent*] * fama tulit.' En Agrippina Ann. l. XII. ' vocabatur interim senatus, votaque pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant, cum jam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur.' *Saliner.* Neque ego vulgatam lectionem sperno. Sed nec Lipsio nec Salinerio assentior. Ille ex Farnes. legit *nuntii:* hic *nuntios* interpretatur pro ipsa re quæ nuntiatur; et verbum, *occultarent*, ad Domitianum et Mucianum refert. Ego censeo, &c. * *Pichena.*

Muciani et Domitiani vana et sine, &c.] Nimis frivolum est in Flor. legi, *Muciani et Domitiuni:* tamen propter copulam sequentem, elegantius videtur. *Idem.*

Qui attulerat ipsus epistolas, ad Dom.] Lego, *qui uttulerat, ipsasque epistolas.* Acidal.

Cap. 76. *Aut voto stare*] Liber manuscr. tantum habet, *aut vastare.* Fortassis, *aut clam stare.* Rhenan.

Transvectam e Britannia] Ita Flor. Vulgo, *a Brit.* Pichena.

Qui ab ipsis spernentur] Nos, *sperentur.* Rhenan.

Ex reliquiis Germani exercitus] Reposui, *Germanici exercitus.* Rhenan.

Imperitia militum sed adolescentuli] Duas voces *militum sed*, exemimus, ut legatur, *non imperitia adolescentuli, verba, &c.* Rhenan.

Cap. 77. *Vium inter Mosellamque*

flamen] Tacitus debuisset, exemplo historicorum, quos habemus probatissimos, hic se exactiorem præstitisse chorographum, atque istius prælii locum accuratius descripsisse, quæ fluvii pars Romanis castris teneretur, et quæ ratio situs quoad urbem. Nunc ut ea defunctus, &c.* *Savil.*

Excusandum habeo] Alias, *accusandum.* Ferrettus.

Oblitos prædixerim] Vocem, *prædixerim*, corruptam, aut superfluere vides. Rodolphus pro ea legisse videtur, *oblitos, proximam memoriam.* In Florentino est, *temere*, pro, *tenere.* Quo leni ductu, hæc concinno : *oblitos, redisse in memoriam R. s. temere credidi.* Et collineavi, atque attigi. *Lipsius.*

Quod vos Gallici fœderis oblitos prædixerim] Malim, *prædixi*, propter scripturam cod. Bud. *Rhenan.* Video neque constructionem in hac lectione constare, neque ullum sensum, sed cum et antea locus haud minus corruptus esset, placuit saltem restituere juxta Flor. *temere credidi*, pro eo quod in vulgatis legebatur, *tenere credidi :* cujus adverbii indicio emendationem excogitavi, fortasse auctoris sententiæ non alienam : *quod vos Gallici fœderis oblitos, et retinere memoriam Romani sacramenti, temere credidi.* Pich. Latet ulcus aliquod, nam Rom. edit. non agnoscit ullam literam vocis, *tenere*, quam tamen haud facile ejecerim ; sed secutus cod. Flor. auctoritatem tentavcrim : *quod v. G. fæd. obl. produxisse mem. sacr. temere credidi.* Gruter. Veniebat sub acumen stili : *quod vos Gallici fœderis oblitos repetisse memoriam Romani sacramenti temere credidi.* Justinus l. xxxv. ‘ prioris sacramenti religionem novi regis superbiæ præferentes.’ Suetonius Claudio 13. ‘ legionibus, quæ sacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis.’ Cum *memoriam* dicit, intelligit reverentiam. *Gronov.*

Cap. 78. *Tutor, et Classicus, Civilis*] Addidimus particulam, *Tutor, et Classicus, et Civilis.* Rhenan.

Legio unaetricesima] Male vulgo, *legio vicesima prima*, nam ut Mercerus ad Hist. l. i. monuit, nunquam apud Tacitum, vixque apud alios veteres, dicitur *legio decimatertia, decima quarta, decima quinta, &c.* : sed *tertia decima, quarta decima, quinta decima*, semper minori numero præposito. Hic in Mss. legitur, *legio* xxi. Erravit librarius qui scripsit *vicesima prima*, cum *unaetvicesima* scribere debuisset. Idem error alibi irrepsit. *Pichena.*

Res afflixit] Nos, *rem afflixit.* Rhenan.

Cap. 79. *Flagrantissima cohortium suarum integra manu, et e Chaucis*] Ablativum *manu* delevi. Expone, *Non invalidus, flagrantissima cohortium suarum*, id est, Quæ inter cohortes ardentissima erat, integra, subaudi existente. *Rhenan.* Duxit me ad hanc lectionem, *flagrantissima cohortium suarum integra, quæ ex Chaucis Frisiisque composita, Tolbiaci*, Florentinus, qui habet, *integraque.* Vulgo enim et corrupte, et confuse : *Flagrantissima coh. s. integra, et e Ch. Fr. composita. Tolbiaci.* Pichena. Quid non recte dictum ? Chaucorum et Frisiorum multi evasere cum Civili, quos, ante propriis cuneis compositos, nunc numero minuto in unum miscuit, disponebant enim barbari quasque gentes separatim Hist. l. iv. 16. ‘ Caninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componunt.’ Eadem de Chaucis dicenda sunt : qui inter auxilia Civilis. Ibid. *Civili Chaucorum auxilia venere*, qui per se gens magna et valida : de moribus Germ. 16. Doctiss. autem vir legit, *flagrantissima coh. s. i. manente, e Chaucis.* Nonne invalidum Civilem facimus cum una tantum cohorte ? *namque et Civilis illuc intenderat non invalidus, &c.* At victus fuit, non inficior : verum non profligatus. *Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen*

hoste omisso spolia consectandi. Sit ergo *manu integra:* plus una cohorte. Virg. Æn. I. 'scelerum pœnas expendimus omnes Vel Priamo miseranda manus.' *Saliner.*

Tolbiaci] Farnes. *Colbiaci.* In itinerario Antonini, *Tobiaci.* Lipsius.

Galbiaci in finibus] Nos, *Tolbiaci.* Quidam *Tobiacum* appellant, ut Antoninus in itinerario, et alii. Paulo post, *Turingosque.* Nos, *Tungrosque.* Rhenan. Dicitur in Antonini itinerario, *Tobiacum vicus Supenorum:* ubi in Longolii libro teste doctiss. Surita, *Supernorum*, quos tamen ego *Supernos*, qui fuerint, ignoro. Et fortasse legendum fuerit ibi *Tolbiacum vicus Gugernorum.* Tac. Hist. l. v. *Batavi, Gugernique.* Non procul Novesio et Gelduba abfuisse, proximos autem Agrippinensibus constat, Juliacenses esse hodie Dinæus et Rhenanus opinantur. Tolbiacum vero nomen hodieque refert, Zulpich. *Colerus.*

Cap. 80. *Favore militum anxius est*] Verbum *est* erasimus. *Rhenan.*

Arrogantia vocare offensas] Scribemusne *provocare*, an pro hoc illud capiemus? *Acidal.*

Cap. 81. *Statos æstivis flatibus dies et certa maris opperiens*] Recte Savillius: nam stati dies æstivis flatibus iidem; quibus certa navigatio a Maio ad Septembrem: de qua Vegetius, Apuleius, alii. At quod visum doctiss. Lipsio, *Etesiarum flatibus*, et tempestati anui et regionum rationi prorsus contrarium, quum Etesiæ navigantibus ex Italia in Ægyptum propitii sint, ex Ægypto in Italiam contrarii. Tacitus supra, Cæsar, alii. Quod bene monuit eruditiss. et exactiss. Savillius. *Mercer.* Ego fidenter pro *æstivis*, saltem *Etesiis*, minore mutatione ac pene nulla audeo mutare. *Etesii flatus*, ut Lucret. l. vi. 'Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur.' Dubium mihi tamen et ignotum, cur Vespasianus *Etesias* Alexandriæ nunc opperiatur. Festinabat ipse in Italiam transmittere quam primum: at hæ Italiam adnavigaturis non propitiæ, sed adversæ. *Acidal.*

Quis e cœlis favor] Vol. regium non habet *e cœlis*, sed *cœlis est.* Scripsi, *cœlestis favor.* Rhenan. Sueton. c. 7. 'Auctoritas et quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato et adhuc novo principi deerat, hæc quoque accessit: e plebe luminibus quidam orbatus, item alius debili crure, &c.' *Savil.*

Monitu Serapidis Dei] Vulgo, *Sarapidis.* Emendavi, Flor. et Ven. auctoribus, immo Tacito ipso, qui inferius ait: 'Fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum.' *Pichena.*

Manu æger] Ab hoc stetit Dio, sed in diversa parte est Tranquillus Vesp. 7. *Vertranius.*

Elapso in pravum artu] Castigavi, *elapsos in pravum artus.* Mox *posse integrare*, subaudi salubrem vim. *Rhen.*

Id fortasse cordi Deis] Id est, ut ii sanentur. *Pichena.*

Peracti remedii gloriam] Liber Manuscr. habet, *parati remedii.* Fortassis legendum, *patrati.* Sic lib. seq. 'Nec omnia patrandi fiducia.' *Rhen.*

Erecta quæ adstabat] Malim *arrecta.* Apuleius Miles. II. 'studia præsentum ad miraculum tantum certatim arrexit.' *Pricæus.*

Cap. 82. *Respexit pone tergum e primoribus*] In lib. manuscr. non est *e* præpositio. *Rhenan.*

Ex nomine Basilidis] Deducto a βασιλεύς. *Savillius.* Hoc est, futurum se regem, quia Basilidem viderat: nam βασιλεὺς Græcis *rex* est. *Ferrett.* * omen accipere dixit. Alexander Tyrum oppugnans, cum nihil proficeret, quieti se dedit. In somniis visus satyrum persequi, quem tandem comprehendit: excitatus, rem ad conjectores retulit, qui victoriam sunt

ex ipsius Satyri nomine polliciti, σὰ τύρος, id est, *tua est Tyrus.* Sexcenta alia possunt afferri, quibus supersedeo. *Lupanus.*

Cap. 83. *Origo Dei*] Hæc et Plutarcho memorata lib. de Iside et Osiride, paucis mutatis, et Eustathio in comment. ad Dionysium hisce apud Tacitum propiora narranti. *Savil.*

Antistitem cerimoniarum Eleusi exciverat] Tacitum scripsisse puto *Eleusine.* Vide quæ ad Senecas. *Gronov.*

Quæsitus qui in pontum meassent] Castigavi, *quæsitis qui, &c.* Mox nos, *Sinopen.* Rhenan.

Præcepitque navig.] Reposui, *præcipitque navig.* Idem.

Cap. 84. *Vulgus adversari regem*] Muretus mallet, *aversari.* At nihil magis proprium : *adversari,* pro reniti, vel obsistere. *Pich.*

Templum pro magnitudine urbis] Dionysius περιηγήσει: Ἔνθα Σινωπιτάο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον Χρυσῷ τιμήεντι κεκοσμένον. *Savil.*

De origine et adventu Dei] Scripsi, *de origine et advectu Dei:* quo vocabulo etiam supra usus est. *Rhenanus.*

Ptolemæo] Cognomine Εὐεργέτης. *Savil.*

Inclytum olim et veteris Ægypti columen] Restitui e Flor. copulam, quæ a vulgatis aberat. *Pich.*

Ditem patrem insignibus] Non explicat Tacitus hujus dei formam, quam in sacra histor. Rufinus ex Eusebio persequitur. Ubi addit ' Canopi fuisse simulachrum ;' unde merito quis credere possit, diversam ab ea statuam, quam Tacit. refert. *Alciatus.*

Cap. 85. *Benignitate Deum*] Joseph. ἁλώσ. VII. 11. Domitiano non vere, et per adulationem, tribuit gloriam ex isto bello ad finem perducto. *Savil.*

In discrimen verteretur] Reposui, *in discrimine vert.* Rhenanus. Ita ex libris veteribus. Rhenanus tamen reposuerat *in discrimine.* Pich.

Cap. 86. *Qua cogitatione bellum*] Spernimus ut spurcum, *Cogitare cogitutione.* Rom. eod. *qua contagione:* ex quo vere emendo, *contatione.* Contari, velut eonto explorare : et proprie noster hic usus. *Lips.*

Qua cogitatione] Adjuva distinctione ; *qua cogitatione, bellum adversus patrem cogitaverit, an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit.* Nihil clarius. *Mercerus.* Vulgo *adversus patrem cogituverit.* Et quoniam *cogitare cogitatione.* Lipsio ineptum jure videbatur, ipse corrigendum censuit, *qua cunctatione.* Mereerus distinctione juvare conatus, quod satis non facit. Flor. omnem controversiam dirimit, qui habet, *agitaverit.* Pichena. Vide quid gustus diversitas faciat. Doctiss. viro hæc spurca videntur, mihi candida, et intemerata sunt. Plaut. Pers. ' faciam ut mei memineris dum vita vivas.' Idem Stich. ' Cum hoc donavisti dono tuum servum.' Idem Menæch. ' Ita ego illum cura magna curabo tibi.' *Salinerius.* Cum extaret in edit. primaria, *contagione ;* ausus sum ejusdem insistens vestigiis, adlinere conjecturalem meam emendationem Suspicionum libellis, *qua rogitatione ;* quam etiamnum velim examinet lector : nam quamvis habeant membranæ Florent. *agitaverit,* nescio an unius ejusdem auctoritati adquiescere debeam. Utinam aliquis exoriretur tam superstitiosæ curiositatis, ut Vaticani et Farnesiani Codicum scripturas variantes singulas et universas bonas, malas, medias, nobis imputare vellet : ei certe apud me paratum præmium non mediocre, laudis ac gloriæ ; si modo id beneficii mei : verum quod a me non potero, id corrogabitur a benevolentibus ; prece, pretio. *Grut.*

Sperni a senioribus] Malim *senioribus* legere, cum de sapiente Indibrio Cerialis tentati modo loeutus fuerit. Sed et illud *altitudinem* æque

sonat corruptionem. Forte scripsit Tacitus: *in altitudinem conditus studiorum atque literarum et amorem carminum.* Barthius.

Simul simplicitatis ac modestiæ] Adverbium, *simul*, non est in exemplari regio, omittique potest. *Rhenanus.*

HISTORIARUM LIB. V.

Cap. 1. *Privatis utriusque*] Probam lectionem censeam et sententiam, absque libris sit: qui consensu omnes, *preliatis utriusque;* aut, *prelatis.* Ego quamquam intentus, nihil elicio. *Lipsius.*

Et præliantis utriusque rebus militia clarus] Codex Matthiæ regis habet, *et præliatis utriusque rebus.* Opinor legendum *et privatis utriusque rebus, militiæ clarus:* hoc est, etiam priusquam pater esset imperator factus, ac ipse Cæsar. Sic Hist. l. III. 'Fl. Sabinus ætate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat.' *Rhenanus:* Cum neque Vespasianus Princeps, neque Titus Cæsar esset. *Ferrettus.* Vulgati cod. *at privati utriusque rebus.* Quod Vertranius et doctiss. vir amplexi sunt, a Rhenano fluxit. Verum nihilo magis priora deletum eo, immo, sic interpretor. Titus militia clarus evasit, dum simul cum patre bellum gerit adversus Judæos. Erat enim inter ejus legatos. Suet. c. 4. 'Atque inter legatos majore filio assumto.' Ibique præter alia, 'Taricheam, et Gamalam urbes validissimas Judææ in potestatem redegit.' Quibus adstipulatur Josephus Antiq. l. IV. c. 4. Cæterum nec alio in loco religio Tacito fuit dicere *ἀκύρως præliari* pro *bellare.* Audi l. XIV. 'simul in urbem mandabat nullum prælio finem respectarent nisi succederetur Suetonio.' *Salinerius.* Quicquid dissentiant libri aut varient, proba sententia: verbis iisdem eodem sensu utitur et lib. III. Hoc firmandum duxi, ne quis Lipsii exemplo, qui elicere tamen, etsi intentus, nihil potuit, exsculpere aliud quid conetur. *Acidalius.*

Ut superior sui jam] Hic quoque me locus diu torsit, per singulos apices et ductus scripturæ veteris euntem. Sed exclamare tandem cum Philosopho possum, *εὕρηκα.* Budensis codex habuit, *Superior unam crederetur.* Vatic. *superiori unam.* Ex quo, vix duabus litteris leviter mutantibus, facio: *ipse ut super fortunam,* cleganti sententia. Titus, inquit, jam tum privatus clarus bello: nunc multo promptior, ut parem vel superiorem se potius fortuna hac Imperatoria ostenderet. Rhenanus divinabat: *ut superiori via ingrederetur.* Farnes. autem cod. et Rom. abeunt ab hoc scripto longius, *ut superior omnibus crederetur.* Lips.

Ut superior sui jam crederetur] Hic locus prorsum est vitiatus. In manuscr. lib. legitur, *ut superior unam crederetur.* Nec hæc lectio bene habet. Opus est ad divinationem confugere. Suspicor scribendum, *ut superiori via ingrederetur.* Hoc enim melius placet, quam si legamus, *ut uberior materia præberetur; ut* pro quando. *Rhenanus.* Ut se ipsum virtute vinceret

factus imperator. *Ferrettus.* Beatus legit, *superiori via ingrederetur:* sed longe petita et nimis insolens translatio in sensu verborum erit. Nihil igitor mnto, et scriptum sic accipio, ut Titus factus Cæsar sui ipsius privati virtutem soperaret. *Vertranius.* Seorsum sentio a Doctiss. viro, qoi hæc reformat ad hunc modum *atque ipse ut super fortunam.* At superare se ipsum tunc aliquem dicimus, cum nos ex jam dictis hyberbole fere deficit. Sic Socrates de ambitiosis Reip. administratoribus ἵν' αὐτοῦ τυγχάνῃ κράτιστος ἄν: i. ut is superior se ipso sit; apud Plutarch. Alcibiad. 2. Sic de Crasso Cic. de Orat. lib. III. 'tamen omnium consensu sic esse tuom judicatum cæteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a se superatum.' Quibus (si placet) annecte Tacit. Ann. III. 'postremo suasmet ipse spes anteire parat.' *Salinerius.* Vulgo, *ut superior sui jam;* quam lectionem ego cum Sallinerio non rejicerem, si a libris veteribus esset: at aliter Mss. omnes. Flor. et Vat. *ut superiori unam.* Egregie ergo Lipsius emendavit, *ut super fortunam.* Sic Sallust. in Jug. 'monere, ne tam prava inciperet, neo super fortunam animum gereret.' *Pichena.* Triumphat in emendatione Lipsius: nec ego impedio. Defendere tamen vulgatam scripturam, ne triumphetur, possum. Nam *superior sui* constructione Græcanica poni potuit a Tacito pro *superior se:* quæ multo sententia loco aptior est: Titus etiam privatus bello clarus, nunc promptiorem in armis se ostendebat, ut superasse jam se ipsum videretur. Insolentia saltem locutionis offendit non me quidem, sed qui sic quoque alios locutos nesciunt. Apuleius Metam. lib. IX. 'nec tamen sui molliorem provocaverat,' id est, se imbecilliorem, inferiorem: et Sidon. Apoll. Epithal. 'Qoa socer Omatos majorum major avorum.' Si tamen mutare lubeat, mihi sic placeat potius: *ut par orsui jam crederetur;* proxime ad vulgatam lectionem, nisi quod Syllaba *su* omissa. Et sane tale quid videtor velle dicere auctor, Ut cœpto huic, tantæ rei moli par haberetur: atque illuc potius omnia faciunt, quæ illum ait facere, quam ut super fortunam videri possit. Omitto, quod Tacitus parem potius fortonæ, quam super eam; nec universim fortonam, sed clarius et restrictius talem aut talem dicturus fuerat. *Acidalius.* Accedere eis non possum quibus adlubescit, *ut super fortunam;* ob rationes quas ante decennium adprobavi Jano Douzæ filio, et consignavi libellis Sospicionom: nec moveor quod in Flor. extet, *ut superiori unam:* ex earondem enim literarum apicibus æque finxetis. *Superior sui jam,* atque *Super fortunam.* Gruterus.

Tres tum in Judæa legiones] In manuscripto, *tres cum.* Lego, *tres cum, &c.* Atque sic castigavi. *Rhenan.*

Tradidit e Syria duodecimam] Poscente id sensu scripsimus, *Tradidit et Syria, &c.* Idem.

Cap. 2. *Judæos Creta insula profugos*] Judæis unde nomen sit inditum, nescit Dion, de quorum institutis et origine Justinum lege l. XXXVI. imprimis legendos censeo sacros libros, quibus historiæ veritas inest. Cæterum, quando gregis asinorum, &c. * *Lupanus.* Quamvis inscitiam Cornelii cum majoribus suis in religione cæcutientis, ridere nobis Christianis non liceat, audaciam tamen hominis, ne dicam perfidiam in ferendo testimonio de origine, stato, moribus, rituque Judæorom per Criticos si mirari, subinde ridere licebit. Is enim alienæ antiquitatis curiosus, in rebus referendis sibi cæterisque Romanis incognitissimis, ex auditione multa, ex incertis auctoribus plurima titubans ita testatur, ut fidem ipse elevet testimonii sui. Quanto prudentius Dio Cassius, qui Judæorum cognomen

unde dictum, ignorare se confitetur. Notum illud nobis illis non ignotum fuit, *κακὸν ἀνεμώλια βάζειν*. Jam vero nemo, &c. * *Vertranius.*

Aucto in Barbarum morem cognomento] Accusativus *morem* non est in cod. Budensi; nos quoque sustulimus. Nam sic et Ann. lib. v. ' Civitas potens, septa muris, neque in Barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens.' *Rhenanus.* In nonnullis Vett. libris additur *morem*, quam vocem jure spernas; nam neque in Flor. habetur, neque in aliis melioribus exemplaribus. Immo sic loquitur Ann. l. VI. 42. ' civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta.' *Pichena.*

Judæos vocitari, quidam regnante Iside] Glossema irrepsit in vulgatis, *Judæos vocitari, quasi Idæos.* Sed cum ea verba in Mss. ac præsertim in Flor. non inveniantur, merito fuerunt abjicienda. *Idem.*

Sunt qui tradunt] Nos, *tradant.* Rhenanus.

Mox proprias urbes Hebræasque terras] Regium volumen habet, *an mox pr. urb. H. terras.* Scripsimus, *ac mox proprias urbes H. terras.* Rhenanus. Muretus *ac* delet. *Acidal.*

Clara alii Judæorum initia] Dura ἔλλειψις. Legerim potius: *Clara Judæorum aliis initia.* Apud alios auctores, inquit, clara et augustiora Judæorum initia. *Colerus.*

Solymos carminibus Homeri] Strabo l. I. et XII. citat et refert hæc carmina ex Iliade et Odyssea. *Ferrettus.* Solymi a monte Solymo, populi majoris Asiæ sunt, tandem Milyes dicti, ut ait Strabo l. XIV. idemque Homeri versus, ex Iliade ζ. et Odyss. ε. producit: ut ibi 184. *Δεύτερον αὖ Σολύμοισι μαχέσσατο Κυδαλίμοισι*: et 204. *οἱ νῦν Ἄρηος ἅτος πολέμοιο Μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανεν.* Illi vero e patria in coloniam exierant, qui Solymorum civitatem, prius *Hiebus* et *Salem*, dictam, eo usque habitarunt, quo Hebræi duce Juda illos armis pepulere. *Vertranius.* * Her. lib. I. *τὴν γὰρ νῦν Λύκιοι νέμονται, αὐτὴ τὸ παλαιὸν ἦν Μιλυὰς, οἵδε Μιλυαὶ τότε Σόλυμοι ἐκαλέοντο.* Judæis tamen non invideo hanc laudem, quos pugnaces melior Homerus dicit, melioreque afflatus spiritu: sed falsis inniti nec pro veritate satis decet. *Salinerius.* Innuit, si recte censeo, ante *Hieram* dictam; itaque composito vocabulo fecisse, ut deinceps diceretur *Hierosolyma.* Lucianus certe *Ἱερὰν πόλιν* nominat diserte. Et Quintus Calaber eadem mente *Σολύμων ἱερὸν στρατόν.* *Colerus.*

Conditam urbem Hierosolymam nomine suo fecisse] In regio volum. *conditæ urbi, Hierosolymam nomine suo fecisse.* Reposuimus, *conditæ urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse.* Appositive, *Hierosolymam, nomen.* Rhenanus. Ordo et sensus lectionis hujus, *Conditam urbem Hierosolymam nomine suo fecisse*, est, Urbem conditam fecisse Hierosolymam nomine suo, id est, appellasse. Dixit autem *nomen facere*, pro eo quod est, imponere. *Ferrettus.* A Rhenano lectio hæc: nam in veteribus omnibus legitur, *nomine suo:* plerique etiam habent, *conditam urbem;* unde suspicor, num melius, *condita urbe, Hierosolymam nomine suo fecisse.* Pichena.

CAP. 3. *Orta per Ægyptum tabe*] Specta, ut gesta Domini Dei nostri profanum vulgus contaminarit: Cornelius ait Hebræos invisos Deo, cum is digito suo Pharaonem et Ægyptios tetigit, et computruit Ægyptus, Exodi VIII. et seq. Idem ait, Hebræos alias in terras advehi jussos: unde apud Strabonem fama asserit Ægyptios proantores gentis, quæ Judæorum appellatur. *Vertranius.*

Regem Bocchorim] Sic etiam Florent. habet. Vulgo, *Occhorim.* Pichena.

Et id genus hominum et invisum deis] Emendavimus, *et id genus hominum ut*

invisum. Rhenanus.

Ab utrisque deserti] Hæc verba non habet meus Orosius, qui hunc locum exscripsit. Aliter etiam Trogus hæc retulit, nescio an ex Theopompo, quem de Judæis eorumque sacris multa scripsisse didici ex Cedreno. *Colerus.* Sic quidem Veneta edit. sed Romana, *exspectarent utrinque deserti.* Gruterus.

Primo cujus auxilio credentes præsentes miserias pepulissent] Hæc Mosis verba invitis Hebræorum calumniatoribus referri possunt ad maris divisionem paulo ante factam, qua Judæi vim regis Ægyptiorum mirabiliter evasere: itaque memoria prioris beneficii eos revocat a desperatione, et urget ut quovis gentium sese alacriter sequantur. Vel *primo* adverbium sit: vel *pepulissent* in futurum, exemplo Virgilii Æn. l. II. ' obscurus in ulva Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.' Eadem Plautus Pœn. ' nunquam audibis verba tot tam suavia. Quid tibi opu'st vixisse, ausculta mihi modo ac suspende te.' Agite, ait, spem mittite quam de hominibus deque Diis concepistis, mihique ut Duci cœlesti morem gerite, qui primus auxilium vobis polliceor, cuique si fidem habebitis dubio procul miserias propelletis, quæ nunc vobis impendent. *Salinerius.* Illud *credentes* glossematium esse aliis dudum monitum. Cætera ex re et mente Taciti necessario clicio et lego: *Privo cujus auxilio præsentes.* Isa. Pontanus. Mureto suspectus et parum cohærens locus; cui non multo melius factum Lipsii quoque medicina. Et quid est quod dicit *primo?* nempe ratio Latinitatis postulasset *pridem,* vel quid simile aliud. Illud autem nimis contra omnem rationem, quod præsentes miserias jam pepulisse dicuntur. Si pepulerant, certe præsentes non erant: quæ præsentes sunt, pulsæ non fuerunt. Sed concinnabis omnia unius litterulæ mutatione: *privo cujus auxilio præsentes miserias pepulissent.* Vox *privus* rarioris usus turbas has omnes dederat: nam *pepulissent,* non hoc loco præteriti significatione est, sed futuri, quomodo id tempus pro hoc sæpe alias usurpari exemplis notum est: quæ ad Val. Max. lib. v. c. 3. pluscula notavi. Sententia igitur apta et clara nunc est: Destituti a Diis, &c. * *Acidalius.* Lampugnanus ex Cod. suo Mirandulano nuper restituit: *præsentes miserias pertulissent.* Vulgatam Orosius vindicat l. I. ' Itaque Cornelius dicit, quod ipsis Ægyptiis cogentibus in deserta propulsi sunt Judæi: et postea subjungit incante, quod ope Moysis ducis in Ægypto miserias pepulissent.' Suasit, ait Cornelius, Moses Judæis tunc quoque, sibi ut cœlesti Duci crederent, cujus primo auxilio præsentes calamitates ac miserias pepulissent. *Colerus.* Sensus erit non incommodus si pro *primo* scribas *pridem.* Grotius. Videtur legendum, *cujus consilio.* Freinshemius. Scribo: *deserti adessent sibimet: ut duci cœlesti crederent, primo cujus.* Rabodus Schelius. Tentabam: *se sibimet, et, ut duci cœlesti, crederent primo, cujus auxilio præsentes.* Ante omnia, inquit, sibimet ipsi quisque Hebræorum; deinde fortunæ, sive *primo* cuique obvio, per quem utcumque juvarentur, non secus ac misso de cœlo duci, sese crederent ac permitterent. *Gronovius.*

Cap. 4. *Profana illic omnia*] Lego *illis.* Ita postulant, quæ sequuntur: ' Rursus concessa apud illos, quæ nobis incesta.' *Acidal.*

Effigiem animalis] Scripsit ridiculus asseveratione Cornelius, Mosem asinos secutum, aquarum venas aperuisse: nunc ait Hebræos cum terræ promissæ appulissent, effigiem asini in penetrali sacravisse. Sed saltem sui, si non veritatis, &c. * *Vertranius.*

Quo monstrante errorem] Suspecta

mihi vox *errorem*. Non enim certe pecus hoc viæ, saltem aquæ velut index illis. Est qui velit legere *ærorem*, vel *ægrorem*. Acidal.

Sue abstinent] Attende quam audacter aliena de religione loquatur. Similiter Strabo lib. XVI. &c. * *Vertranius.*

Quod ipsos scabies] Flor. Ven. et alii veteres habent; *qua ipsos scabies*. Pichena.

De septem sideribus] Nos, *e septem*, &c. Rhenan.

Ac plerisque cœlestium vim suam et cursum] Mutavimus in hunc modum; *ac pleraque cœlestium vi sua et cursu*. Idem.

Per numeros conficiant] Vera lectio, quam e Vatic. promsi referente: *per numeros coniciant:* ex quo ego *conficiant*. Aliter vulgati. De re autem ipsa Dionem vide XXXVII. et in primis Alexandrinum Clementem Strom. VI. *Lips.*

Septimos per numeros] * varietates efficere creduntur. Plura Gellius III. 10. ex M. Varronis primo librorum, qui Hebdomades vel de Imaginibus inscribuntur. *Vertranius.*

CAP. 5. *Hi ritus*] Forte, *Ritus quoquo modo inducti*. Rhenan.

Et quia apud ipsos fides obstinata] Recte, nec muto, quod quidam e meis: *Atque ut ap. ips. f. obstinata, misericordia in promtu, sic*. Acidal.

Exuere patriam] Rom. cod. *exire*. Lipsius.

Necare quenquam ex agnatis] Τὸ *agnati* hic et de moribus Germ. pro filiis, ut *prognatus*. Plaut. Epid. 'Prognatus Theti.' Nec nimis remota est hæc significatio a verbo *agnascor*. Quod apud Jurisconsultos amplectitur filios vel nepotes, qui post conditum testamentum nascuntur. Cic. pro Cæcin. *Salinerius*. Cave hic aut altero isto in de moribus Germ. loco, mutes cum Lipsio vocem *agnatis:* quæ utrobique non nomen auctori, quod Grammatici vocant, sed participium. Ait dare Judæos semper operam augendis liberis, neque fas habere quenquam ex iis necare, qui jam sibi sint adnati. Id clarissimum ex gemino altero loco, *quenquam ex agnatis necare nefas habetur*. Ubi si *gnatis* reponas, sermonem devenustes. Quid enim inconcinnius hac ταυτολογίᾳ: *Finire numerum liberorum*, aut *ex liberis quenquam necare?* Omnino *agnati*, valet, jam nati, ab *adnascor*. Quod postea vidit in Notis ad Germ. et tamen *natis* maluit etiam tum immutari. *Acidalius.*

Et persuasio cœlestium] Particulam *et* submovimus, *Eademque cura et de infernis persuasio*. Rhenan.

Nulla simulacra urbibus suis] Est qui *suis* deleat, timens Tacito Orbilium aliquem, qui *illorum* vel *ipsorum* dicendum fuisse contendat. Ego relinquo, et satis commode accipio. *Acidal.* Ego quoque relinquo: sed ut commode accipere possim, scribo: *Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt*. Nam quicquid congerant hujusmodi, vulgata σολοικίζει. *Gronov.*

Liberum Patrem coli] * unde *Sabbati* nomen, quam sententiam Judæi ipsi etiamnum deridiculo habent. Mirum autem est, qua impietate Tacitus Hebræorum historias pervertat, et quod Dei Opt. Max. ope factum est, a miraculi admiratione deducat, tum quæ Dei sunt, humanis viribus adjudicet. *Alciatus.*

CAP. 6. *E latere Syriæ longe prospectant*] Nos, *a latere Syriæ*. Rhenanus.

Si vim ferri adhibeas] Particula *si* non est in cod. Bud. *Rhenan.*

Præcipuum montium Libanum erigit] Non est, quo se verbum hoc referat: et ex iis, quibus lustrare loca quæ nobis narrare, datum est, sic accepi, versus Damascum rupium quas non pendentes et incisas dicimus præcipitio erigi montem Libanum. Quare sic legerim, *præcipitium montium*, &c.

quam lectionem et aliis probari audio. *Vertran.*

Incertæ undæ, superjacta, ut solido feruntur] Scribe *inerti undæ*, quod verum est Asphaltitæ ἐπίθετον. Sic ' iners Cocytus' apud Senecam. *Grotius.* Lectio Veneta est, *incertum unde, superjacta;* quæ aliquo modo confirmat emendationem meam; *inerti undæ superjacta ut solido feruntur. Iners unda* quomodo ' pigrum mare' infra Germ. 45. Virgil. Georg. IV. *Freinshem.*

Certo anni] Ita libri, et phrasis nota, et Tacito frequens: vulgati vocem addunt, *certo anni tempore.* Lipsius.

CAP. 7. *Fulminum jactu*] Orosio l. I. qui hæc expresso etiam Cornelii nomine transcripsit; legas *fulminum ictu.* Lipsius.

Fulminis jactu arsisse] Nos, *fulminum.* Rhenan. De Sodoma et Gomorrha intellige. Idem scribit Solinus. Lege de bell. Jud. Josephi V. 5. *Lupanus.* Lipsius ex Orosio, qui hæc Taciti verba transcripsit, legit, *fulminum ictu.* At mihi, *jactu*, magis probatur, Florentino consentiente, et exemplis etiam Ciceronis in Catil. orat. 3. &c. * *Pichena.*

Terramque specie torridam] In eodem Orosio lib. I. ' terramque ipsam specie solida.' *Lipsius.*

Terramque ipsam specie torridam, vim frugiferam perdidisse] Addidi ex Florentino vocem, *ipsam*, quæ a vulgatis aberat. *Pichena.* In Orosio meo Lutetiæ impresso CIↃIↃVI. legitur hoc modo: *Terramque ipsam specie solidam, vim frugiferam perdidisse.* Non absurde. Nam post incendium terram specie tantum solidam mansisse, quippe nimiis ardoribus resolutam credibile est. Sed vulgatam tamen prætulerim. *Colerus.*

Sive herbas tenues aut flores] Volumen Matthiæ Corvini habet, *sive herborbas tenus aut flores.* Lego, *sive herba tenus, aut flore.* Rhenan.

Judaicas quondam urbes] Libri aliquot, *inclitas urbes:* nec aliter Orosius. *Lipsius.*

Inclitas quondom urbes] Vulgo, *Judaicas quondam urbes.* Lipsius ex nonnullis veteribus libris, aut etiam ex Orosio legit, *inclitas;* quod verissimum existimavi, quoniam Flor. idem innuit, habens *indicas.* Pichena.

Conlectæ arenæ, admixto nitro] Non, *conjectæ.* Farnesianus etiam recte, *lectæ arenæ.* Plinium adi libro XXXVI. Strabonem XVI. *Lipsius.*

Conjectæ arenæ admixto vitro in vitrum excoquuntur] Pro *vitro* scripsimus *nitro.* Hanc excoquendi vitri rationem refert Plinius XXXVI. 26. de Belo fluvio, &c. * Ibidem *Sidonem* vocat *officinis vitri nobilem.* Rhenan. De ea re vide Strabonem l. XVI. et Plin. V. 19. et XXXVI. 26. Joseph. de bell. Jud. l. II. 9. *Lupanus. Admixto nitro* legendum est auctore Plin. XXXVI. *Ferrett.* Legendum indubitate *admixto nitro:* et vitri excoquendi rationem refert Plin. XXXVI. 26. Felix inventum rei tam pretiosæ: quæ tamen pretiosior multo esset, si hominum ingeniis superesset artificium illius, qui ob Liviæ porticum corruentem, sine ulla materia, funibus pristino restitutam, a Tiberio urbe ejectus, supplex ad principem accedens, vitreum poculum consulto abjecit, fractumque manibus refecit, sperans eo se veniam impetraturum, ait Dio, l. LVII. verum necari ob id jussus est, ne aurum vitro ductili reperto vilesceret. *Vertran.* Faërnus legebat, *conlectæ arenæ mixto nitro, &c.* et ita Danesius quoque legebat. *Ursinus.* Flor. *lectæ.* Pichena.

Modicum id littus] Nam ut ex Plinio rettuli, ' Quingentorum est passuum non amplius.' *Rhenan.*

Et egerentibus] Scripsi *sed:* nam ultima proxime præcedentis vocis litera est, *s.* Idem.

CAP. 8. *Hierosolyma gentis caput*] Nos, *Hierosolyma genti caput*] Rhenan. Impie nugatur Lysimachus de hujus-

modi nominis significatu apud Joseph. l. I. adversus Appionem: ‘ et fanis compilatis ac incensis venisse in eam, quæ nunc Judæa dicitur, conditaque civitate hic habitare, urbem vero ἱερόσυλα ex re nominatam: aliquanto autem post jam auctos viribus mutasse nomen vitandi probri gratia, et urbem Hierosolymam, se ipsos Hierosolymos vocasse.’ Candidius Clearchus, qui interpretatus non est: ‘Nomen vero eorum civitatis valde difficile est: vocant enim eam nomine Jerusalem.’ Id autem nominis nonnulli (Rabb. Abraham Benezra c. 7. Cantic. Canticorum) inditum volunt ad terrorem finitimis incutiendum: quasi ‘ Timete civitatem salem.’ Verum mihi veriora canit ecclesia: ‘ Urbs beata Jerusalem Dicta pacis visio.’ Quod rite hoc vocabuli conflari possit (quicquid Mercerus dicat epist. ad Hebræos c. 7.) ex *Ieru* et *salem*, &c. * *Saliner.*

Urbs de jugis] Jure nato, et mecum libri. Farnes. *urbs deingia templum clausum.* Vatican. *urbs ob demgia.* At Jos. Mercerus legit: *Primis munimentis urbs, dein regia.* Feliciter. Tacitus ipse juvat, infra: ‘ Alia intus mœnia regiæ circumjecta.’ *Lipsius.*

Templum intimis] Quomodo, *intimis?* Ablego eam vocem cum nonnullis libris, et lego: *trinis munimentis urbs, ob deingia. Templum clausum: ad fores tantum Judæo aditus.* Aut si retineri placet, scribam apposite, *Templum intimum*, sive magis, *interius.* Duplex enim templum, Exterius et Interius, ut Zonaras et Josephus describunt appellantque: et exterius patet, sola interior domus clausa. Rodolphus hæc omnia concinnat (sed ab ingenio, opinor): *et primis munimentis urbis: alienigenis templum interius clausum.* Idem.

Primis monumentis urbs dejugis, templum intimis clausum] Doctiss. Lipsius Taciti obscura brevitate et obsoletarum vocum usu perstrictus, hunc locum mutilatum notavit, quum tamen integer sit; quod pluries eidem in Taciti annotat. accidisse manifestum est, dum locos ex sui sententia depravatos asterisco designat, quorum tamen plerosque, si exacte perpendantur, nullo mendo scatere facile dignoscitur. Sensus itaque Taciti verborum est, Hierosolymam urbem propriis primis munimentis circumductam sejunctam fuisse a templo, quod et ipsum munimentis propriis in urbis intimis postea munitum fuit. Sicut enim *jugo* verbum *conjungo* significat, et ab eo *jugis*, pro *conjuncto* accipitur, ita et *de* præpositio, quæ in compositione detrahit et negat, addita, fit *dejugo*, quod est secerno et separo, unde *dejugis*, id est, secreta et disjuncta. Sic Pacuvius dixit: *Nostram unanimitatem dejugat.* Quod vero urbs Hierosolyma et in illa templum propria mœnia et munimentum habuerint, eaque invicem disjuncta, constat ex Tacito in sequentibus et Strabone l. XIV. passimque Josepho de bell. Jud. et Egesippo de excidio Hierosol. *Marcellus Donatus.* Multa ad hæc Rudolphus Agricola, doctiss. vir, et Mercerus, sed non absque castigatione: me vero juvat, qualemcunque sensum elicere ex vulgatis, quem vero nunquam me hausisse negaverim ex sermonibus Stephani Büroni Patricii Genuensis viri undequaque doctissimi, in quem illud optime convenit ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη· veterem enim et novum orbem non semel peragravit: indeque sibi omnigenam virtutis penum comparavit. Ierusalem vero μεταφορικῶς dicitur *dejugis*, id est, discreta, a *dejugo*, sive disparata. Sic a *sejugo*, *boves sejuges:* erat enim duobus in collibus sita. Tacit. ‘ nam duos colles immensum editos claudebant muri partem obliqui.’ Valle quæ *Tyropoeon* appellabatur intercedente Joseph. VI. 6. Qua de re apud Hebræos dualiter effertur. Mercerus in ann. ad Pag-

ninum. Cæterum tres in partes erat divisa, et unicuique sua munimenta, ut patet ex Tacito: cui adstipulatur Josephus d. cap. Prima ergo munimenta, &c. * *Salinerius.* Lectio a Mercero feliciter restituta, atque a Lipsio comprobata, adeo validis ex historia ipsa argumentis nititur, ut digna mihi visa sit, quæ recipiatur, præsertim cum optimorum exemplarium scriptura corrupta fere idem indicet. *Pichena.* Lego, *e primis monumentis urbis. Dei jussis, templum intimius cluusum.* Scripsi, *e primis monumentis urbis*, vere. Nec enim munimenta vel regiæ vel templi ipsius hic describere auctor vult, quæ describit ordine ac prolixe infra: nec interrumpi de templo sermo debet, ac interjici quid alienum. *Dei jussis* ex vulgato *dejugis* feci; mutatione valde proclivi. Illa tamen non etiam forte spernenda, qua ex Vaticano *ob demgia* continuabam *ob Dei initia.* Denique *intimius* additione litterulæ facillime emendatum, nec quicquam apertius hoc verbo, quod ab *intimum* eo flexu formatum, quo *proximius* a *proximum* et similia in eandem formam. *Intimius* usurpavit ipse Cicero VI. de Rep. ‘Et mundi vastitatem intimius perspicere possemus.’ Ceterum non silebo, posse utcunque etiam ipsam vulgatam lectionem plane retineri, atque ab obstinatiore aliquo sic defendi: ut Tacitus dicat, primis munimentis urbem dejugem clausam esse, intimis templum. Ac *dejugem urbem* vocabulo novo, tamen significanti satis, vocari, quia talis ejus situs, ut ex inferiore descriptione colligitur. Sic aliquis, inquam, possit contra tendere: sed qui cor habent, non eum audient. *Acidalius.* Mercerus ex vestigiis antiquæ scripturæ veterum codd. Lipsii ingeniose corrigit. Ego divinabam, *et in primis munimentis urbis, dein regia, templum intimis clausum.* Arbitror hoc velle Tacitum, templum in primis, id est, potissimis munimentis urbis esse, quod idem infra repetit: ‘Templum in modum arcis propriique muri, labore et opere ante alios.’ Porro templum intimis clausum ait, id est, interioribus sui partibus. Nemini enim illud arcanum ingredi licebat, nisi summo Pontifici. Hieronymus Epist. 128. ‘Totus mundus in tabernaculi describitur sacramento, primum et secundum vestibulum omnibus patet.’ *Colerus.* Dele vocem ex interpretamento inepte repetitam, pro *urbs dejugis*, aut, ut alii libri habent, *urbs dejugia:* aut *urbs ob demgia.* Scribe *urbi adjuge:* ut sic habeat locus: *primis munimentis urbi adjuge, intimis clausum.* Verum est quod dicit, Templum primis, id est, extimis munimentis cohæsisse urbi, interioribus separatum seclusumque. *Adjuge* eadem forma dicitur qua *sejuge.* Grot.

Pars servientium, postquam Macedones præpotuere. Rex] Distinximus, *pars servientium. Postquam Macedones præpotuere, rex, &c.* Rhenan.

Cap. 9. *Romonorum primus Cn. Pompeius Judæos domuit*] * ne attingere quidem voluerat. Quoniam vero, quæ a Tacito de Judæorum historia scribuntur, brevius narrantur, quam par sit, pluribus verbis illustratum hunc locum voluimus, (omisimus hic, quia erit in excursionibus Lipsianis) eodemque loco Herodum genealogiam ob oculos ponere libuit. *Lupanus.* Vox *Judæos* non est in vulgatis, et scio recte subintelligi posse; tamen quia in Florent. additur, non fuit prætermittenda. *Pichena.*

Nullas intus deum effigies] Nos, *nulla intus Deum effigie, vacuam, &c.* Rhenanus.

Mox bello civili interno] Cur hæc geminat, Civile et Internum? placet imo Romana scriptio, *bello civili inter nos.* Lipsius.

Bello civili inter nos] In vulgatis quidem legitur, *bello civili interno*, idque ab omnibus Mss. confirmatur.

Sed cum alterutra vox videatur superflua, ego cum Lipsio Rom. edit. sum secutus. *Pichena.*

Provinciæ cesserant] Utrum *provincia cesserat*, an *Oriens cesserat*. Gronovius.

C. Socius] Sive *Sossius*. Male quidam libri, *Sestius*. Lipsius.

Victor Augustus sanxit] Prisci aliquot libri, *auxit*. Idem.

Augustus auxit] Opinor scribendum, *sanxit*. Rhenan. Verbum, *auxit*, et a Florent. et ab omnibus aliis veteribus confirmatur: et tamen Rhenanus sola opinione ductus reposuit, *sanxit*: pristinam ergo lectionem restituimus. *Pichena.* Non male, si modo lectio esset a libris manu depictis: cum vero manarit ab ingenio Rhenani, servetque edit. omnis antiquior, *auxit*, id vocis revocandum videtur; tanto quidem magis, quod idem velit Josephus bell. Jud. I. 15. *Gruterus.*

Cap. 10. *Comprimere reos ceptantem*] Codex Budensis non habet, *reos ceptantem*, sed, *receptantem*. Castigavi, *comprimere ceptantem*. *Comprimere* pro *opprimere*. Sic lib. præced. 'Caninefatem tumultum compressurum.' *Rhenan.*

Adversa excepere] In cod. Bud. *adversa excipere*. Idem.

Inter duas æstates] Præpositionem *inter* submovimus. Nam sensus est: *duas æstates tenebat*, hoc est, per duas æstates. Mox est in cod. Bud. *præter Hierosolymam*. Idem.

Pace per Italiam parata] Malim, *parta*. Idem.

Et externæ curæ rediere] Delenda prorsus *et* copula, vel rejicienda ad sequentia: 'Et augebat iras, quod,' &c. *Acidal.* Forte scrib. *pace per Italiam parta, ut externæ curæ rediere, augebat iras*, &c. Freinshem.

Utilius videbatur] Ita scripsi Flor. auctore. Vulgo, *utile*. Pichena.

Cap. 11. *In centenos vicenosque attollebantur*] Volumen Matthiæ Corvini tantum habet, *in centenosque*. Rhenan.

Cap. 12. *Præviderant conditores*] Nos, *providerant*. Rhenan.

Ceterarum urbium clade] Alii, *exterarum*. Lipsius.

Barbagioram vocabant] Lego *Bargioram*. Hebraicum vocabulum est, significans *filium Gioræ*. Ceterum et Josippus *Simonem* vocat *Gioræ filium*, non *Johannem*. Rhenanus. Optima conjectio, *Bargioram*; male vulgati, *Barbagioram*. Idque iis clarum, qui modo primis labiis Hebræa delibarunt. Sed qui Johannes is, &c. * *Saliner*. Videndum an non male intellexerit Tacitus, aut librarius potius corruperit *Barionam* in *Bargioram*. Colerus.

Cap. 13. *Expassæ repente delubri fores*] Vide quid sibi velit Flor., in quo corrupte legitur, *exptæ*. Pichena.

Profectique Judæa rerum potirentur] Eadem prope verba habentur apud Sueton. Vesp. 4. Orosius scribit Judæos in Carmelo monte seductos sortibus, quæ portenderent ipsos rerum potituros, rebellasse. Egesippus quoque l. v. refert fuisse impressum in sacris literis, quem rerum potiturum ex Judæorum sanguine, quod nonnulli ad Vespasianum referunt. At ipse Egesippus et Christiani ad Christum Deum. *Lupan.* Idem testatur Tranquillus Vesp. 4. Erat autem Judæis ipsis de Messia creditum, fore ut orbis imperium manu armisque populo Judaico vindicaret, eoque sibi blandientes, quod et gentibus diceretur, Judæa profectos rerum potituros, Judæi rebellarunt. *Vertran.*

Virile ac muliebre sexus] Sic Flor. quarto casu, etsi vulgati, non male, *virilis ac muliebris sexus*, secundo casu. Vide quæ notavi etiam ad Ann. l. IV. *Pichena.* Vox *sexus*, non visitur in Romæ cuso, et vero minime requiritur, nam illud *virilis ac muliebris*, referunt ad vocem *ætatis*. Gruter.

Sexcenta millia fuisse accepimus] Nu-

merus mihi non certus, et quem ex Budœusi cod. et Orosio substitutum video parum caute. Nam ille scribit, ' sexcenta millia Judæorum interfecta Cornelius et Suetonius referunt.' Sed interfecta ait: cum noster hic universe, de obsessis: qui certe paulo plures. Libri etiam instabiles, et quidam *ducenta millia*. Fortasse, *dena*, aut *undena millia*: quod paulo propius ad Josephum et Zonaram et Jornandem accedat, qui omnes *undecies centena millia* periisse obsidione, &c. * *Lipsius.*

Sexcenta milia] Ita in Bud. vol. Ante erat, *ducenta*. Rhenan. Modestiæ restitutus Cornelius, parcus hic est in numero obsessorum referendo. Josippo obsessi ad vicies centena et septingenta milia fuerunt: cum ad festum Azymorum eo ex omni Judæa convenissent. *Vertran.*

Plures quam pro numero audebant] Id est, plures arma ferebant, quam computare quis posset ex numero et multitudine obsessorum: innuens, multos etiam senes, invalidos, pueros ac feminas arma sumpsisse. *Pichena.*

Impetus et subita belli locus abnueret] Ex Flor. reposui, *impetus*, pluraliter. Vulgo, *impetum*. Pichena.

Cap. 14. *Apud vetera castra consedit*] In Flor. et in aliis antiquiorib. libris additur vox, *castra*, quæ in editis vacat. *Pichena.*

Suopte ingenio humentem] *Ingenium*, in animatis pro moribus, industria, solertia, et intellectus acie semper a Cicerone et a reliquis accipi annotavimus: at in inanimatis nonnunquam ab aliquibus pro insita et ingenita natura. Ita JCti in l. VI. C. de bon. præscript. dixere, *ingenium* naturam significare, et ad ea, quæ anima et sensu carent, transferri. Virg. Ge. II. &c. * Navius in Lycurgo: ' Ingenio arbusta vincta sunt, non obsita.' Ipsemet Tacit. alibi: ' locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabantur.' *Marcellus Donatus.*

Cap. 15. *Arma equique haurirentur*] In Bud. vol. *armequi*: forte, *arma, equi, haurirentur*. Rhenan.

Omissa plerumque fronte] Liber manuscriptus habet, *diversa*. Forte legendum, *dimissa*. Rhenan.

Cap. 16. *Ut quosque suorum advehebantur*] Ita ex Flor. Vulgo, *ut quosque eorum*. Pichena.

Victorias; ut perfidum, ignavum, &c. exscinderent. Ultione] Alia distinctione opus est: *victorias. ut perfidum, ignavum, &c. exscinderent, ultione magis, &c.* Acidal.

Attamen fusos Germanos] Melius Florentinus, *ac tamen*. Pichena. Muretus, *ac tamen*. Acidal.

Cap. 17. *Civilis silentem struxit aciem*] Lego; *silens instruxit*. Pichena. Romani dicta ducis clamore prosequuti sunt. Germani tripudiis sonoque armorum, quod apud eos in usu de morib. Germ. ' honoratissimum assensus genus armis laudare,' quodque hic factum est, ut verba illa significant. Cæterum *nec silentem* respicit ad quemvis sonitum, sive strepitum. Virgil. Æn. I. ' Quorum sub vertice late Æquora tuta silent.' Idem l. IX. ' somno vinoque soluti Procubuere, silent late loca,' &c. Idem l. IV. ' Cum tacet omnis ager.' At Doctiss. viro potius visum est *silens*, vel *silentio*. Saliner. Lips. *silens* aut *silenter*. Muretus *silentio*. Omnia recte: postremum ego tamen præferam. *Acidal.*

Dira omnia obversari] Forte, *dira omina*. Rhenanus. Faërnus emendabat, *omina*: quod mendum alibi irrepsit tum apud Tacitum, tum apud alios etiam scriptores. Vulgo, *dira omnia*: at quoniam Flor. habet, *oïa*, facile conjicitur scriptum fuisse, *omina*, quod melius videtur. Ovid. Metam. l. V. ' Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.' *Pichena.* Quid si et hic *omina* legatur? *Acidalius.*

Suam illic victoriam] Vatic. *suam illic materiam*: quæ lectio involvit

aliud verbi, quod nondum educo: certe de avaritia aut cupidine, id dici verius, quam de victoria. Neque enim ea, sed quod ea per securitatem et insolentiam abusi, cladem dedit. *Lipsius.*

Suam illic victoriam] Nam victores 'omissis telis præda manus impediunt.' Et ideo a Ceriale victi. Hist. IV. 'terga victores vertere, sed obstitit pravum vincentib. inter ipsos certamen hoste omisso spolia consectandi.' *Salinerius. Victoriæ* vocem improbat Lipsius, mihi optimam. Perspicuum enim, hic a Tacito mentionem fieri de prælio in Treveris inter Civilem Cerialemque gesto, ut supra prope finem libri præcedentis. In quo prælio Germani, victores primum, nimia deinde prædæ aviditate, victi a Ceriale fuerunt. Nam ibi ait: 'sed obstitit pravum vincentibus,' &c. Addo etiam Florentinum eandem vocem, *victoriam*, habere. *Pichena.* Vat. *Materiam.* Omnino *avaritiam* scribendum. *Acidalius.*

Prævidisse, campos madentes] Florent. *provise.* Forte, *provisa.* Pich.

Ut eludereut lacessentibus] Emendavi, *ut elicerent lacessentibus.* Rhenanus. Non eleganter conjungi Mureto visa verba *elicerent* et *lacessentibus:* nec tamen melius, quod pro altero substituit, *ut eluderent, lacessentibus.* Ego nihil muto. *Acidalius.*

CAP. 18. *Fluitantem labantemque*] Interpunxi et voce addita explevi locum, fide Vaticani. *Lipsius.*

Prælium exequatur] In libro manuscr. *æquatur.* Rhenanus.

CAP. 19. *Opidum Batavorum*] Quod opidum? nominare enim certe debuit. An *Batavoduram* scribendum? an cum Rom. codice legimus, *opida Batavorum?* Et intellegam tunc ea opida, quæ extra insulam. Nam Batavorum veterum sedes, non dubie supra et extra etiam insulam, in ora Gallica. Tacitus clare, supra: 'Extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere.' *Lipsius.*

Sic velut ablativo amne] Nos, *abacto amne.* Rhenanus.

Et centum tredecim Trevirorum senatores] Liber manuscript. pro *tredecim* habet XIII. et deest vocabulum *senatores.* Fortasse legendum, *Centum alii Trevirorum.* Idem.

In quibas fait] Florentinus, *in quis.* Pichena.

CAP. 20. *Vera sorore ejus genitas*] Codex regius habet, *Verax sorore ejus genitus.* Rhenanus.

Cædendis materiis operatum turbavere] Muretus mutat, *occupatam:* non ego cum illo. *Acidalius.*

Paucisque militibus cæteri se manimentis defendere] In cod. regio, *paucisque militibus eminentis defendere.* Fortasse legendum: *Pauci e militibus se jumentis defendere,* pro defendebant. Infra tantum est illic, 'hinc ipsi exercitui minor cura disciplinæ.' *Rhenanus.*

CAP. 21. *Sed obstitit formido*] * immo causam reddere, ut, *nam, enim, etenim.* Si autorum exempla quæris, adi Godescalcum in suis Comment. ad Vegetium lib. II. c. 18. *Pichena.*

CAP. 22. *Suismet coriis coopertos*] Vocem, *coriis,* non improbo, cum ex pellibus etiam tabernacula fierent: libentius tamen Vaticanum cod. sequerer, qui habet *tentoriis:* idque ipsum voluisse videtur Florentinus, in quo syllaba imminuta legitur, *toriis:* et Tacitus, cum de tabernaculis loquitur, semper *tentoria* appellat, nunquam *coria.* Pichena.

Ita cæpta cæde, quo plus terroris adderent] Sic Faërnus legebat, copula *et* ante *quo* deleta. *Ursinus.* Adjicitur in vulgatis copula *et,* quam sustuli, nam et supervacua et a Flor. abest. *Pichena.* Eradendum *et,* quod nulli usui Muretus etiam viderat. *Acidalius.*

Pauci ornatu militari] Ita scripsi, quia Flor. habet, *ornati militari.* Vulgo

minus proprie, *ornati militariter*. Pichena.

Flumine Impio] Liber regius, *flumine impia*. Restitui locum, *flumine Luppia*. Nam Bructeræ, &c. * *Rhenanus*.

Donum Velledæ traxere] Castigavi, *donum Velledæ traxere*, nam huic virgini subinde dona missitabantur. Unde superiore lib. ' Mumium Lupercum legatum legionis inter dona missum Velledæ.' *Rhenanus*. De Velleda virgine vide Tacitum de moribus Germ. *Lupanus*.

Cap. 23. *Civilem cupido incessit navalem aciem ostentundi*] Corrupte in Flor. *cupido invasi incessi*. Forte, *cupido inanis incessit, navalem, &c.* nam postea sequitur, ' super insitam genti vanitatem.' *Pichena*.

Complet quod biremium] Addidi particulam *et; complet et quod biremium*. Rhenanus.

Adjecta ingens lintrium vis] * Virgil. ' cavat arbore lintres.' Tametsi eo loco pro vase forte commodius capitur. *Lupanus*. Faërnus legebat hunc locum, *adjecta ingens lintrium vis, vehentium ad tricenos, quadragenosque ceu arnamenta Liburnicis, soli haud indecore pro velis juvabunt ;* adjecto verbo, *vehentium*, quod deest in vulgatis. *Ursinus*.

Spatium velut æquoris electum] Budense exemplar habet *ceptum* pro *electum*. Lego *captum :* sicque scripsi. *Rhenanus*. Vulgo, *captum :* reposui, *electum ;* quia Flor. habet, *ejectum*. Pichena.

Mosæ fluminis] Probe : nec improbe in libris quibusdam, *Mosæ fluminis os amnem Rhenum*. Res quidem ipsa eadem, aliter elata. *Lipsius*.

Quo Mosæ fluminis] In Bud. exemplari, *Ut Mosæ flu*. Lego, *Ubi Mosæ fluminis, &c.* sicque castigavi. *Rhenanus*. Ex Flor. ac Ven. scripsi, *quo*. Vulgo, *ubi*. Pichena.

His flumen secundum. Illi vento agebantur] Ita ex Flor. Vulgo, *is flumine secundo*. Subintelligitur enim, his flumen secundum erat. Sic lib. præced. ' Illis mare secundum.' *Pich*.

Sic provecti] Castigavi, *sic prævecti*. Nam transisse significat. *Rhenanus*.

Agros villasque Civilis intactos, nota arte ducum, sinebat] Hac arte usus est Hannibal Carthaginiensium dux, erga Fabium Maximum Romanorum Dictatorem. Livius lib. xxii. 23. et ii. 39. de Marcio Coriolano. Idem a Lacedæmoniis factum Pericli Atheniensium duci, testatur Justinus l. iii. *Pichena*.

Cum interim fluxu autumni] Reposui, *Quum interim flexu autumni*. Rhenan.

Cap. 25. *Vaspusiano bellum navaverint*] Rarior hic usus verbi *navare*. Sed Tacito celebratus etiam supra lib. iv. ' Ceteros, ut quisque flagitium navaverat, attollit.' Cic. etiam credo in epist. alicubi, ' benevolentiam navare.' *Acidal*.

Cæterorum onera sociorum] Inseruimus particulam *et: et cæterorum, &c.* Rhenanus.

Virtutes et viros] Rhenanum audiebam corrigentem *juventutem et viros:* nunc magis cum Florentino legam, *virtutem :* id est, bellicum ab iis robur exigi, non pecuniam aut opes. *Lips*.

Sibi non tributa, sed virtutes et viros indici] Malim simpliciter, *sibi non tributa, sed viros indici :* nisi quis malit, *sed juventutem et viros indici*. Rhenanus. Melius si *virtutes*, in *juventutem*, quod per Beatum licet, mutes. *Vertranius*. Restitui *virtutem* ex Flor. Vulgo, *virtutes*. Rhenanus tamen legebat *juventutem*, quod Lipsio non displicet. Sed non est a libris. De iisdem Batavis idem fere Tacitus in libro de moribus Germ. et etiam libro præcedente. *Pichena*. Probat Lipsius Rhenani correctionem, quanquam et vulgatam non prorsus improbat. Ego hæreo, an non potius Muretum audiam ejicientem binas istas voculas *virtutes et*. Lib. iv. de iisdem Batavis, ' viros tantum arma-

que imperio ministrant.' De iisdem idem lib. de moribus Germ. 'Exemti oneribus et collationibus, et tantum in usum prœliorum sepositi, velut tela atque arma bellis reservantur.' *Acidulius.*

Cap. 26. *Super tædium malorum etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit*] Manifesta hic, sed levis trajectio. Nam *etiam* illud, quo nunc loco est, necessarium non est: nec solet Tacitus particulæ *super* alteram hanc subjungere. Idemque requiritur in postremis verbis, quorum alias liberior et laxior est sententia, quam pro vero. Lege ergo, *super tædium malorum, spe vitæ, quæ plerumque etium magnos, &c.* Sed quid dico non solere Tacitum particulis hisce ita uti? imo solet: exemplo Ann. XIII. de Corbulone, 'verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque, etiam specie inanium validus.' *Acidulius.*

Nabaliæ fluminis] Nusquam id fluminis in hoc tractu. An opidum eo nomine? Quod Junio Hadriano videtur, legitque *Navaliæ:* et urbem Campos ita indigitat ad sinum hodie Australem, Ptolemæo parum firmiter innixus. Ego ambigo ne *Vahalis* corrigendum sit. Pontem quidem aliquem cœptum a Romanis paullo supra legas, sed Batavoduri: de quo hæc non vane intellegas, nisi quod Batavodurum ad Rhenum fuisse volunt, quos arguat hic locus. *Lipsius.*

Scinditur Nabaliæ fluminis pons] Volumen Bud. *Scinditur flabalie fl. pons.* Scripserim, *Vahalis fluminis pons.* Tac. Ann. lib. II. de Rheno, 'verso cognomento Vahalem accolæ dicunt.' *Rhenanus.* Corviniano inest scriptura, *scinditur flubile;* id vero nullo sensu. Forsan erunt quibus placebit legere, *Scinditur Navæ fluminis pons:* de quo lib. superiore, 'quia pontem Navæ fluminis abruperat.' Ejusdemque mentio Ausonii Idyllio 9. 'Transieram celerem nebuloso flumine Navam.' Beatus scribit, *Vahalis fluminis pons,* de quo Ann. II. Delendam ergo *Nabaliæ* scriptionem affirmo, quod neque huic neque ulli ex scriptoribus ejus fluminis mentio fiat: an vero *Navæ,* an *Vahalis* loco vacuo scribi debeat, non statuo: interim B. Rhenani ingenio judicioque felicissimi eruditissimique viri subscribendum esse censeo. Nusquam enim animum induxi aliorum asseverationi anteponere susceptiones meas: tametsi inter scribendum e priscis auctoribus ubi se dux offert, nervosaque oratio receuti scriptori repugnans, tacitus plerumque in partem diversam transeo. *Vertranius.*

Et Civilis itu cœpit] Copulam *et* ex Flor. reposui. *Pichenu.*

Quæ Antonius epistolis, Hordeonius Flaccus præsens monebat] Expressi lectionem Florentini. Vulgo: *Quæ Antonius absens, Flaccus præsens, &c.* Variant enim libri in verbo, *monebat,* cum in nonnullis editis legatur, *morebat.* Ego alterum retinui: non enim dici potest Antonium absentem arma movisse, qui dux pro Vespasiano fuit: et referuntur hæc ad ea quæ Tacitus lib. præced. dixit: 'missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus avertere accita a Vitellio auxilia, et tumultus Germanici specie, retentare legiones jubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus præsens monuerat.' Forte hic locus construi potest: quæ arma Antonius Flaccusque monebant, ut moverem, movi. Suspicor tamen legendum, *Quod Antonius, &c.* Pichena. Emendo et distinguo: *Quæ Antonius absens, Flaccus præsens monebat. Arma, &c.* Ita est: Antonius litteris ipsum monuerat, atque eadem coram Flaccus. Idem supra lib. IV. narravit Tacitus. *Acidalius.*

Fabianus] Lego, *Flavianus.* Lips.

Flavianus in Pannonia] Ita Florent. Male vulgo, *Fabianus:* nam alibi a Tacito sic appellatur. *Pichena.* Lipsius recte, *Flavianus.* Acidalius.

DE SITU, MORIBUS, ET POPULIS GERMANIÆ.

Ordinem scriptionis si sequimur, ante Historias et Annales sibi locum vindicet hic libellus. Scriptus enim est Trajano secundum consule, id est Nerva adhuc vivo. Ipse ostendit infra : ‘ Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Trajani consulatum computemus, ducenti fere et decem anni colliguntur.’ At Historiæ cœptæ Nerva jam mortuo, et inter Divos: ut docui. *Lips.*

Cap. 1. *Germania omnis*] Quia jam Romanis quoque variæ hujus nationis regiones cognitæ. An potius, quia vulgo *Major* et *Minor* Germania diceretur ; item *Prima* et *Secunda*, sicut hodie *Superior* et *Inferior?* Sallustium ita sæpe locutum haud nesciebat : ut in Jugurth. ‘ postquam omnis Numidiæ potiebatur.’ *Colerus.*

Mutuo metu aut montibus] Vitiat acutam sententiam Bambergense exemplar, *mutuo victu.* Imo vero metu: qui inter æque potentes, pro termino ac repagulo. Thucydides bene et apposite: Τὸ δὲ ἀντίπαλον δέος, *μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν.* Lips.

Mutuo metu, aut montibus] Intelligit montes Sarmatiæ Europææ Orientales, quos et Marcianus Heracleotes præter Ptolemæum nominat. Ἀπὸ δὲ δυσμῶν, inquit, τῷ τε Οὐιστάλᾳ ποταμῷ καὶ τῇ Γερμανίᾳ τῇ μεγάλῃ, μετὰ τὰ Σαρματικὰ ὄρη, καὶ αὐτοῖς τοῖς ὄρεσιν. Hos *Tatri* Poloni vocant: quod ex illa parte Tartari aliquando ingruere soliti sint. Frustra sunt, qui eundem cum his faciunt Carpathum: cum sit longe remotior, et postea quasi infusam complectatur Daciam. *Colerus.*

Cetera Oceanus ambit] Strabonis tempore ignotum omne hoc littus. Sic ipse innuit. *Idem.*

Latos sinus et insularum] Hæ insulæ et hi sinus Francos nobis dedere et Saxones, aliasque gentes quasdam, quæ ex littoralibus et insularibus mediterrancæ factæ sunt. *Rhenan.*

Nuper cognitis quibusdam] * temporis spatium designare. Infra dixit ‘ Germaniæ vocabulum receus et nuper additum.’ Enimvero jam Julianis temporibus innotuerat. *Colerus.*

Rhæticarum Alpium] Partem ipsam Alpium nominat Strabo lib. IV. et alibi de Addua flumine : Τὰς δὲ πηγὰς ἔσχηκεν ἐν τῷ Ἀδούλᾳ ὄρει, ὅπου καὶ ὁ Ῥῆνος. Hi fontes paulo supra etiam illas Alpes collocantur a Dione lib. XXXIX. fluitque Addua in lacum tandem Larium. In vett. libris Strabonis, teste eruditissimo Casaubono, legitur Ἀβυάλλας, quæ vox quasi Germanica est, notans decursum aut casum potius aquæ ; quod inde Rhenus decidat. Mela : ‘ Rhenus ab Alpibus decidens.’ Gotefridus Viterbiensis, ‘ Rhenus ab Alpe cadens.’ Quis scit annon ab illo decursu etiam Rheni etymon petendum, quasi huc versum fluens, quod nostri dicant *Rein.* Sicut contra dici potuit Danubius sursum fluens *Danuf:* itaque recte scriberetur in antiquis monumentis, *DANVVIVS.* Nescio an non in mentem fuerit Verrio Flacco, vetustissimo Grammatico, *Addua* flumen, ubi scribit apud Festum Danubium dictum fuisse *Adduanum.* Idem.

Montis Abnobæ] Plinius nominat libro IV. c. 12. sed ibi quoque infida scriptura. Alii enim libri, *Arnobæ.* Bambergensis hic, *Anribæ.* Roman. *Arbonæ.* Ptolemæo sunt Ἀννοβοὶ montes. *Lipsius.*

Danubius molli et clementer edito

montis Arbonæ jugo] Ausonius ignotum Danubii fontem esse scribit: ‘ Danubius penitis caput occultatus in oris.’ Apollonius ab Hyperboreis nasci eum cecinit, manifesto commento. Sed omnino Taciti vera est sententia, si non *Arbonæ*, sed *Arnobi* legatur. In ejus enim radicibus oriri jam notissimum est, prope Hercyniam sylvam, vulgo *Sylvæ nigræ* nomen servat, ex adverso Rauracorum, quorum oppidum est Basilea. *Arnobi* Plinius Ptolemæusque meminit. De Ostiis quoque non eadem sentiunt auctores. *Alciatus.* Artolphi codex habet, *Abnobæ*, quemadmodum et Plinius vocat. Apud Martianum Capellam *ad novem* legitur pro *Abnobæ*. De hoc diximus rerum Germanicarum lib. III. *Rhenanus.* Montis nomen varie apud Pliuium corruperant IV. 12. Inde ingeniose Rheuanus Danubium dici hariolatur. *Colerus.*

Sex meatibus erumpit] Sic Venetus. Vulgo, *erumpat.* In Florentino sequentes libelli desiderantur. *Pichena.*

CAP. 2. *Utque sic dixerim, adversus*] Haud satis capio. An adversum dicit, oppositum et contrarium? An *obversus* verius sit legi, idque ex situ ipso? An vox aliqua durior aut remotior fuit, præsertim quam præfatione ea leniit? Tamen haud male, &c. * *Lipsius.*

Utque sic dixerim, adversus Oceanus] Ambigit Lipsius super voce, *adversus*, mihi quoque olim suspecta. Legendum enim putavi, *aversus.* Nunc vulgatam lectiouem amplector, interpretorque, *adversus*, quasi vestigiis nostris oppositus, ut Antipodes. Et quoniam descriptio ista poëticum quiddam sapere videbatur, ideo ait, ‘ utque sic dixerim.’ Cic. de somn. Scip. ‘ Vides hos, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim aversos, partim etiam adversos stare vobis.’ Et paulo post: ‘ Duo sunt habitabiles: quorum Australis ille (in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia) nihil ad vestrum genus.’ *Pichena.* Ego veram vocem credo, detracta litterula, *aversus*, qui quasi a nobis sese avertit. *Acidalius.* Vera et germana lectio, nec alia verbi significatio quam propria: si aliter esset, cur illa adjecisset, ‘ utque sic dixerim?’ Difficilis est omnis navigatio adverso flumine. Simile quiddam ait videri Romanis, si Oceanum illum tempestuosum et horriduum navigent. Effugitne autem hic Plutarchi notam Tacitus? vix effugit. Ille scribit in Theseo, Historicos an Geographos, si quæ sint supra captum aut scientiam suam, tum caussari hoc modo: τὰ δ' ἐπέκεινα, θῖνες ἄνυδροι καὶ θηριώδεις, ἢ πηλὸς ἀϊδνὴς, ἢ Σκυθικὸν κρύος, ἢ πέλαγος πεπηγός: *Ultra nihil præter arenam, et feritatem, aut lamas lutosas, aut Scythica juga.* Quo magis vapulabit apud illum censorem Pausanias, qui de hoc ipso Oceano sic loquitur: παρέχεται δὲ ἄμπωτιν καὶ βαχίαν καὶ θηρία οὐδὲν ἐοικότα τοῖς ἐν θαλάσσῃ τῇ λοιπῇ. Iterum Tacit. Ann. II. ‘ Hostilibus circum littoribus, aut ita vasto et profundo, ut credatur novissimum et siue terris marc.’ *Colerus.* Lipsius malit *obversus*, Cluverius ut et Curtius Pichena *aversus.* Sed vulgata præplacet. Oceanus enim tum habitus fuit quasi adversus omnibus navigantibus, multo magis novas sedes quærentibus. Facit mecum C. Colerus. *Couringius.*

Informem terris, asperam cœlo] Sic de iisdem Germanis Seneca de provid. c. 4. ‘ Perpetua illos hiems, triste cœlum premit, maligne solum sterile sustentat.’ *Pichena.*

Tristem cultu] Eadem caussa olim Atticam neglectam ait Thucydides, et inde Atheniensium Aborigines probat: τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπιπλεῖστον, διὰ τὸ λεπτόγεων, ἀστασίαστον οὖσαν, ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί: i. *Quamobrem Atticam ab ultima antiqui-*

tate, propter agri tenuitatem, sedatam, iidem homines semper habuere. Colerus.

Nisi si patria sit] Juxta illud Euripidis: *ἀνδρὶ γάρ τοι κἂν ὑπερβάλλῃ κακοῖς Οὐκ ἔστι τοῦ τρέψαντος ἥδιον πέδον*: *Homini profecto, operta sit licet malis, Nutrice Patria dulcius nihil cluet.* Rationem reddit nescio quis e priscis illis sapientibus, *τὸ γὰρ σύντροφον ἀδύ τι θνητοῖς ἐν βίῳ χωρεῖ. Idem.*

Quod unum apud illos] Sic de Arminio Cheruscorum principe Tacitus noster in calce Annal. lib. II. 'Caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.' Eginhardus de Carolo Magno: 'Barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit.' *Rhenanus.*

Tuistonem Deum] Cluverius *Tuitonem* vel *Teutonem.* Contra exemplarium fidem. * *Conringius.*

Terra editum et filium Mannum] Editio vetus, quam Artolphus mihi commodarat, habet, *ei filium*, ut sic legi distinguique verba possint, *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos m. et an. genus est) Tuistonem deum terra editum. Ei filium Mannum, originem gentis conditoremque, Manno treis filios assignant.* Rhenanus.

E quorum nominibus] De his appellationibus multa diximus lib. III. rerum Germanicarum, in principio, XIV. Plinii caput lib. IV. explicantes. *Idem.*

Ingævones] Sola diphthongus, quam et Plinius habet in hac, ut et in voce Istævonum, satis indicat perperam has voces nonnullos interpretari *Inwoner* et *Westwoner*, quasi a situ incolentium vocabula illa siut nata. Ne nunc urgeam discrte a Tacito dici, a trium filiorum Manni nominibus illa Germanicarum gentium orta cognomenta, et alios dictos Herminones, quæ vox plane nihil habet commune cum situ. Itaque ex sententia Taciti dixeris rectius: tres fuisse Manno filios, vulgo nuncupatos, *Inguef*, *Istaef*, (quod forte idem cum *Justaef*, vel ut passim scribitur, *Gustaf*,) et *Hermin.* Conring.

Herminones] Plinius habet *Hermiones:* sed altera illa vox propior antiquissimo illi nomini Germanico, *Hermin.* Idem.

Quidam autem licentia vetustatis] Exemplar cum quo pridem contuli, habebat, *Quidam uti in licentia vetustatis.* Rhenanus.

Vandalios] Plinius habet *Vindili.* Sed altera vox seculis sequentibus magis inclaruit. *Conringius.*

Recens, et nuper additum] Nos *auditum* maluimus legi, quam *additum.* Quod ait, *nuper*, non hercules ita nuper: quippe cum ab ævo Julii Cæsaris, quo constat Germanos Galliam irrupisse. *Lipsius.*

Germaniæ vocabulum recens] De Germaniæ vocabulo variæ inter scriptores sententiæ: præter antiquos vide, si placet, Ægidium Tschudum Claronensem de prisca Rhetia, in epist. ad Beatum Rhenanum: ipsum etiam Rhenanum lib. I. rerum Germ. Hubertum Thomam Leodium in lib. de Tungris et Eburonibus: Petrum Divæum Lovaniensem de Galliæ Belgicæ antiquitatibus. Quod autem Tacitus ait, &c.* *Pichena.*

Et nuper additum] Multo magis hoc demulcet quam *auditum.* Intellige, datum, inditum, impositum. Virgilius Æneid. I. 'Puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur.' Seneca Herc. Fur. 'Quis nomen unquam sceleris errori addidit?' ut ex Flor. restituimus. Claudianus cons. Olybrii et Probini: 'nam sæpe soles ductoribus illis Instaurare vias et cursibus addere nomen.' *Gronovius.*

Ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sunt] Ita Lipsius restituit ex Bambergensi codice, eamque ipsam lectionem adstruit liber Bononiæ editus

anno 1472. quem nuper contuli. Obscurabat historiam vulgata lectio: *nunc Tungri, nunc Germani*. Pichena. Crux hic locus interpretibus, ipsique etiam Lipsio, qui varie trahit, et sibi non constat, quamque sententiam verissimam sibi denique persuadet, ea in se ipsam pugnat. Singula examinare et refellere mihi prolixe non lubet: ipse quid censeam breviter exponam. Locum totum sic lego; *Ceterum Germ. v. r. et nuper additum*, (non muto cum Lipsio *auditum*, quia Tacitus vult, novum hoc nomen reliquis antiquis superadditum) *quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, tunc* (non *nunc* vel utrumque dele) *Tungri, nunc Germani, vocati sint: ita nationis nomen in nomen gentis evaluisse paullatim, ut omnes primum a victore ob metum Tungri, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur*. Cic. initio lib. I. Divin. ' Gens in natione, quæ universalis.' Quorum sententia nunc clarissima, et ubique consentanea. Germanorum vocabulum ex quorundam opinione ait recentius, et priscis nominibus, quæ recensuit, nuper adjectum: idque ea occasione et ratione. Natio quæ prima Rhenum transgressa Gallos expulit, Tungri vocabantur. Hujus nomen nationis paulatim sic in gentis nomen evaluit, ut Transrhenani omnes promiscue, ob metum et formidinem aliorum e victoribus Tungri primum, deinde proprio et a se ipsis invento nomine Germani in universum appellarentur. Aliter non est, ut solida constansque sententia ulla e loco hoc eruatur. *Acidalius.*

A seipsis invento nomine Germani] Si mordicus hanc retines, legam, *a re ipsa invento. Germani* enim etymo prisco, bellaces viri sunt. *Gerra* bellum: invenere ergo id nomen, ab ipsa re, quia tales. Vulgatam quomodo expedies? aut qui a seipsis nomen hoc invenere, quod antea in Tungris? Sane interpretes hic fluctuant, et fluctuabunt æternum. *Lips.*

Mox a se ipsis] * Numidas appellavere.' Nunc omissis interpolationibus, hanc reor fuisse Taciti mentem. Tungri (natio ejus gentis quæ in universum postea Germanorum nomine dicta) irruperunt in Galliam, victisque incolis, tantum iis metus incussere, ut nomine Tungrorum Transrhenanos omnes designarent, qui adversus se flumen transirent. *A victore*, id est, propter victorem; ut Hist. IV. ' Cerialis a metu infamiæ: si licentia sævitiaque imbuere militem crederetur.' Iidem post illa Tungri victoriis elati, ἀλαζονικῶς Germanos sese dixerunt: hoc est (doctiss. vir ait) homines bellicosos: quod vocabulum ceteræ nationes ejus gentis paulatim sibi vendicarunt. At Geographus lib. VII. aliter sentit: διὸ δίκαιά μοι δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τοῦτο αὐτοῖς θέσθαι τοὔνομα ὡς ἂν γνησίους Γαλάτας φράζειν βουλόμενοι· γνήσιοι γὰρ οἱ Γερμανοὶ κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον: i. *Quapropter iis jure a Romanis id nominis inditum est, quasi dicas veros Gallos: veri enim Latine Germani dicuntur.* Salinerius. * Nicolaus de Γαλακτοφάγοις: "Ωστε τοὺς μὲν πρεσβυτέρους αὐτῶν πατέρας ὀνομάζειν, τοὺς δὲ νέους, παῖδας, τοὺς δ' ἡλικας, ἀδελφούς. Durat hodieque apud nostros ἀδελφότης quædam συμποσιακὴ, nec minus religiose colitur, ac priscis illis Romanis *cara cognatio*. Colerus. *Nunc Tungri, nunc Germani*, quum utrumque nomen promiscue, modo hoc, modo illud usurpatum fuerit. Dein malim: *primum victores a victis ob metum, mox a seipsis invento nomine vocarentur*: i. Omnes primum victores, quum Gallos expulissent, a victis Gallis invento nomine, quia hos victores metuebant victi, Germani sunt dicti, dein vero a se ipsis invento nomine Tungri. *Cluverius.* Ex Mureti et Lipsii correctionibus unam faciendam puto: *Gallos expulerint Tungri, hinc Germani v. s.* Tum, *omnes primum a victis ob metum,*

mox a re ipsa i. n. G. v. Tungri pulsis Gallis, &c.* *Harl.* * Hoc vult Tacitus, cum addit, *mox a se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur.* Nemo in posterum dubitabit, quin vexatissimi loci ea sententia sit, quam exposuimus. Vis etiam exempla? Otho Frisingensis Chron. Henrici IV. Imperatoris: 'Omnes occidentales populos, Fraucos, ob antiquam gentis illius virtutem et dignitatem, Orientales appellare solent.' Quod et fit etiamnum. Hieronymus Osorius de gestis Emanuelis Regis Lusitaniæ lib. v. 'Campson Ægypti imperator misit multos ex illis, quos olim, dum illud imperium vigebat, Mamelucos appellabaut, qui in pueritia a Cbristianis parentibus per vim abducti, et Mahumetanis institutis imbuti, et armis diligenter exerciti, bellicæ disciplinæ laudibus excellebant. Hos Indi Rumes, id est, Romanos, vocabant. Nam cum ex antiquis monumentis accepissent, quantum Romanum imperium reliquis gentibus militari gloria præstitisset, cum primum in Indiam hi Sultani milites invecti sunt, eorumque robur, et in re militari disciplinam ac industriam percepissent, Romanos esse judicarunt.' Vides, quomodo a victore populo, aliis, vicinis maxime, plerumque vocabulum indatur. Batavorum nomen cum unius olim in inferiore sive secunda Germania nationis fuerit, hodie, ob ejus celebritatem, sibi etiam tribuunt vicini Belgæ, inprimis qui nunc Fœderati dicuntur. Et hic vides, populos a se ipsis alieno et illustri nomine appellari. Sed jam excessimus institutum, et Notarum, quas quam brevissimas hic esse volnimus, modum. *Boxhornius.* Qui scil. nunc Tungri, illi ante Germani audierunt, sive ipsimet sibi hoc nomen indideriut, sive a Romanis aut Gallis cœperit hæc appellatio: quod posterius Strabo diserte testatur, et innuit Tacitus addens, *vocati sint:* eoque forte est verisimilius. Sensus hic fuerit, &c.* *Conringius.* Locus ex illis, in quibus majore cum fiducia destruas aliena, quam moliaris et struas tua. Utcumque autem defendi possit *a victore*, malim tamen a *victrice*, ut referatur ad *nationem.* Deinde utrobique admitto scripturam Bambergensem. Sensus: ut Trausrhenanæ gentes, &c.* *Gronovius.*

Cap. 3. *Virorum fortium. Ituri*] Recte distinxi. Non enim ea mens, quod Herculem canant: sed quod alacres et cum cantu incipiant pugnas. Tacitus Histor. lib. II. 'Temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, et more patrio nudis corporibus.' Lib. IV. 'Ut virorum cantu, fœminarum ululatu sonuit acies.' Noto autem etiam Hispanos præliis præcinuisse, ex Silio: 'ritu jam moris Iberi Carmina pulsata fundentem barbara cetra.' Diodorus Siculus, de Lusitanis: Ἐν τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνουσι, καὶ παιᾶνας ᾄδουσιν ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιτεταγμένοις: *In bellis ad numerum incedunt, et carmina canunt cum aggrediuntur hostem.* Simile in Thracibus aliisque Barbaris fuisse, notavi ad Annal. IV. *Lipsius.*

Primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt] Ita distinguunt veteres omnes. Mutat Lipsius, puncto post vocem *fortium* apposito: ut Germani non Herculem, sed simpliciter canant. Ego sto pro antiqua distinctione. Nec enim alias dixisset; *Sunt illis hæc quoque carmina:* aliud scil. genus carminum, præter id, quo annales memorabaut. Canebant itaque fortes viros, primumque inter eos Herculem, illorum scil. laudes, et res gestas, ituri in prælia, ut etiam in annalibus. Nam Tac. Ann. II. in fine, de Arminio dixit: 'caniturque adhuc barbaras apud gentes.' *Pichena.*

Barditum vocant] * Germanico item verbo. Quidquid de nomine sit;

Ammianus hunc describit, ‘ clamorem fuisse maximum, qui ipso fervore certaminum exoriens identidem, paullatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.’ *Lips.*

Baritum vocant] * Germani *wort* appellant, tractum vocabulum. Nisi debet esse *blarritum*. De cantu Germanorum prœlium ineuntium Tac. Hist. IV. ‘ Ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies.’ *Rhenanus.* Quamvis *bardus* Nonio sit, *vi propria et ingenio tardus*, Græcorum auctoritate, quibus Βάρδιστος *piger et tardus* dicitur ; sic Hom. Ilia. Ψ. equi βάρδιστοι dicti tardi, et Festo *Bardus a tarditate ingenii appellatur*, nihilominus *Bardi* proprie inter Gallos homines fuere, fortia illustrium virorum facta heroicis composita versibus, cum dulcibus liræ modulis cantitantes, teste Marcellino lib. IV. de quibus Lucanus lib. I. *Plurima securi fuditis carmina Bardi.* Quod vero *Bardi* Galli genere essent, præter jam dicta confirmat etiam Hesychius : Βαρδοὶ ἀοιδοὶ παρὰ Γαλάταις. Verum quia *Bardi* laudabilium doctrinarum studiis incumbebant, nec ad militiæ munera proni erant, hinc forte et *Bardi* nuncupati, hoc est, tardi. Unde jure optimo Zasius in epit. feud. tit. de fend. success. strenuum virum ac bellicosum *bardo* opposuit. Ab horum *Bardorum* cantu forsitan *Barditum* dictum cantum illum, seu clamorem, quo per initia pugnæ Germani Galliis contermini, usi sunt, Taciti testimonio. Nonnulli textus legunt *Barritum*, non *Barditum*, nec mehercule injuria. Siquidem ita Ammianus lib. XVI. de Germanis et Alemannis. Hinc quem *dissonum et trucem cantum* Livius lib. V. appellavit, et Vegetius III. 18. *barritum* vocavit, idem Tacitus paulo infra *cantum*, *fremitum*, *clamoremque dissonum* nuncupavit. *Barritum* autem hunc dictum existimant quidam a similitudine inconditæ vocis elephanti, quem *barrire* tradit Spartianus in Antonino Geta, unde et *barrus* elephas Latinis dictus, ut docent interpretes in Horatii Epod. 12. Hujuscemodi clamore, vel saltem consimili, non solum Germanos usos per initia pugnæ, sed et alias nationes observamus. Livius l. IV. 37. l. XXX. 34. Et lib. XL. de Romanis adversus Ligures pugnaturis. Cæsar Civ. lib. III. 92. Hoc idem refert Plutarchus in Cæsaris vita. Cæsar Gall. VII. * Hirtius de bello Hisp. * Ex his, id moris fuisse Italis et Hispanis, ut scil. pugnaturi clamorem ederent, quam possent, maximum, manifestum est, quod et de Germanis diximus. De Pœnis Livius XXVI. 5. De Gallis XXI. 28. Sed et ante hos omnes id factum etiam a Græcis, docet Homerus Iliad. Δ. de Trojanis οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος, οὐδ' ἴα γῆρυς. Quod pariter confirmat Polybius lib. XV.* Verum concludamus in textu Taciti legi posse *Barditum* et *Barritum;* namque utravis lectio ratione non caret, ut diximus. *Marc. Donatus.* Lipsio magis placet, *Baritum.* Ita certe vocatur ab Amm. Marcellino lib. XXXI. ‘ et Romani quidem voce undique Martia concinentes, a minore solita ad majorem protolli, quam gentilitate appellant barritum, vires validas erigebant.’ *Pichena.*

Quam virtutis concentus videtur] Bambergensis, *quam mentis concentus:* quod haud præferam vulgatæ. *Lips.*

Nec tam voces illæ, quam virtutis concentus videntur] Ita Venetus ac Bon. Vulgo, *nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videtur.* Pichena. Lipsius Bambergensis cod. lectionem flocci facit. At hercules ita mihi videtur Tacitus scripsisse, ut illud Homericum scil. exprimeret : Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί, Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξάμεν' ἀλλήλοισιν· *Ast ibant taciti spirantes robur Achæi, Inque vicem auxilium tacita sibi mente ferebant.* Colerus.

Ulixem quidam] * itemque Mela.

Cui miræ et blandienti opinioni si indulgemus, quidni Ulissinga nostra in Zelandia, ab eodem sit? quidni Circzea a Circe? Sed vani et lascivi, vereor, lusus isti ingeniorum sunt: quibus tamen hodie nonnemo se ostentat et superbit. Jo. Brodæus hæc de Ulyssis errore in Miscellaneis scite coarguit: Brodæus, vir sive adolescens potius, acris ingenii, probi judicii, lectionis diffusæ, quem non magis in ore famæ esse miror, imo indignor. *Lips.*

Ulyxem] Habebam de Ulyssis erroribus quædam non vulgaria, quæ huc adscribercm, sed deterruit me cum Bionis illius antiqui, tum gravissimi Senecæ objurgatio, quæ ad Lucillium scripta epist. 13. ‘ Quæris Ulysses ubi erraverit potius, quam efficias, ne nos semper erremus. Non vacat audire, utrum inter Italiam et Siciliam jactatus sit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus.’ Polybius negaverat Ulyssem ingressum Oceanum, quem refutat Strabo lib. I. Mirum tamen, nisi de illis erroribus condigna illo versu suo scripserat Homerus: Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα. *Colerus.*

Ab illo constitutum nominatumque ἀκρινίπριον] In exemplari illo cum quo contuleram meum codicem, sic scriptum erat, *acriniprion.* Lego, Ἀστυπύργιον, hoc est, *Astypyrgion;* ut *Asciburgion* inde sit deductum, una tantum syllaba mutata, ceu vulgo facere mos est in non intellectis. *Urbem* Græcis ἄστυ significat, et πύργος *turrim* sive *propugnaculum.* Notum est *Astypaleæ* vocabulum diversis insulis ac civitatibus tributum. *Pyrgorum* quoque nomen notum ex Strabone, Stephano, Antonino. Porro non dubito, quin *Burgum* illud Germanis tam frequens in appellationibus oppidorum et arcium, παρὰ τὸ πύργος desumptum sit: quando majores nostri multa vocabula sunt a Græcis mutuati, ut et nonnulla a Romanis, ac ab Hebræis paucula: nam omnes hodie linguæ mixtæ sunt. Nec vero de Græcis vocibus, quas usurpant in vernaculo sermone Germani, quisquam mirabitur, qui proditum hoc a D. Hieronymo meminerit in Traditionibus Hebraicis in Genesin. ‘ Legamus,’ inquit, ‘ Varronis de antiquitatibus libros, et Asinii Capitonis, et Græcum Phlegonta, cæterosque eruditissimos viros, et videbimus pene omnes insulas, et totius orbis littora, terrasque mari vicinas, Græcis accolis occupatas; qui, ut supra diximus, ab Amano et Tauro montibus, omnia maritima loca usque ad Oceanum possedere Britannicum.’ *Rhenanus.* Adjiciunt vulgati Græcam vocem: *nominatumque* ἀσκιπύργιον, quam cum Lipsio, ut glossema, prætermisi: præcessit enim nomen *Asciburgium.* Pichena. Sequentem vocem Græcanicam recte omitti cum aliis censeo. Nec debuit Rhenanus etiam mutare in ἀστυπύργιον: quod sane nec cogitatum nec scriptum Tacito. Marcianus Heracleotes: Ἐστὶ δὲ τῆς Γερμανίας τὸ μῆκος ἀρχόμενον μὲν ἀπὸ δύσεως καὶ Ἀσκιβουργίου πόλεως. *Colerus.*

Monumentaque et tumulos quosdam] Virgil. in Culice: ‘ Congestum cumulavit opus, atque aggere multo Telluris tumulus formatum crevit in orbem: Quem circum lapidum levi de marmore formans Conserit, assiduæ curæ memor.’ Seneca Contr. lib. VII. 6. in fine: ‘ Inter sepulchra monumenta sunt:’ et ep. 92. ‘ non est, quod nos tumulis metiaris, et his monumentis, quæ viam disparia prætexunt.’ *Pichena.*

Neque confirmare argumentis] Scriptus olim Bil. Pircheimeri *adfirmare,* ut monuimus ad Liv. XX. 13. *Gron.*

Neque refellere] Est enim antiquis illis Historicis ut non temere fides habenda, ita nec demenda statim. Prudenter Strabo lib. VIII. Δεῖ δὲ τῶν παλαιῶν ἱστοριῶν ἀκούειν οὕτως, ὡς

μὴ ὁμολογουμένων σφόδρα· οἱ γὰρ νεώτεροι πολλάκις νομίζουσιν καὶ τ' ἐναντια λέγειν : *Veteres Historias oportet audire non quasi sint omnino dubiæ fidei : quippe et novitii multis in rebus dissentire solent.* Merito igitur Metrius Florus apud Plutarchum : τῷ δὲ αἰτίας ἀπορεῖν ἀπιστεῖσθαι τὴν ἱστορίαν, οὐ δικαίως. *Colerus.*

Cap. 4. *Aliis*] Redundat. *Lips.*

Nullis aliis aliarum nationum connubiis] Lipsius vocem, *aliis*, tanquam redundantem tollit. Forte, *nullis alicnigenarum nationum.* Pichena.

Propriam ac sinceram] Lipsius ex lib. Bambergensi adducit *perpetuam ac sinceram* : quam ego scripturam propriam magis ac sinceram puto. *Perpetuam* vocat, quia antiquissima et αὐτόχθων. Glossarium : *Perpetuum* Αἰώνιον, Διόλου, Διηνεκές. *Colerus.* Τὸ *perpetuam* huic rei accommodatum non videtur. Tria enim, quæ ponit hic Tacitus, nihil aliud sunt quam idem alio modo, majoris affirmationis et ἐμφάσεως χάριν. Ita et *proprius*, suus, οἰκεῖος, cum pluribus non communis, eoque impermixtus, *sincerus et tantum sui similis.* Gronov.

Rutilæ comæ] * apud Germanos.' Et Martialis, Ruffum ea mente Batavum : ' Sum figuli lusus, ruffi persona Batavi.' Græci plerumque ξανθὸν verterunt : etsi Galenus Commentario ad Polybum De victu, velit Germanos magis proprie πυῤῥοὺς dici, quam ξανθούς. Calpurnius Flaccus Declamat. &c.* abscondente galero.' De hac ipsa re doctissimus Tertullianus, libello de Cultu : ' Video quasdam et capillum croco vertere : pudet eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ aut Gallæ procreatæ sint : ita patriam capillo transferunt. Male ac pessime sibi auspicantur, flammeo capite.' Nam quod mali auspicii ait flammeum caput : intellegit omen ad flammas æternas. *Lipsius.*

Rutilæ comæ] Hoc quoque a septemtrione est. Herodotus de Budinis : Γλαυκὸν δὲ πᾶν ἰσχυρᾶς ἐστὶ καὶ πυῤῥόν. Plinius II. 78. ' Et adversa plaga mundi atque glaciali candida cute esse gentes, flavis promissas crinibus.' Apud Gallos vero non nasci tantum, sed etiam fieri solebant rufi capilli. Lege Diodorum Siculum. Plinius lib. XXVIII. ' Prodest et sapo. Gallorum hoc inventum rutilandis capillis ex sevo et cinere.' Scribit tamen inibi, eodem medicamento usos et Germanos, et quidem viros magis quam fœminas. *Coler.*

Magna corpora, et tantum] Mutilus, me judice, Bambergensis, qui spreta priori voce scribit : *corpora tantum impetu valida.* Nam proceritas etiam inter Germanorum proprias notas. *Lipsius.*

Et tantum ad impetum valida] Scribit Justinus Parthos intolerandos fore, si quantus his impetus est, vis tanta ac perseverantia esset. Quod de Germanis hic Tacitus, etiam Gallis Florus II. 4. et Livius XXXVIII. 17. tanquam similis utriusque gentis habitus, tribuunt. Sic etiam lib. XXXIV. 47. et XXXV. 5. Apparet igitur Gallos illos veteres et Germanos mire convenisse, quantum ad naturam quum corporum tum animorum attinet. Enimvero satis indicat Cæsar comm. VI. jam tum Gallos, ob propinquitatem et transmarinarum rerum noticiam multa ad copiam atque usus largientem, imbelliores redditos, ac paulatim assuefactos superari, multisque victos prœliis, ne se quidem ipsos cum Germanis virtute comparare. De iisdem Tacitus Agric. 11. Quod tamen in vetustissimos illos Gallos minime competere potest, de quorum fortitudine post missas in Asiam colonias apud Livium XXXVIII. 17. Cn. Manlius. Rutilarum comarum magnorumque artuum argumento Caledoniam Britanniæ habitantibus Germanicam originem vendicat Tacitus. De cantu Germanorum quum

pugnam sunt conseraturi, ibidem. Ergo quis negabit Celtas illos vetustissimos Germanis similes et vere Germanos fuisse? ut plane dubium sit, num sicut Belgicas regiones, id quod Cæsar tradit, ita etiam Celtarum terras olim suis Germani sive Teutones coloniis repleverint. Nam propria Regulorum nomina apud Livium *Lutarius*, *Dorolacus*, *Combolomarus*; apud Cæsarem *Litauicus*, et *Ambactorum* vox pro clientibus Germanicam etymologiam habent. De Belgarum nominibus minus mirandum. At Dii boni, quantam mutationem affert tempus, educatio, disciplina! Gallos longa pax adeo emollit, ut dicas stirpem illam veterum Celtarum prorsus exoletam esse. Id quod apud Germanos Saxonibus accidit præcipue et Germaniam secundam incolentibus nationibus, quæ tamen primum Francorum, deinde Saxonum, bellicosissimarum gentium soboles existunt. Nihil vero pugnacius olim Saxonibus. Galli certe mitescere cœperunt postea quam provinciales facti sunt. Quia Romani præsidiis externorum militum Gallias ex majori parte tutabantur, operam dantes, ut ipsi provinciales quieti et ocio per voluptates assuescerent: quod tam sedulo factum est in Galliis, ut non modo Romanorum mores induerint, sed etiam linguam acceperint, sua fastidita, ac nomen: unde Lotharingi omnes hodieque se Romanos, suamque linguam Romanam velut a Romanis acceptam appellant. Hanc artem mitigandi subjugandique populos, qua Romani suum in provinciis diversis imperium stabiliendo sunt usi, prodit Tacitus in Agric. 21. Idem ibidem de Gallis, cap. 11. Magnam itaque mutationem in Gallis factam videmus, quorum imperium post Romanos Franci inclita Germanorum gens potissimum occupavere. At Germani sui similiores permanserunt: et quanquam post illam infelicem apud Tolbiacum pugnam, quo tempore divisa in duas factiones Germania, Franci ostiis Rheni, Alemanni fonti ejusdem amnis propinquiores, velut duo proci, de Gallia contenderunt, victoribus Francis aliquandiu parere coacti fuimus, tamen quum et Carlingorum stirps exolevisset, qui post Merovingos in Gallia regnarunt originis Germanicæ, jamque Parisiorum comes Hugo Capetus invasisset principatum, respiravimus paulatim, et in pristinam nos libertatem ipsi vindicavimus. Nec vero est, cur Gallos istius mutationis pœnitere debeat, quando optimas leges, disciplinam ac civilitatem a Romanis acceperunt; adeo non nocuerunt devictis a se populis quum magnus Alexander tum Romani. Nos avitæ ferociæ plusculum retinemus. *Rhenanus.* Idem, Ann. II. de iisdem Germanis: 'jam corpus, ut visu torvum, et ad brevem impetum validum.' Columella, lib. III. 'Germaniam decoravit altissimorum hominum exercitibus.' Sic Pausanias de Galatis in Phocicis, alii. *Colerus.* Forte melius, *sed.* Bambergensis, *tantum impetu valida.* Acidalius.

Minimeque sitim] Hist. II. 'Adjacentia Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora, fluminis aviditas et æstus impatientia.' Similia apud Livium et Plutarchum. *Colerus.*

Cælo solove assueverunt] Suetonius Paulinus Othonianarum dux partium, quo nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, apud Tacitum nostrum, Hist. lib. II. spacium ac moras trahendi belli suadens, 'Germanos' ait, 'quod genus,' &c. * *Rhenanus.*

Cap. 5. *Et si aliquanto specie differt*] Nescio quid idem liber sibi velit, *etsi aliquando specie aret.* An, *variet?* Lipsius.

Ventosior qua Noricum] * de humore agitur, aut siccitate. Anne *verticosior*, ausim legere? id est, magis

alta et montana? Mela quidem ita disparat, in hac ipsa terra describenda: ‘ Terra multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, et magna ex parte silvis aut lapidibus invia.’ An frustra angimur? et ventosam accipi, pro sicca atque aërca, simplicius et verius sit? *Lipsius.*

Ventosior qua Noricum] Lipsius docte arguit vulgatum, denique *verticosior* reponit: nisi *ventosior* capiendum, siccior ac magis aërea. Ego *verticosior* amplector; aut, quod eodem significatu ex iisdem vestigiis æque facile fit, *montosior:* sed et contra in prioribus pro *humidior, humilior* rescribo. *Acidalius.*

Pecorum fœcunda] Forte excidit vocula *hæc:* ut lectum fuerit: *sed plerumque hæc inprocera.* Nihil tamen muto. *Conringius.*

Eæque solæ et gratissimæ opes] Sic et de Geryone Hispanorum rege scribit Justinus: ‘ Armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur.’ *Rhenanus.* Cæsar lib. VI. de Eburonibus: ‘ Magno pecoris numero, cujus sunt cupidissimi barbari.’ *Colerus.*

Argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint] Augustinus de Unitate Ecc. cap. 19. ‘ Multi Deo irato exaudiuntur: de quibus dicit Apostolus, Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum: et multis Deus propitius non concedit quod volunt, ut quod utile est tribuat.’ Idem serm. 55. de verbis Domini in Evang. Joannis cap. VII. ‘ Aliquando Deus iratus dat quod petis, et Deus propitius negat quod petis.’ Plinius XXXIV. 1. tradit, æris metalla suo tempore in Germania reperta. *Pich.*

Possessione et usu haud perinde afficiuntur] Videtur sensus: Interiores ac rudes Germanos, nondum avaritia corruptos, æque possessionem atque usum auri argentique parvi pendere solitos: quod etiam verba sequentia satis ostendunt. Idem ergo erit, *haud perinde afficiuntur*, quod, perinde *haud afficiuntur.* Pichena.

Permutatione mercium] * Vide Plutarchum in Lycurgo. *Pichena.*

Pecuniam probant veterem] Quæ semper lectior nova: ad id nominis me commonefacit quam subfrigide hæc Plauti verba a doctiss. Lambino accepta sint. Bacchid. ‘ Sed Priamus hic multo illi præstat: non quinquaginta modo, Quadringentos filios habet, atque equidem omnes lectos, sine probro.’ Locus ex eo pendet, quod Priamus non omnes illos quinquaginta filios ex justis nuptiis procrearat. Homerus lib. ult. Iliad. Πεντήκοντά μοι ἦσαν ὅτ' ἤλυθον υἷες Ἀχαιῶν, Ἐννέα καὶ δέκα μέν μοι ἴης ἐκ νηδύος ἦσαν, Τοὺς δ' ἄλλους μοὶ ἔτικτον ἐνὶ μεγάροισι γυναῖκες· i. *Quinquaginta mihi erant quando venerunt filii Græcorum, Novem et decem ex uno utero, Cæteros mihi in domibus mulieres pepererunt.* Cicero lib. I. Tuscul. ‘ At quinquaginta Priamus, quorum decem et septem ex justa uxore nati sunt.’ Non consentiunt de numero legitimorum, causam de me ne petas; at in eodem dissidio Euripides, apud quem sic Hecuba suas miserias deflet. Hecub. Ἡμεῖς δὲ πεντήκοντ' ἄμοιροι δὴ τέκνων· i. *Nos vero quinquaginta orbæ si liberis.* Dicamus Hecubam vi doloris delenitam omnes quinquaginta falso sibi vindicasse. Virgilius vero non quinquaginta modo, sed centum Priamo fuisse scribit, Æn. lib. II. ‘ Vidi Hecubam centumque nurus.’ Solvit Servius, sed morose. Quid si *centum* oratorie, non Latine? *Saliner.*

Serratos Bigatosque] *sæpe fit mentio Livio: nec aliter apparet *Serratos* ab impressa Serræ nota appellatos. *Rhenanus.*

Numerus argenteorum facilior usui est] Magis placuit, *facilior*, ut in Veneto ac Bon. quam, *faciliori*, ut in vulgatis. *Pichena.*

CAP. 6. *Rari gladiis*] Scire licet. Sidonius de Cimbris: ‘ gladiisque

gravatas Ante manus solas jussi portare catenas.' Suspicor fuisse proprio quodam nomine *Materes* dictos, quam vocem Gallicam esse Sisenna ait. Cultrum hodieque propter similitudinem reor, appellitare consuevimus *Metter*, seu *Messer*. Eadem ratione a framea veteri Teutonico vocabulo dicimus adhuc *Frim*, sutorium an sartorium instrumentum, et minuto pugioni non dissimile. *Colerus.*

Vel cominus vel eminus] * plagæ præscisse locum.' Breve telum fuit usitatum etiamnum quibusdam in Germania. Idem Tacitus haud dubie innuit Ann. II. ubi Germanicus inter missilia Germanorum numerat ' præusta aut brevia tela.' *Colerus.*

Missilia spargunt] Æn. XII. ' Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus.' *Pichena.*

Nudi aut sagulo leves] De iisdem Germanis Seneca de Ira I. 11. ' Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffugia adversus perpetuum cœli rigorem.' *Idem.*

Scuta tantum] * fucatas colore tabulas.' Ait duplicem fuisse scutorum materiam, vimina et tenues tabulas. Talia e viminibus aut cratibus plerisque etiam Scythiæ gentibus fuisse legimus. Et Persis tribuit Herodotus: unde sumsit veteris Glossarii auctor: Γέρρον, εἶδος ἀσπίδος Περσικῆς *Crates.* Plutarchus equitibus, &c.* *Colerus.*

Vix uni alterive cassis aut galeæ] Nihil ambigo quin esse debeat, *galea:* proinde et sic emendavimus. Occasionem errato dedit mox sequens vocabulum quod incipit ab *e* litera. *Rhenanus.* Isidorus Etymol. XVIII. 14. sic discriminat: quod *Cassis* de lamina est, *Galea* de corio. *Pichena.*

Nec variare gyros] *volumina crurum.' De usu Xenophon: Δεύτερον δὲ, ὅπως ἐν παντοίοις χωρίοις ἱππάζεσθαι δυνήσονται, καὶ γὰρ οἱ πολέμιοι ἄλλοτε ἐν ἄλλοις τόποις γίγνονται. Huc facit et Vegetius lib. III. *Colerus.*

In universum æstimanti] Sic in Agricola: ' In universum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupasse credibile est.' *Idem.*

Plus penes peditem] Infra de Cattis: ' Omne in pedite robur:' et addit deinceps: ' Alios ad prœlium ire videas. Cattos ad bellum.' Ergo plus in pedite momenti esse, quam in equite, censuit Cornelius. Idem magis expresse scribit Hist. I. ' Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipsos: nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum.' Plus enim profecto omnibus corporis partibus virtus se in pedite, quam in equite exserat. Disertissimus et peritissimus Xenophon lib. III. Κύρου ἀναβ. Οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἵππων κρέμανται φοβούμενοι οὐχ' ἡμᾶς μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ καταπεσεῖν· ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τῆς γῆς βεβηκότες, πολὺ μὲν ἰσχυρότερον παίσομεν, ἤν τις προσίῃ· πολὺ δ' ἔτι μᾶλλον ὅτου ἂν βουλόμεθα, τευξόμεθα· i. *Nam illi in equis hærent, non tantum vosmet metuentes, sed et ne excutiantur. Nos terra firmiter nixi longe vehementius feriemus, si quis accedat, et multo magis quod appetimus, attingemus.* Insignes etiamnum Germani nostri pedestri illa militia. Aristoteles tamen equitem ut priorem, ita usu potiorem facere videtur, Polit. IV. 13. *Idem.*

Eoque mixti prœliantur] * priscæ linguæ nostræ fragmenta, ab aliis vulgata. Sic *Gotescalcum* ministrum Dei recte interpretabimur. Dithmarus de ejus appellationis Episcopo Frisingensi: ' Nomen cum re possidens.' Unde ostendi possit, *Marescalcum* et *Marquardum* eundem fuisse dictum. Nam *Marcuardus* est, qui curat equos γνησίως. *Idem.*

Centeni ex singulis pagis] In libro veteri legitur, *Centum.* Rhenanus. Antiquissimum Glossarium nostrum Latino-Teutonicum Ms. *Centurio præfectus, hundro.* Boxhornius.

Consilii quam formidinis arbitrantur] Locutio Tacito familiaris, de qua ante admonuimus in castigationibus Annalium, et in ejus operis initio. *Rhenanus.* Idem de Cattis scribit Ann. I. ‘ Non auso hoste terga abeuntium lacessere; quod illi moris, quoties astu magis quam per formidinem cessit.’ *Colerus.*

Corpora suorum] Contrarium plane in exercitu Brenni accidisse scribit Pausanias lib. X. *Idem.*

Cap. 7. *Reges ex nobilitate*] Quam recte aut prave, doccat Aristoteles, Polit. v. 10. *Idem.*

Nec regibus infinita] Satis tamen pollens, prægnans, fuit ante Caroli Magni tempora etiam apud Gallos. Lege Eginhardum in vita Caroli. *Id.*

Exemplo] * exemplum etiam a me petere.’ Severe hæc exempla a Ducibus suis exegisse Germanos non est dubium. Amm. Marcellinus lib. XVI. ‘ Alemannorum peditum fremitus indignationi mixtus auditus est, vociferantium relictis equis secum debere versari regales, ne si quid contigisset adversum, deserta miserabili plebe, facilem discedendi copiam reperirent.’ *Idem.*

Neque animadvertere, neque vincire] Pugnantem Cæsaris locum affert Lipsius: idem conciliare ita studet, quasi Cæsar de belli tantum tempore, noster in pace intellexerit. Vane. Clarissimum ex sequentibus verbis de belli etiam tempore Tacitum sentire. Quid enim aliud ex iis colligas? ‘ Non quasi in pœnam, nec ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.’ *Acidalius.*

Neque verberare quidem] Scribe, *ne verberare quidem.* Gronovius.

Familiæ et propinquitates] Simili fortitudinis irritamento, sed non æque solido et efficaci usi sunt quondam Thebani: qui trecentos delectos et dilectos invicem, vel, ut Plutarchus loquitur, ἐραστὴν πυρ' ἐρωμένων, constituere. Eam cohortem mutuo amoris nexu conjunctam *Sacram* illi dixere. Illius præstantiam et invictam fortitudinem ad prœlium usque Chæronense durasse scribit ipse Chæronensis Plutarchus. Curtius: ‘ Amyntas Andromenis ab Antipatro Macedonum peditum sex millia adduxit, quingentos præterea ejusdem generis equites.’ Videtur illud dicere, gentilium et cognatorum turmas etiam in exercitu Macedonico Alexandri fuisse. Nisi verius et simplicius ejusdem generis dici existimemus, ejusdem generis Macedonici equites: ut frustra de illius loci sententia aliter senserit vir doctus apud Vegetium l. II. c. 2. *Colerus.*

In proximo pignora, unde feminarum ululatus] * Atqui cum matribus in prœlio extra aciem collocari in carris solitos scribit Cæsar Gall. lib. I. Sed hoc fortasse tantum atrocissimis prœliis et rebus desperatis. Orosius lib. VI. de Suevis ac Sicambris: ‘ Quorum ex eo considerari virtus ac feritas potest, quod mulieres quoque eorum, si quando præventu Romanorum inter plaustra sua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua, velut telo, furor uti possit, parvos filios collisos humi, in hostium ora jaciebant.’ *Idem.*

Nec illæ numerare, nec exigere plagas] Restituimus, *exugere*, nostrum secuti judicium. Quia vero particula, *nec*, non erat in codice cum quo contulimus, arbitror scriptum fuisse, *Nec illæ numerare, exugere plagas.* Rhenanus. Probat Lipsius alteram lectionem ex Farnesiano et Rom. codice, *exigere plagas.* Mihi autem vulgata melior. Non est verisimile mulieres Teutonicas tam avide, &c.* *Colerus.* Placet *exigere;* sed ut *sarta tecta exigere, ad summam veritatem jus exigere.* Quasi taxare ac plus aut minus in illis virtutis agnoscere. Vide Observ. I. 8. *Gronovius.*

Cibosque et hortamina] Quæ illa hortamina? Virium reor, aut certe po-

tum viui loco adhibitum, quippe non tantum firmandis, sed etiam incitandis fessis militibus vino et aliis calidioribus potionibus iracundiam audaciamque facillime provocari scripsere Aristoteles, Plutarchus, Athenæus. Sed de vino, quidni adfirmem, tum id importatum Germanis, cujus erant haud dubie cupidissimi? Milites Nigri apud Spartianum: 'Vinum non accepimus, pugnare non possumus.' Pausanias de Thracibus lib. IX. Καὶ τοῖς ἀνδράσιν ἀπὸ τούτου κατέστη μεθυσκομένοις ἐς τὰς μάχας χωρεῖν. Multa communia Thraces et Germanos habuisse notavi alibi. Forsan et hoc. Cur autem hortamen quoddam fortitudinis vinum dici queat, pulcre Seneca docet lib. I. de Tranquill. Vitæ. 'Liberque non solum ob licentiam linguæ dictus est inventor vini, sed quia liberat servitio curarum animum, et asserit vegetatque et audaciorem in omnes conatus facit.' *Colerus.* Nugatur strenue, non videns Tacitum ludere in verbo *gestare*, quod aliter accipitur quum refertur ad *cibos*, aliter cum ad *hortamina*. Hæc enim sic *gestantur*, ut 'fertur salus,' ut 'portatur ave.' Plautus Pœn. 'Salutamus te, Lyce, quanquam hanc salutem ferimus inviti tibi.' Martialis, 'Et matutinum portat ineptus ave.' Et cibos eis ministrant, inquit, et verbis stimulos ad virtutem addunt. *Gronovius.*

Constantia precum] Cæsar idem scribit de mulierculis Gallicanis, lib. VII. De Assyriis Xenophon, Κύρου παιδ. *Colerus.*

CAP. 8. *Objectu pectorum*] Plutarchus Mario: Ἀναπεφυρμέναι μαχομένοις, καὶ χερσὶ γυμναῖς τοὺς δὲ θυρεοὺς τῶν Ῥωμαίων ἀποσπῶσαι, καὶ τῶν ξιφῶν ἐπιλαμβανόμεναι, καὶ τραύματα καὶ διακοπὰς σωμάτων ὑπομένουσαι μέχρι τελευτῆς ἀήττητοι τοῖς θυμοῖς· i. *Quæ pugnantibus mistæ, nudis manibus scuta Romanorum detrahebant, gladios prensabant, vulnera et lacerationes corporum perpetiebantur, ad mortem usque animis invictæ.* Idem.

Nec consilia earum] Hocne superat? heu ipsos parum firma mente, qui eam quæsivere apud amentem sexum! Et tamen adeo vera Taciti adfirmatio, ut Plutarchus narret, consultationibus omnibus apud Celtas (ita Germanos Græci vocant) de pace deque bello, fœminas adhiberi, et lites cum fœderatis aut sociis populis exortas earum interventu decidi. Verba ipsa in re parum credibili dabo. In libello De Virtutibus mulierum: Ἐκ τούτου διετέλουν, inquit, περί τε πολέμου καὶ εἰρήνης βουλευόμενοι μετὰ τῶν γυναικῶν, καὶ τὰ πρὸς τοὺς συμμάχους ἀμφίβολα δι' ἐκείνων βραβεύοντες. *Lipsius.*

Nec consilia earum] Plutarchus eadem in Γυναικ. ἀρετ. Sed ibi etiam de Gallis Cisalpinis intelligendum. Eadem fœminarum auctoritas apud Sarmatas fuit, quibus ipsi, ut testatur Nicolaus Damascenus, πάντα πείθονται ὡς δεσποίναις. *Colerus.*

Vidimus sub divo Vespasiano Velledam] Hæc virgo Bructeræ nationis erat, ad quam non facile quisquam admittebatur: 'Habitabat enim in edita turre, et delectus e propinquis consulta responsaque ut internuncius portabat.' Sic enim eum Taciti locum castigavimus. *Rhenanus.* De Veleda Tacitus supra lib. IV. ab excessu Neronis ita scribit: 'Mummius Lupercus legatus legionis inter dona missus Veledæ. Ea virgo nationi Bructeræ late imperitabat.' Statius Silv. l. I. 'Captivæque preces Veledæ.' Fœminæ autem quanto in honore apud Germanos fuerint, ex his etiam antiquis inscriptionibus intelligere possumus: MATRONIS. RVMÆABVS. SACR. L. VITELLIVS. CONSORS. EXPO. LEG. VI. VICTRI. Item: T. FRATERNVS. MATRIBVS. GALLAICIS. V. S. L. M. *Ursinus.* Apud Germanos veteres *Vel*, aut *Vella* significat viraginem. Id mihi constat ex Glossario, de quo jam dixi, Ms. quod aliquando in lucem

emissurus sum. Hinc forte an illud hodieque Belgis nostris frequentatum, *het is een stout vel*, cum de viragine loquuntur. *Boxhornius.*

Auriniam] Farnes. liber, *Fluriniam.* Putem fuisse, *Aluriniam.* Quod Jornandes mihi auctor in rebus Gothicis, non proprium nomen, sed commune omnium sagarum fuisse, &c.* De fatidicis autem fœminis Germanorum, præter Cæsarem libro I. Plutarchum in Mario et Cæsare, Strabonem libro VII. vide etiam Clementem, Stromate I. *Lipsius.*

Auriniam] Ita quoque Bartolinus legerat apud Tacitum: *Evolat Hercinio ad superos Aurinia luco.* Lipsius ex Jornande non improbet *Aliorunam.* Ubi potius legendum crediderim, *Alterunas*, quasi dicas vetulas runas, sive sagas. Excellentiores autem sagarum colebant, veluti Deas, et consuluntur tales hodieque in multis locis velut quædam Sibyllæ. Sic *Guthrunam*, bonam sagam recte interpretere apud Saxonem Grammaticum lib. VIII. 'Veneficam, cui Gutrunæ erat vocabulum, consulunt.' Nescio etiam ob quam caussam majores nostri *Mandragoram*, Altrunam appellitavere: credo quia veneficiis et incantationibus adhiberetur. *Colerus.* *Auriniam* quod spectat, id vocabulum contractum iisdem Belgis etiamnum in usu est. Sagam enim, fatidicam et divinatricem, *Aunier*, vel mollius, *Eunier* vocant. *Boxhornius.* Sagam vetulam et murmuratricem. *Runen* enim, antiqua vox actum susurrandi notat. *Hellerumnas* vero Ricardus Argentinus: nec longe aliter Gesnerus vocat *Hellerunas*, i. cum inferis et dæmonibus secretemur murmurantes. Doctissimus Lindenbrogius ex veteri Glossario Latinotheotisco Magni Etruriæ Ducis profert, *Helliruna.* Quidam *Aly* et *Halyrunas*, ab opinione sanctitatis. Haly enim veterum lingua sanctus. *Adelrunas* Jo. Magnus Goth. VI. 24. et *Alrunas* egregius Loccenius Antiq. Sueogoth. II. 14. Etenim *Runa* Gothis ars, sæpe magia. *Alironiam* ex Aventino et Trithemio, atque Hebræorum radice, quasi excelsorum atque heroum in prœlio cantatrices, Schedius II. 43. *Kirchmaier.*

Nec tanquam facerent Deas] Si interpreteris eas loco numinis habitas non esse, Cornelius minime sibi constat. Supra: 'Inesse quinetiam sanctum aliquid, &c.' Tum: 'Vidimus sub Divo Vespasiano Velledam diu apud plerosque loco numinis habitam.' Quid ergo dicendum? Vere, non adulatorie pro deabus habebantur: τὸ *facere* enim de iis dictum, qui non vere dii vel ipsis cultoribus. Juvenalis Sat. X. 'Sed te Nos, Fortuna, Deam facimus, cœloque locamus.' Postremum his Tacitus illos oblique perstringit, qui se deos dici voluerunt, nec exempla procul erant petenda. Suet. 13. Domitianus enim, 'cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus et Deus noster.' *Salinerius.*

Cap. 9. *Deorum maxime Mercurium colunt*] Idem iisdem pene verbis a Cæsare Gallis attribuitur, lib. VI. 'Deum maxime Mercurium colunt.' Notat vir doctiss. Tacitum Cæsare melius *calluisse* mores Germanorum. Idem ibid. 'Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, et quorum opibus aperte juvantur. Solem, et Vulcanum, et Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.' Quid si Cæsaris tempestate reliqui nondum erant cogniti, qui tamen postea per hospites innotuere? *Salinerius.* Quem Paulus Diaconus *Vodam* appellat. Sed mallet ibi Lipsius, *Wondam* vel *Wonstam.* Non, ita me Musæ ament, (ignoscat mihi vir summus, quem ego nunc amo et colo) volentibus Musis. Gotefridus Viterbiensis in Chronico: 'Votam quidam Gotam adjecta litera dixerunt. Ipse est, qui apud Roma-

nos dicitur Mercurius, et nunc ab universis Germanis, ut Deus adorabatur: unde usque hodie Got Teutonica lingua dicitur Deus.' Apud eundem Gotefridum Loclacus quidam, antiquitatum, ut ipse ait, commentator. 'Quod Vandali accedentes ad Idolum suum Godam, victoriam de Vinnulis postulaverunt.' Idem Sigefridus Presbyter in breviario suo scripsit. *Got* ergo a Vandalis et Longobardis vocabatur Mercurius, qui Saxonibus *Irmin*. Ejus templum cum columna evertit Carolus Magnus, ut in vetustis Annalibus Francicis scriptum *Irminsaul*, id est, statua Irminis, appellabatur. Verba Annalium illa sunt: 'Eresburgum castrum cepit, idolumque, quod Irminsul a Saxonibus vocabatur, evertit.' Apud Reginonem recentiori nomine *Hermansaul* dicitur. Unde cognoscas *Irmin* et *Herman* idem apud illos fuisse. Græcum autem id nomen plane est Mercurii. In gratiam puta Germanorum passim etiam Romani apud eos agentes Mercurium colebant, ostendunt id variæ inscriptiones, et illa quam in Gallicana Rheni ripa, apud vetustum castellum *Wasselburg* anno descripsi: DEO. MERCURIO. ATTEGIAM. TEGULITIAM. COMPOSITAM. SEVERINUS. C. F. EX. VOTO. POSUIT. L. L. M. Ab Irmine denique illo composita nomina illa finxere in nostram gentem, *Irmingardis* Ludovici uxor, *Irmingarius*, Comes Emporitanus, *Irminfridus*, Rex Turingorum; *Irmingild*, Gothorum Regis cujusdam filius. *Coler.*

Unde causa et origo] Et ego juxta tecum, mi Tacite, cum iguarissimis ignoro. Petebam aliquod subsidium a Plutarcho, sed frustra. An ideo, quia Mercurii filia Isis? Sed quis hoc indocto populo aperuit. *Colerus.*

In modum liburnæ] * *Navigium Isidis* appellatur. De eodemmet Isidis navigio memoria est apud Apulcium II. Metam. Lactant. l. I. Fulgentium Placiadem in Mytholog. Lucianum in πλοῖον, Diodorum Siculum. *Sciopp.*

Nec cohibere parietibus Deos] Idem Persis factitatum. Herodotus Clio: ἀγάλματα καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύσθαι: i. *statuas, templa, aras, statuere non solitos.* Cui Strabo concisius assentit l. XV. Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα μὲν καὶ βωμοὺς οὐκ ἱδρύονται: i. *Persæ statuas et aras non statuunt.* Saliner. Lactantius lib. II. 'Dei, cujus spiritus ac numen ubique diffusum, abesse nunquam potest, semper ubique imago supervacua est.' Plane ex hoc sensu isti nostri proavi. *Colerus.*

Lucos ac nemora consecrant] * in sacro palatio.' Tacitus hunc ipsum ritum saltem indicatum lib. IV. Histor. voluit, cum scripsit Civilem Batavos 'specie epularum sacrum in nemus vocasse:' nec putaverim sane *sacri* vocem illic peculiare aut proprium silvæ nomen. Hæc in Germanis, &c. * arborem dicant.' Seneca epistola XLI. 'Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvæ, et secretum loci, et admiratio umbræ, fidem numinis facit.' *Lipsius.*

Lucos ac nemora] Eadem nemora ceteris etiam septemtrionalibus pro templis fuere. Helmoldus de Russis: 'Usque hodie profecto inter illos, cum cetera omnia communia sint cum nostris, solus prohibetur accessus lucorum et fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu.' Idem scribit Sclavos quercus coluisse, quas ambiverit atrium et sepes accuratior lignis constructa. *Coler.* Idem Glossarium; *Devotus, religiosus*, hold. Hoc autem vocabulum hodieque lignum significat. *Boxhorn.*

Deorumque nominibus appellant] Quando vero Deorum maxime Mercurium colebant, ut mox dictum est, prodit Paulus Diaconus a Langobardis *Vuodam* appellatum Mercurium, cogitandum, an *Odonis silva* der *Oden-*

walt a Mercurio nomen habeat, ut a *Marte Martianum* nemus, *der Shwartzwalth.* Rhenan.

Sola reverentia] Et hoc profecto pie. Hilarius: ‘ Deus religione intelligendus est, pietate profitendus est; sensu vero persequendus non est, sed adorandus.’ *Coler.*

Cap. 10. *Virgam frugiferæ*] Occasio *ῥαβδομαντείας* videtur Aaronis virga Exod. VII. et VIII. et IX. Diaboli *κακοζηλία* ab Ægyptiis ad Medos et Græcos Scythasque et Germanos is ritus manavit: de Medis Dio et Nicander in Theriacis. Apud Græcos virga Circes et Mercurii. De Scythis, &c.* *Kirchm.*

Etiam hic notum] * Clemens Alexandrinus testatum facit. Pausanias ritus principium ad Parnassum refert. Et dubitat ille ipse Græculus etiam an Galli et Germani ullam divinandi religionem habuerint. Ego vero etiam invenisse aio, et legendum adeo hic apud Tacitum divino: *Et illud quidem etiam hic natum, avium voces, volatusque interrogare.* Justinus l. XXIV. &c. * *Coler.*

Avium voces volatusque] Originem *δεισιδαιμονίας* hujus a temporibus diluvii Noemici arcesso. Emiserat videlicet aquarum, quatenus depressiores factæ essent, explorandarum ergo, semel iterumque aves Noah; corvum primo, et tres diversis temporum periodis columbas: his velut auspiciis, sensu optimo ac innocenti auguria de aquosis tempestatibus sumebat. Transiit ad posteros memoria istius rei et per dæmoniacam *κακοζηλίαν*, hac etiam in parte decepti nefandis modis homines pagani. Ipsi etiam Judæi, quod graviter in illis sæpe Numen reprehendit. Cæterum gens nulla unquam tam extreme dedita auguriis quam Romani et Etrusci. *Kirchm.*

Candidi] * Saxo l. VIII. Sed bella hic est occasio Senecæ locum corrigendi, quem is de Ira, lib. III. 21. ex Herodoti lib. I. retulit. Is vulgo sic legitur: ‘ Unus ex equis, qui trahere currum regium alibi solebant, abreptus vehementer commovit regem.’ Quidni enim legendum sit? *Qui trahere regium currum albi solebant.* Eandem historiam narrat Freculphus Episcopus Lexoviensis: ‘ Impetum ejus [Cyri] Gyndes fluvius secundæ post Euphratem magnitudinis intercepit: nam unum regiorum equorum candore formaque excellentem, transmeandi fiducia persuasum, qua per rapacem alveum offensi vado vertices adtollebantur, arreptum præcipitatumque merserunt.’ *Coler.*

Cap. 11. *Apud principes pertractarentur*] Contradicit sibi Tacitus. Quomodo enim si apud principes pertractantur negotia, eorum arbitrium penes plebem dici potest? aut si arbitrium plebis est, quomodo apud principes demum pertractantur? Emendo *prætractentur, &c.* * Acidal. Cæsar l. VI. ‘ in pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt.’ Quo tamen magis illa illustrantur, quæ infra scribit Tacitus: ‘ eliguntur in iisdem conciliis et principes qui vita excellunt, qui jura per vicos pagosque reddunt.’ Ita enim adjutus a Bamb. scribo. Erit itaque *vita excellere*, vitæ ac morum integritate eximium esse; vel etiam, ætate grandiorem esse. *Coler.* Egregiam describit reip. formam apud gentes in hoc certe non barbaras. Sed quam corrumpit vox una corrupta, pro qua scribendum non ambigam *prætractentur.* Hoc est, quod apud Athenienses, &c. * Meminit *προβούλων* et Aristoteles, Polit. IV. 14. et VI. 8. *Grotius.*

Inchoatur luna] Non mirum igitur, si fœminæ Germanorum vetant Ariovistum, ne pugnam conserat ante Lunam novam. Cæsar l. I. ‘ eas ita dicere: non esse fas Germanos superare, si ante Lunam novam prœlio

contendissent.' *Saliner.* Idem Frontinus et Dio Cassius lib. XXXVIII. Idem mos Lacedæmoniorum. Pausanias: εἶναι γὰρ δὴ νόμον αὐτοῖς, μὴ πρότερον μαχομένους ἐξιέναι, πρὶν ἢ πλήρη τὸν κύκλον τῆς σελήνης γενέσθαι. *Coler.*

Nec dierum] Adde Sirmondum ad Goffridum Vindocinensem epist. l. II. 26.

Nox ducere diem] * ut noctem dies subsequatur.' Sacer etiam ille Moses in sacratissima Genesi noctem præponit: 'Factumque est vespere et mane dies unus.' *Saliner.* Causam computationis hujus post Cujacium in Observ. XV. 32. et Bodinum de republ. IV. 2. exhibet Berneggerus quæst. 53. *Kirchm.*

Non simul, nec jussi] Bambergensis, *jussu.* Rhenanus in veteri codice legi ait, *nec injussi:* ex quo bene etiam scripseris, *nec ut jussi.* Lipsius.

Nec jussi conveniunt] In Attolphi codice legitur, *nec injussi conveniunt;* ut sit sensus, sæpius vocandos priusquam veniant; quod ab illis suapte sponte non fiat. *Rhenan.* Ms. quondam Pircheimeri, dein Comitis Arondellii, *nec ut jussu conveniunt.* Et sic legendum, aut quemadmodum Lipsius, *ut jussi.* Hoc est, non tanquam ex lege et imperio, ut ad diem edictum religiosa observatione occurrant; non quasi parentes imperio indicentis vel indicentium, sed velut commodo et arbitrio suo. Ut illi advocati Plautini, qui 'liberos homines per urbem modico magis par esse gradu ire censebant.' *Gronov.*

Absumitur: ut turbæ placuit considunt armati] Recte mihi distincta sunt. Germani etiamsi certa dies præstituta sit, ut aliquo conveniant, insita libertate non parent, sed plerunque imperium minuunt, et in tertium diem procrastinant: ubi postquam turbæ numerus placuit, cujus enim præcipua vis majoribus in rebus (lib. IV. 'De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes') considunt armati. At viro doctissimo placent sic interstincta: *cunctatione coëuntium absumitur ut turbæ placuit: considunt armati.* Saliner. Scripsit omnino Tacitus: *Ut turba placuit:* sua ipsis scilicet. Postquam satis frequentes convenisse sibi visi sunt. Et habet τὸ *placuit* suam venerem. Sic Livius lib. XXXIII. 'Antiochum 'transgressurum in Europam quum primum ei res suæ placuissent, non dubitabant.' Liv. XXXIX. 'Ubi satis placuere vires, et jam miles quoque ad delendam priorem ignominiam hostem poscebat.' Velleius lib. II. 'Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut, ubicunque Cæsar esset, nihil in se reponerent.' Seneca epist. 42. 'non minus ausura, cum illi vires suæ placuerint.' Statius Thebaid. II. de tauro: 'Quum profugo placuere tori, cervixque recepto Sanguine magna redit.' *Gronov.*

Considunt armati] De gemino Græcorum et Gallorum ritu Lipsius planum fecit. Naso idem de Tomitanis et vicinis Sarmatis, an Getis, scribit. Sed qui isti Ombrici sunt, de quibus idem testatur apud Stobæum Nicolaus? Ὀμβρικοὶ ὅταν πρὸς ἀλλήλους ἔχωσιν ἀμφισβήτησιν, καθοπλισθέντες, ὡς ἐν πολέμῳ, μαχόνται· καὶ δοκοῦσι δικαιότερα λέγειν, οἱ τοὺς ἐναντίους ἀποσφάξοντες. Meminit horum aliquoties auctor iste. Scio quidem ita et Hetruscos illos dici, ut apud Marcianum in Periegesi: Τυῤῥηνὸς ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς ἐλθὼν πότε. Verum de aliis Nicolaum loqui putabam. Quis tam rara de Umbris illis non prodidisset? De Germanis ejusdem Nicolai annotamentum illud capio, Κελτοὶ σιδηροφοροῦντες τὰ κατὰ πόλιν πάντα πράττουσι. Nam Gallos non nisi in gravissimis deliberationibus armatos convenisse facilius est ut credam: imo non nisi bello instante. Cæsar lib. V. 'Hoc more Gallorum est initium belli, quo lege communi, omnes pu-

beres armati convenire coguntur.' *Coler.*

Quibus tum et coërcendi jus] In Attolphi codice legitur; *quibus tamen coërcendi.* Rhenan.

Prout ætas cuique] Claudianus hoc etiam in Getico consessu notat: ' primosque suorum Consultare jubet, bellis annisque verendos. Crinigeri sedere patres.' *Lipsius.*

Sin placuit, frameas concutiunt] Sic Tacitus noster Hist. v. 17. de Germanis Batavisque Cl. Civilis orationem sibi placuisse demonstrantibus: ' ubi,' inquit, ' sono armorum tripudiisque, ita illis mos, approbata sunt dicta.' *Rhenan.* De armorum sono dixit etiam Hist. v. 17. Fiebat autem, scuta hastis seu gladiis feriendo. Idemque mos etiam Romanis: vide, si placet, Lipsium de mil. Rom. IV. 9. et 11. ubi hunc morem multis auctorum exemplis confirmat. *Pichena.*

CAP. 12. *Imbelles et corpore infames*] Hoc lego de Germanis? feri illi et horridi fœmineo morbo et mollitie corporis infames? Numquam credam: et Quinctilianus certe eos purgat in Declamatione pro Milite, cujus pudicitia tentata a Tribuno: ' Nihil tale novere Germani, et sanctius apud Oceanum vivitur.' Scribamus igitur (gratiam mihi age, magna patria) *et torpore infames.* Non enim alia mens hic Taciti, quam quod ignavos, torpentes, bello inutiles, crate imposita merserint. Idem in eodem verbo vitium apud Agellium XIX. 12. in extremo: ' Omnibus vehementioribus animi officiis amputatis in corpore ignavæ et quasi enervatæ vitæ consenescunt:' scribe, *torpore.* Hoc mihi certum: quatit tamen nonnihil Athenæus lib. XIII. qui fœdum illud vitium remotum a me, rursus imponit Germanis: Κέλτοι δὲ τῶν Βαρβάρων, inquit, καίτοι καλλίστας ἔχοντες γυναῖκας, παιδικοῖς μᾶλλον χαίρουσιν, ὡς πολλάκις ἐνίους ἐπὶ ταῖς δοραῖς μετὰ δύο ἐρωμένων ἀναπαύεσθαι. Quem falli tamen scio: nec urtica illa umquam tetigit majores nostros. Austri et Orientis ista infamia sit: quæ ne nunc quidem Septemtriones habitat, aut frigidum castumque hunc orbem. Hæc labefacere conati alii, sed firmavimus in Excurs. *A. Lipsius.*

Corpore infames] Lipsius mallet, *torpore infames.* Quod mihi certe non probatur: nam torpor et ignavia, proprie infamia vocari non potest: neque ego hic *infamiam corporis* interpretor tantummodo impudicitiam, sed vitia omnia, quæ corpus vitamque commaculavit, quamvis Ann. lib. I. dixerit, ' Cassium quendam mimum corpore infamem:' et l. XV. ' Quintianus molli corpore infamis.' *Pich.* Germani ab aversa Venere insanum nunc abhorrent: iidemque (si nobis non imposuere) id sceleris proprio nomine non dignantur. Secus olim, cum nondum Christi sacris initiati, flagitiis immanibus obnoxii vivebant. Noster plane, *corpore infames:* cui (præter Strabonem qui aperte de Gallis) astipulantur Aristoteles, Diodorus, Athenæus: quos omnes loqui de Gallis non planum, nec facile probatu: nam Græcis nomine Celtarum Germani censentur. Conatur vir doctiss. hic et in secundis curis pio conatu suam gentem ab ea nota vindicare. Vellem pulchre processisset, sed sine castigatione substituit, *torpore infames,* nec finem hic fecit: verum id quoque verbi apud Gellium XIX. 12. suffecit, ubi nobis invidet lepidissimum auctoris sensum: sed legamus ea ipsa verba *in corpore ignavæ et quasi enervatæ vitæ consenescunt.* Apathiæ sectatores (ait Gellius) videntur habere corpus sine anima, sine vita: non enim dolent, non lætantur, non timent, non irascuntur. Cæterum ea nunc refellenda sunt, quibus ille nixus vulgata profligavit. Profert ex Quintiliano Decl. 4. ' nihil tale novere Germani et sanctius apud Oceanum vivitur.' Sed hæc

inprimis ea labefacinnt, quæ ipse astruere contendit. Agitur ibi de Tribuno, qui tironem ante signa stupraverat. Nil tale (inquit) unquam accidit apud Germanos puerorum amoribus nimis addictos: solent enim vulgo flagitiis alicnjus angendis, gentes eo nomine infames cum flagitioso contenderc, ut inde liqueat eas ab illo longe superari. Addit, si commune hoc scelus Germanis, qui tam sæviter vindicabatur? Responsio mihi in promptu, quam dissimulare pietatis esset, non ingenuitatis. Nonnulli Italorum (utinam falso) hoc nomine differuntur, apud quos nihilo secius hæc hominum scelera flammis tradi solent. Et cur ibi pœna non acrior, ubi procliviores homines in scelera sint? Ad ultimum, cælo sub frigido non expertes incolæ hujus execrandi facinoris: nam ibi ejus ortus, ubi arva sunt ' Riphæis nunquam viduata pruinis.' Audi Ovidium Met. x. ' Ille etiam Thracum populo fuit auctor amorem Iu teneros transferre mares, citraque juventam Ætatis breve ver et primos carpere flores.' *Saliner.* * Sic Ælianus 2. var. 31. disputat, ὅτι μηδεὶς τῶν βαρβάρων ἄθεος. Hoc satis ad Fabium cum Tacito in concordiam redigendum. Nam illa Salinerii, *nimis addictos* et *gentes eo nomine infames cum flagitioso contendi*, vana sunt et intolerabilia, denique Germaniam ignorantis. Nec vero militem stupraverat tribunus, sed in conatu stuprandi a milite occisus erat. *Gronov.*

Tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi] Sic apud Livium XXXIX. 16. Postumius Albinus cos. populum alloquens, ' Minus tamen,' inquit, ' esset, si flagitiis tantum effeminati forent (ipsorum id magna ex parte dedecus erat), a facinoribus manus, mentem fraudibus abstinuissent.' Et mox: ' illorum eum, cum quibus in omne flagitium et facinus conjuravit, non suum judicet.' Rursum infra: ' illo uno collega castigare se nova flagitia, et priscos revocare mores posse.' *Rhenan.*

Delictis pro modo pœnarum, equorum] Incongrua lectio. Lego: *delictis pro modo pœna. Equorum, &c.* Etiam levioribus delictis, inquit, ex ipsorum modo, modus pœnæ. Hæc vera conjectura. Olim tamen etiam conjeceram, *delictis sui modi pœnarum. Equorum.* Acidal.

Qui jura per pagos vicosque reddunt] In alia verba et sententiam it Bambergensis liber, *qui vita per pagos vicosque excellunt.* Sed non avellor a vulgata. *Lipsius.*

Centeni singulis ex plebe] Restituendum vere reor: *Certi singulis ex plebe comites.* Ubi enim vel vestigia saltem apud Tacitum aut alios de comitibus centenis? *Kirchm.*

Cap. 13. *Vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus*] Exemplar illud sic habebat: *vel principum aliquis, vel ipsi vel propinqui.* Scribendum arbitror: *Tum in ipso c. vel principum aliquis, vel ipsi propinqui, &c.* Itaque pronomen *eum* expunximus. *Rhenan.* Muretus hæc brevius, sed non melius: *vel principum aliquis, vel propinqui scuto, &c.* Acidal.

Principis dignationem adolescentulis assignant] Livius l. II. ' Appius inter patres lectus, haud ita multo post in principum dignationem pervenit:' id est, habitus fuit inter principes cives Romanos. *Pichena.* Muretus male vocem *principis* delet: quam esse necessariam, inferiora ostendunt. *Acid.*

Ceteris robustioribus] Lege, *ceteri:* statim liber vetus, *aggregant*, non *aggregantur:* quod Taciti et veterum phrasim olet. *Lipsius.*

Ceteris robustioribus, ac jam pridem probatis aggregantur] Lipsius mallet *cæteri:* at ego vulgatam lectionem non sperno. Intelligit enim, eosdem adolescentulos, dignationem principis assecutos, ceteris robustioribus principibus aggregari, eosque tanquam

comites sectari solitos, donec ad robustam ætatem pervenissent. *Pichena.* Elegantius, *aggregant*, non inficior, quam *aggregantur.* Sed quid *cæteri* sibi vult? an comites aggregari principibus jam probatis? at id Tacito jam dictum: ‘ Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui jura per pagos vicosque reddunt,’ &c. Sequamur igitur vulgata, quorum sensus ex adytis eruendus non est. Cornelius τῷ ἀσυνθέτῳ sibi familiari plane scribit, principes ut plurimum eos fieri, qui robustiores et virtutis jam spectatæ, nihilo secius autem in eum numerum adolescentes aliquando cooptari, qui nobilitate, aut patrum meritis insignes. *Saliuer.* Nihil mutem, imo ex libro Lipsii lubens ita constituam locum: *Ceteris robustioribus ac jam pridem probatis aggregant.* Pendent enim hæc a superioribus, &c. * *Coler.* Si bene considercs locum, fatearis ita legendum esse: *principis dignationem etiam adolescentulis assignant: ceteri* (nempe quibus non tanta nobilitas, aut merita patrum) *robustioribus aggregantur, &c.* Nam de illis, qui principis dignationem nacti sunt, non debere capi, argumento est, quod dicit inter comites hos aspici. *Freinshem.*

Comitum æmulatio] Poterat videri legendum esse: *Comitum æstimatio.* Sed abstineo manum, quia nefas esse censeo in tam gravem scriptorem sine veterum librorum auctoritate infercire emendatiunculas. *Coler.*

Quibus primus apud principem suum locus] Lego, *cui primus apud princ.* Hoc sensus vult: et probat simile in altero membro, *cui plurimi, &c.* Acid.

Ipsa plerumque fama] Cum fama bella constent. Liv. lib. XXVII. cum ‘ fama bellum conficit et parva momenta in spem metumque impellunt animos.’ De fama illa bellica, illud etiam Germanos adtingit, quod Justinus de Gallis, hoc est, Celtogallis scribit: ‘ Denique neque reges orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserint, neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerint.’ *Colerus.*

CAP. 14. *Superstitem principi*] *quasi stipendiarios. Durat hodieque vox *Soldner*, et *Solodurum;* vel potius *Solodunum*, Helvetiorum celebris civitas. *Colerus.*

Præcipuum sacramentum] Liber scriptus, *principum sacramentum.* Lips.

Præcipuum sacramentum] Morem Romanum tangit, quo sacramenta militaria certa habebant capita. Præcipuum erat in salutem Imperatoris jurare. At comitum illorum præcipuum erat sacramentum, fortia facta sua gloriæ principis adsignare. *Colerus.* Hoc ita observant, ut religiosius non possent, si primum ac præcipuum caput sacramenti, quo rogati sunt, quoque se principibus devovere vitam, fuisset. Male liber ille, qui *principum:* id enim foret, quo principes quasi a populo rogati essent, non a principibus clientes. *Gronovius.*

Et ut facilius inter ancipitia clarescant, magnumque, &c. tueare] Reposuimus, *ut*, particula deleta; pro *clarescant, clarescunt;* et pro *tueare, tueantur. Et facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque, &c. tueantur.* Rhenanus. Ven. et alii: *et ut facilius inter a. clarescant:* quod mutavit Rhenanus. Dein reposui *tueare*, ex antiquioribus. Vulgo *tueuntur.* Pichena. Placet scriptura Cod. Veneti, quem subinde Pichena citat. Nec est dubium alteram lectionem ab ingenio et manu Rhenani esse. Visum mihi jam pridem Cornelium, more suo, familiarem suum Sallustium æmulari, qui de Julio Cæsare sic ait, ‘ sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset.’ *Colerus.* Haud dubie *tueare* elegantius: et sic etiam habetur in Aroudelliano. Ipse Tacitus lib. VI. ‘ Abditos principis sensus exquirere inlicitum, anceps; nec ideo adsequare.’

Hoc opusculo: ‘ Inter impotentes et validos falso quieseas.’ *Gronov.*

Tueantur] Scriptus, *tueare*. Lipsius.

Exigunt enim principis sui liberalitate] Lego, *Exigunt enim a principis*, &c. Acidalius. Æstimant, pensitant, aeceptumque adeo referunt Principis sui munificentiæ. Ad illas donationes respexit etiam Saxo Grammaticus lib. II. ‘ Enses Teutonicos, galeæ armillæque nitentes, Loricæ talo immissæ, quas contulit olim Ralvo suis.’ Adde Diodorum Siculum v. 9. *Colerus.*

Nam epulæ et convictus quamquam incompti, largi tamen apparatus] Sustulimus dictionem *convictus*, quæ in codice non erat: nam integer sensus est, si legas: *nam epula, et quamquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt.* Rhenanus. Aliter in Ven. *nam epulæ, et convictus, quanquam incompti, largi tamen apparatus.* Quæ lectio fortasse non est improbanda, ut, *largi apparatus*, sit secundus casus singularis numeri. *Pichena.* Cum superius præcesserit *enim*, malim hic *jam*, id est, porro, præterea, &c. *Acidal.*

Exspectare annum] *Annus* apud Latinos segetis tempus dicebatur: quod quia exoptatum desideratumque, eo longius videbatur. Hinc proverbii locum occupavit, *Annus*, pro longo tempore apud Comicos. Apud Ovidium, ‘ Annua lux,’ Dies longa, anni instar habens. Notus est versiculus Juvenalis: ‘ Exspectandus erit, qui lites inchoet, annus.’ *Colerus.*

Cap. 15. *Non multum venatibus*] * in hac ipsa gente hodie. Pacem vera emendatio faciet: *quoties bella non ineunt, multum venatibus;* negatione ejecta, quæ haud dubie male geminata et petita e prioribus verbis. *Lipsius.*

Non multum venatibus] Negationem delet doctiss. vir, quod Cæsar de Germanis scribat: ‘ Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit.’ Quodque vero propius sit, venatus iis esse cordi, qui natura feri incolunt saltus et silvas. Verum Cornelius haud ambigue dicit, Germanos parum venationibus inservire, quia ‘ plus per otium transigunt dediti somno ciboque,’ &c. Faciuntne hæc ad labores, quos venando subimus? At Cæsar pugnat. Legerat eum Cornelius: *summus auctorum D. Julius tradit.* Nec veritus est alibi quoque ab eo dissentire. Hæc tamen Taciturn in Cæsarem non inconciliant, alii enim mores Germanis Cæsare, alii Tacito scribente. *Salinerius.* Sustulit Lipsius vocalem *non:* quod cum Cæsare et ratione ipsa pugnet. At recens corrector Italicus legendum divinat: *tum vitam venatibus, plus per otium transigunt.* Videtur certe tale aliquid deberi verbo *transigunt.* Nam ἁπλῶς positum Jurisconsulti sibi vindicant. Ego vero sic emendabam: *Quotiens bella non ineunt, vita multum, plus per otium transigunt.* Est autem totus locus factus ad effigiem illam Sallustii: ‘ Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique, sicuti peregrinantes vitam transigere.’ Nondum etiam Cæsariana controversia composita. Ait enim, Germanis omnem vitam in venationibus et studio rei militaris esse. Nihil autem de isto torpore ac comissationibus. Sed Tacitus de omnibus Germanis, Cæsar tantum de Suevis et Rhenanis populis loqui videtur. Jam versus septentrionem plures alii Tacito innotuerant, quorum regiones ob paludes et flumina minus venationibus aptæ: et reor illos ipsos maximè ista infami ignavia insignitos. De Sarmatarum etiam et Selavorum inertia extra belli tempus similia reperias, antiquissimis scriptoribus comperta et annotata. *Colerus.*

Infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebeti] In codice est, *ipsi hebent mira diversitate.* Rhenanus. Ita melius

distinxi. Vulgo, *ex familia ipsi hebent*. Pichena. Farnesianam hanc scripturam Lipsius testatur; nec dubitari vult, quin germana. Est vero ea germana lectio, sed si alia adhibeatur distinctio. Conjungenda hæc cum præcedentibus: *Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata (domus et) penatium et agrorum cura feminis senibusque, et infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebent: mira diversitate naturæ, &c.* Pendet enim oratio, *fortissimus quisque ac bellicosissimus ipsi hebent*. Muretus e vulgata, *ipsi habent miram diversitatem naturæ*, aliam concinnabat deletis illis, *ipsi habent*, et reliquis cum admiratione prolatis, *miram diversitatem naturæ*. Sed nisi stultus, alteri hanc nemo præferet. Vide apud Senecam Hippolyti 975. quem in hunc sensum emeudamus et totidem verbis explicamus. *Acidal.*

Ipsi hebent: mira] Expressi Farnes. scripturam, nec quin ea germana sit dubitaveris. Vulgati, *ipsi habent miram diversitatem.* Lips.

Ultro ac viritim conferre] Imminutum locum esse res et sermo ipse clamant. Rhenanus ex vestigiis, ut ait, libri, *ultro equitium conferre.* Et scio vocem Equitii probam, Jurisconsultis usurpatam: et morem ipsum in Armeniis etiam obtinuisse, qui equos regi alebant in tributum. Xenophon id me docuit lib. IV. De expeditione Cyri. At ne sic quidem pendentia verba firmaveris, quæ sequuntur. An equitium armentorum dices? an frugum? ridiculum: mihi nota excidisse videbatur X. quæ Decimam significat, vel Decimas: sicut eadem geminata XX. vigesimam, in lapidibus sæpe; scribesque meo sensu: *ultro ac viritim* X. *conferre.* Quin mos quidem ille etiam hodie obtineat apud plerosque, de conferendis Decimis in nobilitatis usum, negari non potest. Vel explere etiam possis: *vel frugum, quod pro.* Idem.

Ultro ac viritim conferre principibus] Pro *ac viritim*, ex priori collatione repĕri scriptum in margine voluminis mei, sed literis pene fugientibus exolescentibusque, *acuirium* sive *ecuirium*. Dubito num potius germana sit lectio, *equitium*, hoc modo, *ultro equitium conferre princ.* nam mox inter dona primum equi locum habent. *Electi*, inquit, *equi.* Porro dignum inprimis principe hoc honorarium donum est. Significat autem *equitium*, equorum armentum. Nunc apte sequitur de cæteris pecoribus, quæ præcipue ad esum spectant, ' Vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit.' Expone, Quod armentorum vel frugum; nisi libeat subaudire pronomen, *id*, aut *aliquid.* Rhenanus. Defectum hunc locum affirmat Lipsius, atque adjiciendum putat, *viritim* X. (id est, decimam) *conferre.* Mihi utcumque integer videtur, et commode subintelligi aliquid vel armentorum vel frugum. Pichena. *Equitium* ac *decimam* (parcite viri magni) hinc deterreo sine spe restitutionis. Alius plane scripsisset: *ultro ac viritim conferre principibus id vel armentorum, vel frugum, quod, &c.* Sed non Thucydides lib. II. καὶ Βοιωτῶν παράχρημα ξυνέλαβον ὅσοι ἦσαν ἐν τῇ Ἀττικῇ: i. *et Bœotorum illico comprehenderunt quicunque erant in Attica.* Ad cujus speculum Hist. lib. II. se noster etiam componit: ' et a Flavio Sabino præfecto urbis quod erat in urbe militum sacramento Vitellii adactum.' Vel excidit *aliquid.* Salinerius. Lipsio deesse aliquid visum, uti et Rhenano: cujus damnata conjectura ipse inserit, *ultro ac viritim* X. (id est, decimas) *conferre.* Non male id: sed aio, non necessario: nihil enim inculcandum, sed subintelligendum ad voces *armentorum vel frugum* scilicet aliquid, cui respondet subsequens *quod.* Ita sæpe apud Græcos: nec raro etiam Latinos. Horat. Sat. l. II. 8. ' Inter-

ea suspensa graves aulæa ruinas In patinam fecere, trahentia pulveris atri Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.' Hic itidem ad *pulveris atri* subaudis *tantum*. Acidalius. Nescio quo modo hæc mihi quatuor verba, *vel armentorum vel frugum*, glossema redolent. Est enim probe Latinum *conferre principibus:* quod qui nesciit, fortassean illa supervacua infarcienda putaverit. Græci συνεισφορεῖν eodem modo usurpant. Et in veteri Glossario scriptum memini: Συνεισφέρω *collationem facio, confero.* Colerus. Brevitas Taciti haudquaquam sollicitanda. Talia sunt, &c.* et Horatii: ' neque illi Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ.' Ælianus II. ποικιλ. 5. Τούτοις ἐπιβουλεύοντες Δελφοὶ εἰς τὰ κανὰ, ἔνθα, ἦν αὐτοῖς ὅτε λιβανωτὸς καὶ τὰ πόπανα, ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν χρημάτων λάθρα. Idem de animal. v. 13. εἰ δὲ αὐτῇ παρὰ δόξαν γένοιτο τοῦ πνεύματος, ὕψει φέρουσαν λίθον ἑκάστην ἄκροις τοῖς ποσίν. *Gronov.*

Pro honore acceptum] Aristoteles item τροφὰς δημοσίας inter μέρη τῆς τιμῆς refert Rhetor. I. 6. *Colerus.*

Magna arma] * Philosophus: καὶ γὰρ τὸ δῶρόν ἐστι κτήματος δόσις καὶ τιμῆς σημεῖον: de Cretensibus scribit Nicolaus: δῶρα δὲ αὐτοῖς ἐστὶν ὅπλα τιμιώτατα. *Colerus.*

Cap. 16. *Nullas Germanorum populis urbes*] * mœnibus cingi cœperunt. Judæam quoque vicis abundasse, Tacitus auctor est Hist. v. *Magna pars Judææ vicis dispergitur.* Rhenanus. Conveniunt scriptores diu nullas urbes inhabitasse Teutones. Tametsi ergo Ptolemæus amplius XC. in Germania πόλεις numerarit, nil quicquam tamen aliud, quam vicos non munitos, intellexisse putandus est. Nec quisquam eorum, qui Romanas in Germaniam expeditiones fuse descripserunt, auctorum vel verbulo urbis ullius per Germaniam usque ad seculum a nato Servatore quintum meminit. Herodianus (Gordiani temporibus et anno Ch. 244.) decisis potius in silvis, tabernacula quædam, arboribus incisis, ramisque solo defixis et frondibus aliis superjectis, Rheno proximos Germanos incoluisse prodidit. Sexto demum seculo a Caroli M. temporibus, postquam cum religione Christiana paulatim ad mansuetiora reducti essent, ad urbes vel novas extruendas vel a Romanis ante ad Rhenum in primis conditas, temporum injuria destructas, iterum ædificandas animum adjecere. *Kirchmaier.*

Ut fons, ut campus, ut nemus placuit] * Et familiæ quoque nobiliores. Apud Florum *Teutobocchus* Latine dicitur, qui erat, opinor, suis *Teutobachus*, sive, *Diethenbach.* Colerus.

Aut tegularum usus]* Hirtius an Oppius de bello Afric. &c. * Qua vulgo inepte scribitur *arundinibus coriisque.* Quod vitiatum esse Lipsius quoque viderat, sed vitium non sustulerat in Militia Rom. Ceterum de ædificiis antiquorum Germanorum consule etiam Herodianum l. VII. Fuere etiam vestitui cortices, &c. * *Colerus.*

Subterraneos specus aperire] * et summa foveret æqualiter.' Quos tubos vidisse et notasse me in ruinis balnearum Romæ, probe memini. Ceterum quod hic legitur, *fimo onerant*, in Bambergensi est, *fimo operiunt.* Lips.

Ejusmodi locis molliunt] Malim, *loci.* Acidal.

Abdita autem et defossa] Muretus *autem* delet: nec auctor, credo, quod brevitatis illi studium, addidit. *Idem.*

Cap. 17. *Omnibus sagum*] Mela: ' viri sagis velantur, aut libris arborum quamvis sæva hieme.' Virgatis sagulis, &c. * *Colerus.*

Non flaitante] * Confer Gronov. Observ. II. 7. Causam et occasionem laxioris stolæ apud Parthos Diodorus Siculus lib. II. prodidit. *Kirchmaier.*

Sarmatæ ac Parthi] Hæ enim duæ gentes habitu et armis persimi-

les, ut Mela scribit. De armatura dixi proprio libello Originum Sarmaticarum. *Colerus.*

Sed stricta et singulos artus exprimente] Exprimit vero egregie vestitum hunc nostrum, qui a nobilitate Germanica diffusus non dubie per Europam. Describit et Sidonius eleganter, in Panegyrico: &c. * ab istis Pannis *Pantrock* vocamus veterum Germanorum et Pannonum ipsam vestem. Ea sane, quod Dio ait, e variis panniculis, præter Romanum et Græcum morem, ad singula membra aptata. *Lipsius.*

Singulos artus] Non usi ita hodierni Sarmatæ? Nicetas Choniates de quodam Veneto: ἦν δὲ αὐτὸς ἐσθῆτά τε τὴν πάτριον περικείμενος συνυφασμένην μικροῦ τῷ σώματι καὶ ῥαφιδουμένην, ἑκάστης τὰ εἰς καρποὺς καὶ τὸ στῆθος ἀφιεῖσαν ἄνετον: i. *is patrio vestitu indutus erat qui corpus ita constringebat, ut assutus illi videretur, manibus duntaxat et pectore aperto.* Colerus.

Proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius] At hoc quidem contra rationem; quæ requirit, *proximi ripæ, exquisitius; ulteriores, negligenter.* Nec dubitabis in hunc ordinem sensumque verba trajicere. Muretus etiam viderat. Locum hunc transpositione corruptum, sic in ordinem plane reponit L. Carrio Antiq. Lect. III. 2. *Acidalius.* Profiteor mihi locum istum ita interpungendum videri, *proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius. At quibus, &c. cultus, eligunt feras*: interiores Germanos scilicet, ad quos nulli mercatores commeant, suopte studio ac venatione feras eligere, quarum detractis pellibus vestiantur, puta luporum, vulpium, caprearum. *Colerus.* Cluverius nimis audace manu: *Gerunt et ferarum pelles; ulteriores negligenter, ut quibus nullus per commercia cultus: proximi ripæ exquisitius eligunt feras.* Verum vulgata liquidissime clarent, et hoc sibi volunt: Proximi ripæ Romanæ (Rheno Danubioque) negligenter pellibus se tegunt, &c. * commerciorum usu. Sic Spartæ, cum ex instituto Lycurgi luxus omnis excluderetur, opifices, ubi discesserunt ab inutilibus, expresserunt in necessariis elegantiam. Hinc apud eos instrumentum quotidianum et necessarium, velut lecti, sedes, mensæ, supra modum concinne fabricabantur, et apud exteros etiam erant in pretio, teste Plutarcho. Sic nostri illi cultiores habebant vestes pelliceas, quod eas solas haberent. Quod etiamnum hodie verum: et ulteriores Sarmatæ omnesque adeo populi aquilonares, exquisitius et cum delectu pelliti sunt. *Berneggerus.* Mihi sæpe visum primo *multus* legere pro *nullus.* Sed expenso diligentius Tacito, nihil existimavi cum Cl. Berneggero, cujus interpretationi hic accedo, immutandum. *Kirchmaier.*

Eligunt feras] Mollioris pili, puto. Eas et Italis per Siculum mare advectas crediderim. Unde illud Eusebii commentum est, qui ait pellium ejusmodi usum Siculorum inventum esse. Fuisse arbitror pelles vulpium, &c. * Hæc muliercularum nostrarum hodie etiam pompa. Et nonne etiam Africanarum jam olim? Tertullianus: ‘Et adornari tibi in mentem est super pelliceas tuas tunicas.’ *Colerus.*

Spargunt maculis pellibusque] Suspectus mihi locus: nec sat scio quomodo detractas feris pelles sparserint maculis et pellibus aliis piscium. An Tacitus ipse hæc parum intellexit? an *maculæ* vox non sine macula? Ego de mastrucis aliquid libens supposuissem, si velificata mihi libri alicujus aura. Isidorus: ‘Mastruca, vestis Germanica ex *pelliculis ferarum.*’ Prudentius: ‘mastrucis procercs vestire togatos.’ Cicero Sardis etiam tribuit: ‘Sardo-

rum mastruca tentavit.' Ceterum non dubium, quin duplici ornatu eos usos Tacitus velit, sive e feris, sive e piscibus. Justinus clarius paullo idem tradidit de Scythis: 'Lanæ iis usus ac vestium ignotus: pellibus tantum ferinis aut marinis vestiuntur.' *Lipsius.*

Spargunt maculis] Continuus color alio si distinguatur, eleganter id verbo spargendi fieri dicimus. Virgil. Ecl. II. 'Præterea duo nec tuta mihi valle reperti Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo.' Quamobrem quum Oceani litoris accolæ, ornatus causa, varient ferarum pelles, unde amiciuntur, squamis immanium belluarum; graphice Cornelius ait, *spargunt maculis.* Maculæ enim sive pelles in belluis squamæ sunt, quibus cete aliaque id genus squalent: ad ultimum, *fera* terrenum, *bellua* maritimum animal est. Horatius, 'Te belluosus qui remotis Obstrepit Oceanus Britannis.' Salinerius. Diodorus scribit ἐνδύματα illa horrida fuisse et ποικιλόχροα. Unde suspicor vestimenta illa instar pellium ac macularum belluinarum picta fuisse. Plinius similiter XVI. 41. 'in eadem esse fruticem baculis tantum idoneæ crassitudinis, varium tigrium maculis.' Sed quid sibi docti viri volunt de istis pellibus piscium? Et quæ sparsio tantum fit ex pellibus? Nescio quid mihi de pelle belluarum in mentem veniebat. Sed ridere serios et eruditos viros alias nolo. Poterat etiam adferri aliquid de pellibus vituli marini et Hippopotami, quos solos piscium corio et pilis tectos fuisse docet Plinius IX. 12. *Colerus.* Pilos Germanicarum pellicearum antiquitus non introrsum, ut nobis, sed extrorsum fuisse conversos conjicio etiam hinc, quia maculis eos sparserunt, seu frustulis aliarum pellium versicoloribus distinxerunt, conciliandæ pulchritudini, quæ nulla si introrsum versa. Deinde quia renones pelliceæ vestis genus, quod Germanis Cæsar Gal. VI. 21. et Isidorus Orig. XIX. 23. tribuunt. Isidorus ait intortis villis adeo fuisse hispidos, ut imbres respuerent. Ergo intus quoque pili foras conversi. Vir doctus huc trahit Ovid. de Pont. I. 6. hirsutos Getas. Ut opinor, haud bene: nam ibi sermo de hirsutis, non veste, sed corpore. *Berneggerus.*

Pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit] Adde testimonium Philostrati de vita Apollonii Thyanei III. 15. ubi ait, ad mare rubrum esse Ichthyophagos, id est, piscibus viventes populos, ac urbem incolentes nomine Staberam, qui ex magnorum piscium membranis vestes intexunt. *Pichena.* Jure suspectus Lipsio locus: nec tamen commode idem supposuerit nescio quid de *mastrucis.* Ego verbum deesse ad finem puto, *vestiuntur* aut *ornantur*, atque scribendum, *pellibus quoque*, non *pellibusque*, adhibita insuper alia distinctione. Etiam vox *eligunt*, non mihi placet. Tacitus indubie scripsit *figunt.* Denique cum totam hanc partem inspicio diligentius, non modo mutilam, sed luxatam quoque deprehendo. Ac restituerim omnia hoc ordine: *Gerunt et ferarum pelles: figunt feras, et detracta velamina spargunt maculis. Pellibus quoque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit, ornantur, proximi ripæ exquisitius, ulteriores negligenter, ut quibus nullus per commercia cultus. Nec alius feminis, quam viris habitus, &c.* Acidalius. Mirum eruditissimum Lipsium apud Justinum legere: *pellibus tantum ferinis aut marinis*, pro *murinis*, ut legendum ex iis, quæ supra dixi, manifestum. Addit etiam Pichena Philostrati quoddam testimonium de piscium pellibus. Verum ego Ichthyophagis illis in vestitu quidem parum cum Germanis puto convenisse. Nostri enim membranis

illis nudis relictis belluarum, pilosum quiddam requirebant, quod pellendo frigori esset. *Colerus.*

Feminæ sæpius lineis] Plinius: ‘ Jam quidem et Transrhenani hostes vela e lino texunt, nec pulchriorem aliam vestem eorum fœminæ novere.’ Linigeræ igitur fœminæ, nec tamen solæ. Bene ait, *sæpius.* Diaconus in viris agnoscit, lib. IV. 7. *Vestimenta eis* (de priscis Longobardis, &c. * *Lipsius.*

Fœminæ sæpius lineis] Plinius XIX. 1. ‘ Jam quidem et Transrhenani hostes, nec pulcriorem aliam vestem fœminæ eorum novere.’ Idem de textura lini: ‘ in Germania autem defossi et sub terra id opus agunt.’ Sunt hodieque multorum opificum tabernæ subterraneæ. *Colerus.*

CAP. 18. *Nec ullam morum partem*] Non temere hoc dictum. * Plin. VII. 25. ‘ Romæ in Capitolio in capite bis bello Persei enata palma, victoriam triumphosque portendit: ac tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est, M. Messalæ C. Cassii censorum lustro: a quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodidit.’ *Idem.*

Plurimis nuptiis ambiuntur] Nota significationem verbi, *ambiri*, quasi ultro sibi offerri. Sic Annal. II. ‘ petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere.’ Hist. IV. ‘ magnificum lætumque, tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indigere.’ *Pichena.* Sic Ariovistus rex memorante Cæsare uxores duas, Suevam unam, alterum Noricam habebat. Plus enim ubique permissum sibi præ reliquis mortalium esse potentiores credunt: cum sit ἀπροσωποληπτης tamen Deus. *Kirchmaier.*

Uxor marito] Illud, *marito*, abest Bambergensi, et sine fraude. *Lipsius.*

Dotem non uxor marito] * Saxo Grammaticus lib. VIII. ‘ Altera Germanis quod venalia quondam solebant esse connubia.’ *Colerus.* Apud Sinenses quoque esse more receptum, ut ad nuptias dotem non viro fœmina, sed vir fœminæ deferat, memorant Maffejus et Mendoza. *Bernegger.*

Nova nupta comatur] Allusum forsan ad hastam *celibarim*, qua comebantur peculiari ritu novæ nuptæ apud Romanos. Rationem explicat Plutarchus, non multum ab Germanorum donatione abhorrentem. *Colerus.*

Sed boves et frenatum equum] Suspicor excidisse vocem, *sed binos boves:* nam infra, ubi hæc dona recenset, ait; ‘ hoc juncti boves, hoc paratus equus.’ *Pichena.*

Aliquid viro affert] Credo melius *offert;* quod idem verbum de marito ante usurpaverat. *Acidalius.*

Boves] Bella imagine, ad exprimendum illud jugum nuptiale. Nec Romani quidquam inter tot inventa solennium istorum æque idoneum excogitavere. *Colerus.*

Paratus equus] * Helmoldus, ‘ præmiserat autem dux munera multa et optima juxta morem terræ nostræ, equos pulcerrimos sellatos et vestitos.’ *Colerus.*

Data arma denuntiant] In codice manifeste scriptum erat, *renuntiant*, quod ego certe non mutassem: nam *renunciare* etiam *declarare* est. Renunciantur consules, quum declarantur. Hoc docet nos Plinius Cæcilius in Paneg. ‘ tuo judicio consules facti, tua voce renunciati sumus: ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator existeres.’ Neque vero *re* semper iterationem significat in compositis. *Rhenanus.*

Sic vivendum, sic pereundum] Diversam lectionem ex annotatiunculis reperio, nempe hanc, *Sic viventes, sic parientes accipere se.* Tum legerim, *reddant*, atque sic distinxerim: *Sic viventes, sic parientes, accipere se quæ liberis inviolata, ac digna reddant, quæ nurus accipiant:* ut referatur ad *uxores:*

nam et boves pariunt. Et plurative sequitur, *agunt*, *nullis conviviorum illecebris corruptæ*. Rhenanus. Haud moror, quod Rhenanus alicubi se legisse adfirmat. Et certum est mihi Tacitum sic scripsisse, *Si vivendum, si pereundum;* id est, seu vivendum, seu moriendum sit. Seremus apud Gellium; 'Si Deus, si Dea est.' Ennius, 'Hæc est illa dies, qua maxima gloria sese Ostentat nobis, si vivimus, sive morimur.' *Colerus.*

Quæ liberis inviolata ac digna reddat] Vox *digna* Lipsio non sincera. Mihi sincera, sed suo loco exturbata. Tu repone: *quæ liberis inviolata reddat, ac digna, quæ nurus, &c.* Acidalius. Vox, *digna*, non sincera videtur, inquit Lipsius. Et recte judicat. Sed Tacitus plus pene debet hic illi nunquam satis laudato Heinsio, qui legit: *quæ liberis inviolata reddat; digna quæ nurus accipiant;* neque mihi dubium, quin sic scripserit Tacitus. *Boxhornius.* Vox *digna* non immerito Lipsio visa minus sincera. Et vero dixeris expungendam, vel aliam quandam voculam desiderari, quo illa respicit. Heinsius legit in hunc modum: *inviolata reddat, digna quæ nurus.* Non male. *Conringius.* Nisi tamen non mendum hic sed specimen brevitatis Taciti, qua fit, ut vox, *liberis*, ceu bis posita intelligi debeat: et quidem relata ad τὸ *reddat* dandi, ad τὸ *digna* auferendi casu. Sensus enim, Quæ salva, &c. * *Gronovius.*

Ac digna reddat] Vox, *digna*, non sincera videtur. Sed et paullo ante Rhenanus, *sic viventes, sic parientes*, alibi legisse ait. *Lips.*

Rursusque ad nepotes] Mutius in Chronico citat: 'Rursus quæ ad nepotes referantur.' Sic et editio Veneta. *Colerus.*

Cap. 19. *Septa pudicitia agunt*] Eleganter scio *septa pudicitia* dicitur, sed haud puto convenienter de feminis Germanicis, quæ non custodiis ut illa vox adsignificat, sepiebantur aut claudebantur. Forte *certa* legendum, accommodatissimo epitheto. Martial. 'Gaudeat et certa virginitate soror.' Plura exempla ad Vellcium p. 71. nostrarum lectionum attulimus. *Acidalius.*

Nullus conviviorum] Duo illa tentamenta muliebris pudicitiæ apud Romanos innuit, Convivia et Spectacula. De his Ovidius copiose. De illis alter poëta Venusinus: 'Mox juniores quærit adulteros Inter mariti vina; neque eligit Cui donet impermissa raptim Gaudia, luminibus remotis.' Contra quam sancte et sincere conjugii fides coleretur apud Germanos testatur hic Tacitus. Florum etiam audi, de victoria Mariana loquentem et Val. Maximum VI. 1.

Literarum secreta] Cur hoc loco de literatura? Quia feminis Romanis literæ ad nequitiam magistræ. Ergo igitur nec Annales, nec Historiæ ullæ scriptæ Germanis? Nullæ: idque Tacitus supra etiam monebat. Ex memoriæ penu deprompta narrabantur aut canebantur res gestæ. Narrabant patres filiis, hi patrum nepotibus. C. Fannii fragmentum est apud Nonium, &c. * Morem illum narrandi majorum facta filiis, etiam populo Dei notum fuisse disco ex Psalmo: 'Majores nostri narraverunt nobis, quod operatus sis temporibus eorum, temporibus priscis.' Posse tamen hoc etiam de Historia scripta accipi, non ambigo. De Cimbris antiquis Saxo Grammaticus: 'Nec volo Danorum antiquiores conspicuis fortitudinis operibus editis, gloriæ æmulatione suffusos, Romani stili æmulatione, non solum rerum a se magnifice gestarum titulos exquisito contextus genere, veluti poëtico quodam opere perstrinxisse.' Carmina illa, quæ passim Historiæ suæ, &c. * *Colerus.* Non præcipue de studiis, sed literis ipsis et earum scriptura accipiendum. Antecessit enim de conjugio et septa in eo pudicitia.

Mox sequitur de adulteriorum raritate simul et pœna. Cur autem his auctor interponit *literas?* Nimirum quia etiam literis occulte ultro citroque missis corrumpi fœminæ solent. Nec obstat vocabulum *secreta, &c.* * *Berneggerus.* Hoc vult Tacitus: Scribere ac per epistolas suspecta secreta fovere atque exercere nesciunt. Suetonius de Nicia, &c. * *Gronovius.*

Adulteria] Sic apud Lacedæmonios. Multa adeo nostri majores de moribus Spartanorum retulerĕ. *Colerus.*

Accisis crinibus] * per vicos vicinantes ipsius loci.' Paullo aliam et magis sævam Adulterii pœnam tribuit priscis Saxonibus Bonifacius Archiepiscopus, Epistola ad Ethelbaldum Anglorum Regem: 'In antiqua,' inquit, 'Saxonia, ubi nulla Christi cognitio, si virgo in materna domo, vel maritata sub conjuge sit adulterata: manu propria strangulatam cremant:' (et addit quod huc magis facit) 'aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant eam castæ matronæ, et de villa in villam missæ occurrunt novæ flagellantes, et cultellis pungunt donec interimant.' *Lipsius.*

Publicatæ enim pudicitiæ] Doctiss. vir accipit de scortis, et legit, *publicatæ etiam pudicitiæ*, non me applaudente: nam etiam apud alias gentes ægre meretrix virum invenerit. Referenda igitur sunt ad maritas, &c. * ea lege, tenetur.' Quam nihilominus sperni solitam Satyrographus docet. Sat. II. 'Non tulit ex illis torvum Laronia quendam Clamantem toties, Ubi nunc lex Julia? dormis? Vel legas: *publicatæ enim impudicitiæ.* Ansam enim corruptioni dare potuit ultima syllaba τοῦ *enim:* eadem enim cum prima τοῦ *impudicitiæ* quum sit, exscriptor postrema *enim* exarata, credidit etiam se primam *impudicitiæ* delineasse: sensu vero in idem recidit. *Salinerius.*

Vitia ridet] Ratio cur adulteræ viros non inveniant: non enim Germani adulteria susque deque habent: sed præcipue detestantur. Hac autem Germanorum laude Tacitus Romanos obliqne suggillat, qui adulteris et nequam hominibus flagitia vitio non dabant: quasi natura seculi talia ferret: in quo etiam errore versatus est Nero. Suet. 29. 'Ex nonnullis comperi persuasissimum habuisse eum neminem hominem pudicum aut ulla corporis parte purum esse: verum plerosque dissimulare vitium et calliditate obtegere.' Τὸ *corrumpere* et *corrumpi* hic ad adulteria tantum, alibi latius, extenditur. Ann. l. XIV. 'Ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur.' *Salinerius.* Seneca de Tranq. vitæ l. I. 'in hoc itaque flectendi sumus, ut omnia vulgi vitia non invisa nobis, sed ridicula videantur.' *Colerus.*

Nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur] Quanto sanctiores fuere nobis ethnici! Nam quotus quisque hodie vel vitia non ridet, vel quantumvis enormibus flagitiis non prætexit illud, *Sic seculum est.* Si quis aliena matrimonia contaminantem aut puellis illudentem damnet, statim audit, *Sic seculum est.* Si bonus vir pessimam istam potandi consuetudinem reprehendat, mox adest, qui excuset, *quod sic hodie seculum sit.* Si quis improbet morem, quo juvencs in militiam temere proficiscuntur, ad nullum non scelus patrandum erudiendi, huic mox dicetur, *Sic seculum est.* Si quis miretur sacerdotum in parandis præbendis insatiabilitatem, audit, *Sic seculum est.* Si quis immodicum mortalium studium in parandis divitiis, quæstum illicitum, atque contractuum iniquitatem detestetur, huic tamquam nescienti allegabitur, *Sic nunc seculum est.* In summa, nullis non erratis, nequitiis, criminibus, obtendimus, *Sic seculum est.* Dissimiles igitur majo-

ribus nostris vitia ridemus nobisque blandimur, et corrumpentes ac corrupti, decipientes alios ac circumscribentes, culpam in seculum rejicimus. Codex alter habebat, *vocantur*. Rhenanus. Id est, communia ac reciproca vitia, prætextu sæculi, non excusabantur, quia apud Germanos sæculum ea non ferebat. Ann. lib. XIV. ' ut quod nusquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur.' Seneca Cont. lib. x. ' Hoc genere, sæculi vitio, egregia figura, inquinatum et infamem reum, majorum criminum impunitate defendit.' *Pichena.* Cum vitia, non seculo, sed moribus hominum sint tribuenda, ut monet Sophus gravissime. Et Martial. in Cæcilianum : ' Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent, Sed faciunt mores Cæciliane tui.' *Colerus.*

Sæculum vocatur] Gravis et acuta sententia. Seneca similiter : ' Desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt.' *Lipsius.*

Unum corpus] Quomodo et re ipsa accipiunt. Musonius : τισὶ δὲ νενόμισται κοινὰ εἶναι πάντα καὶ σώματα καὶ ψυχὰς καὶ χρήματα, πλὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικός. *Colerus.*

Ne tanquam maritum] Ita in omnibus antiquioribus editis. Et quoniam nonnulli ex recentibus habent, *ne tanquam meritum*, ego, ut manifestum typographorum errorem rejiciebam. Sed cum in postremis editionibus, eadem vox, *meritum*, retineatur, suspicatus sum, eam fortasse Lipsio probari. Ego tamen a prisca lectione non avellor. Sensus est : Uxores matrimonium potius quam maritum amare. Simile quiddam in Agric. prope finem : ' Id filiæ quoque uxorique præceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, famamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur.' Plinius junior epist. IV. 19. de uxore loquens : ' non enim ætatem meam, aut corpus, quæ paulatim occidunt ac senescunt, sed gloriam diligit.' *Pichena.* Quem sensum hic facit illud *meritum?* Lego *maritum.* Editio quædam Lipsii sic liquide habet. Maritum, inquit, non amant tanquam maritum, sed tanquam ipsum matrimonium, ut quibus, marito hoc defuncto, matrimonium ultra nullum sperandum. *Acidalius.* Sana scriptura et merito a Pichena vindicata. Cujus dictis et hoc accedit Antipatri, ex dissertatione ipsius nuptiali : αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι κοινωνίαι, καὶ ἑτέρας τινὰς ἀποστροφὰς ἔχουσι· ταυτὰς δὲ ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν θλέπειν τὴν τοῦ ἀνδρός. Et elegantissimum illud Phocionis dictum : οὐ δύναμαι τῇ αὐτῇ καὶ ὡς γαμετῇ καὶ ὡς ἑτέρᾳ συνεῖναι. Quæ vero secus faciunt, illæ ut Themistius ait, συνοικοῦσιν οὐ συμβιοῦσιν maritis suis. *Colerus.* Transpositæ voces efficiunt ne sani quid hinc elici possit. At rectum et acutum hoc modo : *ne tanquam matrimonium, sed tanquam maritum ament.* Interdictæ erant apud quosdam Germanos regulos secundæ nuptiæ, ut discerent mulieres conjugium amare conjugis causa, non conjugem conjugii causa, sive ut personæ non rei affectus manciparetur. *Grotius.*

Numerum liberorum finire] Contra eos, qui liberos aut exponunt, aut necant, invehitur Lactantius Firmianus VI. 20. Atque iis qui hujusmodi impietatem, ob angustias rei familiaris excusant, respondet, satius esse ab uxoris congressione se continere, quam sceleratis manibus opera Dei corrumpere. Ad hunc morem multa doctissime tradit Lipsius epist. 85. cent. 10. ad Belgas, quam operæ pretium erit inspicere. *Pichena.* Hoc vult, opinor, Germanos nullo legis præmio invitatos, sicut Romani, et solis naturæ stimulis incitatos liberos quærere : quod qui-

dem ἀπὸ φύσεως καὶ καταναστάσιος τινός ἀρχαίης secundum Democritum. *Colerus.*

Ex agnatis necare] Agnatos hic accipies non ἀγχιστεῖς aut συγγενεῖς, sed liberos qui adnascuntur, &c. * Julianus in epistola ad Maximum, &c.* Meminit et Galenus De sanitate tuenda, et alibi Nazianzenus. Nonnus in Dionysiacis, ab hac caussa Rhenum ἐλεγχιγάμον agnominat, velut judicem vindicemque conjugii: et vidi, qui Rheni etymon hinc petendum adseveraret, quasi purgatoris. Purus quidem sermone nostro *reyn* dicitur. Sed addo, Valerium Flaccum ad Scythas, &c. * *Lipsius.*

Quemquam ex agnatis] Lipsius malit: *ex gnatis.* Sed agnati quoque gnati dicuntur, hoc est, quicunque post nuptiarum solennitatem adnascuntur. Cic. de Orat. ‘ Num quis eo testamento, &c. * Glossarium vetus: *Adgnatus*, ἐπίγονος. Et: ἐπιγονὴ, *suboles.* Colerus.

Cap. 20. *Sua quemque mater*] Nobilis est disputatio Phavorini apud Gellium XII. 1. ex qua non parum laudis ac ornamenti accedit feminis istis nostratibus. *Idem.*

Donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat] Murctus: *donec separet ingenuos virtus*, reliquis deletis. Male, male. Elegantem hunc verbi *agnoscere* usum ignoravit: quem tu ex Plinii simili loco, de re non dissimili, intellige et nota, epist. I. v. 17. &c.* *Acidal.* Vide, si libet, observationum nostrarum I. 4. *Separet* est faciat, ut separentur: *agnoscat*, faciat ut agnoscantur. *Gronov.*

Virgines festinantur] * Nonne videtur scripsisse potius, *annorum* XXX.? quod pleræque illic virgines, sicut apud vicinos Germanos, post trigesimum demum ætatis annum nupserint. Nicolaus de populis quibusdam Africanis: τῶν δὲ θυγατέρων ἀρίστας κρίνουσι, τὰς πλείστον χρόνον μεμενηκυίας παρθένους. *Colerus.*

Similis proceritas, pares validique miscentur] In Bon. legitur *validæque:* tamen vulgata magis placet. *Pichena.* Tolle τελείαν στιγμὴν post vocem *proceritas*, et distingue: *similis proceritas, pares v. miscentur.* Verbum enim *miscentur* ad omnia promiscue referendum. Simile quid in Indis, de quibus Curtius l. IX. ‘ nuptiis coëunt, non genere ac nobilitate conjunctis, sed electa corporum specie: quia eadem æstimatur in liberis.’ *Acidal.* Theodorus apud Stobæum apposite: ἴσμεν δὲ ἅπαντας ἀνθρώπους, ἐπειδὰν ἐξ ἡλικίας ἄνισοι πρὸς γάμους ὑπενεχθῶσι, πέρα τοῦ μετρίου νεότητος εἰωθυίας ἥττᾶσθαι. *Colerus.*

Sororum filiis] Apud Æthiopes idem mos, ut ex Nicolao Stobæus refert. Sed ibi male interpretati sunt ἀδελφῶν υἱοὺς, *fratrum filios*, cum *sororum* debuerint. *Idem.*

Nec ulla orbitatis pretia] * assidet, miratur.’ Indicat Ausonius Burdegalensis eum, cui non sit hæres, captatoribus obnoxium existere, quum canit, *Et captatoris præda est, hæredis egenus.* Plinius quadam ad Calvisium epist. M. Regulum tamquam impudentem ac sceleratum captatorem depingit, talium vulturum astutiam satis exprimens. Tacit. Ann. XIV. de Pomponio Silvano, &c. * Itaque Romæ erat aliquod orbitatis pretium, quum sic colerentur ab hæredipetis orbi senes opulentique. Verum integritas Germanorum nescia fuci, nihil tale admittebat. *Rhenan.* Morem arguit Romanorum Marcellinus l. XIV. Tacitus Ann. XIII. ‘ Romæ testamenta et orbos velut indagine ejus capi.’ Lib. XV. ‘ Satis pretii esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus gratiam, honores, cuncta prompta et obvia haberent.’ Plinius epist. IV. 15. ‘ plerisque etiam singulos filios, orbitatis præmia graves faciunt.’ Cicero in Parad. *Pich.* * et orbitatem manu faciant.’ Martialis ad istas orbitates respexit Epigr. IV. 56.

Plinius l. XIV. ‘ Postquam cœpere orbitas in auctoritate summa et potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo.’ *Colerus.*

CAP. 21. *Cum defecere*] Ita ex veteribus reposui, ut ad epulas referatur. Vulgo, *cum defecerit.* Pichena.

CAP. 22. *Separatæ singulis sedes*] * Plura de ratione Germanici victus, ibi vide, l. IV. inquam, c. 13. *Lipsius.*

Crebræ ut inter vinolentos rixæ] Alioqui legere malim, *ut inter violentos:* nam interiores Germani vino carebant. Et cædes et vulnera violentiam consequuntur. *Rhenan.*

Sæpius cæde] Credo doctissimo et acutiss. Lipsio, qui Persarum mores ait persimiles fuisse Germanorum. Ego idem fere de Thracibus adseram. His enim hæ quoque sanguinolentæ compotationes usurpatæ. His Deorum maxime Mercurius cultus. Apud hos dotem non uxor marito, sed maritus uxori offert. Agricultura nullo precio est. Otium otiosum etiam honori ducitur. Convivia et potationes creberrimæ et alia. *Colerus.*

Vulneribus transiguntur] Ex formula juris Romani, quibus sollenniter utitur hoc libello Tacitus, legerim, *vulneribus transigunt.* Idem.

Sed de reconciliatis invicem inimicitiis] Scripsimus, *sed et de reconciliandis invicem inimicis.* Et paulo post: *exercitatio artem paravit.* Rhenan.

Aperit adhuc secreta] Suspectum illum, *adhuc.* Sed utcumque interpretari potest, nostris etiam temporibus. *Pichena.* Parvula liceotia lego, *adhoc.* Sallustianum est, nec longius abeo cum Pichena. *Colerus.*

Postera die retractatur] Jo. Bodinus levitatis notam Germanis impingit, abusus his verbis auctoris; quia, inquit, pridie deliberata postera die *retractunt.* Quis autem adeo lippit, ut non videat *retractari* hic non esse refutari, repudiari, (quæ sententiæ mutatio retractatioque μεταμέλεια et παλιμβουλία Græcis est,) sed denuo sive diligentius tractari, in manum resumi, recognosci? Sic Plinius l. IX. &c. * Et Liv. l. X. ‘ retractare arma,’ iterum tractare. *Berneggerus.*

Et salva utriusque temporis ratio est] * Persarum similis mos, qui, ut Strabo ait, ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βουλεύονται, καὶ ταῦτα βεβαιότερα τῶν ἐν νήψει τίθενται: idemque de iis Ammianus l. XVIII. Sed et Cretensium: ex Athenæo l. IV. 5. Græcorum omnium veterum: ex Homero, et Plutarcho diffuse Symposiacorum l. VII. Propius ad Tacitum Herodotus I. ‘ Quæ Persæ in conviviis deliberaverint, postridie proponi sobriis: et si tunc placuerint, rata esse.’ *Lipsius.*

Salva utriusque temporis] Mihi vulgata sensum optimum habere videtur. Nam etiamsi in conviviis compotationibusque de gravioribus rebus Germani deliberant, salvum tamen et integrum ebrietatis tempus remanebat, cum eadem postera die retractarent. *Pichena.* Parum refert, *salva* sive *sua* legatur. *Saliner.* Lipsius recte scribit, quod et Cluverio est probatum, *et sua.* Ut sensus sit, Non deesse rationem, quare Germani inter pocula consultent, sobrii constituant; deliberare nempe, dum fingere nesciunt; constituere, dum errare non possunt. Salvus tamen etiam sensus est in *salva;* quod et Pichenæ visum. *Conringius.* Pro *salva* mavult *sua* Lipsius, quem sequor. *Kirchmaier. Rationem constare* et *Rationem salvam esse,* sensu eodem dicuntur, et proprie in pecuniæ rationibus domicilium habent. *Constat* enim et *salva est ratio,* quæ non conturbata et implicita, sed explicata vel expedita est; ubi accepta et expensa quadrantur, ubi paria fiunt aut fieri possunt, ubi nulla reliqua, nec plus erogati est quam accepti. Sic *constare* ac *salvum esse* dicitur, quicquid utiliter expensum vel impensum est, ut ejus nomine actio vel crimen non detur, neque oriatur dolor aut pœnitentia;

cujus nihil male collocatum vel insumptum. Ita Plinius in Paneg. c. 92. &c.* Defendimus adversus optimum Buchnerum eidem Plinio epist. l. II. 7. ‘ salvo et composito die,’ ad Senecam de ira III. 36. Ergo et apud Tacitum, *Et salva utriusque temporis ratio est*, accipiendum, ut sit, Et utrumque tempus non omnino otiose atque inutiliter, et sic, ut nullam ejus operam edant, agunt: et utrumque tempus non male collocant aut sibi collocare videntur. Quum Romani et Græci convivantes εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα proferant, et sic eis alterius temporis ratio non constet, nec salva sit, quippe quod et per merum lusum et lasciviam trahatur; boni Germani temperant, inquit, suas ferias utili negotio deliberandi, &c. * Allusit ad dictum Catonis, quod Justinus in præfatione ac pro Planco refert Cicero, ‘ clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem coustare oportere.’ *Gronov.*

Cap. 23. *Potui humor ex hordeo aut frumento*] Dio de Pannoniis: τὰς δὲ κρίτας καὶ τοὺς κέγχρους καὶ ἐσθίουσιν ὁμοίως καὶ πίνουσιν. Cetera de cerevisia fusius Parergis c. 10. *Colerus.*

Recens fera, aut lac concretum] Danesius legebat, *recens caseus, &c.* Ursin. Panegyrista ad Constantiuum: *aut trucem Francum sola ferina carne distentum.* De victu tali iusolentius et asperius etiam Mela prodidit. *Colerus.*

Vitiis, quam] Bambergensis, *vino quam armis.* Lipsius.

Quam armis vincentur] Germani pugnis nunquam satis victi: ‘ triumphati magis, quam victi sunt.’ Dicturus itaque quam inexplebiles vini sint (quo vitio præcipue laborant) ut armis, inquit, vix vinci queunt, ita merum in se ingurgitando invicti sunt. ‘ Si indulseris ebrietati suggerendo quantum coucupiscuut,’ quid sequitur? ‘ haud minus facile vitiis, quam armis vincentur.’ *Saliner.* Hic sensus est: Germanos ubi processus magnos fecerint in potatione, ad varia vitia prolapsos. Nam ut gravissimus Seneca ad Lucillium scribit: ‘ Omne vitium ebrietas et incendit et detegit.’ Movet me tamen Lipsius ex libro Bambergensi adducens: *haud minus facile vino, quam armis vincentur.* Dicit Germanos ingentem vim meri capere: quod si suppeditaveris, eo hauriendo non minus invictos cluere, quam armis. Sane hoc loco de bibacitate et ebrietate Germanorum, non de ipsorum vitiis agit. *Coler.* Quod Bambergensis codex habuit, *vino*, proposito videtur convenientius. *Conringius.* Vix est, ut τὸ *vino* non sit a mala Scholiastæ manu. Nam *vitiis* prorsus est nimio vino et hoc amplius τὴν οἰνοφλυγίαν consequentibus malis. Justinus de Philippo et Alexandro: ‘ Vini nimis uterque avidus, sed ebrietatis diversa vitia.’ Quorum et Horatius quædam decantat: *Quid non ebrietas, &c. Vinci* autem suis eos *vitiis* dicit, ut apud eundem Justinum Scythæ ‘ prius ebrietate quam bello vincuntur.’ Et Antiochus Floro ‘ rex jam luxuria sua debellatus.’ Neque enim invictos et vino et armis significari puto, (nam si vino invicti, cur crebræ inter vinolentos rixæ? cur cædes? vino utique sunt hæc succumbentium, ἥττονων, non κρειττόνων,) neque tamen etiam facile armis vinci Germanos; sed si quis ea irretire possit eos illecebra, juxta facile victum iri hoc genere vitiorum quam inexsuperabili vi armorum; quam *armis*, id est, ea mole armorum, quibus vinci possunt. *Gronov.*

Cap. 24. *Tanta lucrandi*] Sidonius de Theoderico: ‘ putes illum et in calculis arma tractare. Sola est illi cura vincendi.’ *Colerus.*

Voluntariam servitutem] Seneca: ‘ nulla servitus turpior est, quam voluntaria.’ *Idem.*

Ipsi fidem vocant] Prave quidem in re prava. Sed tamen ipsis in ipso

Romanæ urbis theatro quoque visum, ‘ Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse,’ Tacit. Ann. XVI. Suet. Claudio. *Idem.*

Ut se quoque pudore victoriæ exsolvant] Ad quid referatur illud, *quoque*, non satis liquet. Ambigo, num, *quisque*. Tamen pro vulgata lectione potest intelligi, ut etiam in victis pudorem ac dedecus projectæ libertatis notet. *Pichena.*

Cap. 25. *Per familiam ministeriis*] De his ministeriis eleganter Seneca ad Lucillium epist. 46. *Colerus.*

Ideoque magis servatur] Quid servatur? imo non servatur fœnus, nec est ejus usus. Aliquid in hac scriptura vitii: an *spernitur*, vel *spernatur?* ac tale sententia petit. Aut pro sensu capiendum, quasi de interdicto prævisset. *Lipsius.*

Ideoque magis servatur] Hæc ad votum ignotum referenda. Illa, inquit, ignorantia magis servatur, id est, minus facit peccare, quam legum auctoritas. Fit enim nescio quo humani ingenii vitio, ut magis vetita persequamur vitia. Peccare autem in leges, id vero hominibus non familiare tantum, sed naturale etiam: καὶ οὐκ ἐστὶ νόμος, ὅστις ἀπείρξει τούτου, ut præclare Thucydides l. III. Sic vulgatam lectionem defenderim. *Coler.* Lipsius malit *spernitur*. Et vero sensus hic subest. Sed hunc haud incommode dat etiam illud *servatur*. Itaque non est, quod mutes: quod et Colero est visum. *Conringius.* Lege: *ideoque magis aversantur*. Ita obiter mendo liberamus Tacitum: nam sensu caret, quod editum est. *Salmas.* Quomodo *aversantur*, si sibi est *ignotum?* Loquendi ratio elliptica est, nec infrequens apud auctores, maxime apud Græcos: sumendum igitur aliquid ἀπὸ κοινοῦ. Magis ergo servatur mos ille non agitandi fœneris et in usuras extendendi, quam si vetitum esset. Quare magis servatur? quia iis est ignotum. Sic Homerus: ἡ μὲν ἔπειτα Εἰς ἅλα ἅλτο βαθεῖαν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου, Ζεὺς δὲ ἐὸν πρὸς δῶμα. Ἀνέβη scilicet. Sophocles Electra: Καὶ μὴ ἄτιμον τῆσδ' ἀποστείλητε γῆς, Ἀλλ' ἀρχέπλουτον καὶ καταστάτην δόμων. Δέξασθε scilicet. Apostolus ad Timotheum: κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων· *prohibentium nubere, abstinere a cibis.* Heraldus.

Cap. 26. *Agri ab universis*] Bambergensis, *ab universis vicis occupantur:* longe alia, nec deteriore sententia. *Lipsius.*

Per vices occupantur] Quomodo vicissitudo hæc intelligenda est? An quia plerunque contingeret, agrum aliquem ab uno populo derelictum, et ab alio vicissim occupatum? an quia per annos arva mutant? Dubito, an rectius legas, *per vicos*, id est, vicatim. *Pichena.* * agros per vices occupari a pagis seu *vicis?* Ne blanditur quidem altera lectio libri Bambergensis. De vicariis ejusmodi agris Getarum Horatius: ‘ Nec cultura placet longior annua: Defunctumque laboribus Æquali reparat sorte vicarius.’ *Coler.* Lege *per vicos*. Primum enim regiones universim occupant: eas deinde inter se per fundos dividunt. Seneca de Beneficiis l. IV. ‘ Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt.’ *Grotius.* Forte scribendum *per vicos*. Quæ ratio agri colendi planior est et propius accedit ad ea, quæ Cæsar de eadem narrat l. VI. Imo optime convenit cum illa, quam subjungit Tacitus, partitione inter singulos. Prima scil. agri in quolibet populo divisio fuit secundum vicos, altera inter singulos secundum dignationem. Consentit conjecturæ meæ Pichena et Cluverius. *Conringius.* * Idem de veteribus Ægyptiis Herodotus l. II. Ταῦτα μὲν (τὰ ἱερέων γέρα, ἄρουραι) δὴ τοῖσι ἅπασι ἦν ἐξαραιρημένα· τάδε δὲ ἐν περιτροπῇ ἐκαρποῦντο, καὶ οὐδαμοῦ ὠῦτοί. Scilicet ἐν περιτροπῇ per

vices est, ἐκ περιόδου. Simile quid de Dalmatis Strabo, etsi vices istæ octo annorum essent, l. VII. Ἴδιον δὲ τῶν Δαλματέων, τὸ διὰ τῆς ὀκταετηρίδος χώρας ἀναδασμὸν ποιεῖσθαι. *Gronov.*

Amplitudine soli labore contendunt] In Ven. ac Bon. legitur, *laborare.* Pichena.

Prata separent] Nisi fallunt annotatiunculæ quondam exceptæ, legitur illic, *prata sepiant.* Rhenan. Restituit ex lib. vet. Rhenanus, *sepiant.* Mihi videtur vis quædam facta Tacito, in transpositione verborum, et primitus ita exaratum fuisse censuerim: *ut pomaria conserant, prata rigent, hortos sepiant.* Non æque notæ irrigationes hortorum ac sunt pratorum. De sepibus hortorum plena manu Columella passim. Unde et ipsi horti *sepes* dicuntur. Virgilius: 'Sepibus in nostris.' Sed appositissime Tertullianus adversus Marcionem: 'Flosculus de sepibus, non de prato.' *Coler.*

Sola terræ seges imperatur] Elegantissime: imperat enim agricola, et parent arva: 'Ut quamvis avido parerent arva colono.' *Saliner.*

CAP. 27. *Arduum et operosum honorem*] In codice legitur tantum *operosum;* non, *peroperosum.* Rhenan. In nonnullis antiquioribus legitur, *peroperosum,* fortasse non spernendum: amat enim similes voces Tacitus; ut Ann. XV. 'persevernu imperium:' et eodem libro, juxta veteres libros, 'persimplici victu.' *Pichena.*

Et gravem defunctis] Castigavimus, *ut gravem defunctis.* Rhenan.

Feminis lugere honestum est] Seneca epist. 100. 'Vir prudens meminisse perseveret, lugere desinat.' *Pichena.*

Viris meminisse] Acute. Seneca communiter ita præcipit, epistola c. 'Meminisse perseveret, lugere desinat.' *Lipsius.*

CAP. 28. *Divus Julius tradit*] Locum illum C. Jul. Cæsaris perstringit l. VI. Hæc est migratio illa Bellovesi et Sigovesi Celtarum, de qua Livius. *Coler.*

Gallos in Germaniam transgressos] * indubie etiamnum *Albæ* nomen a cultoribus olim Gallis retinet. Suspicorque montem hunc a Flavio Vopisco designatum in vita Probi Imp. 'cæsis Alemannorum in Gallia multis millibus, reliquias ultra Nicrum [sic enim illic legimus, non *Nigrum*] et Albam fuisse remotas.' Significat enim Probum eos, qui ex Alemannis supererant, in ulteriorem Germaniæ regionem, et *transnicrinam;* sive, ut hodie loquimur, *transnecaranam* atque *transalbanam* Ducatus Wirtenbergensis partem submovisse, versus Danubium, cui propter securitatem Galliarum præstabat illos esse viciniores quam Rheno. Et Rhætiæ provinciæ steriliori minus erat periculi a Germanis. Siquidem de Albi inclito flumine non videtur accipiendum, quem a recentioribus Albiam vocari haud ignoro. Sub Augusto certe semel contigit ut Albis esset limes Imperii Romani, qui mox Varo Quintilio occiso vix in Rheno stetit. Et Tacitus notum olim fuisse dicit, *sed nunc,* inquit, *tantum auditur.* Neque enim poëticæ laudes Claudiani Panegyristæ ad historiæ veritatem ubique sunt trahendæ. Quanquam vero Probus ipse in epist. ad senatum gloriatur *subactam esse omnem, qua tenditur late, Germaniam, novemque reges gentium diversarum ad suos pedes stratos jacuisse.* Arbitror tamen quod *de submotis reliquiis* indicat Vopiscus, accipiendum de Alemannis potius quam Germanis inferioribus: cum quibus et Francis aliter intervenire pax potuit, nempe per fœdus aut certas conditiones. Igitur de numero fertilissimorum Germaniæ, &c.* *Rhenan.*

Ut quæque gens evaluerat] Μεταναστάσεις γὰρ δέδεικται τῶν πλησιοχώρων εἰς τοὺς ἀσθενεστέρους ἐξαναστάντων, inquit Strabo. *Coler.*

Potentia divisas] Codex ille ipse,

diversas: quod probum scio. *Lipsius.*

Herciniam silvam] *Orciniam* appellasse Græcos Cæsar scribit l. VI. Pravius etiam quam Latini. Hi enim Germanicum vocabulum, &c.* Alii de hac silva ἐτυμολογούντες mirifice nugantur. *Coler.*

Mœnumque amnes] Ante Tacitum et Plinium paucis dictum hoc flumen. Atqui post Danubium, Rhenum, Albim, præcipuum Germaniæ. His enim tribus hoc quartum addo: cum ita etiam haud dubie sentiat Marcianus, qui scribit in Germania esse ποταμοὺς ἐπισήμους δ'. *Mœnim* appellat Mela l. III. Guntherus, &c.* *Idem.*

Ulteriora Boii] * vicinas regiones occupaverant. Lege Appianum in Illyricis. Pausaniam in Phocide. Justinum l. XXXIII. Athenæum Dipnosoph. l. V. *Idem.*

Manet adhuc Boiemi nomen] Latere aliud videtur in scriptura Bambergensi, *manet adhuc Boiis e munere nomen.* Scribo, *manet, &c.* * Lipsius.

Boiemi nomen] Populos hos esse Germaniæ, non Tacitus tantum, sed et Ptolemæus auctor est. Hi ex Germanorum instituto sedes mutaverunt, montanosque locos occupavere juxta Albis fluvii fontes. Servatur adhuc nomen, ut Pium pont. non parum admirer, de eorum origine fabulosa quædam memoriæ prodentem et id in historia. *Alciat.* * per Germaniam in Sequanos commigrarent. Sic etiam restituenda sunt illa locorum nomina, quorum fit in lege Salica mentio circa principium, ubi mendose scriptum a librariis Gallicis in loco cognominato *Salechamne, Bodocamne*, et *Vuidocamne:* quum debeat esse, *Salinghaim, Bodinghaim*, et *Vuidinghaim*, ut intelligas *Salingorum, Bodingorum*, et *Vuidingorum vicos* sive *tractus.* Nam Franci, quum germanissimi Germani fuerint, hujusmodi appellationibus inferioris Germaniæ loca, in quam primum transgressi sunt, insignivere. Nec aliud est ibidem *Salegaste* sive *Vuidagaste* quam *Salingorum* sive *Vuidingorum præfectus.* Sed de his in nostris rerum Germ. libellis amplius. *Rhen.* Strabo l. V. ἐν οἷς ἐστὶ καὶ τὸ Βουΐωμον, τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον. Sic in antiquioribus lib. legi eruditissimi viri testes sunt. Quo nomine hodie tota natio appellatur, nec dubium quin a veteri illo Boiæmo, vel Boiemo. Puto Teutonas illos dixisse *Boihaim.* Eginhardus: 'Welatabi, Sorabi, Abotriti, Boihæmi.' Paterculus: 'Sentio Saturnino mandatum ut per Chattos, excisis continentibus Herciniæ silvis legiones Boiohæmum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est) duceret.' Ptolemæus tamen: μέγα ἔθνος, οἱ Βοιέμοι. Herciniam etiam Κολδούλους habitasse ait Strabo. Obscuri populi, fateor. Nec temerarium est viros doctos de mendo suspicari. Liber vetus Casauboni Κολδύων habet, *Colduos* legerat apud Strabonem Mutius in chronico. *Coler.*

Loci veterem memoriam] Voculam inserit Bambergens. *veterem viæ memoriam:* qua quid faciam, sum incertus. *Lips.*

Loci veterem] Bambergensis vocula auctior: *veterem viæ memoriam.* Videant eruditi an non veram excogitaverim lectionem: hoc scio non esse absurdam: *significatque loci et veterem viciniæ memoriam.* Fuerit *viæ* per compendium literarum scriptum *viciniæ.* Si bene conjicio, vult Tacitus indicare et urbem et vicinam regionem dictam fuisse Boiæmum. Nam Strabo *regium*, et Paterculus *regionem* nominat. Videant, inquam, an probe conjecerim, doctiores et acutiores. Ego me non commemini sub Parnasso somniasse, unde sic repente vates prodirem. *Colerus.*

Osi] Verisimile est ab his populis *Osenfurtum Franconiæ* appellatum, ut *Suevifurtum.* Verisimilius sane quam a *Fosis*, ut ariolatur Rhenanus, sic *Francofurtum* et *Hassofurtum* a popu-

lis trajicientibus idem flumen. *Coler.*

Aravisci] Gentem Gallicam intelligit manifesto. At nulla hoc nomine, quod sciam, usquam: plane *Taurisci* legendum aut intelligendum certe videtur. Hi cum Boiis ejectis postea ad propiora Istro loca se contulerunt. Strabo l. v. Plinius eos a tergo montis claudi collocat III. 12. Ptolemæus ad Carpathum montem. Stephanus cum Strabone et Plinio facit: Μαγιστρικὴ χώρα τῶν Ταυρίσκων τῶν πρὸς τὰ Ἄλπεια ὄρη. οἱ οἰκήτορες Μαγίστρικες οἱ τοῖς Γερμανοῖς ὁμοροῦσι. Plinius tamen *Araviscos* nominat l. IV. *Colerus.*

Inopia ac libertate] Si animum diligentius hic advertas, facile legendum esse suspiceris *inopia ac ubertate:* ita aptius ad illa cadent; 'eadem utriusque ripæ bona malaque.' Quibus postremis imitatus est Sallustium Catil. 'quia vobis eadem, quæ mihi, bona malaque esse intellexi.' *Colerus.*

Treveri] Apud Strabonem legendum l. IV. παροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τριούεροι non Τριούαγροι. Dio etiam male Τρηουηρήους scribit. Sed *Treveros* rectius Plinius, Ammianus, Mela, Itinerarium vetus, et Inscriptiones appellant. Licet Salvianus quoque dixerit *Urbs Gallorum Trevir.* Horum virtus sita maxime in equitatu: ideoque vicinis Nerviis, Belgarum fortissimis, æmuli illi in asserenda origine Germanica. Haud dubie enim Nervios Strabo quoque Germanos facit: Τριουέροις, inquit, συνεχεῖς Νέρουιοι, καὶ τοῦτο Γερμανικὸν ἔθνος. Appianus de ipsis: ἦσαν δὲ τῶν Κίμβρων καὶ Τευτόνων ἐπίγονοι. Ex Julio Cæsare l. II. *Colerus.*

Triboci] Ita scripsi, ut idem Tacitus Hist. IV. *Tribocorum delectu auctas.* Sic etiam apud alios auctores. Male vulgo, *Treboci.* Pichena. Cæsar et Tacitus ordinem locorum non observant. Apte refert Ammianus l. XV. 'dein prima Germania uti præter alia municipia Moguntiacus est, et Vangiones, et Nemetes, et Argentoratus, barbaricis cladibus nota.' Sunt autem Treboci inferioris Alsatiæ populi, a tribus forsan pagis, quos habitabant ita dicti. Terminatio erat frequens *Bach* locorum et civitatum. Inde Triboci sonant, quasi *Tribachi.* Fallor, an illis ipsis Tribus Tabernis ab eadem caussa nomen? In Tribocis enim sitæ fuerunt. *Colerus.*

Nemetes] Ita dicti populi inter Vangiones et Tribocos positi, quasi dicas raptores hostium. *Nomen* enim rapere significat. Ex præpostera Cæsaris et Taciti relatione, docti viri novam hoc loco populorum transcriptionem comminisci non debuere. Illud minus notum in vulgus Nemetum civitatem, et Noviomagum dictum fuisse. Hoc ita esse fidem facit vetus Itinerarium, quod vulgo Antonini esse ferunt. In eo iter, &c.* *Argentoratum.* Cui enim Rheni trajectus ille notus, et ignotum hoc Noviomagum esse Nemetes? Illam autem Bauconicam nonne *Oppenheimium* esse dicemus? Alterum Noviomagum Belgicum videtur Cæsar, *Nemetocennam* appellare l. IX. 'his rebus confectis ad legiones in Belgium se recipit, hybernavitque Nemetocennæ.' Forte ita legendum aliquoties in Itinerario veteri pro *Nemetacum* quamvis haud nesciam doctissimum Suritam emendasse ibi *Menetacum. Genna Longa* in vicinia castri Norici hodieque oppidulum vocatur. An a Cennis populis Germaniæ? Apud Xiphilinum lego *Cennos* Κελτικὸν ἔθνος appellari. Ad Noviomagum redeo. Viderint utraque hodie non ignobilis civitas, an non mihi nomen suum, jam prope vetustate abolitum restitutum acceptumque merito referant. *Idem.*

Ubii] Hi quasi *Uvii* dicti apparent, quasi tu Ripenses dicas. Strabo l. IV. πέραν δὲ ὤκουν Οὔβιοι κατὰ τοῦτον τὸν τόπον, οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὸ ἐντὸς τοῦ Ῥήνου. An potius a transitu Rheni appellati? *Uber* enim Germanis transitum significat. Fuisse

e Germania non dubito. *Colerus.*

Conditoris sui nomine] Agrippam intellegit, qui Rhenum eos primus tradnxit, et in iis sedibus collocavit. Ille tamen non est Coloniæ conditor, neque auctor nominis: sed ab Agrippina id in Annal. XII. scripsit. Itaque dnbitavi, num *conditoris suæ* legerem: neque novum, ejus flexus verba in fœmineum etiam genus usurpari. Virgilius de Junone: 'Auctor ego audendi.' Ovidius de Venere: 'Sponsor conjugii stat Dea picta sui.' Et plura sunt ejusmodi. *Lips.*

Conditoris sui] Salva regula sermonis posterior vocula abesse potest, ut intelligatur Agrippina, non Agrippa, hnic nrbi nomen dedisse, secundnm testimonium Taciti Annal. XII. Claudiam etiam appellatam, Lipsius docuit. *Colerus.*

Origine erubescunt] Imo vero, *non erubescunt*. Lips.

Origine erubescunt] Non usus est negatione. Ubii licet de nomine matris Neronis malint Agrippinenses vocari; tamen fere probro ducunt haberi pro Romanis, seque dictitant Germanos: 'quæ prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius sumpsimus, ut nobis cæterisque Germanis consanguineis nostris jungeremur.' In causa fuit vetustas et nobilitas conditorum. 'Celebrant Tuistonem Deum terra editum, et filium Mannum terra editum, originem gentis, et conditorem:' quæ etiam impulere Treveros et Nervios, ut illinc sua principia ducerent. 'Treveri et Nervii circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt.' At Romani (quamvis immerito) apud multos de originis obscuritate male audiebant. Dionysius l. I. Antiq. δόξαι τινὲς οὐκ ἀληθεῖς, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων τὴν ἀρχὴν λαβοῦσαι τυὺς πολλοὺς ἐξαπατήκασι, ὡς ἀνεστίους μέν τινας καὶ πλανήτας, καὶ βαρβάρους, καὶ οὔδε τούτους ἐλευθέρους, οἰκιστὰς ἐχομένης: id est, *et opiniones quædam non veræ, immo e fortuitis rumoribus originem ducentes, multis imponunt, tanquam fuerint ejus conditores quidam sine lare, errones, barbari, iique non ingenui.* Salinerius. Optimo judicio Lipsius negativam inserendam putat: nam superiora verba, *quamquam*, et deinde, *ac lubentius*, id omnino postulare videntur. Ego suspicor, plura huic loco deesse, cum sententia vellet, origine eos Germanos fuisse, neque ea erubescere. Salinerius vulgatam lectionem conatur defendere. Sed quod originem Ubiorum refert ad ipsam coloniam, non placet, nam locus originis proprie dicitur, ex quo quis est oriundus, primumque profectus, non in quem commigravit. Sic in vita Agricolæ: 'rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus Germanicam originem asseverant.' *Pichena.* Rectissime Lipsius negatione inserta, *non erubescunt*. Ego particulam etiam aliam inseram, sed momenti minoris: *Agrippinenses e conditoris sui nomine, &c.* Liquet mihi, non aliter scripsisse Tacitum. Supra: 'Manno tres filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, cæteri Istævones vocentur.' *Acidal.* Rectissime Lipsius censet voculam *non* excidisse. Quare autem non erubescunt? Rationem aliquam reddit vir eruditissimus. Sed remotior caussa illa videtur fuisse, quia scil. ad experiendam fidem illorum, cum Germanici essent sanguinis, adversus Germanos collocati fuerunt in ipsorum solo, ut scribit Tacitus Annal. Germani vero illi fuerant Sicambri. Dio: καὶ Οὔβιοι ὅμοιοί τε τοῖς Συγάμβροις οἰκοῦντες, καὶ διάφοροι αὐτοῖς ὄντες. *Colerus.* Particula superior, *quidem*, consuadet negativam immittendam: et Lipsio quidem visum est eam ponere ante *erubescunt*. Sed enim cum restet in editionum prima, &c.* *Gruter.* Lipsius eumque secutus Chr. Colerus, *origine non erubescunt*. Ubios enim maluisse Germanos censeri. Et vero ita est: nec

tamen est, cur mutes quidquam. Loquitur enim Tacitus de *origine* Ubiorum, non illa Germanica, quod Lipsius existimavit, sed qua colonia cœpit esse Romana. Ejus, quamvis honoratæ, tamen Ubios puduit. Ita si capias, non opus fuerit vel illa Gruteri medela: *Ne Ubii quidem, &c.* Conringius. Meo judicio Gruterus hic πέπνυται· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Sic et ipsi olim conjeceramus. *Origo* sine dubio est avita statio et incolatus Germaniæ, antequam colonia fierent. Nam pudere quemquam populum, quod coloniæ Romanæ honorem adeptus esset, præsertim Ubios, (qui essent sponte translati, *ut arcerent, non ut custodirentur;* non ut essent in obsidione ipsi, sed ut seque commodius tuerentur ac fines Romanos, et virium imperantis populi pars, non servientium accessio forent: qui inter Vitellii et Vespasiani arma Galliarum simul et Batavorum defectione et conjuratione grassante tam constantes in fide atque integri manserint, et specioso nomini libertatis præsentia prætulerint: qui denique Agrippinenses quam Ubii vocari mallent,) nemo Romanorum, illo utique seculo, diceret. Necessario igitur requiritur negandi particula: quam melius poni a fronte hujus orationis, quam ubi Lipsius inseruit, non obscurum esse censeo consideranti τὸ *quidem*. Hoc libro: *ne fratribus quidem munsuram concordiam*. Ne Ubii quidem, &c. * Ubii salutantur. Est autem hæc nimium vulgaris vanitas et hominum et populorum, ut successibus suis deesse auctoritatem existiment, si humiliora prima incrementa confiteantur. *Gronovius.*

Cap. 29. *Non multum ex ripa*] * Varii illic libri veteres apud Lipsium. In lib. Budensi scriptum: *Insulam juvata situm.* Et: *Insulam vacasitam.* In aliis legebatur: *Insulam vocutam situm. Vada*, quidem loci nomen esse apud eundem Tacitum non ignoro. Et infra sic locutus est de Æstyis. 'Inter vada atque in ipso litore degunt.' Ut ut est, vix lectio vulgata sincera aut germana Cornelii sit. Legendumne igitur, doctissime Lipsi, te interrogo? *simulque insulam Batavam dictam.* Dio a mea sententia non alienus, imo pro ea: οἷς τὸ τῶν Βατάουων ἀπὸ τῆς Βατάουας τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου ὄνομα. *Colerus.*

Nec tributis contemnuntur] Sive, *continentur*. In promptu erat, *conteruntur:* sed parum elegans, cum idem verbi statim sequatur, *nec publicanus atterit*. Ferri et vulgata potest. Nam quibus tributa imponuntur, hoc ipso, ut victi, pro contemtis habentur et despretis. Steph. Pighius, in Hercule Prodicio, mallet, *contenuantur*. Lipsius.

Tributis contemnuntur] Suspicor a Tacito scriptum, *condemnantur*. Nam *damnare* Livius etiam pro *multare* usurpat, ut l. XXXV. 10. *multos pecuarios damnarunt*. Nisi quis malit, *comminuuntur*. Rhenan. Paullo post videtur legendum: *nec tributis conteruntur*, non, ut in vulgatis, *contemnuntur*. Ursinus. Non tantum hoc Latine, sed etiam eleganter dictum. Et nimia profecto cura magni Lipsii: si licet hoc saltim minutum ejus non probare, non placet. Tertullianus nescio quo libro: 'agri tributo onusti, viliores; et hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæ sunt notæ captivitatis.' *Colerus.* Lipsius in notis posterioribus judicat posse ferri hanc lectionem. Idem sentit Chr. Colerus. Videtur tamen Lipsius malle *continentur* vel *contunduntur*. Jamdudum ante illum Rhenanus suspicabatur legendum, *condemnantur*, vel *comminuuntur*. Step. Pighius in Hercule Prodicio maluerat *contenuantur*. Fulvius Ursinus legerat, *conteruntur*. Verum hoc posterius quidem admitti non potest, quum paulo post sequatur: *nec publicanus atterit*. Ego vel non sollicitaverim

vulgatam lectionem, vel aliquam illarum vocularum admiserim a Rhenano, Pighio, Lipsio adductarum. *Conring.* Post omnes τὸ ἐπὶ φακῇ μῦρον Lud. Aurelius, *consternantur*. Recte Colerus et δευτέραι φροντίδες Lipsii. Placuit antiquis verba λόγον τόν τε σιγώμενον καὶ ἔνδον ἐπιστρεφόμενον καὶ τὸν προφερόμενόν τε καὶ ἀκουόμενον, oris puta vocem aut animi sensum significantia ita transferre interdum, ut facta demonstrent. Ut ‘objurgare ferula,’ ‘colapho,’ ‘flagris,’ ‘laudare armis,’ supra hoc libro; ‘increpare saltu’ apud Florum; ‘petauroque jubente modo superior’ (ubi male conjiciunt *jurante*) apud Petronium; ‘jussum æs spirare caminis’ Statio et similia. ‘Laudare armis’ est in honorem alicujus collisis armis sonitum edere, quod valet atque est pro laude. ‘Increpare saltu,’ transsilire, quod signum est arguentis atque improbantis et opus et vetitum. *Objurgare flagro*, severe atque aspere accipere verbere, ut verbis et vultu fit in jurgio. Sic *tributis contemnere* est, &c.* stipendium:’ quod etiam frustra tentatur. *Ignavum stipendium*, quod argumentum est in bello segnes minusque fortes constantesque fuisse atque esse, quod non facerent, si viri essent. Ipsum verbum etiam sic Cicero ad Attic. IV. 17. ‘In monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus et usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties sestertium:’ id est, vile habuimus, et libenter erogavimus, impendimus, unde apparet tantum pecuniæ præ istius monumenti adjectione ad aream fori Cæsariani vile nobis et contemptum fuisse. Simillimum Claudian. de bello Get. ‘facili contemptum Strymona saltu.’ *Gronovius.*

In usum prœliorum] Hist. l. IV. ‘nec opibus Romanis, societate validiorum adtriti viros tantum armaque imperio ministrant.’ Et alicubi Batavi, ‘sibi non tributa, sed virtutem et vires indici.’ In priori exemplo inutilem arbitror vocem τὸ *Romanis*. Colerus.

Mattiacorum gens] Mattiacos locat circa Artanum et Novesium oppida Ptolemæus. Martialis *Mattiacas* pilas, lemmate celebravit, iis rufabant Romæ capillos. Inde et aliud ejusdem distichon interpreter: ‘Caustica Teutonicos accendit spuma capillos: Captivis poteris cultior esse comis.’ Plinius XXXI. 2. ‘Sunt et Mattiaci in Germania fontes trans Rhenum, quorum haustus triduo fervet.’ Qui Mattiacos illos Marpurgo convenire arbitrantur, næ illi parum fidei Ptolemæo et Plinio gravissimis auctoribus, tribuere videntur. *Colerus.*

Ultra Rhenum] Ergo non sunt *Mattiaci* (ut doctis viris visum) qui nunc Zelaudi appellantur: etsi *Matiorum* vox, familiari appellatione, inter eos duret. Taciti hæc lustra: abnuet, atque ultra Rhenum propinqui Batavis, an ubi pars *Northollandiæ* nunc est, et vicini sinus? *Lips.*

Imperii reverentiam] Ex quo tempore Germanicus illos Transrhenanos populos debellaverat. Strabo l. VII. ἐστὶ δὲ καὶ Σήλας ποταμὸς, οὗ μεταξὺ καὶ τοῦ Ῥήνου πολεμῶν καὶ πατορθῶν Δροῦσος ἐτελεύτησεν ὁ Γερμανικός. Referre volebam ad Domitianum, sed deterruit conatum infamia illius victoriæ. Pichena hæc omnia ad Trajanum refert: quod nihil me movet. Scio enim illam limitis et imperii Romani amplificationem Ælianam, ad orientem potius et rubrum mare, quam ad Germanos spectare. Orosius l. VII. de Trajano: ‘mox Germaniam trans Rhenum in pristinum statum reduxit.’ Ita est: non limitem promovit, sed præsidia nova imposuit. *Colerus.*

Mente animoque nobiscum agunt] Cassiodorus Epist. v. 2. ‘ut in Oceani litoribus constituti, cum nostra mente jungamini.’ *Pichena.*

Solo et cælo] Feroculos adhuc esse ait Mattiacos et Batavis acriores,

quod veteri solo et cœlo animentur. In Batavos autem cadere illud Græcorum dictum: *οἱ τρόποι ἐξομοιοῦνται τοῖς τόποις. Colerus.*

Non numeramus] Reposuimus ex auctoritate vetustioris illius editionis, *Non numeraverim.* Rhenan.

Qui Decumates agros] Errare censeo, qui proprium hic gentis aut loci nomen quærunt. Quomodo vero iidem populi sive agri, trans Rhenum et Danubium simul sint? quod tamen ponit noster. Ego communiter Decumates agros interpreter, &c. * *Lips.*

Eos qui Decumates agros exercent] Hi agri indicari certe non possunt: sed tamen fuere propinqui Rheno, argumento Gallorum occupantium. Mihi, quod ante dixi, non contigit inspicere codicem vetustum manuscriptum, qui nos hic adjuvaret: nam fieri potest ut pro *Deuinates* aliquis scripserit *Deumates*, quod postea versum sit in *Decumates*. Ut fortasse *Devinam* accipiatur pro *Daventria*. *Devonam* vocat Ptolemæus in illa confusa Germaniæ oppidorum nomenclatura. Sed hic te frustra torqueas, nisi ansam cogitandi præbeat scriptura vetusta. Adjuvare quoque poterit, quod addit, *sinus imperii*. Ergo Rhenus, ut videtur, illic sinum facit. Sed et immensorum lacuum prope Frisios infra facit mentionem Tacitus. Paulo post, ubi nos habemus ‘ intelligere occasiones,’ illic erat *necessitates*. Ann. l. I. ‘ jussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet.’ *Rhenan.* Congrua interpretatio Lipsiana et opido quam erudita. Eo ipso autem, quod Decumates agros colerent, Germanis minus annumerandos censuit Tacitus. Tantum enim aberat, ut alienos agros occuparet possideretque colendi causa, cupidissima belli gens, ut etiam proprios susque deque faceret. At apud Gallos singulare studium fuit agriculturæ. Quod Germani usque eo non probarunt, ut ob id Gallis inertiæ nomen imponerent. *Colerus.*

Dubiæ possessionis] Eodem argumento alibi usus est, ‘ quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet, permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia diversas.’ *Colerus.*

Mox limite aucto promotisque præsidiis] Nil mutem. Nonne eadem forma Cæsar dixit, ‘ vineas et turres agere?’ Virgilius ‘ agere testudinem?’ *Colerus.* Alii legunt *limite aucto*. Et vero Trajani Tacitique ætate promota erant præsidia et aucti Romani imperii limites. *Conringius.* * cum centuriæ eximerentur.’ Pag. 162. habes ‘ limites actuarios et lineares.’ Et, ‘ hi qui sunt per viam publicam militarem acti.’ Pag. 187. ‘ Multi perpetuos limites egerunt.’ Et sequenti: ‘ plurimum enim agentibus præstat acti limitis perpetua rectura.’ Pag. 263. ‘ quem actis limitibus quibusque laterculis quinquagena jugera incluserunt.’ Frontinus Strateg. I. 3. &c. * Sic utrobique recte P. Scriverius. Alludunt Virgilius l. x. ‘ latumque per agmen Ardens limitem agit ferro.’ Ovidius, de arte III. ‘ idem limes agendus erit.’ Et imitati Silius ac Statius. Quid autem hic proprie sit Tacito *limes*, cognosces ex dictis ad c. 50. annalis primi. Hoc ergo significat, &c. * *Gronovius.*

Cap. 30. *Durant siquidem*] Albertus Krantzius locum hunc ita distinctum apud Tacitum legerat: *Non ita effusis ac palustribus locis, ut ceteræ civitates, in quas Germania patescit, durant.* Siquidem colles paulatim rarescunt. Magis clara sententia. Loquitur Tacitus de civitate, quæ initium sedis et caput gentis illius fuerat. *Colerus.*

Rationis ac solertiæ] Quæ hic largiter in laudem Cattorum effundit, ea idem Albertus ille Saxonibus unde vi impertienda esse contendit. Quod nihil aliud est, quam quæ singulis populis debentur singula, ea universis

promiscue tribuere. Atqui Tacitus supra testatus est, se singularum gentium mores et instituta expositurum, qui ne Cheruscos quidem, Usipetes, Tencteros, Sicambros, Caucos vicinos Cattorum hujus laudis compotes facit. Tanta nonnullorum ambitio est, ut vel falsarii fieri præopteut, dummodo patriam peregrinis et alienigenis laudibus extollant. *Coler.*

Disponere diem] Persius Sat. v. 'Una opus et requiem pariter disponimus ambo.' Plinius Epist. IX. 36. 'Quæris quemadmodum in Thuscis diem æstate disponam.' Idem 'ordinare diem' Senecæ ep. 12. *Gronov.*

Nec nisi ratione disciplinæ] Bambergensis, *nec nisi Romanæ disciplinæ.* Et neutram sane lectionem jure spernas. *Lipsius.*

Ratione disciplinæ concessum] Bambergensis sane scriptura non etiam spernenda, *nec nisi Romanæ discip. &c.* Sed ego magis de verbo *consessum* sum sollicitus: pro quo vide an melius scribi possit *consensum:* quod non nisi ratione disciplinæ in consensum venit, in quod sola ratione et disciplina consenserunt. Vide ne *concessum* sit non, permissum, sed, *concessit.* Positum apud Senecam Herc. Œtæo 599. 'Et spiciferæ concessa Deæ Attica mystas claudit Eleusis:' et 1891. *Velata* pro *velans.* 'Alesque sequi jussa sagittas, Totum pinnis velata diem.' Iterum *concessa:* sic ibid. vers. 365. 'Dilecta Priami nempe Dardanii soror concessa famulo est,' &c. Et sic passiva sæpe capiuntur active. *Acidalius.* Verior haud dubie lectio altera ex cod. Bamberg. *nec nisi Romanæ disciplinæ concessum.* Severus apud Lampridium: 'disciplina majorum remp. tenet, quæ si dilabatur, et nomen Romanum et imperium amittemus.' *Colerus.* Malim, *ratione et disciplina:* id est, per rationem et disciplinam, beneficio rationis et disciplinæ. Seneca: 'Illis corporibus, illis animis, delicias, opes, luxum, ignorantibus da rationem, da disciplinam.' Cicero v. Verr. 'neque ad Paulli rationem atque disciplinam.' *Schelius.* Teneo mordicus, ut olim, Bambergensem. *Concessum* est a fatis datum. Ut l. XIII. 'sibi concessam dictans nobilitatem, pulcritudinem, vota omnium et gaudia felicium.' Silius, 'propiusque fuere periclum, Queis superare datum.' Nec mirum Romanos scriptores fatorum erga se indulgentiam prædicare. Livius in persona Asdrubalis, &c. * Tacitus Ann. XIII. 'Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret.' Ita ergo ait etiam Romanæ disciplinæ * rem Romanam esse.' Eodem pertinet Severi dictum in Britannia: 'Tandem sentitis caput imperare, non pedes.' Imitatur autem et Livii l. XXIV. 'vir acer et qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide seculorum reponeret.' *Gronovius.*

Plus reponere in duce] Eam rationem et reliquos Germanos tenuisse verisimile mihi fit, qui quidem duces ex virtute, non ex nobilitate sumserint. Philippus Macedo prudentissimus et callidissimus belli dux dictitabat, Meliorem esse exercitum cervorum duce leone, quam leonum exercitum duce cervo. *Colerus.*

Ferramentis quoque] Apparet de industria, Cattos Romanorum disciplinam æmulatos fuisse; cum ceteri victi etiam tale quid minime fecerint aut pertulerint. Florus l. IV. 'quippe Germani victi magis, quam domiti erant: moresque nostros magis, quam arma sub imperatore Druso suspiciebant.' Cura Romanorum non postrema erat, ut devictis nationibus armorum suorum disciplinam traderent, electis ad id negotii certis magistris. In Agric. de cohorte Usipiorum, 'occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur.' *Idem.*

Copiis coonerant] Ita libri antiquiores. Vulgo, *onerant*. Sic hist. I. I. dixit: ‘ coaspernantes veterem disciplinam.’ Lib. III. ‘ tum confossum conlaceratumque,’ &c. Sæpe etiam apud illum invenias, *cooriri*. Pichena. Quomodo *copiis?* an iis quæ ad victum pertinent? Sane Romanis peditibus cibaria portabantur: nec hoc aliquid puto apud ullas gentes novi esse. Nemo doctorum hic de mendo suspicatus est, quorum mihi quidem copia sit; at subolet ferramenta et telorum genus indicari, atque Tacitum scripsisse *ferramentis quoque et copidis onerant*. Copides, quæ vox apud Pannonas hodieque et alias ejus regionis gentes permansit, teli genus sonans veteri linguæ Gallorum. Plutarchus in Camillo de M. Manlio: ‘ alterius, qui sustulerat securim, quam copida vocant, dextram ense detruncat.’ *Barthius.* * apud quasvis gentes novi? Eundem in Romano milite imputat declamator apud Fabium: ‘ Nemo nostrum recusat itinerum laborem, nec injustum super arma fascem;’ ut ibi legendum docebamus. Jam *copidis* quasi a *Copida*, quæ Κοπὶς est, quale? quale copides vocem veteris linguæ Gallorum esse? atque hoc tradere Plutarchum, apud quem hoc tantum est: *τοῦ μὲν ἔφθασε διηρμένου κοπίδα τῷ ξίφει τὴν δεξιὰν ἀποκόψας. Gronovius.*

Cap. 31. *Rara et privata*] * Ann. XI. ‘ verterat pernicies in accusatorem.’ Sic enim illic legendum docuimus ex man. cod., non *perniciem*. Eod. lib. paulo ante, ‘ seu forte lapsa vox in præsagium vertit,’ et multis aliis in locis. Sic et Livius lib. XXX. ‘ induratus præter spem resistendo timor hostium, ac ne vertat in audaciam.’ Ubi vulgo *vertatur*. Porro facit ad hunc locum de crine apud Cattos summittendo, quod Hist. IV. scribit: *Civilis barbaro, &c.* * Nescio quæ mihi nebulæ hic objectæ. Dispellam non aliter, quam interpunctione, sed et emendatiuncula fortassis: *et aliis Germanorum populis usurpatu rara est privata cujusque audentia apud Cattos in consensum vertit.* Ait raro ceteris Germanis singulis, usurpari in præliis audentiam: apud Cattos ita contra esse, ut in consensum verterit. Meliorem qui attulerit vulgaris lectionis interpretationem eum lubentius sequar. *Colerus.* Plane pervertit sensum Colerus sua illa emendatione. *Conringius.*

Crinem barbamque summittere, &c.] Hist. IV. ‘ Civilis, barbaro voto, post cæpta adversus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patrata demum cæde legionum, deposuit.’ Vide etiam quæ ibi Lipsius notat. *Pichena.*

Nec nisi hoste cæso] Hoc teneo, præ eo quod scriptis, *nec non hoste*. At de more ipso, supra dixi. *Lipsius.*

Plurimis Cattorum hic placet habitus] Suspecta tamen mihi vox, *jamque*, quæ nullo modo exprimit habitum insignium illum Cattorum. *Canent*, inquit, *insignes*. An capite tantum et cristis? An toto corpore? Plutarchus in Mario de Cimbris an Teutonis: *Κράνη μὲν εἰκασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι καὶ προτομαῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντες ἐπαιρόμενοι λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος ἐφαίνοντο μείζους.* Non ausim tamen legere apud Tacitum: *Casside canent insignes.* Colerus. Lipsius in notis prioribus suspicatus est depravationem; in posterioribus nihil movet. Nec video quicquam, quare suspicari sequius hic debeamus. *Conringius.* * conspecti ac notabiles tam suis quam hostibus. Non enim tantum eam adolescentium disciplinam esse significat, sed et provectioris ætatis, quoties scilicet hostis exoriri visus, et bellum exspectatur; aut etiam quoties libuit sumere superbiam meritis quæsitam aut fiduciam ostentare. *Gronovius.*

Acies visu nova] Credideram olim legendum *nota*. Sed socer meus præ-

fer', *torva*, adstipulante et Hispanica versione; *terribiles à la vista.* 'Terribiles visu formæ.' Virgil. Pro mea tamen conjectura faciunt et sequentia, si ita legas; *hæc prima semper acies, visu nota:* (ratio) *num ne pace quidem, &c.* altera ratio: *prout ad quemque venere, aluntur.* Freinshemius. Videtur nihil mutandum. *Conringius.*

Vultu mitiore] Suspicor legendum, *cultu mitiore.* Sic supra, *nulla cultus jactatio:* et in Agric. *cultu modicus.* Sed et vulgatam fero: dixit enim, *oris habitum.* Pichena. Mutant in *cultu mitiore.* Non placet. Apud Plutarchum dicuntur: δυσπρόσωποι τὰ εἴδη. *Colerus.* Ratio adjecta videtur poscere, *visu non nova.* Quare? quia eodem cultu habituque, barbis puta ac crinibus submissis annulisque ferreis, virtutem promittentes et ante bellum visi sunt, neque alio vitæ genere, quam armis tractandis, se mitiores mansuetioresque præstiterunt. *Gronovius.*

Prodigi alieni] Talia Helmoldus de Sclavis: 'Eo fortiorem quemque, quo profusiorem jactitantes.' *Colerus.*

Cap. 32. *Quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri colunt*] * meminit Amm. Marcellinus. Liber, qui formulam Romani imperii in occidente continet, ostendit *Ampsiuarios* aliquando militasse intra Gallias, sub Magistro peditum in præsenti. Sicut et *Bructeros.* Dubito num *Angriuarii* sint. *Rhenanus.* Mela: 'mox diu solidus et certo alveo lapsus.' *Colerus.*

Usipii] Alii Usipetes appellant, cujus nominis rationem supra explicavi. Eos Dio collocat κατὰ τῶν Βατάουων νῆσον. Mart. lib. VI. 'Sic leve flavorum valeat genus Usipiorum.' Apud Strabonem depravate legitur adhuc Νουσίπων pro Οὐσιπίων. *Colerus.*

Ferox bello et melior] Transpone copulam, *ferox et bello melior:* ita Muretus. *Acidal.*

Cap. 33. *Bructeri*] Ariolabar supra, an dicti potius essent *Bruteri.* Constat enim hos cum Cheruscis ea loca habitasse, ubi hodie *Westphalia.* Apud Strabonem vulgo excudebatur Βουκτέρων: quod nescio an recte mutaverit eruditissimus Casaubonus in Βουσακτέρους. Nec tamen negaverim populos aliquos Βουσακέρους fuisse, a malo et sterili agro sic dictos. Hinc familia haud dubie, illustris *Buseckerorum,* cujus et Dithmarus meminit lib. VI. *Colerus.*

Chamauos] Qui aliquando Frisiorum arva incoluere, teste Tacito Ann. XVI. Apud Strabonem isti populi recensentur Συγάμβροι τε καὶ Χαῦβοι καὶ Βούκτεροι καὶ Κίμβροι Καῦκοί τε καὶ Καοῦλκοι καὶ Καμψιανοί. Fateor me nescire, et qui sint *Chaubi* et qui *Caulci* illi. De Chaubis quidem malebam *Chamauos* facere, quam illi qui essent perpetuo ignorare. Non est verosimile Strabonem nullam plane mentionem fecisse Chamauorum, qui satis clari populi fuere. Meminit eorum aliquoties Tacit. lib. XIII. Ergo sicut apud Strabonem subiere *Chaubi* pro *Chamauis,* ita apud Eumenium Rhetorem *Cauni:* utrunque vitium ex compendio literarum provenit. Eumenius ad Constantinum: 'Arat ergo nunc mihi Cannus et Frisius.' Æque monstrifica lectio apud Nazarium, alterum Panegyristam: 'quid memorem Bructeros, quid Clamosos, quid Eruscos, Vangionas, Alemannos, Tubantes? Bellicum strepunt nomina.' Quid ni enim legendum dicam? *quid Chamauos, quid Cheruscos.* Eosdem populos conjungit in Annal. Alio loco idem Strabo commemorat nescio quos Ἀμψάνους, ubi scil. Καμψιανοὺς ex hoc loco restituerim. Et apud Stobæum citat aliquoties Καυσιανοὺς Nicolaus, depravate opinor ἀντὶ τῶν Καμψιανῶν. Nusquam enim *Causiani* fuere. Amo Strabonem et admiror. Liceat igitur et istum ipsius locum per hanc occasionem (mag-

ni tamen Æsculapii ipsius Casauboni venia et favore) sanare, cum id tentaverim tantum nuper in Animadversionibus in Val. Maximum. Scribit itaque Strabo lib. II. τῶν δὲ Ῥωμαίων καὶ εἰς τὸν εὐδαίμονα Ἀραβίαν ἐμβαλλόντων μετὰ στρατιᾶς νεωστὶ ἦ ἡγεῖτο ἀνὴρ φίλος ἡμῖν καὶ ἑταῖρος Αἴλιος Γάλλος. Commemorat ecce Ælium Gallum amicum ac sodalem suum, Romanæ militiæ ducem in Arabia Felici. Celebris fuit ista ætate Ælius ille Gallus, et rei militaris peritia insignis, et tamen ejus nomen apud eundem Strabonem lib. VII. non tantum obscuratum hactenus, sed penitus sublatum. Locus ita habet: ἔτι γὰρ ἔφ' ὑμῶν γοῦν Αἴλιος Κάτος μετῴκησεν ἐν τῆς περαίας τοῦ Ἴστρου, &c. Alias legi Αἴλιος Κάτων, ait Casaubonus. Ego satis intelligo Strabonem de illo ipso suo Ælio Gallo loqui: ideoque legendum esse apud Geographum Αἴλιος Γάλλος. De hoc ipso Gallo Plinius VII. 28. Sed ejusdem alterum nomen Ann. l. XV. corruptum exstat usque huc: 'huic a Considio prætura functo objectabatur Velii Gallii' (lego audacter *Ælii Galli*) 'amicitia.' *Colerus.*

Angriuarii] *Angrivarios* juxta Germaniæ linguæ etymon interpretari licet, *Aggressores.* Archiepiscopus Agrippinensis Coloniæ, quæ in Ubiis est, se *ducem Angeriæ* scribit, quasi dicat, *Angriuariæ.* Rhenanus. Alii sunt *Ansiuarii* apud Tacitum. *Angeriuarii* apud Orosium dicuntur. *Angrarii* in Annalibus priscis Francicis: 'Angrarii cum suis primoribus ei occurrunt.' *Colerus.*

Maneat quæso] Simile votum Mamertini in Genethliaco ad Maximianum: 'undique se barbaræ nationes vicissim lacerent, et excidant alternis dimicationibus, et insidiis clades suas duplicent, et instaurent.' *Idem.*

CAP. 34. *Dulgibini*] Et hi *Dulgibini* et illi *Chasauri* nusquam mihi præterquam hic lecti. Affert ex Tacito in Chronico suo Mutius *Tasuarios.* Si vulgatæ lectioni magis standum, erunt *Chasuarii*, illi quos Strabo Χατουαρίους appellat. *Colerus.* Dulgumnias vocat Ptolemæus. Eorum vel deletorum postea vel in nomen aliud mutatorum inter Saxones Westphalosque ad Visurgim fines describunt. Partem maximam Lemgoviensis agri sedibus illorum vindicat Cluverius. Chattuarios, ut et Paterculus nominat, ex nationibus Cattorum velut coloniam fuisse censet idem. Althamerus agrum Gottingensem aut Mindensis ac Verdensis diœceseon ad Visurgim incoluisse putat. *Kirchm.*

Aliæque gentes haud perinde memoratæ] * totius prope Occidentis potiti sunt ditione. Poterunt Romani, qui, ceu Justinus scribit, 'finitimis populis armis subjectis primum Italiæ, mox orbis imperium quæsivere,' et hactenus esse nobis exemplum Turcæ, quorum item initio neque obscurius quicquam, neque incertius: si modo licet citra piaculum, nostratem optimeque meritam de Christiana pietate gentem, cum truculentissimis hostibus nostris conferre: cum quibus nuper, quod bene ac feliciter vertat, justum piumque bellum suscepimus, auspiciis et ductu Caroli Augusti atque Ferdinandi Cæsaris. *Rhenanus.*

Majoribus minoribusque] Sic et Plinius distinguit XVIII. 1. *Colerus.*

Referre consensimus] Scriptus liber, *referre consuevimus.* Lipsius.

Referre consuevimus] Testatur Lipsius in Man. ita legi: quod magis placuit, quam, *consensimus*, ut in vulgatis. *Pichena.*

Druso Germanico] * non reticuisset. Simile mendum advertit Lipsius supra XV. 71. *Freinshemius.* Vir doctissimus mavult, *Druso et Germanico.* Non improbaverim: tantum dubito, num Germanicus columnarum Herculis quærendarum causa quidquam fuerit conatus: de alia vero expeditione Tacito hic quidem non est ser-

mo. *Conringius.*

In Hereulem inquiri] Arrianus Periplum maris Rubri sic finit: τὰ μετὰ τοὺς τόπους τούτους, διά τε ὑπερβολὰς χειμώνων, καὶ πάγους μεγίστους, δυσβάτων τε τόπων, εἶτα καὶ θείᾳ τινι δυνάμει θεῶν, ἀνερεύνητά ἐστιν. Credebant enim antiqui nefas esse ac Deorum menti contrarium, maris ac terrarum secretiora et abstrusa perscrutari. *Colerus.*

Cap. 35. *Ut superiores agant*] Consectatur fonticulos Thucydidis, apud quem Corinthii disserunt: τὸ γὰρ μὴ ἀδικεῖν τοὺς ὁμοίους, ἰσχυρωτέρα δύναμις. *Idem.*

Cap. 36. *Inter impotentes*] Sic paulo ante de Chaucis: 'sine cupiditate, sine impotentia.' Idem πολιτικώτατος Thucydides ait jus naturæ esse τὸν ἥσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατείργεσθαι. *Idem.* Accipio heic *impotentes* Chattos, qui se defendere non possunt: contra *validos* Cheruscos, qui suo robore fisi, et validi quidem et acres, sed impotentia animi aliena invadunt suisque viribus abutuntur, nec quiescunt: quales sunt barbari plerique: et quales hoc loco Chatti fuere adversus Cheruscos. *Aurelius.* Rationem auctor exhibet, cur non adeo securi, ob vicinum impotentem, h. e. affectibus non imperantem suis, sed vehementem Cattum, vivere Cherusci debuissent. Male inter lupos ovibus; male consultum inter vulpes et aquilas columbis est. *Kirchmaier.*

Modestia ac probitas] Non multum dissimile in illo Corn. Nepotis dicto, in Datami: 'hæc est conditio regum, ut casus tantum adversos hominibus tribuant: secundos Fortunæ suæ.' *Colerus.* Id est, in bello quod manu agitur, qui viribus est superior, vexat agitatque modestos et probos victos, uti creditor durus per *nomina* debitores inopes, et tamen de ipsa modestia et probitate laudatur ac si probus existat. *Aurelius.* Scio quid de *nominibus* dici possit, cum pro debitis aut debitoribus sumuntur: quid aliud habeas, non video. Sed illa explicatio huic certe loco absona est. At vide quæso, annon scripserit Tacitus, *Ubi manu agitur, modestia et probitas nomina sequioris sunt:* id est, deterioris, inferioris: ea enim hujus vocis significatio est; subnectit enim: 'Ita qui olim boni æquique Cherusci, nunc inertes et stulti vocantur.' Vides Tacitum sibi interpretem esse: *boni* vocantur *inertes; modesti stultorum* nomen ferunt. *Tan. Faber.*

Inertes ac stulti] Docta et prudens monitio an reprehensio illa Atheniensium ad Melios apud Thucydidem l. v. τῆς δὲ ἐς Λακεδαιμονίους δόξης, ἣν διὰ τὸ αἰσχρὸν δὴ βοηθήσειν ὑμῖν πιστεύεται αὐτοὺς, μακαρίσαντες ὑμῶν τὸ ἀπειρόκακον, οὐ ζηλοῦμεν τὸ ἄφρον: i. *quod vero pertinet ad opinionem, quam de Lacedæmoniis concepistis, suupte verecundia impulsos vobis auxiliaturos, in ea re vestram quidem simplicitatem probamus, stultitium non laudamus, nec imitamur.* Colerus.

Et Fosi] * ut sequenti ævo invalescere cœperit. Secus id tam supina negligentia non prætcrisset Tacitus. Liceat ruentem interim aperire et suspicando rem implicitam experiri. Pro sasi mendo librariorum irrepsisse fosi in codices conjiciebam aliquando; ut qui inter se *die Sachsen* aut *Sassen*, sasi Latine a Cornelio, rectius deinde *Saxones* a Ptolemæo dicerentur. *Sass* autem possidentem habitatoremque vulgo notat. Inde et *Holsatia*, quasi *Holsassia*, quæ Saxonum etiam antiqua sedes fuit, descendit. Tametsi a brevi gladio aut cultro aliis sic fuisse appellatos non nesciam. Quemadmodum vero *Teutoni* et *Teutones*, sic *Saxones* et *Sasi*, litera duplici in simplicem tanquam molliorem mutata, scribi potuerunt. *Kirchmaier.*

Cap. 37. *Eumdem Germaniæ sinum*] * Minus placet quod in annotatiunculis reperi quondam collati codicis *eumdem Germaniæ situm.* Rhenanus.

Strabo ait omnium populorum ad Oceanum vergentium, et a Rheni ostiis ad Albim pertinentium, γνωριμοτάτους εἶναι Σνγάμβρους καὶ Κίμβρους. *Colerus.* Vellem, quorum in manu Mss. librorum copia, attentiores hic fuissent. Nam quin *eundem Germaniæ sinum* bene dicatur, nemo ambigit: sed si calamo exarati et fide digni codices *eundem Germaniæ situm* habuere, male omnino mutatum est, nec translaticiæ propinationis sermo est. Vide quæ notavimus ad Plinii hist. nat. lib. XXI. c. 13. *Gronov.*

Utraque ripa castra ac spacia] Proprie de flumine *ripa*, de mari *littus* dicitur. Sed non Columellæ tantum hæc promiscue usurpantur: verum et Virgilius *littora* fluminibus, *ripas* mari Pontico assignat Plinius. Sinuosi maris utriusque ergo littora spaciaque, inter quæ Cimbrica Chersonesus tractu longissimo protenditur in Aquilonem, noster indicat. *Kirchmaier.*

Tam magni exercitus fidem] A conjectura reposui: cum in libris sit, *magni exitus.* Lipsius.

Magni exercitus] Hanc lectionem debemus conjecturæ Lipsii, cum in libris esset *magni exitus.* Non tamen contempseris illa vulgata. *Conringius.*

Cimbrorum arma audita sunt] Breviarium Livianum: 'Cimbri gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papyrius Carbo Cos. cum exercitu fusus est.' Hoc eo anno accidisse consentit cum Tacito Julius Obsequens et Eutropius. *Col.*

Multa invicem damna] Paterculus: 'multis mox nostris suisque cladibus nobiles.' Multos ingentes duces et exercitus in parte Romanorum obtritos Plutarchus in Mario scribit. *Colerus.*

Sæpius admonuere] Recta, imo et sapiens scriptura est. Admonemur, in felicitate sortis humanæ, per adversa: hoc, inquit, Parthi nobis fecere, ne invictos nos putaremus; neque tamen sæpius, quam Germani. *Lipsius.*

Ne Parthi quidem sæpius admonuere] Arbitror Tacitum *admovere* simpliciter usurpasse, quod Livius dicere solet, 'admovere exercitum,' et 'admovere castra.' Sane quum vetcrem Germaniam a Danubio provinciæ Romanæ, duæ Rhœtiæ, Noricum, et duæ Pannoniæ, a Rheno contigerint, Sequanus tractus, qui Helvetios et Rauricos complectebatur, Tractus Argentoratensis, in quo Argentoratum et Selestadium veteris Elcebi colonia, unde Elsatiæ *vernaculum* nomen, ac Germaniæ duæ; nihil mirum si subinde admoverunt Germani, non tam propulsantes pericula Romanis impugnantibus quam prædarum dulcedine provincias Romanas incursantes. *Rhenanus.* Rhenano suspectum visum est verbum, *admonuere:* adeo ut corrigendum putaret, *admovere*, eo sensu, quo apud Livium, *admovere exercitum*, vel *castra.* Cui opinioni ego aures non admoveo: et quamvis novitas quædam sit in lectione vulgata, illam tamen libenter amplector, ut sit, *admonere*, vigilantem et experrectum tenere, nec quietum sinere: seu potius, negocium facessere. *Pichena.*

Acrior est Germanorum libertas] Plutarchus: θυμὸν δὲ καὶ τόλμαν ἀνυπόστατοι καὶ χειρῶν ἔργα παρὰ τὰς μάχας ὀξύτητι καὶ βίᾳ πυρὸς εἰκότες ἐκῆεσαν. Plinius XVI. de Chaucorum miseria: 'et hæ gentes certe si vincantur hodie a populo Rom., servire se dicunt. Ita est profecto, multis fortuna parcit in pœnam.' *Colerus.*

M. quoque Manlio] Forte tamen nihil est mutandum: ejusmodi enim ἁμαρτήματα μνημονικὰ optimis etiam auctoribus interdum obrepunt. *Conringius.*

In ludibrium versæ] Idem nomen imponit Hist. IV. 'pater ejus multa hostilia ausus, Cajanarum expeditio-

num ludibrium impune spreverat.' *Colerus.*

Proximis temporibus] Referendum ad Domitiani tempora, qui de *Cattis* triumphum duxit: sed vanum et irrisum. Suetonius, et noster Tacitus in Agricola: 'Inerat conscientia, derisui nuper fuisse falsum e Germania triumphum.' *Lipsius.*

Triumphati magis quam victi] Fuit egregius ille triumphus Romæ et in Italia tota deridiculo. Suggillat Plinius ad Trajanum et Tacitus in Agric. *Colerus.*

CAP. 38. *In commune Suevi*] Dio idem scribit: καὶ οἱ μὲν πέραν τοῦ Ῥήνου, ὥσγε τ' ἀκριβὲς εἰπεῖν· πολλοὶ γὰρ καὶ ἄλλοι τούτων τοῦ Σονήονων ὀνόματος ἀντιποιοῦνται. *Idem.*

Nodoque substringere] * Martialis etiam Sigambris: 'Crinibus in nodum tortis venere Sigambri.' Idem universe alibi: *Rhenique nodos.* Tertullianus cirros in Germanis agnoscit, fortasse ab hac crinium obliquatione et flexu. De virginibus velandis: 'Debebunt et ipsi aliqua insignia sibi defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum:' ideo quia, ut hic scriptum, crinem obliquabant. Juvenalis: 'Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro?' Taciti tamen locum huncce de obliquando crine, fateor ita etiam capi posse, ut crinem non in rectum passi sint descendere, sed reduxerint in posteriorem verticem et obliquarint. *Lips.*

Nodoque substringere] Suevorum hoc proprium erat: licet ita reliqui imitarentur, ut verius Germanicus quam Suevicus mos dici posset: Seneca: 'crinis rufus et in nodum coactus apud Germanos.' De Suevis intelligo Martialem: 'Rhenique nodos aureamque nitelam:' Suevi enim Rheno viciniores. Quod porro Tacito *nodo substringere*, id est Suetonio 'subnectere comam;' de C. Caligula. *Colerus.* Vocarunt veteres Latini *nitelam* quem Græci σκίουρον καὶ ἐλειὸν μῦν. Glossæ: *Nitela*, δενδροβάτης. Servius Georg. 1. 181. 'Nitela, mus agrestis robens, cujus Cicero meminit in Sestiana.' Verba Ciceronis: 'illa ex vepreculis extracta nitela.' De ea accipiendum in Martialis versu 'aureamque nitelam.' Rutilos ac rufos puellæ crines comparat, &c. * *Salmasius.*

Sic Suevorum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus] Repetitum fuerat in vulgatis, *sic in aliis gentibus*, præter librorum veterum fidem, qui particulam illam, *sic*, minime habent: ergo ut supervacuam, et orationem sensumque confundentem, delevimus. *Pichena.* Lege et distingue: *si in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione; rarum, &c.* Acidalius.

Principes et ornatiorem] Hæc merito scrupulum injecerunt varia eruditione Viro Cluverio, qui tamen distinctione rem perfici posse putat. Sic enim scribit Germ. Antiquæ l. 1. 16. p. 131. Ceterum verba Taciti, dicto loco, sic vulgo distingui video: *apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant, principes et ornatiorem habent.* Male, meo judicio: nam ornatior iste principum capillus qualis fuerit, omnino debebat indicasse auctor. Sic igitur distinguo: *Apud Suevos, usque ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant principes, et ornatiorem habent.* Sed hoc modo maneret adhuc istud, *retro sequuntur*, quod tolerari vix ullo modo queat. Ego verissimam scripturam, simulque antiquorum nostrorum innocentissimi luxus morem reperisse videor. Certe enim sic scripsit Tacitus: *capillum retrosequus, ac sæpe in ipso solo vertice religant. Principes et ornatorem habent.* Adverte sis sequentia: 'ea

cura formæ, &c. neque enim ut ament amenturve [quomodo Romani Romanæve] ornantur.' Nam apud Rom. etiam viri *ornatores* habebant, de quibus vide Pignorium de servis, cui adde l. LXV. §. 3. de legat. 3. Quo et illud Ovidii tendit: 'Sint procul a nobis juvenes, ut femina, compti.' Ergo ex his omnibus, quod ornari eos dicit, nec tamen ut ament amenturve (sunt ergo alii qui ad hoc ornantur, nec alios quam suos cives, ut aliis hujus libelli locis, incesserit auctor) sed innoxia forma, cui tamen curam tribuit, necessario sequitur pro *ornatiorem*, quod nunc legitur, scribendum esse, *ornatorem*. Freinsbem. Legerim *ornatorem* cum Freinshemio. Neque id a prisca ruditate nimis forte alienum. *Kirchm.*

Sed innoxiæ] Malo cum Mureto, *innoxia*. Acidal.

In altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti] Vis verborum efficacior et clarior, si transponas: *adituri bella in altitudinem quandam et terrorem compti*. Nec mihi dubium, Tacitum sic ordinasse. Silius: 'Triplex crista jubas effundit crine Suevo.' Solebant opinor nodos illos aliquando religare, modo quodam Parthorum et Persarum. Unde Saxo Grammaticus lib. VII. 'sparsamque renodat Cæsariem, et laxos patitur fluitare capillos.' *Colerus.*

Ut hostium oculis, ornantur] Placet Bambergensis, *armentur*. Lipsius.

Hostium oculis ornantur] Proba lectio. Hostium oculis ornari argute dicuntur, qui ornantur ut terrori sint. Igitur infra etiam dixit: 'nam primi in omnibus prœliis oculi vincuntur.' Nazarius ad Constantinum: 'illa armorum ostentatio et operti ferro exercitus, qui imbelles oculos vulnerassent.' *Colerus.* Non bene capio auctoris sensum. Suevi bella adituri ornantur in altitudinem quandam et terrorem, compti, ut hostium oculis. An pro *ornantur*, lectitabimus *armantur*? Sed non tollitur hac ratione ἀκυρολογία, 'ut hostium oculis.' Dispiciat lector eruditus an non sit *ad hostium oculos*, vel *in oculis* legendum. *Kirchmaier.* Possis suspicari *comati*: sed hæc sententia est: Hoc unum, &c. * *Gronov.*

CAP. 39. *Semnones*] Recte: etsi in Velleio lib. II. *Senones* scriptum legas, qui eos cum Hermunduris conjungit. In Dionis Fragmentis Electo LXXI. probissime scriptum erat: Πρὸς Σέμνονας ἐπιχειρῆσαι: de Antonini bello in Quados et Marcomannos. Item Electo XLIX. Μάσυος ὁ Σεμνόνων βασιλεύς. Late errat vir doctus, qui utrobique Nasamones substituit et edidit, Africæ nimirum gentem. At isti Semnones ad Albim sunt: et manifesto illa Dionis spectant ad Germanica bella. *Lipsius.*

Semnones] Strabo quoque ita appellat. Sed *Senones*, vel *Sennones* rectius est: iidem enim populi sunt cum illis, quos ultra Nervios habitare idem Geographus testatur. De illis autem Suevicis Paterculus lib. II. et Florus lib. IV. 'sed omnes illius cardinis populos, Brennos, Senones, atque Vindelicos.' Varias Gallorum in Germaniam migrationes fuisse alibi et Tacitus et ego demonstrabimus. Quidni enim assentiamur Lazio, qui Suevos Senonas fuisse illos colligit, quorum superbum illud responsum ad Alexandri Magni legatos a Q. Curtio memoratur? Adriæ sinum et Iapodum viciniam tunc habebant. *Colerus.*

Auguriis patrum] Spontaneusne an fortuitus versiculus? Fortuitus certe. Talis illa Plinii ad Trajanum Paneg. 'Credite si cursu quondam provectus ab illo,' quem adolescentulus pridem animadvertebam. Et hoc lib. Taciti, 'atras ad prœlia noctes.' Magis apposite et sonore Virgilius non diceret. *Colerus.*

Barbari ritus] Facit hoc ad meam adsertionem de origine Senonum Gallicana. Galli enim *Esum* atque *Teu-*

tatem humano cruore placabant, teste Lactantio. Lege præterea Strabonem lib. IV. Cæsarem lib. VI. Amplius etiam adfirmarim Gallos Mercurii cultum ac honores in Germaniam invexisse, cum eundem maxime coluerint, ut oculatus testis est Jul. Cæsar. Usus autem simili argumento in Agric. ' Gallos vicinum solum occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione.' Loquitur de vicino Britanniæ solo. *Colerus.*

Centum pagis habitantur] Ita Venetus ac Bon. Vulgo, *habitatur.* Pichena. * Sidonius Epist. IV. 18. ' revolve Patavini scriptoris extrema, quibus res C. Cæsaris explicantur: aut si is impar est desiderio tuo, sume ephemeridem C. Cæsaris, decerptam Bibliotheculæ meæ, ut tibi muneri mitteretur. Hæc te origines, situs, pugnas, et quicquid fuit in moribus aut legibus Galliarum, docebit.' Ephemeridem Cæsaris nescio quid esse intelligendum sit, nisi ipsos Commentarios de bello Gallico. Nulla enim ephemeridis alterius mentio apud Suetonium, nulla apud Plutarchum. *Idem.*

CAP. 40. *Paucitas nobilitat*] Ita Farnesianus. Vulgo erat, *paucitas nobilitasque.* Lips.

Contra Longobardos] Ex Scandavia insula venisse Paulus Diaconus scribit: a *barbæ longitudine*, quod eam promitterent, dictos existimavit Georgius Merula: addit quisquis fuit Theodatus, cum Vuinili dicerentur, cumque Erulis congredi parārent, deæ cujusdam Godæ impulsu mutasse nomen: quæ omnia fabulosa sunt, quandoquidem puri puti Germani fuere, barbara appellatione nuncupati, quæ de Latino idiomate minime sit trahenda. Christianos ætate sua fuisse Procopius non uno in loco est auctor, cum recentiores omnes in Italia suscepisse fidei rudimenta perquam incuriose scripserint. *Alciatus.* * Tacitum miror tacuisse. Strabonis sententiæ confirmandæ et illustrandæ sunt, quæ ex Paulo Diacono mutuatus est Saxo Grammaticus lib. VIII. ' Primum itaque Blekingiam advecti, ac deinde Moringiam præternavigantes ad Gutlandiam se appulerunt, ubi,' et Paulo teste, ' auctore Fria Dea, Longabardorum vocabulum, quorum postea gentem condiderunt, traduntur adepti.' *Colerus.*

Contra Langobardis paucitas, nobilitas: quod] Scripsimus, *nobilitasque quod.* Rhenanus. E Farnesiano verum *Contra Longobardos paucitas nobilitat.* Muretus tamen ex vulgato: *Longobardis paucitas nobilitas.* Acidal. Lazius citat: *Contra Longobardis paucitas, nobilitas.* Unde illa lectionis olim vulgatæ corruptela, *paucitas nobilitasque.* Idem.

Reudigni] Pro iis videbatur esse, *Vendigni.* Rhenanus. Non minus olim etiam cognitæ hæ gentes. Nec mirum si hodie caligemus ad nomina tantam vetustatem ferentia, aut reliquis scriptoribus incognita vel neglecta. Paterculus de illis gentibus: ' perlustrata armis tota Germania est. Victæ gentes pene nominibus incognitæ.' *Idem.*

Aciones] Mutius citat: *Avianos:* supine. Legendum et rescribendum, &c. * locis ultimi.' Paulo post illa: ' Ita cuncti Chaibones Erulique.' Idem Panegyrista alia orat. ' Itidem hic gens Cauivonum Erulorumque deleta.' Lego iterum: *Chaiuonum.* Colerus. Cluverius emendat, sed non nisi ex conjectura, *Deuringi et Caviones.* Conring.

Angli] * Britanniæ novum classe advexerunt. Witigindus cum hoc idem cum aliis tradat, ridicule tamen postea subjicit de etymo: ' Et quia illa insula in angulo quodam maris sita est, Anglo-Saxones usque hodie vocitantur.' O, inquam, inceptam insulsamque Anglo-

Saxonum etymologiam. Et tamen repetit eam l. VII. *Angli* enim Saxones dicti erant, a quodam rege *Angul*, ut scribit Saxo. *Coler.*

Varinii] Plinius lib. IV. 'Genera Germanorum sunt quinque, Primum Vandali, quorum pars sunt Burgundiones, Varini, Guttones, Carini.' An iidem sint *Varini*, gens Gothica nescio. *Varingi* etiam videntur dicti postea et *Caringi*. Mutius somniculose legit *Varinos*. Idem.

Eudoses] Quid si legamus? *Endosos*. Quasi dicas finitimos Osis aut extremos Osorum? Idem Muretus male, *Eudosios*. Idem.

Suardones] Pro iis videbatur esse *Suarines*. Rhenanus. Mutius ridicule descripsit, an finxit: *Suarmos*. Atque vellem ita legisset apud Tacitum. Suspicarer e populo vetustissimo reliqua nobis facta esse nomina Germanica *Guarm*, id est, turba vel exercitus, et *Guarmen* turbare. Sed nugæ hæ sunt fortassis, et propius est, &c. * *Idem.*

Nuithones] Apud Mutium sunt, *Nuithomi*. Munsterus inepte hos in Helvetiam transcribit. Nec mihi tam nominis ratio, &c. * *Idem.*

In commune Herthum] * focum nobis signet non terram. Martianus Capella an huc aspexerit, dum Heroës ab Hera derivat, id est terra, nescio. Verba ejus l. II. 'A medietate aëris usque in montium terræque confinia Hemithei Heroësque versantur, qui ex eo quod Heram Terram veteres dixerunt, Heroës nuncupati.' Nam alias certe a crasso errore eum non excuses. *Lipsius.*

In insula Oceani] In qua insula? An in Scandinavia, quam reliquarum μεγίστην καὶ ἀνατολικωτάτην Marcianus appellat? *Colerus.*

Castum nemus] Idem mecum dubium dubitasse hoc loco Cluverium video: nam in recensione libelli hujus descriptioni suæ Germ. Antiquæ præmissa legit, *sacrum nemus: quia* nempe juxta mecum vocem illam *castum* non habebat pro proprio nemoris nomine. Ego autem propius abibam a scriptura, et legendum censebam, &c. * *Freinshem.* Minus sane nemori aptum est ἐπίθετον castum, eoque Cluverius legit *sacrum*. Perplacet Freinshemiana emendatio *vastum*: quoniam quam minimum recedit a vulgato, et tritissimum est vasta nemora quondam religiosa habita fuisse. *Conringius.*

Dicatumque in eo vehiculum] Ex Veneto restitui copulam, *que*. Pichena.

Quæcumque adventu] Illic legebatur, *Quemcumque*: subaudi *locum*. Cogitandum an pro *adventu* scribendum sit *advectu*, qua voce etiam utitur Hist. l. IV. 'Hæc de origine et advectu Dei celebcrrima.' Sic enim et illic legendum pro *adventu*, quemadmodum nos castigavimus. Adjuvat hic indubiam conjecturam, quod præcedit, 'Invehi populis arbitrantur.' *Rhenanus.*

CAP. 41. *Paulo ante Rhenum*] * cave statim credas Lazio de hoc loco dissertanti. *Colerus.*

Hermundurorum civitas] Reposuit eruditissimus vir apud Strabonem quoque legitime Ἑρμονδόρους pro Εὐμονδόρους. Hi sunt inter illos quos medios Tacitus alibi esse dixit, i. sub Hermionibus. *Idem.*

In splendidissima Rhætiæ provinciæ colonia] Quæ illa *colonia*? An Augusta Vindelicorum, quæ in secunda Rhætia erat? Hoc tu videris, nobilissime Velsere; qui Vindelicis tuis decorem veterem unice vindicasti. Vocat autem *splendidissimam*, quia et aliæ in Rhætia coloniæ Romanorum. Una ex iis describitur in fragmento, si fides Lazio, Paterculi, insigni antiquitatis monumento: 'dum hæc circa Rhætiam geruntur, in Noricorum finibus, grave vulnus populus Rom. accipit. Nam Germanorum gentes, quæ Rhætias occupaverant, non longe ab Alpibus tractu pari

patentibus campis, ubi duo rapidissimi amnes inter se confluunt in ipsis Noricorum finibus, civitatem non quidem muro, sed vallo fossaque cinxerunt, quam appellabant Cisara,' &c. * *Colerus.*

Colonia passim sine custode] Distingue, *colonia: passim sine custode transeunt.* Quod ait, *sine custode*, morem ingerit rarum et notabilem. Romani enim in limite imperii, &c. * *Lips.*

Passim et sine custode] Et hic a vulgatis abest copula, *et*, quam ex veteribus reposui. *Pichena.*

Cap. 42. *Narisci*] Ita in Capitolini M. Antonino dicuntur: Ptolemæo, *οὐαρισται*. *Lipsius.*

Narisci] * Suevorum portio imo et posteriorum. Legi apud Gothefridum Monachum, quod et hic lectu dignum censeo: 'Anno Domini MCXX. Henricus Rex natale Domini in Suevia apud Egram agit.' Æque admiretur quisquam hodie apud eundem Gothefridum legens: *in Suevia apud Hagenoam.* Apud Hagenoam, inquam, in Suevia, ubi tamen Gothefridi tempore ultra mille annos jam coaluerant Suevi. Eo translati constitutique fuerant, &c. * *Colerus.*

Marcomanni et Quadi agunt] Liber qui continet formulam imperii in Occidente, docet postea *Marcomannos Seniores* et *Juniores* intra Italiam sub Magistro peditum in præsenti, *Marcomannos* equites in Africam sub Comite et Magistro equitum præsentali, *Alam* vero primam *Quadorum* in Oasi minore militasse, sub duce Thebaidos. *Rhenanus.*

Quatenus Danubio pergitur] Hæc librorum veterum lectio, quæ mihi magis probatur, quam recenter substituta, *prætexitur.* Nam *Danubio pergere*, idem videtur, quod, secus Danubium pergere. *Pichena.* Scriptus liber Bambergensis: *Danubio peragitur.* Reliqui etiam, *pergitur.* Mihi eleganter dictum, terræ aut regionis partem flumine *peragi;* licet secus videatur doctiss. Lipsio. Et aperte innuit Tacitus frontem Germanicæ terræ, quatenus Danubio alluitur terminaturque. Ipsam abstrusiorem verbi significationem notavit etiam vetus Glossarium: *Peragit, περαιοῖ. Colerus.*

Marcomannis Quadisve usque ad nostram mem.] Scribendum: *Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam.* Ursinus. Scripsi, *Quadisque*, sententia ita exigente. Vulgo, *Quadisve.* Pichena. Lego cum Mureto, *Quadisque.* Acidal. * Helmoldus lib. I. Vitiose Xiphilinus *Μαρκομάνους* scribit, ut et Silius. Situm terræ delineavit Ptolemæus. Et Velleii ista lucem dent Cornelio: 'eratque eo etiam timendus, quod, cum Germaniam ad lævam et in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedium suarum haberet Noricos.' *Colerus.*

Vis et potentia] Meliori ergo conditione hi Germanici reges, quam olim Numidiæ illi. Adherbal apud Sallustium Jug. XIV. 'Micipsa pater meus moriens mihi præcepit, uti regni Numidiæ tantummodo procurationem existimarem meam: ceterum jus et imperium penes vos esse.' Ratio, quia nondum provincia erat Marcomannia, quam facere cogitabat M. Antoninus apud Capitolinum. *Coler.*

Cap. 43. *Marsigni*] Rectius forte: *Marsingi.* Colerus.

Gothini] Gothuni semper Claudiano. *Lipsius.*

Gothini] Hi sunt Claudiano Poëtæ: *Gothuni.* Nisi ibi verius est scribendum *Gothunni*, composita voce. Sic *Gothalani* apud Prudentium. Sic *Rhoxalani* apud Tacitum, non *Rhoxolani*, ut prave scriptum apud Strabonem. *Colerus.*

Burii] *Buri* hi scribuntur apud Mutium. *Colerus.*

Jugumque inscderunt] Mirum ni illud *jugumque* abundat, repetitum ex sequentibus: 'Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium

jugum.' *Acidalius.*

Lygiorum nomen] Quod ex Corn. Nepote tradit Plinius, Q. Metello Celeri tum Galliæ proconsuli, 'Indos a rege Suevorum dono datos;' affirmat eruditissimus candidissimusque vir Hermolaus Barbarus, in quodam Pomponii Melæ codice eamdem rem narrantis legisse, non *a rege Suevorum*, sed *Lydorum*. Quid si quis *a rege Lygiorum* scripsisse Melam putet? nam *Suevorum* nomen generalius est, etiam *Lygios* complectens, ut auctor uterque recte scripserit. *Rhenanus.* Igitur horum posteritas civitas *Lignicensis?* Strabo ait Λουίους esse μέγα ἔθνος: quo loco viri docti emendant Λιγίους. Sane Tacitus quoque scribit: 'Vis innumera Ligii,' Ann. XII. Apud Ptolemæum excuduntur Λοῦτοι. Non multum ii quidem literis et limite distant ab illis quos Dithmarus aliique *Lutzicos* appellant, nonnulli etiam *Luiticos*. At his *Luitmeritz* et *Luitzelburg* dicta paret. *Colerus.*

Arios] Diu illi *Arii* cari fidique Romanis, quemadmodum a Procopio annotatum: qui tamen flexu quodam vocis Germanico *Aborichos* appellat: seu potius ibi etiam scribendum *Ariorichos*. Sic Austrios nos *Ostrichos* vocamus. Sed facilior est pronuntiatio *Arborichus*, quam *Ariorichus*. Itaque illud Græculus maluit. Eadem scribendi ratio est in verbis *Ariovistus*, *Ariogastus*, *Ariobindus*. Sæpe etiam cogito, an non eadem fuerint vocabula *Ariovistus* et *Arbogastus*. Nam vulgare interpretamentum *Ernuestus* non satis placet, cum illud *Arnfastus* scribatur apud Saxonem Grammaticum. Terminatio illa *gast* fuit frequentissima et hospitem significabat. Ab ea etiam est *Sigast*, ex quo Tacitus et Strabo fecerunt Segestes: sed apud hunc quidem corrigo: Σεγεμουντές τε καὶ Σεγέστου υἱὸς Χηρούσκων ἡγεμών. Ad Arios redeo, quos et *Arudos* nominavere, &c.* *Colerus.*

Helveconas] Video Mutium suo exemplari deprompsisse, *Helvetianos*, vitiosissime. Bartolinus *Eluones* legerat, quocunque libro usus fuerit. *Et nimium pugna sævos Eluonas equestri.* Ego probem magis *Eluingonas*, &c. * Idem.

Manimos] Mutius protulit *Mannumos*. Lazius vero ex eodem Cornelio: *Manymos*. Equidem nihil hic diffindere possum, ut cum Trebatio illo Horatiano loquar. Tantum dico nomina illa, quæ in Annalibus antiquis Germanorum leguntur *Mainbart*, *Mainingen*, *Mainfrid* arguere auctores aliquos populos *Mainos*. Quid ego de *Mainsfeld* veteri Saxoniæ castello et postea comitatu dicam? *Idem.*

Elysios] Cogitandum an *Selisios* aut *Slesios* fortassis hic potius scribendum sit: nam hæ gentes mihi videntur ad Danubium vergere. Est autem hodie *Slesiorum* populus insignis, unde nobis C. Ursinus Velius prodiit Musarum alumnus, et alii complusculi literarum studiis celebres. *Rhenanus.* Mutius legit; *Helisios.* Bartolinus *Lysios.* In Elysios docti viri consentiunt, &c. * Taciti *Elysios* significat. Quod si aliquis *Sluisos* potius fuisse quam *Saislos* velit, non repugnem. Nam ex *Sluisiis* vel *Sluisis* postea molliori, vel potius Latiniori, vocabulo procudere nobis *Silesios*. Si horum aliqua per Turingiam migratio contigisset, possemus ab iis apte opidi Franconici *Sluisingæ* appellationem repetere. Non ovum ovo magis simile. *Idem.*

Naharvalos] Ita reliqui omnes, qui ex Tacito hausere. *Maharuanis* tamen ego locum hic dederim. * *Marahenses* et *Margenses*. Maharuali tamen si apud Tacitum retinendi, erunt dicti ut *Westuali*, *Taiuali*, qui vulgo *Westfali* et *Taifali*. Idem.

Interpretatione Romana] Ita Ven. ac Bon. Vulgo, *Romani*. Pichena. Veneta edit. *interpretatione Romana*, concinnius. *Idem.*

Ad prælia noctes] Videndum, num sint hi populi, qui postea *Abotriti*, scriptoribus satis celebrati. Argumentum præbet ipsa nominis ratio. Germanice enim *Abentritter* est, eques vespertinus sive nocturnus. Similis moris pugnandi studiosi fuere Basylienses Africæ populi, de quibus apud Stobæum Nicolaus Damascenus. *Idem.* Lego, *Nigro scuta et tincta corpora;* dein, *noxium ac velut infernum.* Barthius.

Trans Lygios Gothones regnantur] Inter mediterraneas aut littorales gentes, quum Langobardos tum Gothones annumerat Tacitus. Sed mirum an ab his insulares olim, an ab insularibus hi ante prodierint. *Rhenanus.* * Lentuli victoria et triumphus, de quo Tacitus. Unde idem *paulo addictius* eos *regnare* quam ceteras Germanorum gentes ait: quia scilicet jam aliquam jugi Romani partem subierant. *Colerus.* Male, nam *regnantur* (inquit, non *regnant*) *adductius*, id est, adductioribus habenis, minori specie libertatis et majore solutioreque potestate regia. *Gronov.*

Gothones] Alias et *Guttones*, *Gottones Gythonesque* nuncupantur Plinio, Straboni, Ptolemæo; scriptoribus posteriorum seculorum *Gothi. Getarum* autem proprie gens alia. De originibus Gothorum Jornandes, non nimium vere tamen. Fide digniora, quæ Hod. II. 3. exponit hanc in rem Cl. Olearius. *Kirchmaier.*

Paullo jam addictius] Bambergens. et Rom. *adductius*, etiam recte; et dixi de eo verbo supra. *Lipsius.*

Paulo jam adductius] Vulgo, *addictius:* at ex iisdem libris magis placuit, *adductius;* ac Lipsio probatur. *Pichena.*

Quam ceteræ Germanorum] Thucydides de Græcis l. I. καὶ ξυνήθη τὴν δίαιταν μέθ' ὅπλων ἐποιήσαντο, ὥσπερ οἱ Βάρβαροι. *Colerus.*

Rugii] Fuere hi olim strenui Milesii proximi Quadis. Fuere genera eorum *Etelrugi et Turcilingi.* Sed hi a Theodorico, quem nostri Bernensem vocant, penitus absumti. Rex eorum erat tunc Ottocarus. Hodie parvam insulam colunt, non ita pridem ad eam fortunam redacti Rugii. Helmoldus lib. I. 'altera insula longe major est, contra Wiltzos posita, quam incolunt Rani, qui et Rugiani, gens fortissima Sclavorum, qui soli regem habent.' Vox *Rugiorum* est Germanica et significat quietos. Nam *Ruga* quies est. Cedrenus et Zonaras non dubitarunt hanc vocem e patria nostra usque arcessere, eaque emeritorum stipendia, quietæque vitæ subsidia, appellitare nimirum Ῥωγάς. Simile vocabulum Germanicum legas apud Nicetam Choniatem. De cohorte loquitur: ἦν Ῥοῦσαν ὀνόμαζον, inquit. Non ignotum quid apud Germanos *Rotta* sit. *Idem.* Est amnis *Roege* vulgo dictus ibi, a quo denominatos *Rugios* existimat Cluverius, sed posteris temporibus *Rugiorum* intra insulam istam et insulanos contractum nomen. *Kirchmaier.*

Lemovii] Mutius *Lemones* citat. * Scribit Helmoldus: 'hi quatuor populi a fortitudine Wiltzi, sive Lutici appellantur: ultra illos sunt Linguones et Warnavi.' Et alibi: 'porro illi Sclavi sunt dicti Livi, sive Linoges.' Saxo Grammaticus lib. VIII. 'Nam Sclavi ac Livi Saxonumque septem millia.' Lego: *nam Sclavi ac Luini.* Et apud Helmoldum profecto legendum videtur: *Lini* sive *Linones:* seu potius ad priscam Germanorum pronuntiationem *Luini.* Dithmarus lib. VI. 'in civitate Bernhardi Ducis Luinberg.' Satin' manifestum dictam ab istis populis illustrissimam Domum Luneburgensem? Annales Fuldenses.* Leguntur inter gentium istarum Sclavicarum multas frequenter, *certa lini pondera*, ut apud Helmoldum et ceteros. Quod factum ob lini mercimonia et proventum uberiorem in istis regionibus. *Colerus.* Lemovio-

rum spatia constituunt magnam Cassubiæ partem et Pomeraniæ portionem juxta oppida *Lewenburg*, *Stolpen*, *Colberg*, &c. Lemovios ipsos Herulos, perpetuos et Rugiorum asseclas fuisse sententia Cluveriana docet. *Kirchmaier.*

Cap. 44. *Suionum hinc civitates, ipso in Occano*] *Saeones* alii vocant. Helmoldus: 'Dani siquidem ac Sueones, quos Normannos vocamus, septentrionale littus et omnes in eo obtinent insulas.' Sumpsit bonus vir de verbo ad verbum ab Eginhardo in vita Caroli. *Suetos* et *Suetiam* solet appellare Saxo Grammaticus. *Colerus.*

Eoque unus imperitat] Prudenter, ut omnia Tacitus in Agric. 'olim rebus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur: nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt.' *Colerus.*

Non precario jure parendi] Sic Hist. l. 1. dixit 'precarium seni imperium, et brevi transiturum.' In Agric. 'indecorus atque humilis, precario mox præfuit.' *Pichena.*

Otiosæ porro] Alia ratio, cur arma Sueonum sub custode, ne otiosæ armatorum manus in lasciviam et petulantiam verterent; puta in latrocinia ceteramque ferri licentiam. Thucydides, fons quidam ingenuus civilis et bellicæ prudentiæ, ita refert de plerisque Græcis: τό,τε σιδηροφορεῖσθαι τούτοις τοῖς ἠπειρώταις ἀπὸ τῆς παλαιᾶς λησστείας ἐμμεμένηκε. *Coler.*

Cap. 45. *In ortus edurat*] Non sperno pluralem vocem, *ortus:* mallem tamen *ortum*. Pichena. *Cadentis solis* hic non recte fit mentio: *cadere* enim sol dicitur in sphæra recta, aut saltem non admodum obliqua. At vero in septentrionali tractu non tantum juxta veterum hypothesin, sed etiam rei ipsius veritatem, sol circuit et lambit potius, quam subit, Horizontem. Recte igitur in libro veteri sic concipiuntur hæc verba: *quod extremum radens jam solis fulgor in ortus edurat, adeo clare, ut sidera hebetet.* Voss.

Sonum insuper emergentis audiri] Verbum, *emergentis*, a Ven. ac Bon. codicibus abest. Si vero retinendum sit, aut cum Lipsio legerim, *se mergentis*, aut potius, *mergentis*. Pichena. Lipsius rationem habuit, cur legeret: *se mergentis*. Sed potuit verius: *immergentis*. Colerus. Et vero illa cascæ fuit plebis persuasio, mergi solem cadentem, et hinc stridorem nasci, perinde ut fit, si quando candens ferrum aqua extinguitur. Sonus itaque fuerit non *emergentis*, sed *se mergentis*. Conringius. Nihil tritius ea formula poëtis, quam solem occasum Ponto Oceanove mergi; quorsum haud dubie respexit Tacitus. *Kirchmaier.*

Formasque Deorum] Quorum Deorum? nugæ. Nam de Sole tantum loquitur. Nullum a libris veteribus auxilium: itaque timidius legerim: *formasque equorum*. Apud Virgil. 'formas ululare luporum.' Superstitiosa gens equos Solis et capitis divini radios cernere se somniabat. *Colerus.* Non male suspicatur legendum *formasque equorum*, qui nempe crediti trahere Solis currum. *Conringius.* Affirmem juratus scripsisse Tacitum: *sonum insuper emergentis audiri, formas equorum et radios in capite aspici, persuasio adjicit.* Tan. Faber.

Illuc usque (et fama vera) tantum natura] Aiunt corruptum locum, si quem alium in his libris. At ego silentio transieram, ut purum et liquentem. Et sane est. Loquitur ut Physicus, &c. * Pedo Albinovanus, Carmine, quo Germanicum revocat ab Oceano: 'Dii revocant, RERUMQUE vetant cognoscere FINEM.' *Lips.*

Illuc usque et fama vera, tantam natura. Ergo jam dextro] Vere depravatus locus, neque ego medicinam affero, sed quandam divinationculam profero: quæ tamen a corruptorum verborum vestigiis non longe recedit.

Ea est: *illuc usque est fama: verum tantum tradita exponam. Dextro, &c.* quasi dicat: Sic aiunt, ego autem non affirmaverim, sed tantum quæ mihi tradita sunt, referam. Simile aliquid dixit, Ann. XI. 'Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.' *Pichena.* Locus corruptissimus. Pichena aliquam emendationem adornavit. Arbitrentur tamen acutiores an mea quoque emendatio ab amica magis Venere et Apolline veriore: *illuc usque et fama: verum tantum natura arguit. Jam dextro Suevici.* Illuc usque et famæ sua constitit fides et auctoritas, inquit: ipsum verum seu veritatem tantum natura arguit: quia qui ipsi viderint, præsertim Italici generis homines, haud ferme invenias. *Colerus.* Pichenæ et Coleri lectio et duri sensus est et multum valde a recepta abit. Num satis est, si ita leviter immutes: *Illuc usque fama vera, et tantum natura.* Vel, *Illuc usque ut fama fert, tantum natura.* Vel denique: *Illuc usque ut fama vera, tantum natura.* Conringius. Perperam vulgo scribitur. Scribe ex eodem libro: *Illuc usque, ut fama, non tamen natura.* Ait Oceano hoc glaciali terminari quidem famam, sed non rerum naturam; illam enim etiam ulterius extendi. *Is. Vossius.*

Estuorum gentes] Reposuimus, *Æstyorum gentes.* * Apparet autem in archetypo fuisse, *Æstuorum* pro *Æstyorum:* ex quo alius fecerit, *Estuorum:* nam *u* pro *y* veteres librarii ponebant. *Rhenanus.* Meminit harum Cassiodorus epist. I. 2. Eginhardus: 'at littus australe Sclavi et Aisti et aliæ diversæ nationes incolunt.' Saxo Grammaticus Estonum piraticæ gentis meminit aliquoties l. XIV. Et illo etiam versu l. VIII. 'Obtrivi Kyrios vel quos alit Estia gentes.' *Colerus.*

Omniumque tutela] Fortasse melius, *Omnique tutela.* Lipsius.

Succinum legunt] * scripsit *quondam.* Quod autem inscriptione ejus epistolæ est, 'Hæstis Theodericus rex,' e Tacito esset, *Æstyis,* qui appellat *Æstyorum gentes,* Succinum hoc legentes. *Idem.*

Quod ipsi Glesum vocant] * cum ibi plane legendum videatur *Austraviam.* Et alio loco, ubi *Austerania* scribitur. Austravia igitur Plinio, quæ vulgo *Austrau,* vel *Ostrau.* Inde Ostroviorum familia Polonica, ex profundo quodam antiquitatis emergit. Plinius idem scribit: 'Mithridates in Germaniæ litoribus esse insulam, vocarique eam Osericam.' Lego haud dubie: *Ostericam.* Germanis illis veteribus dictam non ambigo *Osterick,* quod alii *Osterich.* Colerus.

Succum tamen arborum] Non Romanorum tantum, sed nostrorum quoque plurimorum error, ex resinosis ac pinei generis arboribus lacrimarum instar destillare succum, cogique et densari in frusta marina aqua, impetuque fluctuum ac tempestatum in illa Baltici maris litora exturbari: populum, alnum, cedrum arbores eas statuebant. Hunc errorem confutavit Wigandus in vera succini historia. *Kirchm.*

Terrena quædam animalia] Martialis II. 9. 'Succina virginea, quod regelata manu.' Ita legendum, quod et Domitius animadverterat, non *relegata.* Idem verbi usurpavit in quandam vetulam vere Vetustinam l. III. epig. 93. Columella bis etiam usurpavit. Effecta autem succina illa, &c. * præcipue feminarum nobilium. Ingeniosissimus Poëta in Metamorphosi morem istum sui ævi significat l. II. 366. *Colerus.*

Ita Occidentis insulis] Non vanam esse hanc conjecturam, cognoscas etiam ex Diodoro Siculo v. 9. *Idem.*

Sitones] *Sintones,* vel *Sindi* Plinio, Melæ, Dionysio dicuntur. Scylax; μετὰ δὲ Μαιώτας Σιντοὶ ἔθνος. Dubito an iidem sint, qui in Annalibus priscis regum Francorum *Sindendi* nominan-

tur, qui in terra Nortmannorum trans fluvium Egiduram habitarunt. *Idem.*

Quod fœmina dominatur] Alii idem de Sarmatis scripsere, sed non de omnibus. Illi adeo γυναικοκρατούμενοι dicti. *Idem.*

Non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant] Fortasse recte Pichena. Ego tamen ambigebam mecum an non scripsisset Tacitus: *non modo a libertate, sed etiam in servitute degenerant.* Gronovius.

CAP. 46. *Peucinorum*] Si sunt iidem cum Bastarnis, caussæ non est, quin Germanos fuisse credamus. Sic enim Strabo: Σχεδόντε καὶ αὐτοὶ τοῦ Γερμανικοῦ γένους ὄντες, εἰς πλείω φύλα διῃρημένου. Peucini autem isti dicti a Peuce insula. Dio tamen Cassius Bastarnas Scythicæ originis facit l. XXXVIII. Et Plinius l. IV. 'Ex adverso Bastarnæ tenent Italique, inde Germani.' *Colerus.*

Venedorum] Eorum mentio quoque fit Plinio. *Rhenan.** Unde apud Strabonem l. IV. Οὐένδον civitas. In mendo est Martiani locus in Periplo Sarmatiæ: οὗτοι δὲ οἱ ποταμοὶ εἰς τὸν Οὐενδικὸν κόλπον. Scribendum enim, Οὐενδικὸν κόλπον. Loquitur aperte de sinu Venedico: cujus et infra sic meminit: Τόντε Οὐενδικὸν τὸν εἰρημένον κόλπον καὶ ἄλλους τρεῖς. *Colerus.*

Et Ferninorum nationes] Castigavimus, *et Fennorum nationes.* Rhenan.

Procerum connubiis mixtis] Conjicio sic fuisse scriptum, *Cæterum connubiis mixtis, &c.* Rhenanus. Muretus *ceterum* vicem τοῦ *procerum.* Ego distinctionem muto saltem: *torpor procerum. Connubiis mixtis, &c.* Eaque vera omnino lectio. *Acidal.*

Scuta gestant] Quæ Sarmatis nulla, ut alibi docui ex Tacito. Strabo tamen Γερροφόρους indigitavit. Caussam hic nolo repetere. *Colerus.*

Securi adversus homines, securi adversus Deos] Nulla cura est, ne quis auferat res, cum nihil habeant. Vere enim apud Euripidem: δειλὸν θ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν. Cum nullos agros possideant, nullam metuunt tempestatem aut calamitatem. Nihil enim aliud ὁ βίος γεωργικὸς, quam secundum alium veterem quendam Poëtam: ταῖς ἐλπίσιν τ' ἀλγεινὰ παραμυθούμενος. Hæc obscurioris loci clara sententia. De Hellusiis et Oxionibus operæ non est anxie me inquirere, ut fabulosis: qui veris ac necessariis fortasse nimio plus impendi verborum. *Colerus.*

Ut illis ne voto quidem opus esset] Scripsimus, *opus sit*: nam vetus editio cum qua nostram conferebamus, manifeste habebat, *ut.* Quid si Tacitus scripsit, *ut illis ne voto quidem opus. Sed, &c.* Rhenanus.

JULII AGRICOLÆ VITA.

HUNC libellum quo soceri sui Julii Agricolæ vitam posteritati tradidit, non esse subditicium, ipsa phrasis est argumento; vere Lydius lapis, quod dicitur, in hoc probandi genere. Scripsit autem senex. Nobis defuit exemplar vetus ad quod conferremus. Itaque vulgatam editionem, quando

aliud non dabatur, diligenter percurri, meoque Marte quædam errata deprehendi. Monui nonnulla; quædam tantum indico, lectori judicium relinquens: id fit in ambiguis. Sunt et quæ exponuntur, obscuriora videlicet. *Rhenan.*

Cap. 1. *Vicit ac supergressa est vitium*] Cur non potius? *vicit ac supergressa est vitia.* Meo judicio vult, *quotiens magna aliqua, ac nobilis virtus vicit vitium, ignorantiam recti* scilicet: *ac supergressa est vitium*, quod? *invidiam.* Quo loco quis non miretur ἀμίμητον (non pudet dicere) verborum proprietatem. *Vicit*, inquit, *ignorantiam recti:* Est enim ignorantia 'Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.' Quod arte vincendum est, et Marte. Arte, id est, industria, labore, vigilantia, sudore, et algore: Marte, nempe lacessendo, luctando, pugnando, expugnando. Addit auctor: 'Supergressa est invidiam.' Pulchre *supergressa:* vincit enim virtus invidiam, non sanguine, non cæde, ut ita dicam, sed ascensu, et sui quasi quadam elatione: superat cum supergreditur, tropæum, cum etiam non pugnat, pangit, et θριαμβεύει φθόνον χωρὶς φόνου. *Barclaius.*

Vitium parvis magnisque civitatibus] Si credimus Plutarcho, παντὶ δήμῳ τὸ κακόηθες καὶ τὸ φιλαίτιον ἔνεστι πρὸς τοὺς πολιτευομένους. Estque adeo δῆμος, ἀχάριτον, ἀψίκορον, ὠμὸν, βάσκανον, ἀπαίδευτον, ut Soerati ingerit Axiochus. *Virdungus.*

Ignorantiam recti et invidiam] Ut ad exile objectum hebet æger oculus, sic minutas virtutes non capit triviale ingenium. Illic compactior quicquid materies crassiusculum fecit, ipsa sui mole ferit sensum; hic fatum idem est mentis ex viliori luto confictæ. Jam vero simulac ignorationis latebras egressa est virtus, protinus invidiæ occurrit. In fastigio perfectionis constituta, ut directos jaciens radios Sol umbram fugat, illa quoque odium et invidiam discutit. *Savil.*

Sine gratia aut ambitione] In hanc sententiam acute admodum, suo more, hic ipse Tacit. Ann. II. 'Sed veteris reip. prospera et adversa claris scriptoribus memorata sunt, temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur.' Lego, *detenerentur:* ne viri docti diutius dimicent περὶ ῥωτακισμοῦ. Veteres autem *deteneo* dixisse, non detineo, testantur versus hi Propert. eleg. III. 1. 'Orphea detenuisse feras, et concita dicunt Flumina Threicia detenuisse lyra.' Velim *ambitionem* pro sordibus hic capias, non pro cupidine honoris, qui pretium non esset, sed incentivum scriptionis. Ann. XIV. 'dilectumque militarem pretio, et ambitione corruptum.' Festus ubi de ambitu: 'eodem vocabulo crimen avaritiæ, vel adfectati honoris appellatur.' *Barclaius.*

Suam ipsi vitam narrare] Vide de his judicium Ciceronis lib. v. famil. epist. 12. ad Lucceium. *Virdung.*

Ni cursaturus tam sæva] Hic inprimis scribe *incursaturus*, et clausulam, aut quæsitive sic lege, *incursaturus tam sæva et infesta virtutibus tempora?* aut, quod mihi simplicius videtur, hoc modo, *ni incursaturus tam sæva et infesta virt. tempora.* Nunc apte cohærent quæ sequuntur, 'Legimus quum Arul.' Sensus est, Non petissem veniam, ni cogerer incidere in Domitiani tempora, ac referre, quæ illius tyranni principatu contigere, quum omnis honestas exularet Roma. *Rhenanus.* Suspectum omnibus verbum, *cursaturus.* Sed in eo veteres omnes codices consentiunt. Rhenanum deinde omnes vulgati secuti sunt. Mihi neque verbum, *incursare*, hoc ipsum videtur exprimere, neque in Rhenani sententia ullam vim esse. Nam quæ causa veniæ opus erat ei, qui tantum dicat, se in sæva tempora scribendo

incidere debere? Sane unusquisque potest adulatorie, et citra obtrectationem, tempora cujuslibet sævi principis memorare. Ceterum, aut Rhenani verbum, *incursare*, interpretandum est, boum vel arietum more, hoc est, impetere, vel incessere; aut certe legendum, ut Lipsius dubitat, *ni incusaturus*. Excusatio enim, ac venia proprie convenit ei, qui vitia moresque hominum incusaturus est, ac scripta sua maledictis implere cogitat cogiturque: nam viventes posterique aliena malefacta sibi objectari putant. Veniam autem petebat, &c. * *Pichena.* Μεταφορικῶς tu viros insignes Trajano imperante laudare times? an ille (ut Domitianus) in eorum celebratores sævire solitus? igitur, 'tam sæva et infesta virtutibus tempora,' suggillant imperium Domitiani: verum quonam pacto Cornelio ejusmodi sub Trajano scribenti, timori esse poterat immanis sævitia Domitiani? Audi: noster se dignum venia dicit, quod ad id locorum distulerit scriptionem soceri vita functi: *at mihi nunc narraturo.* Vis enim in τῷ *nunc:* Mihi vitio (inquit) ne vertatis si Agricolæ gesta non composui statim atque is vita cessit: nam tunc deterrebar inmiti illo ingenio Domitiani, quo pessundati sunt Rusticus et Senecio, Thraseæ Priscique Helvidii laudatores. *Saliner.* Stigmatiam locum fecerunt, nec est integer fortasse: videri tamen poterit, si *incusaturus* una litera detracta scribamus: nihil enim sunt sequentia nisi incusatio et insectatio superiorum temporum cum præsentium comparatione. Et in hoc saltem veniam se petisse, eaque sibi opus fuisse ait, ut occasionem haberet insectandi priora tempora, quibus quod nunc liceat, non licuerit. Videtur et hoc confieri ex iis ad finem præfatiunculæ: 'Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis, ac testimonia præsentium bonorum composuisse.' *Acidal.*

Sæva et infesta virtutibus] Habuit in animo locum ex Oratore Ciceronis, ubi ille, Catonis mentione injecta, 'Itaque hos,' inquit, 'sum aggressus statim Catone absoluto, quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti.' *Virdung.*

Cap. 2. *Legimus quum Aruleno Rustico*] Hoc est, ab Aruleno Rustico, et Her. Senecione. Optimus senator fuit Pætus Thrasea liberrimæ linguæ. Vitam hujus conscripsit Jun. Arulenus Rusticus, pulsus in exilium ea de causa. Helvidius Priscus Tacito non vulgariter laudatus initio l. iv. hist. gener Thraseæ extitit, ob cujus laudationem Herennius Senecio capitis pœnam luit sub Domitiano, libris utrorumque exustis. Ejus Senecionis in fine quoque hujus libelli mentionem facit. Ubi plura dicemus. *Rhenan.* Thrasea obtruncatus a Nerone, Tac. Ann. xvi. &c. * *Savill.* Ἐνεστώς: Nos scil. qui nunc sub Trajano vitam degimus, quibusque tandem legere licet flagitia Domitiani: jam enim aureum illud seculum advenerat: 'ubi sentire quæ velis, et quæ sentias dicere licet.' Nec de se tantum hæc Cornelius dicit, (ut voluit doctiss. vir) sed de aliis etiam, qui ea non videre. At mentio Senecionis me admonet, ne corruptum sinam elegantissimum Plinii locum Epist. i. 5. 'Lacerat [loquitur de M. Regulo] Herennium Senecionem tam intemperanter quidem, ut ei dixerit Metius Carus, Quid tibi cum meis mortuis?' ad quæ non adspiravit Claudius Minoës vir apprime doctus, ibique legit *cum eis mortuis:* sive, *cum mortuis.* Subfrigide, pace hominis dixerim, cum vulgatis lenocinetur acritas non invenusta. Carus delatione Senecionem præter modum lacerabat: cujusmodi autem insectationem fuisse dicemus, quæ ita Metio nimia visa est, ut eum talibus carpere coactus sit? 'Quid tibi cum meis mortuis?' *Salin.*

In Comitio ac foro] * Plin. xv. 18. ‘ Colitur ficus arbor in foro ipso ac Comitio et Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis.’ Quid dico ficum in foro? Plinius ipse dicit ‘ in foro ac Comitio.’ Res probata est. Addo Cic. ad Att. iv. 3. non obscure, quod assertum volumus, confirmare: ‘ Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur: nihil esse quod in campum nocte veniretur: se hora prima in Comitium. Milo de nocte venit.’ Venit in Comitium, atque adeo in forum: postulaverat enim Metellus, ut in foro sibi obnuntiaretur. Præter hæc, solent in optimis scriptoribus, nescio qua quasi cognatione, hæc duo non rarenter jungi, *forum et Comitium*. Tullius in Verrem, et alibi non semel. Suet. Jul. 10. ‘ ædilis præter Comitium ac forum,’ &c. Item Tacitus hoc loco et Plinius loco jam adducto. Jam Comitii quis usus? Varro 4. de L. L. &c.* Plaut. Pœn. iii. 2. 7. &c. * Comitium ergo locus in foro est, et is locus, in quo lites, ut ille ait, discingebantur. Libros vero combustos narrat hic Auctor *in Comitio ac foro*, sermonis quodam impulsu vehementioris. Docet me Suetonius publicasse Octavium Aug. ‘ Anguem quinquaginta cubitorum pro Comitio:’ et Domitianum jussisse stupratores Vestalium ‘ Virgis in Comitio ad necem cædi.’ Et isthæc nolui nescires, lector. *Barclaius.*

Aboleri arbitrabantur] Rescribo, *arbitrabatur*. Quis vero? Domitianus. Sermo enim totus de illo est. *Idem.*

Expulsis insuper sapientiæ professoribus] Nam propter Pætum Thraseam et Helvidium Priscum laudatos, istius criminis occasione Philosophos omnes urbe Italiaque summovit Domitianus, auctore Suetonio. *Rhenan.* Xiphilinus: Ῥούστικον Ἀρουλῖνον ἀπέκτεινεν ὅτι ἐφιλοσόφει, καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ὠνόμαζε· καὶ Ἐρέννιον Σενεκίωνα ὅτι τοῦ Πρίσκου τοῦ Ἑλουιδίου τὸν βίον συνέγραψεν· ἄλλοι τε ἐκ τῆς αὐτῆς ταύτης κατὰ Φιλοσοφίαν αἰτίας συχνοὶ διώλοντο, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἐξηλάθησαν αὖθις ἐκ τῆς Ῥώμης: i. *Nero Arul. Rusticum interemit, quod operam daret Philosophiæ, et Thraseam appellaret virum sanctum: e medio quoque sustulit Her. Senecionem, quod literis mandasset vitam Helvidii Prisci. Plures insuper alios perdidit idem Philosophiæ studium; et quotquot illud profitebantur Urbe pulsi.* Savill. In hanc rem exstat Sulpiciæ veteris saporis Satyra, de qua Sulpicia Martialis x. 35. *Barclaius.*

Et loquendi commercio] Malo, *etiam loquendi.* Lipsius.

Et loquendi audiendique commercio] Lipsius pro *et*, mavult *etiam;* quasi non idem et illud valeat. *Acidal.*

Oblirisci quam tacere] Tritum est, quod de Themistocle narrat Plutarchus in ejus vita, et ante eum Cicero in 2. de Oratore. *Barclaius.*

Cap. 3. *Augeatque quotidie facilitatem*] Arrianus in Epict. iii. 13. ὁρᾶτε γὰρ ὅτι εἰρήνην μεγάλην ὁ Καῖσαρ ἡμῖν δοκεῖ παρέχειν, ὅτι οὔκ εἰσιν οὐκέτι πόλεμοι, οὐδὲ μάχαι, οὐδὲ λῃστήρια μεγάλα, οὐδὲ πειρατικά· ἀλλ' ἔξεστι πάσῃ ὥρῃ ὁδεύειν πλὴν ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμάς. *Colerus.* Ne hic quidem cum Lipsio mutandum *felicitatem:* quanquam ipse denique fatetur, aptum et illud ad scriptoris mentem. Illud vero aptum, sed non etiam alterum. *Facilitatem imperii* scripsit, quia de mistione principatus ac libertatis præmiserat. *Acidal.* Vide, si lubet, quæ notavimus ad Livii xxiii. 11. *Gronov.*

Facilitatem imperii] Anne, *felicitatem imperii?* tametsi vulgatum quoque aptum ad scriptoris mentem. *Lipsius.*

Nec spem modo, ac votum securitas publica] Loci hujus vim, neutiquam adsequetur qui non consuluit marmora, quorum literas produximus Inscriptionum pag. cv. 5. et cvi. 6. Sed inprimis antiqua visentur numis-

mata. *Gruter.*

Per quindecim annos] * Ausonius: 'Te dominante Tito cingit nova laurea Janum, Quindecies sævus, potitur dum frater habenis.' *Barclaius.* Simillima huic querelæ in Plinii epistola ad Aristionem l. VIII. *Virdungus.*

Multi fortuitis casibus] Vulgati hic confusi, nec sani: nos ab ingenio restituimus, ut pleraque alia in hoc libello, quem non invenimus in illis manuscriptis, etsi germanissimum Taciti fœtum. *Lipsius.*

Promptissimus quisque] Hoc est, ut quisque magis in promptu virtutem habuit. Tales enim tyrannis sunt formidolosi, ideoque e medio tolluntur. *Virdungus.*

Pauci et uti dixerim] Lego, *pauci, ut ita dixerim.* Rhenan.

Nostri superstites sumus] Sedulius l. III. carm. de Lazaro suscitato: 'Ipse sibi moriens, et postumus extat et hæres.' Et de eodem in hymno: 'Cunctisque liber vinculis, Factus superstes est sibi.' *Pichena.*

Memoriam prioris servitutis] Correximus vere: cum in libris esset, *prioribus senectutis:* nisi quod Venetus, *prioris.* At non de senectute sua Tacitus, sed de priorum temporum servitute clare loquitur, et præsentium sub Nerva felicitate. *Lipsius.*

Memoriam prioris senectutis] Intelligit primam senectutem, hoc est, crudam et viridem. Nam præcedit, *prope ad ipsos exactæ ætatis terminos p. s. venimus.* Ergo senex hunc libellum conscripsit. *Rhenanus.* V. c. habet *prioris servitutis.* Ursinus. Agricolæ vita Cornelio componitur, dum Trajanus orbem Rom. moderabatur: 'Augeatque,' &c. Eique prima elucubratio fuit post cædem Domitiani: 'Non tamen,' &c. Ita tempore prior annalibus et historiis: historiæ enim a Titi morte usque ad id loci quo vitam soceri concinnat, elaboratæ non fuerunt; partim Domitiani timore: 'Quid si per quindecim,' &c. partim desidia desuetudineque scribendi: 'subit quippe,' &c. Ante præfata tempora multo minus: clarum ex terminis, quos sibi noster in prima historia præfinivit. 'Mihi Galba,' &c. idque per initia Trajani: 'principatum Divi Nervæ et imperium Trajani.' Eo cum opus aggreditur Nerva jam Divus dicebatur. Annales vero historiis posteriores habentur, Annal. II. 2. Nunc quid hæc sibi volunt, 'memoriam prioris senectutis?' Trajano jam regnante (Cornelius ait) mihi prima spatia senectutis ingredienti fixum erat literis consignare imperium Galbæ, cæteraque usque ad eam ætatem: quæ omnia prius metu Domitiani, deinde inertia subrepente scribere supersedi. At *memoriam* respicit Nervam, Domitianum, Titum, Vespasianum, Vitellium, Othonem, et Galbam: *testimonium* autem Trajanum, cujus bonitatis nunc Tacitus potiebatur. Dixi Cornelium vix tunc senem fuisse; hæc suasere, 'quibus juvenem ad senectutem:' nam sequentia, 'senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos venimus,' ad eum referri minime possunt, qui sub Trajano decrepitus non erat: 'Quod si vita suppeditet, principatum Divi Nervæ et imperium Trajani uberiorem securioremque materiam senectuti seposui.' Sed quid iis immoramur? facile probatur ex collectione doctissimi viri Tacitum primam tunc senectutem ingressum, maxime addita ætatis definitione, quam Servio Tullio debemus. Gell. X. 29. 'eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellari.' Oritur enim Cornelius extremo anno Claudii, socerum laudat jam cognito Trajani imperatoris ingenio, scil. anno minimum ejus imperii secundo: 'Augeatque quotidie,' &c. Numerum igitur judices eum tunc minorem non fuisse annis 46. Ad ultimum doctissimus vir hic intrusit, *prioris servitutis;* sed liberis

de eo quæsierim, servitusne fuerit imperium Nervæ, Vespasiani, Titi, quos omnes posteritati noster commendavit. *Saliner.* Hunc locum aliquot ante annos a morte revocavit litterarum vita, litteratorum lumen columenque Justus Lipsius, cujus tempore nasci, longe mihi largius beneficium, quam nasci fuit. Per *memoriam prioris servitutis* videtur Tacitus Savillio, Anglorum, si quid video, litteratissimo, libros historiarum intelligere. Addo et ego Annales (fortasse commode), nam et Tiberio non minus serviit princeps ille populus, quam Domitiano. ‘ Testimonium præsentium bonorum,’ Savillius interpretatur librum de Nerva et de Trajano; quem concepit solum Tacitus, nunquam peperit. Præfatione ad historias: ‘ quod si vita suppeditet, principatum D. Nervæ et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam senectuti seposui.’ *Barclaius.*

Cap. 4. *Forojuliensium*] Hujus nominis oppidum a Julio Cæsare conditum, cum Gallias proconsul obtinuit, supra Aquileiam, Septentrionem versus, inter montes ad Natisonem situm, quod Φόρος Ἰούλιος Ptolemæo, *Castrum Juliense* Paulo Diacono dicitur; hodie *civita d'Austria.* Ab eo universæ regioni nomen, Italis *Friuli*, nostris *Frioul.* Venetis aliisque *Patria* nuncupata, ab ortu Istriam, ab Aquilone montes Iapideos contingit: qua occasus, Alpes Vindelicæ Noricæque, qua auster sinus Hadriaticus fluunt. Verum Agricolæ *Forum Julii* Galliæ Narbonensis est celebre oppidum, eodem procul dubio conditore, cujus mentio in quadam Planci epistola ad Ciceronem. Hæc etiam Φόρος Ἰούλιος *Commonorum* Ptolemæo, *Octavanorum colonia*, quæ *Pacensis* appellatur et *Classica* Plinio nat. hist. III. 4. Straboni inter Olbia et Antipolim, a Massilia stadiis circiter sexcentis, quæ sunt milliaria Germanica viginti præterpropter. *Forojuls* hodie incolis. Adeundus Sigonius lib. III. de antiquo jure Italiæ cap. ult. *Virdungus.*

Avum procuratorem] De officio et jure procuratorum, remitto lectores ad ea quæ distincte ac diligenter docuit Lipsius ad Ann. XII. 60. *Pichena.*

Equestris nobilitas] Improprie, aut certe non pro more ævi prioris, locutus est. Nobilitas enim non nisi ex imaginibus: imagines autem e magistratu curuli. Consule Lipsium Elector. I. 1. Neque tamen semper equites a Cæsaribus procuratores in provincias, immo et plerumque liberti, ut ex historia Augusta constat. *Virdungus.*

Græcinus] Arbitror esse eundem, cujus auctoritate sæpius utitur Columella in libris de Re Rustica. Seneca de benef. l. II. 21. ‘ Si exemplo magni animi opus est, utemur Græcini Julii viri egregii, quem C. Cæsar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam Tyranno expediret.’ *Savill.*

M. Silanum accusare] * Meminit ejusdem et noster Annal. l. III. cum elogio insignis nobilitatis et eloquentiæ, quibus præcelluerit. Male autem hunc M. Silanum cum Junio Silano, quem idem noster l. XIII. a C. Cæsare pecudem auream propter segnitiem appellatum scribit, confundit ibidem Dio. *Virdungus.*

Et quia abnuerat] Potes commode delere τὸ *et.* Acidal.

Mater Julia Procilla] * *Procilla* docte nominatur. Prænomina vero tam fœminarum quam virorum modo præponere, modo postponere, Romanis scriptoribus satis est familiare. Quamquam, meo animo, id fieri in titulis librorum decorum ipsum vetare videatur Unde subodoror non novum vitium in ipsa fronte Pap. Statii. Omnes enim libri, et prælo cusi et calamo exarati, inscribuntur *P. Statii Papinii, &c.* ubi nomina mu-

tatis sedibus collocantur: rescribendus in omnibus exemplaribus est titulus *P. Papinii Statii.* Invenio nomen *Proculi* (sicut pleraque alia Romanorum) transductum in cognomen, sed in cognomen gentis Juliæ. Mart. l. xi. 37. 'Caius ut fiat Julius et Proculus.' Tot enim cyathos exhauriri voluit, quod erant litteræ in tribus nominibus C. Julii Proculi. Tacit. Hist. i. Licinium quendam *Proculum* lectum Prætorii alterum præfectum narrat: quo loco, sitne *Proculus* prænomen, an cognomen, relinquo curiosis discutiendum. *Barclaius.*

In hujus sinu] Actor de causis cor. eloq. 'non in cella emptæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur.' *Virdungus.*

Massiliam habuerit] Ita libri veteres. Vulgo, *habuerat*. Pichena. L. Antonius 'in eam civitatem sepositus ab Augusto, specie studiorum nomen exsilii tegebat,' Annal. l. iv. *Boxhorn.*

Provinciali parcimonia] De hac Ann. l. iii. ubi simul cum hominibus novis e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum adsumptis parcimoniam Romæ inlatam disertim prodit. *Boxhorn.*

Acrius ultra quam] Nihil verius, quam legi, *utraque*, cum copula. *Lips.*

Studium Philosophiæ ac Juris, ultra quam concessum Romano] Pichena acute quidem, *Philosophiæ ac juris.* Non existimo tamen vitio datum cuiquam Rom. ac senatori, si studio juris etiam acrius invigilasset. Et si ex animi sententia mihi pronunciandum sit, de solo Philosophiæ studio Tacitum loqui ausim adfirmare. Itaque Lipsii correctio nullo modo spernenda: ipse Tacitus infra ignorantiam illam Jurisprudentiæ subtilioris ita excusat cap. 9. 'Credunt plerique.' Calliditatem illam forensem ita perstringit Martialis l. xi. ad Priscum: 'Illam judiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium.' Spartianus de Salvio Juliano: 'his consul, præfectus Urbi, et Jurisconsultus, quod magis eum nobilem fecit.' *Colerus.* Velim ista considerent, qui ducunt nobilitatem per avia argutiarum: quique Philosophiam tanquam Minotaurum in Labyrinthum subtilitatum aliquot compingunt, ex quo nec ipse sese expediat Dædalus: 'Faciuntne intelligendo ut nihil intelligant?' Profecto faciunt. Et male philosophantur, qui ad remp. nec accedunt, nec mittunt. Plane simile est, quod narrat Suet. Ner. 52. 'a Philosophia eum mater avertit, monens imperatis contrariam esse.' *Barclaius.* Haudquaquam arguerim τὸ *acrius* aut mutaverim: est enim *studium acrius*, interius, subtilius, vehementius: et vocabulum ea in re amatum antiquis. Cicero ii. de Orat. 'quisquam summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur.' Trogus de Alexandro: 'Puer acerrimis literarum studiis eruditus fuit.' Auctor dialogi: 'acerrima et facundissima eorum studia.' Vita Persii: 'doctissimorum et sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium.' *Gronov.*

Retinuitque] Intellige, non solum frenasse Agricolam, coërcente matre, immodicam discendi cupiditatem, sed etiam provecta jam ætate, abstinuisse ab ostentatione eorum, quæ didicerat. Id clarius infra: 'frustra studia fori, et civilium artium decus in silentium acta.' Cujus cautæ moderationis præcipua causa fuit, infensus virtutibus Princeps, et majus periculum ex magna fama, quam ex mala: ut sæpe in hoc ipso libello testatur et execratur auctor. Simile quiddam Seneca epist. civ. 'Quid autem ipsam Philosophiam? non debebis jactare; multis fuit periculi causa insolenter jactata: licet sapere sine pompa, sine invidia.' *Pichena.* Imo hoc vult, non omnia scire Agri-

colam voluisse, quia omnia scire non expediebat, et modum sapientiæ intra usum ejus constringendum existimabat. *Boxhorn.*

Quod est difficillimum] Quasi a recenti lectione Ciceronis caluisset, 2. Tuscul. ‘ Difficile est in philosophia panca esse ei nota, cui non sint aut pleraque aut omnia : nam nec pauca nisi e multis elui possunt; nec qui pauca percepit, non idem reliquo eodem studio persequitur.’ Et 1. de finib. ‘ Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coërceri reprimique non potest: ut propemodum justioribus utimur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam iis, qui rebus infinitis modum constituant, in reque eo meliore, quo major sit, mediocritatem desiderant.’ *Virdungus.*

Cap. 5. *Suetonio Paullino*] Meminit hujus præter alios noster diversis locis, in primis Ann. xiv. 19. cujus et elogium vide Hist. ii. 25. et 31. Adi et Dionem l. lx. et initio l. lxiii. ubi Coss. Suetoninm Paulinum et Pontium Telesinum ponit a. u. c. 819. Sed et apud Plinium nat. h. v. 1. expeditionis ejus in Mauros et superati ab eodem primo Romanorum Atlantis montis fit mentio. *Virdungus.*

Et commeatus] Hoc est, ut posset abesse et vagari. *Rhenan.* Per *commeatus* forsan intelligit luxum epularum. Sed *voluptatum* nomine id jam videtur complexus. *Commeatus* igitur hoc loco sint promiscuæ et non necessariæ, tanquam ad petendos commeatus, militum excursiones. Quas cum sæpe permitterent militiæ præfecti, sæpe peccabant. Annal. xv. ‘ Legiones promiscuis militum commeatibus infirmaverat.’ *Boxhorn.* Jejune et imperite : nam *commeatus* utrisque nihil est aliud quam venia et jus absentiæ a signis concessæ ducum, per causam quamcunque. Sic et i. Histor. ‘ Pars manipuli sparsa per commeatus.’ Donato ad Hecyram Terentii, ‘ Commeatus est ex aliqua commoratione temporalis abscessus.’ Cicero l. v. in Verrem : ‘ qui propter gravem morbum oculorum tum non navigarit, et jussu ejus, qui potestatem habuit, in commeatu Syracusis remanserit.’ Vegetius, et leges constitutionesque Romanæ passim. *Gronovius.*

Titulum Tribunatus] Vide Lipsium de Militia Romana, Dial. ii. 9. ubi plane de tribunis et tribunatus honore. *Virdungus.*

Nihil appetere jactationem] Forte leg. *nihil appetere jactatione.* Rhenan. Ex v. c. legendum : *Nihil appetere in jactationem.* Ursinus. Vulgo, *ob jactationem.* At quoniam a veteribus abest particula, *ob ;* Rhenano assensi, qui legit, *jactatione*, et Lipsio probatur. *Pichena.* Venetam ego lectionem optimam putem, *in jactationem.* Sic postea : ‘ copiis instruxit in spem magis, quam ob formidinem.’ *Acidal.*

Anxius et intentus] Huc pertinet illud Ennianum : ‘ At Romanus homo, tamenetsi res bene gesta est, Corde suo trepidat.’ *Virdungus.*

Non sane alias exercitatior] Non convenit, *exercitatior ;* magis *exercitior :* quomodo Tacitus certe scripsit. Neque enim fugit ejusmodi flexus vocum, sed amat. Hist. l. iv. ‘ Nunquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior.’ Jam quid inter *exercitatum* et *exercitum* sit, pueri septennes sciunt. *Acid.*

Incensæ coloniæ] Coloniam unicam deletam reperio Camalodunum. Tacito ipsi id crede l. xiv. atque hoc ipso libello, infra. Magis ergo ex rei fide scribes, *incensa colonia.* Lipsius.

Incensæ Coloniæ] Lipsius legendum admonet, *incensa colonia :* cum unica tantum colonia Camalodunum a Britannis deleta reperiatur, teste ipso Tac. Ann. xiv. et in hoc ipso libello infra. Dubitavi, num pluralis nume-

rus hic pro singulari accipiatur, ut aliquando historici solent, narrationis augendæ causa: ut Annal. l. I. 'interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Iulos:' et alibi. Sed potius arbitror recte se habere lectionem vulgatam: nam præter Camalodunum, invenio etiam Londinium coloniam, &c. * *Pichena.* Non equidem, etsi magis ex fide rei, etiam ex veritate lectionis putem scribi, *incensa colonia*, quod Lipsius suasit. Auctor numerum pluralivum servavit, ut et concinnior oratio esset, et ut velut Britanniæ mala, quæ describit, augeret: non insolito etiam Historicis, etsi Oratoribus magis proprio more. *Acidal.*

Intercepti exercitus] Hoc verbum *intercipiendi* aliam significationem habere videtur, quam quæ huc quadret: unde dubito legendum, *intersepti exercitus;* quæ lectio firmatur ex historia Britannicarum rerum, Annali quartodecimo comprehensa. *Freinshemius.*

Artem et usum et stimulos] Commodius, ni fallor: *attamen et usum.* Lipsius.

Sinistra interpretatio] Cujusmodi est illa Tiberii l. I. Annalium de Agrippina c. 69. et Claudii revocantis ex hostico Corbulonem l. XI. 19. Vide et Dionem l. LX. Denique plerique tunc principes sibi imminere, sibi intendi putabant, quod in hostes pararetur, ut ait Plinius in Paneg. Talis et Domitianus, hoc libello c. 39. *Virdungus.*

CAP. 6. *Invicem se anteponendo*] Henr. Savillius hunc locum popularibus explicuit, certe eleganti sensu; et fortasse ad mentem Taciti, sed meo judicio non item ad horum verborum mentem. Excidit handdubie verbum aliquod. Si locus exponi potest, clarissime Thuane, tu expones; quo beneficio vincies me novo nodo, et conferes in litterarium veluti ærarium hoc tributum. *Barclaius.*

Tanto major laus] Assentior vero Pichenæ, *tanto minor laus*, ingeniose adstruenti. Quod ego tamen aliter ab illo explico. Non est maxima laus in fœmina, &c. * in naturam pugnat. At ille vult, vitiis carere, laudem non esse: quod ita est; sed nihil ad istam fœminam, quam non dicit non malam, sed bonam fuisse. *Lipsius.*

In bona uxore tanto major laus] Præclaram sententiam male affectam a librariis suspicor, &c. * legendum, *tanto minor laus:* lucem huic sententiæ afferunt verba quædam Philostrati in vita Apollonii l. VI. 11. Ait enim, Latine conversus: 'Neque prudentiæ opus est, stulte aliquid non cogitare: neque fortitudinis, aciem non relinquere: neque temperantiæ, in mœchorum turpitudines non incidere: nec omnino laude dignum est, quod non esse malus videaris: omne enim quod æque ab honore pœnaque distat, virtus non est.' *Pichena.* Vir ingenui candoris Curtius Pichena legit, *minor.* Sed me dissentiente. Verissima et e re omnium gnome. Laude quavis dignus ille vir est, qui morem gerit optimæ uxori, contra omnibus convitiis inclamandus est, qui ab ore malæ pendet. At illa, *nisi quod*, correctio eorum sunt: *et invicem se anteponendo;* eo modo, quo Terent. Eun. 'At nesciebam id dicere illam, nisi quia Correxit miles quod intellexi minus.' *Saliner.* Nihil in his verbis video, nisi particulam *nisi* detraham, quomodo fit et perspicua et elegans sententia. Atque ita video et Muretum censuisse. Quanquam forte non abjiciendum *nisi*, sed mutandum *sivi*, id est, sibi: quæ antiqua scribendi ratio, mendum peperisse potest. Legatur igitur: *et invicem se anteponendo sibi:* quod in bonam et longe aliam, nec tamen ipsam forte spernendam sententiam feceris, retento *nisi*, et immisso *non: Et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore non tanto major laus, &c.* Ego prius

teneo. *Acidal.* Emendationem Pichenæ probo: ratio illa de bonitate naturali mulierum supra viros, vereor ut cuiquam probari possit. Potius, quia mulier natura facta est ad parendum viro: itaque Aristoteles viri imperium in uxorem aristocraticum esse dicit, l. I. Pol. Facit igitur et naturæ, &c. * *Sc. Gentilis.* Euripides: Τῆς μὲν κακῆς κάκιον οὐδὲν γίνεται Γυναικός· ἐσθλῆς δ' οὐδὲν εἰς ὑπερβολὴν Πέφυκ' ἄμεινον. Cæterum hic quoque cumulum de laudibus mulierum, quamvis bonarum, demit Hippocrates epist. ad Dionysium. In cujus fine (ut id obiter moneam) interpres non videtur assecutus mentem auctoris, sed locus corruptus est, quem ita rescribo: Φρονιμώτερον δὲ ἐν παντὶ τὸ ἀπαθέστερον, ἢ ἐὰν μὴ ἐπικλώμενον ὑπὸ εὐνοίης. Particula enim ἢ omissa totum sensum pervertit. Sed forsan illa ἐὰν ἦ melius expunxeris. *Virdungus.* Assentior vero doctissimis viris, qui legebant, *tanto minor laus;* sed ita explico, ut putem laudem hanc referre Tacitum ad maritum Agricolam, de quo institutus sermo, non ad uxorem: quod ne hæc quidem patiantur, quod non *bonæ uxoris laudem,* sed *in bona uxore laudem* dicit. Ergo hoc dicere videtur, &c. * *Freinshem.* Admirabile illud invicem se anteponere, non conjugalis modo societatis, sed et omnium amicitiarum verique amoris unicum glutinum et coagulum: quod, quoniam, quo magis ætate procedo, eo minus terrarum aut gentium usquam reperio, propemodum in eam desperationem venio, ut neminem cuiquam et nemini quemquam, ut nunc vivitur, amicum esse censeam. Græcis eleganter, ut omnia, ἀνθυπείκειν, divina Apostolo ad Rom. XII. τῇ τιμῇ ἀλλήλοις προηγούμενοι. Quod sequitur, ex judicio vulgi accipio, nam apud sanos sapientesque dubium non est laudem mereri quemvis, qui est, qualis, cum optimo more modoque est, esse debet. Vulgus neque intelligit bona quibus fruitur, neque grates habet pro illis, quæ interpretatur deberi. Quem sensum præclare exprimit Herodianus de Pertinacis l. II. Ἐπεὶ μὴ ὁμοίως εὐφραίνει ἐλευθερία, ὡς λυπεῖ δουλεία· οὐδέ τις ἀδεῶς τὰ ἑαυτοῦ ἔχων ἐν χάριτος μοίρᾳ τίθεται, τὰ ἴδια καρποῦσθαι νομίζων. Ὁ δὲ τῶν οἰκείων στερηθεὶς αἰώνιον ἔχει τὴν μνήμην τοῦ λελυπηκότος. Eodem pertinet Livii l. XXX. 'segnius homines bona quam mala sentire,' &c. c. 21. Cæterum brevitas Taciti sic supplenda est: Invicem se anteponendo, quod utrique honestum, nisi quod vulgo bonæ uxoris multo dilutior habetur gloria, quam malæ culpa. In Hippocrate video edi: τὸ ἀπαθέστερον, ἅτε μὴ ἐπικλώμενον ὑπὸ ἐννοίης: et, puto, recte. *Gronov.*

Salvium Titianum] Fratrem Othonis, qui postea imperator. Meminit noster variis locis l. I. et II. Histor. *Virdungus.*

Neutro corruptus est] Quod magna laude dignum, 'tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia,' ut loquitur M. Tullius epistola illa nobili ad Q. Fratrem, ubi de hac ipsa Asia verba facit. *Idem.*

Quiete et otio transit] Malim, *transiit.* Rhenan.

Inertia pro sapientia fuit] * Annal. XIV. 47. Memmius Regulus 'quiete defensus.' Sic Galba sub Nerone 'in desidiam segnitiamque conversus est, quod nemo rationem otii sui reddere cogeretur,' Sueton. c. 9. Revera tunc consideratum ac sapientem fuisse, qui ætatem in tenebris ageret, et Plinius in Pan. testatur, et vox vulgi apud Senecam c. 55. 'O Vatia, solus scis vivere.' *Virdungus.*

Nec enim jurisdictio obvenerat] Verum est, Prætores alios urbanos fuisse, alios peregrinos, quorum propria erat *jurisdictio:* sed et hoc quoque verissimum est, Prætores quosdam de causis cognovisse majoris rei, quæ *quæstiones* dicebantur: v. g. de repe-

tundis, de falso, de ambitu, &c. Sed hæc Prætorum divisio nihil ad hunc locum. Ergo præturæ annum transiit Agricola ‘ quiete et otio,’ quoniam ‘ jurisdictio non obvenerat,’ hoc est, jus non dixit; sed ‘ ludos et inania honoris,’ ut loquitur Tacitus, ‘ modo rationis et abundantiæ duxit.’ *Barcl.*

Ludos et inania] * Prætores, Consules, &c. De Prætoribus dubitare non patitur Plutarchi locus in illis Cassii ad Brutum verbis : παρὰ μὲν τῶν ἄλλων στρατηγῶν ἐπιδόσεις, καὶ θέατρα, καὶ μονομάχους, παρὰ σοῦ δὲ τὴν κατάλυσιν τῆς τυραννίδος ἀπαιτοῦνται : i. *ab aliis quidem Prætoribus exspectat populus donaria, ludos, gladiatores, sed a te rem majoris momenti.* Savillius. Hi sunt ludi, quos *honorarios* vocat Suetonius ; ut *jus honorarium.* Virdung.

Modo rationis atque abundantiæ duxit] * Et inferius eod. lib. de iis ipsis ludis præscribit, ut pro facultatibus fiant. Huic sensui lucem affert lex XXI. Cod. Theod. de præt. et quæst. ‘ Cum enim populo fuerit intimatum, conlata a nobis editionis necessitate cum subsidiis facultatum, et professionis modo ; rite poterit definiri, quid unusquisque expensæ pro captu virium debeat sustinere. Sane eodem arbitrio, nulla lege præscribimus, qui pro consideratione patrimonii, nataliumque merito, secundum splendorem honoris proprii, enormitatem imperii non recusant.’ Quomodocunque, tangere videtur Tacitus corruptum sæculi morem, quo magistratibus ineundis, sumptus intolerabiles Romæ fiebant in ludorum spectaculorumque editionibus : cum omnis generis feras, nobiles equos, multaque alia sumptuosa, ex longinquis transmarinisque provinciis, unusquisque designatorum certatim mercari curaret : præter immensa dona, quæ sportularum nomine amicis post editiones mittebantur, ut ex historia est notissimum. *Pichena.* Fateor me nescire quid sibi velit Tacitus. Legerim : *Ludos et inania honoris, moderationis neque abundantiæ duxit.* Ludos Agricola et honores potius cum modo, quam abundantia exhibendos censuit. Inveteratam lectionem sic etiam non male constituas : *modo rationis neque abundantiæ duxit.* Colerus. Id est, pro patrimonii modo et viribus, quas plerumque ista editio spectaculorum exhauriebat. Hinc Boëtius præturam ‘ Senatorii census gravem sarcinam’ vocat. Nam quæ olim magna vis imperii jurisdictionisque fuit prætoriæ, ea postea cœpit esse onus senatorum in edendis populo scenicis et circensibus voluptatibus. Vid. Cujacius Paratit. C. de off. præt. item Notis ad l. I. c. de præt. et hon. præt. Postremo si prætores et quæstores des. non adessent, quando ob dignitatem ludos exhibere debebant, plectebantur condemnatione frumentaria sive triticana ex Constantini l. I. et II. de prætor. et Quæst. C. Th. confirmata a Constantio l. III. et VII. eod. mox a Valentiniano l. XVIII. eod. Fiscus quoque eorum nomine expendebat sumptus, quos absentes postea refundere cogebantur, lib. VI. eod. Vide Not. Fr. Jureti ad Symmachum. *Virdungus.* Seriverius malebat, *moderatiora quam abundantia.* Sed vulgatam mutare non est necesse. Sententia enim ; ita ut rationis et opum suarum rationem haberet. *Boxhorn.*

Ad dona temporum] Constituimus, *templorum.* Rhenan.

Ne cujus alterius sacrilegium respublica] Suet. Ner. 32. ‘ templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit, in his Penatum Deorum, quæ mox Galba restituit.’ *Barclaius.*

CAP. 7. *Classis Othoniana*] Extant hæc, quæ Tacitus designat, Hist. II. *Savil.*

Dum in Templo] Audio Savillium (videre nondum contigit, etsi valde optanti) correxisse : *Dum Intemelio :* certe acute et sagaciter, quantum

potest. Fulvius tamen in veteri codice repperisse ait: *Dum Intemelium, Liguriæ urbs est.* In re consentio, in verbo mutem: *Dum Intemelios.* Nam populi sunt hoc nomine: et pro urbe, aut singularie si legas, vix phrasis et textus admittit. *Lipsius.*

Dum in templo, Liguriæ pars est] V. c. habet, *Dum Intemelium, Liguriæ urbs est.* Ursinus. Savillius ingeniosissime et levissima mutatione, *Intemelio.* Mercerus. Monet Mercerus ab Henrico Savillio rectius legi, *dum Intemelio.* Pichena. Savillius Anglus, ut aiunt, correxerat, *dum Intemelio.* Sed ante ipsum ita quoque legendum esse censuerat Hieronymus Syrita, in accuratissimis illis ad Itinerarium vetus Emendationibus. Fulvius *Intemelium.* Rectius puto correxisse Anglum et Hispanum. Et tamen hi etiam cur non potius scripsere *Intemelios?* Strabo a me stat l. IV. Ἄλβιον Ἰντιμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντιμέλιοι. *Coler.* Ituriebam, quid *Templi* vocabulum hic rerum ageret, rogaturus Pythium; et incidi in Pithœum, Franciscum aio, bonum Gallorum, qui primus me monuit, non *in Templo*, sed *Intemelium* legendum. Quod vidit etiam Savillius. Plinius III. 5. *Intemelii* meminit. *Barclaius.*

Statim in partes] Nam splendidissimus quisque in Vespasiani proni, Hist. l. IV. *Boxhorn.*

Initia principatus] Per absentiam Vespasiani, qui adhuc in Ægypto morabatur Hist. l. IV. Hujus Muciani, præter nostrum, qui eum graphice depingit Hist. I. varii meminerunt, velut Suetonius in Vespasiano, Josephus l. V. de bello Judaic. Dio Cass. l. LXV. et seq. Aurelius Victor, Plinius et plerique alii. *Virdungus.*

Ubi decessor] Roscius Celer, qui legatus vicesimæ legionis et discors Trebellio dicitur Hist. I. 60. *Boxhornius.*

Legatis quoque consularibus] Sub principibus duo genera legatorum, Consulares et Prætorii: ille toti exercitui præerat, isti legionibus singulis. Vide Lipsium de mil. Rom. Dial. II. 11. et XV. 18. *Pichena.*

Invenisse bonos] Quod Marcus imperator, moderatissimus in hominibus deterrendis, a malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis, ex malis bonos, ex bonis optimos reddens, ut scribit Capitolinus. Nec secus Metellus exercitum, quem corruptissimum acceperat, prohibendo a delictis magis quam vindicando brevi confirmavit, teste Sallustio. *Virdungus.* Moderatione opus erat quia ultionem ratio belli non permittebat. Sic Valens 'utili moderatione non supplicium,' &c. Histor. II. 29. *Boxhornius.*

CAP. 8. *Placidius quam feroci*] Absurdum est dicere Bollanum nimis imperasse molliter, et ei rei fuisse remedium, quod Agricola refrenaverit ardorem suæ virtutis, ne ultra, quam par erat, sese exsereret. Corrigo igitur: *paullo durius q. f. pr. dignum. Ast temperavit.* Quasi vellet, Bollani severitatem et rigorem in regenda provincia, cujus incolis inerat multa ferocitas, mitigasse ac temperasse prudentiam Agricolæ. Aut certe, cum Bollanus clementius præesset, Agricolam alia ratione usum, sed ita, ut spiritus impetusque animi reprimeret contineretque. Etsi Tacitus brevitatem consuetam sectatus hic non ita clare exprimat. *Harlæus.*

Dignum est] Malo, *esset.* Acidal.

Peritus obsequi] Talis Hephæstio describitur Q. Curtio l. III. c. 12. et Annius Bassus legionis legatus apud Poppæum Silvanum, Histor. III. 50. *Virdungus.*

Habuerunt virtutes] * mox, virtute ejus clare cognita etiam laudem. Pichena autem retinet vulgatam, et capit de utriusque virtutibus, Cerialis et Agricolæ, quæ spatium habuerint exempla prodendi. *Lipsius.*

Habuerunt virtutes spatium exemplorum] Lipsius legit, *spatium et exem-*

plum, et de Ceriale tantum intelligere videtur, qui scil. spatium campumque exercendis virtutibus dederit. Ego vulgatam lectionem probam censeo, ut de utriusque virtutibus loquatur, quæ spatium habuerint, multa de se ipsis exempla prodendi. Ideo statim sequitur, de Cerialis humanitate ac facilitate erga Agricolam, et de hujus modestia atque obsequio erga illum. *Pichena.* Optime vulgata. Agricola licet ingenii militaris, sub Vectio tamen, qui placidiora respiciebat, sese continuit: post illa vero ducem nactus Cerialem, qui, ut Hist. III. ' pugnæ avidus, et contemnendis quam cavendis hostibus melior,' potuit (quasi perruptis angustiis) spatiose suas exercere virtutes, et nunc pugnam capessendo, nunc rem Romanam consiliis juvando aliis exemplo esse. *Salinerius.* Lipsii emendatio non spernenda, quam eleganter ipse explicat. Ego tamen, si dissentire fas, præoptem scribere, *spatium experimentorum.* Atque etiam ne membrum hoc orationis ita sit nudum, et parum cum superiore cohærens, addam initio voculam, quæ perire facillime potuit. Lego, *Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit: ibi habuerunt virtutes spatium experimentorum.* Sub Vectio Bolano, inquit, vim ardoremque suum compescuit Agricola: sub Ceriali vero spatium campumque habuit, ubi se virtutes ejus experirentur. *Acidalius.*

Modo labores et discrimina] Huc pertinet Aristophanis in Equitibus: *ἐρέτην χρῆ πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν. Κᾆτ' ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι. Κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ: Remigem oportet ante esse quam clavum in puppi tenere: Ac postea demum proretam agere atque observare ventos. Ac deinde gubernare ipsum seipso.* Virdungus.

Sæpe parti] Ductorum periculum faciendum in minoribus, antequam majora eis concedas. Q. Fabius ad T. Otacilium apud Livium XXIV. 8. *Idem.*

Nec Agricola unquam] Sicut stolide Antonius Primus litteris ad Vespasianum compositis Hist. III. 53. *Idem.*

Ad auctorem et ducem] * Aurelius Victor de Juliano: ' Quæ, quanquam vi ejus, fortuna principis tamen et consilio accidere. Quod adeo præstat, ut Tiberius Galeriusque subjecti aliis egregia pleraque, suo autem ductu atque auspicio minus paria experti sint.' *Idem.*

CAP. 9. *Provinciæ Aquitaniæ*] Hæc latissima ditissimaque regio a Pirenæis montibus ad Ligerim usque tunc ex instituto Augusti pertinebat, Auctores Strabo et Ptolemæus. Prius enim Celtas et Aquitanos disterminabat Garumna, ut ex Cæsare, Mela, aliisque notum. De ejus provinciæ nobilitate Ausonius inde oriundus, Salvianus lib. VII. Ammianus l. XV. et Sidonius l. IV. ep. 22. Augustus Aquitaniam triplicem instituit: Primam, &c. * *Idem.*

Militaribus ingeniis] ' Milites arma magis quam jura scire usitatum esse,' scribit Imp. l. ult. C. de j. delib. Atque adeo in quovis milite juris ignorantia et error præsumitur sine alia probatione, ut tradit Baldus. *Idem.*

Castrensis jurisdictio secura] De qua adi Sigonium lib. II. de antiquo jure provinc. c. 6. et in primis Lipsium de milit. Dial. v. 18. *Virdungus.* Corrigo *severa* pro *secura.* Harlæus.

Inter Togatos] Imo *inter sagatos*, aut *quamvis non inter togatos:* nam de castrensi jurisdictione sermo, in qua Agricolæ æquitas non minus quam aliorum in foro eluxit, quod ut rarum merito notat Tacitus. *Grotius.*

Sæpius misericors] Judicis boni est, quantum fides et religio permittunt, absolvendi quam condemnandi rerum causas quærere: de qua re multæ præclaræ sententiæ apud Senecam in libris de Ira et Clementia. *Virdun.*

Nullam ultra potestatis personam, tristitiam et arrog.] Conjicio scribendum: *ubi officio satisfactum nulla ultra potestatis personam tristitia. Et arrogantiam.* Nam si quis malit *ultra* adverbialiter accipere pro *ulterius, nulla ultra potestatis persona, tristitiam, et arrog. et avarit.* Rhenanus. Importuna hic *avaritiæ* mentio, ubi moderatio morum adversus alios intra facilitatem et severitatem describitur. Mutanda igitur vox, si commode potest: si non, ejicienda potius, ut insititia. Mutare ego volebam, *amaritiem:* ut non acerbum fuisse dicat. Sed non placet. Præcedentia et sequentia qui legit paullo attentius, quale quid requiratur, tam facile, quam *avaritiam* non convenire videt. Probari tamen videtur iis, quæ statim subduntur, *integritatem atque abstinentiam.* Acidalius. Sic Catonem Uticensem describit Plutarchus, ἄχρι τοῦ βήματος καὶ τοῦ συνεδρίου χαλεπὸν ὄντα καὶ φοβερὸν ὑπὲρ τῶν δικαίων, εἶτα πᾶσιν εὐνοικῶς καὶ φιλανθρώπως προσφερόμενον. *Virdungus.*

Tristitiam] * in Xenocrate Plato jubebat eum θύειν ταῖς χάρισιν. Hujusmodi indoles emicubat in filio Philippi Augusti C. Julio Saturnino vere Saturnina, ut habes in Aurelii Victoris epitome. In primis Tiberius hoc nomine male audiit. Sueton. 21. et 59. *Idem.*

Arrogantiam] Ob quam Tarquinium et 'libidine præcipitem et avaritia cæcum et immanem crudelitate vocaverunt Superbum: et putaverunt sufficere convicium,' inquit Panegyristes. Lucullo quoque, summo alioquin imperatori, ea res pessime vertit apud suos: et ante eum Pausaniæ non minus celebri victori Persarum, et Perdiccæ inter duces Alexandri primi nominis. *Idem.*

Facilitas auctoritatem aut severitas amorem] Cicero ad Brutum in Orat. 'Quid enim tam distans, quam a severitate comitas? quis tamen unquam te aut sanctior est habitus aut dulcior?' Et hunc virtutum diversarum concentum in Trajano prædicat Plinius. Omnes autem de fonte Isocratis ad Nicoclem potasse videntur. *Idem.*

Cui etiam sæpe boni] * ex illo Platonis, τὴν κενοδοξίαν, ὡς τελευταῖον χιτῶνα. Etenim ut ait Cicero pro Archia c. 11. 'insidet quædam in optimo quoque virtus,' &c. Qui quidem locus totidem fere verbis exstat etiam in Rabiriana perduell. c. 10. Augustin. de civ. Dei. v. 17. *Idem.*

Ostentanda virtute] Ita lego, pro *ostentandam.* Rhenan.

Aut per artem] Ut Africanus superior. Livius l. XXVI. et Polybius lib. IX. apud nostrum lib. XIII. Domitius Corbulo, 'super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.' Cæterum hi tales, ni fallor, jure excusantur, quibus scenæ serviendum. At illos artifices, qui probitatis famam aucupantes, pauperes humilesque simulant, pleni intus immanis cujusdam ambitionis et φιλαυτίας, facile averseris. *Virdungus.*

Adversus procuratores] Exemplum apud nostrum lib. XIV. 38. Nota autem procuratorum improbitas ex dicto Alexandri Severi apud Lamprid. 'malum necessarium' eos vocantis. *Idem.*

Atteri sordidum] * Generose Metellus apud A. Gellium VI. 11. *Idem.*

Minus triennium] * ut plures annos cum imperio essent. Tiberius in ea re vel nimius; causas exponit Josephus 18. Antiq. Laudatur ob id et Pius Antoninus Capitolino c. 5. Et ausus similia Pescennius Niger ad Marium et Commodum scribere, Spartiano teste c. 7. Sed huic commodo ingens, &c. * *Idem.*

In ea legatione] Legationem vocat, cum tamen præses provinciæ fuerit Agricola. Sed nota est divisio provinciarum ab Augusto facta, sic, ut aliæ Cæsaris, aliæ populi dicerentur;

Cæsaris, quæ validiores erant, et quas annuis imperiis regi nec facile nec tutum erat. Has igitur ipse suscepit in easque rectores mittere instituit viros (ut est apud Strabonem) qua consulares qua prætorios, sed et equites, quos ille generali nomine διοικητὰς, jurisconsulti in Pandectis *Præsides* appellant. Iidem speciali nomine *legati Cæsaris* dicti. At qui in provincias populi missi, ii *Proconsules* dicebantur: unde tit. l. I. Pandect. de offic. Procoss. qui ad populi provinciarum rectores solos pertinet. Dio lib. LIII. Sueton. Aug. 47. alii. *Idem.*

Aliquando et elegit] Opinor scribi debere, *eligit*. Nisi quis suspicetur fuisse, *ferit*, ut sit translatio a sagittariis. Ibid. Pro *collavit* scripsi, *collocavit*. Rhenanus. Hesiodus: Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ Λαοὶ φημίζουσι. Vulgo jactatum, ' Vox populi, vox Dei.' *Idem.*

Consul egregiæ tum spei filiam juveni mihi despondit] Dubites, utrum jungas, *consul egregiæ spei*, an, *filiam egregiæ spei*. Quod si hoc potius, magis etiam dubites, an non *speciei* pro *spei* scribendum. Sed *filia egregiæ spei*, quæ in præclarum matrimonium spe et voto multorum destinabatur. *Acidalius.*

Adjecto Pontificatus sacerdotio] * Zosimus lib. προσαγαγόντων αὐτῷ τῶν Ποντιφίκων κατὰ τὸ συνηθὲς τὴν ἱερατικὴν στολὴν, ἀπεσείσατο τὴν αἴτησιν, ἀθέμιτον εἶναι τῷ Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας: i. *cum Pontifices ad ipsum ex more deferrent usitatam Pontificibus vestem, renuit, Christiano indignum ratus ea indui.* Postea Theodosius, &c. * in fiscum redactis eorum bonis. Nomen Pontificis scribit Varro de Ling. Lat. lib. IV. deductum esse a ponte, ' nam ab iis Sublicius est factus primum, et restitutus sæpe.' Zosimus derivat a prisca apud Thessalos consuetudine ubi, templis nondum exstructis, imagines Deorum locabantur in ponte fluminis Penei, Sacerdotesque dicebantur γεφυραῖοι. *Savillius.*

CAP. 10. *Spatio ac cælo*] Quid sibi velint hæc verba, quærunt: nec immerito. Aio distinctione illustranda: *maxima spatio, ac cælo in Orientem.* Est maxima spatio: si cælum intueare, et ab eo situm, in Orientem Germaniæ objacet. *Lips.*

Spatio ac cælo in Orientem Germaniæ] Sic Mela II. 2. ' divisas spatio pelagoque terras.' Male hæc Taciti Lipsius corrigit. *Is. Vossius.*

Septentrionalia ejus, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur] Vera narrat, si vera sunt, quæ etiam hodie asserunt Incolæ: quod ego scio. Nam Collonia (sic castrum vocatur in quo primum terram tetigi) sita est in littore quod *tam vasto atque aperto mari pulsatur.* Quo loco, ut obiter dicam, non pauca sunt vestigia veterum bellorum, cum Anglis præsertim. Est in eodem littore, in territorio gentis Barclayanæ portus quidam, qui nostra lingua *Auld heauen* appellatur, quem qui viderit longe facillime intelliget, quæ scribit Virgil. Æn. I. 163. quibus versibus tam graphice depinxit portum nostrum, quam natura finxit. *Barclaius.*

Citra Caledoniam] Caledonia Scotiæ pars Septentrionalis, nunc Albania. *Savillius.*

Unde et in universum fama est transgressis] Lego, *unde et in universum fama, e transgressis.* Quasi diceret, sic narrant qui transgressi sunt. *Rhenan.* Hoc ideo, quia ad id ævi ulterior pars insulæ Romanis fuerat ignota. *Virdungus.* Scripsisse auctorem censeo: *unde ea in universam fama est transgressa.* Gronov.

Tunc primum] Quemadmodum Livius et Rusticus referunt. Alioquin legerem, *quum primum.* Rhenan.

Insulam esse] Xiphilinus Tito: πρῶτός γε Ῥωμαίων, ὃ ἡμεῖς ἴσμεν, ἔγνω τοῦθ', ὅτι ἡ Βρεττανία περίῤῥυτός ἐστι: i. *A-*

gricola *Romanorum primus, quantum nobis quidem constat, Britanniam esse insulam comperit.* Dio paulo largius l. XXXIX. προϊόντος τοῦ χρόνου πρότερον τὸ ἐπ' Ἀγρικόλου Ἀντιστρατήγου καὶ νῦν ἐπὶ Σεβήρου Αὐτοκράτορος νῆσος οὖσα· σαφῶς ἐλήλεγκται: i. *progressu temporis primum sub Agricola Propræture, et nunc sub Severo Imperatore innotuit insulam esse.* Savil.

Quas Orcadas vocant] Orosius VII. 6. devictas Orcadas falso tribuit Claudio. ' Orcades etiam insulas ultra Britanniam in Oceano positas Romano adjecit Imperio.' Sed antea cognitas fuisse Mela, qui scripsit temporibus Claudii, docet, tradito earum numero l. III. ' Triginta sunt Orcades angustis inter se diductæ spatiis.' *Savil.*

Nix et hiems appetebat] Scribo, *abdebat;* hoc est, occultabat. *Rhenun.*

Sed mare pigrum] Hæc sumpsit Jornandes in historia Gothorum. De Britannia enim loquens ait: ' mari tardo circumflua, quod nec facile impellentibus cedat, nec ventorum flatibus intumescat: quia remotæ longius terræ causas motibus negant: quippe illuc latius quam usquam æquor extenditur.' *Pichena.* Hodie certe id falsum. Nec Taciti ætate verum fuisse credendum. Repugnat ratio ipsa et natura maris. *Boxhorn.*

Rariores terræ montesque, causa] Rescribo: *montes, qui* (vel *quæ*) *causa.* Rariores illa terra montes erigit: inter montes autem eorumque amfractus major vis incumbentium et se involventium ventorum. *Boxhorn.*

CAP. 11. *Rutilæ Caledoniam habitantium*] Adspexit, imo transcripsit in parte hunc locum Jornandes De origine Gothorum: ' Silurum [male in eo, *sylorum*] colorati vultus, torto plerique crine et nigro nascuntur. Calidoniam vero incolentibus rutilæ comæ, corpora magna sed fluida, qui Gallis sive Hispanis a quibusque attenduntur adsimiles.' *Lips.*

Silurum] Silures Walli Australes et Cornewalli, ut ex hac Taciti descriptione patet. *Savil.*

Posita contra Hispaniam] Indubie fuit, *positu*, id est, positione. Sic Ann. I. de numero legionum: ' Quæ positu regionis, a tergo illis, &c. accirentur.' Rursum lib. VI. 21. ' Ille positus siderum, ac spatia dimensus, hærere primo.' Expone *positu*, hoc est, propter positum, sive positionem. Hoc magis arridet, quam ut legatur, *positi.* Rhenanus. Emendavit Rhenanus, cum antea legeretur, *posita.* Ego mallem, *positus*, id est, positio: nam primo etiam casu dixit, ' colorati vultus,' et, ' torti crines.' Sic Ann. VI. 21. ' Ille positus siderum, ac spatia dimensus.' *Pichena.* Concinnabam, *positus contra Hispaniam:* ut idem sit quod situs vel positio. Muretus, *posita contra Hispania:* forte melius. *Acidal.*

Procurrentibus in diversa] Stolidum est ex diverso terrarum positu desumere similitudinis corporum causam ac rationem. Omnino lego, *procurrentibus inter se terris,* proxime se contingentibus. Quæ ipsius Taciti scriptura est, aut egregie fallor. Posset forte tamen stare lectio vulgata, si quis dicat *procurrentes in diversa terras* et *positionem cæli* inter se opponi. *Procurrentes in diversa terræ* sunt disjunctæ ac divisæ. *Boxhorn.* Certe egregie fallitur. Nam *procurrentes in diversa terræ, &c.* * Gronov.

Eorum sacra] Uterque enim populus detestabili sacrorum ritu humanis litabat hostiis. De Gallis notum ex Cæsare, Strabone, Mela, Solino, et plerisque aliis. De Britannis idem tradit Dio Cassius lib. LX. Sed et utramque gentem suos Druidas habuisse ex Cæsare et nostro notissimum est. *Virdungus.*

Nam Gallos quoque in bellis floruisse] Imo et hodie florent, et habent principem, quem ego audeo cum Julio Cæsare non comparare solum, sed

præponere. Cujus res gestæ si pari facundia narrentur, plus admirationis posteris afferent quam nobis res Julii Cæsaris, aut Alexandri Magni attulerunt. *Barclaius.*

In bellis floruisse] Ita loquitur alibi quoque noster, et l. III. At Strabo, &c. * A quibus non discrepant, quæ de Gallis suorum temporum prodit Ammianus Marcellinus. Denique omnia aliorum encomia superat illud Hieronymi adversus Vigilantium: 'Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis et eloquentissimis abundavit.' *Virdungus.*

CAP. 12. *In pedite robur*] Ut et apud Macedonas olim et Romanos. Vegetius II. 1. *Idem.*

Honestior auriga, clientes propugnant] Secus apud Græcos et Trojanos: domini enim currus pugnabant, qui Hesychio παραβάται dicebantur, οἱ ἐπὶ τῶν δίφρων ἑστῶτες μαχόμενοι, οἱ κύριοι τῶν ἁρμάτων: i. *pro curribus pugnantes curruum domini.* Iique digniores aurigis, ut Achilles Automedonte, ut Hector Iniopæo. *Salinerius.*

Olim regibus parebant] Aristocratiam eandem, quæ apud Celtas et Germanos, obtinuisse apud Britannos censent. Vide Strabonem l. IV. Ut hi reges fuerint ut Laconici, reapse nihil nisi optimatium principes. Contrarium tamen videtur hic locus vociferari, quum *reges* et *principes* inter se opponit. Nisi dicamus, semper quidem Optimatum regimen inibi obtinuisse, sed olim quidem cum Principatu, post sine Principatu. Cæterum verbum *parere* ingerere videtur regnum sic proprie dictum. *Principes*, ii magistratus, qui partem aliquam gentis curabant: quæ partes, majores quidem *Pagi*, minores autem *Vici* vocantur. *Virdungus.* Alienæ interpretationes ex eo natæ, quod *Reges* et *Principes* existimaverint inter se opponi. Nihil profecto minus: nam quemadmodum olim, ita et illa tempestate reges inter Britannos erant. Cogidumni reges et Voadicæ generis regii fœminæ hoc libro meminit noster. *Parere* igitur et *factionibus ac studiis trahi* hic opponuntur. Cum *paruisse* dicit, intelligit promptitudinem obsequii atque statam ejus fidem. *Studiis et factionibus trahi* nihil est aliud, quam intestinis principum discordiis motibusque se præbere. Atque his quidem occasionem dabat ipsa principum multitudo. Olim illi pauciores et singuli pluribus præerant, postea vero singulæ civitates singulos dominos habuere. Iidem igitur *principes*, sed non eadem obsequii modestia. Eadem auctoritas, sed non eadem concordia, sed nec numerus idem *regum.* Boxhornius. Quicquid dicat, non efficiet, ut hic Tacito iidem sint *reges*, qui *principes*: nam *Princeps* pro rege aut eo, qui unus summum imperium quocumque nomine obtinet, tum extra Romam nemo dicebatur: sed in Græcis barbarisque gentibus *princeps* apud veteres Latinos nihil aliud est quam aliquis procerum, optimatium, nobilium: ut Ismenias *Thebanorum princeps*, Aristotimus etiam ante tyrannidem occupatam Hellanicusque *principes Eliensium*, Miltiades *cæterique principes Atheniensium*, et *principes civitatis Argorum:* in regnis satrapes, prætor, præfectus, purpuratus, amicus regius. Olim, inquit, in certis personis familiisque fundabantur regna gentes complurium populorum complexa: dein, ut et nunc, fato illis aut destitutione sublatis, dissilnit validorum illorum corporum unitas, et distrahuntur, prout aliquis procerum et quondam regibus proximorum vi et artibus ad homines adjungendos clientesque parandos et retinendos evaluit. Sic Alexandro et majoribus ejus regibus parebant Macedones: et eo mortuo factionibus et studiis distrahebantur, donec pauci oppressis aliis nova regna firmarent. Talis erat status Galliæ, &c. * *Gronov.*

Rarus duabus tribusve] Sic melius restitui. Vulgo, *tribusque.* Pichena. Lego, *tribusve.* Acidal.

Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram] Sed cur de noctibus longioribus non meminit? Nec vero crepuscula longiora quoque in hieme, vere diei partes. Puto, æstatis tantum tempus significatum: quia Romani, solum æstate bella gerebant, eoque potissimum tempore regiones, præsertim septentrionales, peragrabant noverantque. Sic infra: ‘ Sed ubi æstas advenit, contracto exercitu :’ ac deinde: ‘ Quarta æstas obtinendis quæ percurrerat insumpta.’ Item paulo post: ‘ Ceterum æstate, qua sextum officii annum inchoabat.’ Ann. VI. ‘ Quæ duabus æstatibus gesta conjunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis.’ Hist. l. v. ‘ Vespasianus fortuna famaque et egregiis ministris, intra duas æstates, cuncta camporum, omnesque præter Hierosolyma urbes, victore exercitu tenebat.’ *Pichena.* Vide Cæsarem Gall. l. v. Plinium II. 75. et Panegyricum Constantino dictum. Hodierni Geographi accuratiores, qui Britanniam octavo climati subjectam, parallelis XVIII. et XXVI. incluserunt, diem inibi maximum horarum æquinoctialium octodecim cum semisse putant. *Virdung.*

Nec concidere et exurgere] Castigavi, *nec occidere, &c.* Rhenanus.

Scilicet extrema et plana terrarum] Locus, me quidem judice, fatigaturus lectoris judicium, ut aut bene intelligatur, aut saltem commodam admittat interpretationem. Verba enim hunc sensum præferre videntur: Si extrema terrarum plana essent, &c. * Horizontem suum raderet. Et tamen quasi hic tradidisset reconditæ quidpiam artis Tacitus et admiratione dignum, inventus est ex Panegyricis, qui doctrinæ quasi arcanum usu faceret suum, ipsis hinc verbis in orationem transcriptis. *Savil.*

Infraque cœlum et sidera nox cadit] Si quis locus obscurus a Tacito exprimitur, hic unus est. Ad cujus clariorem explanationem, observandus apud illum, præpositionis, *infra*, usus Ann. XIII. &c. * adeo clarus, ut sidera hebetet.’ Hunc Taciti locum imitatus est is, qui Constantinum scripsit Panegyricum. De Britannia enim loquens. ‘ Longissimæ dies, et nullæ sine aliqua luce noctes; dum illa littorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam cœli et siderum transit aspectus. Ut Sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.’ *Pichena.*

Præter oleam vitemque] Vide Julium Scaligerum Exercit. cc. Aliter tamen auctor Iconis animorum, qui Britanniam vites alere posse uvasque ad maturitatem perducere tradit, Cantiumque et Wintomensem regionem cum cæteris ad meridiem ortumve spectantibus olim vineta habuisse, quæ deinde pascuorum utilitas viliusque redemptum ex Aquitania vinum exemerit. *Virdungus.*

Multus humor terrarum cælique] Crescendi secundum Philosophos duæ causæ: materia perpetuo suppeditata, eoque idonea et habilis ad transmutationem, et calor auctor duarum effectionum, quippe dilatans corpus quod suscepturum est incrementum, et transmutans id quod accedit. Britanniæ materia superest ob abundantiam humoris: calor non deest quidem, sed neque superest. Inde fit ut fruges quidem cito proveniant, sed tardius maturescant ob caloris imbecillitatem. *Idem.*

Naturam margaritis deesse] Nihil dici posset venustius. Natura, *φύσις, ποιότης φυσική*: qualitatem in scholis vocant. Et sic usi hac voce Latini scriptores. Lucretius ‘ tetram absinthii naturam’ dixit. Virgilius, ‘ naturas apibus quas Jupiter ipse Addidit.’ Hic vim insitam margaritis se absque arte aut industria humana

expellendi in littus notat. De qua tamen ambigit noster. Unde et dixit, ‘quidam arbitrantur.’ Recte ergo et salse subjicit: Ego facilius credide-rim naturam non dedisse margaritis Britannicis vim se sponte expellendi in littus, quam deesse avaritiam Ro-manis, qui magno cum labore et pe-riculo eas solent conquirere. Non tanta est liberalitas naturæ, quanta avaritia ingenii humani. Nec aliud voluit Tacitus. Et proinde fallitur vir doctissimus, qui ita accipit hunc locum, ac si naturæ imputet auctor causam cur margarita Britannica sub-fusca sint ac liventia, quod ad rem et mentem scriptoris nihil omnino facit. *Boxhornius.* Vellem, ut vult ὁ πάνυ· sed hæc quoque venustius quam verius. Quosdam scribit auctor pu-tare, non omnia margarita, quæ gig-nit Oceanus Britannicus, &c.* *Gronov.*

Cap. 13. *Jam domiti, ut pareant*] Hoc est, ut justa quidem imperia perpetiautur; crudelia vero atque injusta adhuc recusent et aversentur. *Virdungus.*

Prospera pugna terruerit] Modestius ac verius noster, quam Diodorus Siculus iv. 21. Sed et Velleius more aulicorum fumos vendit quum bis pe-netratam a Cæsare Britanniam dicit.

Consilium id Divus Augustus vocabat] Ut naturale corpus, si consueto exi-lius sit, imperfectionem arguit, exce-dens justam magnitudinem molem inhabilem prodit; sic in politico cor-pore utrumque extremum, est invali-dum, neque adversus vim commode firmatur; quanquam fortassis in utro-que πλήθωρα minus periculosa, quam ἔνδεια. Augustus provide suo tem-pore hosce metus librans, cum tam vaste pateret Romanum imperium, ‘ut jam mole laboraret sua,’ inquit Livius, &c. * Ann. i. * Dio lib. lvi. γνώμην τε αὐτοῖς ἔδωκε, τοῖς τε παροῦσι ἀρκεσθῆναι, καὶ μηδαμῶς ἐπὶ πλεῖον τὴν ἀρχὴν ἐπαυξῆσαι ἐθελῆσαι: i. *consulebat ut præsentibus contenti laxiores regni fines non appeterent.* Savil.

Tiberius præcipue] V. c. habet, *Ti-berius præceptum.* Ursinus. Decurtata ejus consilii ratio videtur, quæ de penu Strabonis promitur a doctiss. vi-ro, cum integra ab eodem sumi po-tuisset, lib. ii. p. 115. Tiberius autem acrius ei rei studebat: quippe cui Reip. cura præ nequitiis neglectui esset. Non ergo hic inseram *præ-ceptum* doctiss. viri castigationem: cujus nescio unde hæc hausta sint. ‘Augustum a Britannis tributi loco nescio quid minutarum rerum acci-pere.’ Nam ex Strabone quod citat, nihil ad eam rem facit: τέλη enim (non φόρους) minutarum rerum, non ipsas res, Britanni tunc pendebant. Verba ejus vertit Budæus lib. iv. de asse, quæ magnus ille vir falso credi-tur non recte Latina ex Græcis fe-cisse: ubi est: τέλη οὕτως ὑπομένουσι βαρέα: *vectigalia etiam sic tolerant gra-via.* At tu, quæso, eruditissime Ca-saubone, cedo ubi ille cæcutiat. Quia, inquis, non animadvertebat dicere Strabonem Britannos τέλη ὑπομένειν eaque οὔπω βαρέα, nullos autem φόρους. Quid si magnus ille vir secutus est codices Aldinos, qui habent οὕτως? quod vel mihi potius videtur: nam illatio, ‘ita nullo jam præsidio ad in-sulæ custodiam opus est.’ Optime et apposite ex vectigalium gravitate; secus nec tam concinne ex eorundem levitate. Cæterum de tributo ita Jcti l. xxvii. D. de verb. sign. ‘Idem hoc etiam tributum appellari Pom-ponius ait, et sane appellatur ab in-tributione tributum, vel ex eo quod militibus tribuatur:’ quibus consona sunt hæc Plauti Aululur. ‘ad pos-tremum cedit miles, æs petit, Itur, putatur ratio cum argentario, Im-pransus miles astat, æs censet dari.’ Addam tamen pro coronide pleraque, et præcipua illa, τοὐλάχιστον μὲν γὰρ ἑνὸς τάγματος, apertius verti potuisse, quæ sic in Latium transferrem, *mini-mum enim una legione opus est.* Sed

non ea mente animi, ut cum Budæo in certamen descendam; quis adeo fungus? *Salinerius.* Ingeniosa mihi visa est Lipsii conjectura, præsertim ex Tacito ipso firmata: ac libenter eam recepisseum: tamen quia dissentit Salinerius, et vulgata lectio ut-cumque ferri potest, satis habui, correctionem in margine libri adnotare. *Pichena.* Tiberius in eo omnia esse putabat, si providisset, ne composita turbarentur: unde et proferendi imperii incuriosus erat, et a bellis, si quis alius, abhorrebat. *Virdungus.* Scriverius malebat: *Consilium id D. Augusti vocabat Tiberius præceptum.* Si quis me sequi volet, lectionem vulgatam corrigere non tentabit. Constant sibi verba pariter ac sententia. *Consilium vocabat*, idem est quod, consultum existimabat. Cæterum ejusmodi consiliis, &c.* *Boxhornius.*

Quod initium venturæ mox fortunæ fuit, domitæ gentes] Ita distingue; *Vespasiano: quod initium v. m. f. fuit. Domitæ gentes.* Acidalius.

Cap. 14. *Didius Gallus*] Ann. xii. ubi et A. Didius vocatur. *Savillius.*

Suetonius Paullinus] Res illæ quomodo gestæ lege Tacitum Ann. xiv. ubi pleuius exsequitur. *Idem.*

Ut viros] Malim, *vires.* Rhenanus.

Terga occasioni putefecit] Non me fugit *terga* hoc loco posse pro iis capi, quæ post terga reliquit. Nec tamen minus eleganti sensu interpretabimur Suetonium occasionem fugisse et dedisse terga, quod Tacitus vocat *terga patefecisse*, ut Virgilius l. v. eximii operis, ‘ terga nudare fugæ.’ Boëth. de Consol. Philos. l. iv. ‘ cur inertes terga nuga nudatis?’ *Barclaius.* Quæ sententia quam aliena sit ab hoc loco, (ne quid gravius dicam) quivis videt. Non occasio Paullinum fugit, sed ipse occasionem rebelliouis Britannis dedit. *Boxhornius.*

Cap. 15. *Alterius manus centurionis: alterius vim et contumelias*] Malim, *alterius manus centuriones.* Rhenanus. Videtur legendum: *alternis manus centurionum, alternis servos vim et contumelias miscere, &c.* addita voce, *servos*, ex v. c. *Ursinus. Alterius, manus, centuriones*, sive *centurionis*, quod idem est vel Euphoniæ gratia. Virgil. Georg. i. ‘ urbisne invisere Cæsar Terrarumque velis curam.’ Ad quæ Gellius xiii. 19. ‘ Verte enim et muta ut Urbes dicat, insipidius nescio quid facies et pinguius.’ Æn. lib. iii. ‘ Centum urbes habitant magnas.’ Hic item muta ut urbis dicas, nimis exilis vox erit, et exsanguis.’ Doctissimus vir hæc varie castigat, cui tamen non acquiescit eruditiss. Pichena, sed de majore menda suspicatur: nos ne minimam quidem literam hic desideramus. Cornelius missa probatione ejus quod dixerat, nempe discordiam præpositorum frandi subjectis esse, quia per se clarum. Homerus Iliad. lib. i. 253. ‘ O dii, magnus luctus Græcam terram venit: Gaudebit profecto Priamus, &c. Si vos de his omnibus certantes resciverint,’ &c. Affirmat eorum concordiam, &c.* *Saliner.* Ego de majori mendo suspicor: nam verba hæc ad ipsos præpositos non videntur referri, cum de illis jam dixerit, alterum in sanguinem, alterum in bona sævire: immo potius ad ipsorum discordiam et concordiam æque subjectis exitiosam, de qua nunc sermo. At nunc Salinerii acutam interpretationem amplector, qui ait, Tacitum, omissis de discordia probationibus, ut per se claris, de præpositorum concordia tantum loqui: alterius, scil. legati concordiam, manus et centuriones procuratori commodare: alterius, id est, procuratoris concordiam, vim et contumelias circa prædas et raptus legato permittere. *Pichena.* Non culpo Lipsii correctiones: magis tamen probo posteriorem: *alternis manus, centuriones: alternis, &c.* Sic nihilominus, ut accipiam non eodem plane sensu. Ipse interpretatur, tanquam velit auctor:

Præpositos alternis, et vicissitudine quadam sævisse. At ego *alternis* istud explico, modo per discordiam, modo per concordiam. *Manus ac centuriones miscere* per discordiam: per concordiam *vim et contumelias*. Nam ad id, quod proxime dixit, auctor respicit: et declarat, quomodo subjectis æque discordia, æque concordia sit exitiosa. Hæc mens verborum clarius elucesceret, si scriptum ita esset: *alteram manus, centuriones; alteram vim, &c.* ut prius *alteram* discordiam, posterius concordiam intelligas: quo quidem modo vide etiam ne legendum omnino sit. *Acidalius.* Claudius Boucault hunc locum sanavit legendo: *alterius manus centuriones: servos vim, &c. Manus* accipitur notione, qua alibi: 'An nescis longas regibus esse manus?' Oculi, aures, Græce Latinæque sæpe simili significatione. Porro Procurator nullum initio habebat officium, quod appareret. Sed legatus, aut qui provinciam regebat, milites, qui ejus jussa excquebantur. Procuratori vero erant servi proprii. Plorant ergo Britanni centuriones, quos appellant Legati *manus;* et servos, Procuratoris manus (repetendum enim ἀπὸ κοινοῦ), vim et contumelias miscere. Quod ita fuit: hic ipse Ann. XIV. 'adeo ut regnum, per centuriones; domus per servos, velut capta vastarentur.' Scilicet impositi Iceuis fuerant illi duo centuriones nempe et servi tanquam reguli. Subjunxit enim: 'quando in proviuciæ formam cesserant.' *Barchuius.* Probo emendationem: *alterum vim et contumelius miscere*, procuratorem scilicet. Quæ præcedunt non mutem: nam legati manus centuriones, quorum ministerio sævitiam exercet. Hinc Hist. IV. legati gravem comitatum dixit. *Grotius.* Si mihi paullulum auxilii a libris, libenter legerem: *alterius manus cædes, rapinas:* vel *cædes, direptiones. Alterius*, id est, legati manus militares, sive centuriones et milites. Vide locum Ann. XIV. 31. e quo quidem videtur illud *centuriones* in contextum hic irrepsisse, quum illud *manus* quidam velut interpretans ad marginem adscripsisset, *centuriones. Alterius*, id est procuratoris Cæsaris servos. *Virdungus.* Legendum, ut monuimus olim et in commentario suo laudavit Boxhornius hujus Academiæ celebris doctor: *alterius manus, &c.** Gronov.

Quantum enim transisse] *Britannorum futuram. Similia apud Cæsarem Vercingentorix lib. VII. 29. *Virdungus.* Legere malim: *Quantulum.* Sic de mor. Germ. 'Quantulum enim amnis obstabat.' *Boxhornius.*

Plus impetus, majorem constantiam penes miseros esse] Vera et plana sententia. Nescio tamen, quid hic desidero, cum præcedentia ista respicio: 'neve prœlii unius aut alterius eventu pavescerent.' Videtur enim prius illud membrum *plus impetus*, velut in comparatione sui et Romanorum, de Romanis voluisse dicere: Illis ut integris et felicibus plus quidem impetus, cæterum sibi, ut miseris, plus constantiæ. Itaque vox aliqua periit fortasse: quæ inseri facile ex sententia possit: *plus impetus integris, majorem constantiam penes miseros esse.* Sed alii diligentius hoc considerent, et acutius dijudicent. Ego etsi vulgatam satis tolero, indicare tamen hanc suspicionem meam volui. *Acidulius.* Mucianus Histor. lib. II. hunc veluti locum interpretans: Acriore hodie disciplina victi quam victores agunt: hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt. *Virdungus.*

Qui relegatum] Placet; nec male tamen, *religatum.* Lipsius. Nihil mutandum arbitramur. *Boxhornius.*

Periculosius esse deprehendi, quam audere] Seneca in proœm. contr. lib. III. 'nunquam non utilius erat illi deprehendi, quam præparari.' *Pich.*

Cap. 16. *Voadica*] Ann. xiv. Scribitur autem ejus nomen *Boodicia* et *Boudicea:* in Xiphilini libris Βουνδουΐκα. *Sarillius.*

Sedem servitutis] Vide Flaccum de condit. agror. Brutus apud Appianum in concione ad veteranos. *Virdun.*

Amisit ira] Reposui, *omisit.* Rhenanus.

Ira et victoria] Ex Senecæ Troadibus: ' sed regi frenis nequit, Et ira, et ardens hostis, et victoria.' *Virdungus.* Scriverius suspicabatur restituendum, *irata victoria.* Nihil temere mutandum existimo. *Boxhorn.*

Conscientia defectionis] Delicti conscientia et veniæ desperatio quid apud hostes possit, luculento exemplo Illurgitanorum discimus apud Livium lib. xxviii. *Virdungus.*

Arroganter in debitos] Vide Ann. xiv. et Dionem lib. lxii. *Idem.*

Tanquam exorabilior et delictis] Levissima mutatione legerem et distinguerem: *tanquam exorabilior. Qui delictis hostium novus, eoque pœnitentiæ mitior, compositis, &c.* Pichena.

Comitate quadam curandi] Dum lenitate dulcis est erga provinciales, eorumque amorem morum etiam facilitate et comitate promeretur. *Virdungus.*

Manentibus adhuc civilibus] Nullum est disciplinæ militaris venenum magno bellô civili: nam per id duces obnoxii plerumque militibus sunt, coguntur que eos laxe habere, ne ad adversarios transeant. *Idem.*

Cap. 17. *Nisi quod innocens*] Quibuscumque exercitus dicto audiens non fuit, aut male re gesta fortunam defuisse, aut aliquo facinore comperto avaritiam esse convictam, Cæsar de bello Gall. i. Et gratiosam etiam apud turbam militarem esse ducis sive imperatoris innocentiam Cicero in Maniliana pluribus demonstrat. *Virdungus.*

Brigantum partem] Comitatus Eboracensis et Lancastriæ, Westmerlandia, Cumberlandia, et Episcopatus Dunelmensis. *Savillius.*

Vir magnus, quantum licebat] Vide et fruere, quas ad hunc locum symbolis contulit J. Gruterus par. 2. Diss. ad Tacitum. *Virdungus.* * sustinuit Julius Frontinus. Plana est sententia, de cujus veritate dubitari non debet. *Boxhorn.* Ego tamen Gruteri, Virdungi, Berneggeri sententiam veriorem censeo. *Gronovius.*

Locorumque difficultates] Arbitror sic habuisse sinceram lectionem, *super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus.* Sic Hist. lib. iii. ' nives eluctantibus.' *Rhenanus.*

Cap. 18. *Alam in finibus suis agentem*] Cum ala dicatur et de equitibus et de peditibus, ut Lipsius probat de mil. Rom. ii. 7. hic dubium esse potest, ad utros sit referenda. Verius tamen puto, alam equitum intelligi. *Pichena.*

Ut quibus bellum volentibus erat] Vellem, *ut quibusque.* Lipsius.

Quibus bellum volentibus erat] Elegantissima locutio: hoc est, qui bellum vellent. Græca figura est, de qua in vestibulo operis admonuimus, et suis præterea locis. Sic Ann. i. ' quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.' Lib. xv. ' hæc atque talia plebi volenti fuere.' Sic Hist. iii. ' et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit.' Ubi vulgo, *liberum fuit*, legebatur. Eodem mox libro reposuimus, *Muciano volenti rescripsere;* ubi antea, *volentia.* Rhenanus. Laudat probatque Berneggerus adducto pari loco ex Ann. ii. ' ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.' Estque Græcismus passim auctori nostro in usu. Cæterum mutatione nulla est opus, dum vulgata lectio stare potest. Qui in bellum proni erant laudabant Ordovicum. exemplum et sequebantur. *Boxhornius.*

Probare exemplum] Id est, Probabat, subandi provincia: ac *operiri*, id est, Operiebatur animum recentis

legati. *Rhenanus.*

Transvecta æstas] Lego, *transacta æstas.* Idem.

Sparsi per provinciam numeri] Loquitur de numeris militaribus. *Rhenanus.* Legendum videtur, *innumeri.* Ursinus. Accedere nequeo Romanæ rei instauratori eminentissimo legenti, *per provinciam innumeri:* quippe *numeri*, nihil sunt quam ipsi milites legionarii ne an auxiliarii: qua voce nihil crebrius Taciti ævo. Sueton. Vesp. 6. 'revocatis ad officium numeris.' Videatur Tacitus Hist. l. i. c. 6. *Gruterus.*

Tarda et contraria] Incommoda. Sic illud veteris scriptoris: 'Tardum est differre, quod placet.' *Boxhornius.*

Legionum vexillis] Hoc est, veteranis et emeritis, qui in singulis legionibus sub vexillo seorsum habebantur, cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis, et hinc *vexillarii* dicti: a quibus diversæ sunt *vexillationes* apud inferioris ævi scriptores et in codice Justinianeo. Vegetius enim *vexillationes* et a legionibus et auxiliis sejungit lib. III. c. 4. et 10. Idemque equites tantum in vexillationibus fuisse indicare videtur l. II. c. 1. et 2. *Virdungus.* *Italiam proficiscerentur. Nam et hoc genus *vexillarii* dicebantur, qui expeditionis causa delecti ab legionum suarum corpore ad tempus discesserant, et sub vexillis habebantur. Similiter 'modicam auxiliorum manum' appellat, ut indicet majorem partem ad stativa mansisse. *Gronov.*

In æquum digredi Ordovices non audebant] Manifeste mihi tenere insulsissimam glossam visus sum, vocem *Ordovices.* An enim Ordovices non audebant? ipsi imo Agricolæ milites: quibus trepidantibus, ipse ante agmen incedens, animum fecit, aciemque consternatam erexit. Nempe igitur delenda. Minime vero. Sed corrigenda iterum, correcta a nasuto nimis aliquo lectore, qui, quia de Ordovicibus hic ageretur, vocem *ordines*, quomodo Tacitum scripsisse affirmare audeo, ut sapere plus quam alii videretur, stultissime mutavit in *Ordovices.* Putidum sit cogitare de perditione et restitutione alterius vocis, tanquam scriptum esset, *digredi adversus Ordovices.* Pro *digredi* tamen potius sit legere *degredi*, ut et alibi diximus. *Acidalius.*

Prout prima cessissent, fore universa] Sic Hist. II. 20. dixit 'gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cætera fore.' *Pichena.*

Sed ut in dubiis consiliis, naves deerant, ratio et constantia] Aliquid huic loco deesse videtur ad sententiam explendam: quasi Tacitus sic dixerit: *sed quoniam (ut in dubiis consiliis) naves deerant, ratio et constantia ducis transvexit.* Tamen si vulgata lectio, tanquam integra, sit retinenda, ego ita distinguerem: *animo intendit: sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant: Ratio et constantia, &c.* Duces enim, cum dubia sunt belli consilia, non omnia sibi parare solent, quæ usui esse possunt. *Pichena.* Mira omnia sunt, ni transpositum hoc est. Hunc quidem ordinem et sententiæ et structuræ concinnitas postulat: *Naves deerant: sed, ut in dubiis consiliis, ratio et constantia ducis transvexit.* Acidalius. Videtur scripsisse auctor: *Sed, ut in subitis consiliis naves deerant.* Gronovius.

Qui mare exspectabant] Claudius Boucault corrigit: *Qui Cameras exspectabant.* Quo nomine intelligit naves, quas 'plano alveo fabricasse' Suetonium dixit lib. XIV. 'Adversus breve littus et incertum.' Et Camaræ nomen palato Latino non insulsum. *Barclaius.*

Ne laureatis quidem gesta prosecutus est] Quæ frequenti in usu, si nunciandæ forent victoriæ insignioris prospera, ut ex Livio discimus princip. l. XLV. et ex Amm. Marcellino lib. XVI. *Savillius.*

Sed ipsa dissimulatione] Melius dis-

tinxi puncto apposito post verbum *est:* nam in vulgatis continuabat oratio, *prosecutus est, sed ipsa.* Pichena.

Quanta futuri spe] Quod enim istam expeditionem susque deque habuisset, inde conjectabant, alia multo majora eum in animo habere gerere, et futurorum, claritate præsentia prorsus obscuraturum. *Virdungus.*

Cap. 19. *Parum profici armis, si injuriæ*] Alexander apud Curt. lib. VIII. ' Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur; beneficiorum gratia sempiterna est. Si habere Asiam, non transire volumus, cum his communicanda est nostra clementia: horum fides stabile et æternum faciet imperium.' *Virdungus.*

Statuit excidere] Sive *excidere*, pro recidere legas, sive, *exscindere*, parum refert. *Rhenanus.*

Nihil per libertos servosque publicæ rei] Subauditur *agere*, id est, agebat. *Idem.*

Non studiis privatis] * Livius. Eodem spectant Arcadii et Honorii verba ad Stiliconem: ' Honoris augmentum non ambitione, sed labore, ad unumquemque convenit devenire.' *Virdungus.*

Nec ex commendatione] Suspectus mihi est hic locus: nec enim operosa commendatione aut precibus opus erat, ut quis in gregarium militem adscisceretur. Vix dubito, quin scripserit Tacitus: *nec ex commendatione aut precibus centuriones militum ascire.* Boxhornius.

Precibus centurionum milites accire] Danesius legebat: *centurionum comites asciscere.* Ursinus.

Non omnia exsequi] Notabis *Exsequi* hic valere, *punire, ulcisci:* quod in Suetonii Julio, cap. 67. Vespas. cap. 14. Caligula, cap. 12. in Seneca, et alibi observatum. *Lipsius.*

Non omnia exsequi] Id est, punire. Ita Suet. Jul. 67. a quo fortasse Agricola didicit sic se gerere: ' Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exsequebatur.' Tertull. adversus Marcionem l. I. 37. ' quid denique adulantius, quam delicta non exsequi?' Plautus Capt. II. 1. *Exsequi* alia notione usurpat: ' Si immortales id voluere vos hanc ærumnam exsequi.' Moneam lectorem *si* abesse optimo codici Cl. Puteani, cujus mihi copiam fecerunt lumina Gallicæ juventutis filii ejus. Scribendum ergo, *Dii*, et mittatur, *si*, Morboniam. *Barclaius.* Quamvis enim omnia peccata militum sciret, non ideo omnia puniebat. Observavit G. Barclaius, ab aliis etiam usurpatum hoc verbum, *exequi*, quasi pro punire. *Pichena.*

Nec pœna semper,' sed sæpius pœnitentia] Hic locus me admonet ut illustrem illa Plauti Bacchid. ' Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficium: Nimio præstat impendiosum te, quam ingratum dicier; Illum laudabunt boni, hunc etiam ipsi culpabunt mali.' Quæ tenebris a commentatoribus aspersa sunt. Lambinus *impendiosum* prodigum dici vult, sed qui cum superioribus connectentur? et quo pacto de prodigo verum? ' Illum laudabunt boni,' &c. Quod in noxiam missam facientem verius et concinnius cadit. Nos *impendiosum* μεταφορικῶς pro eo, qui nimius est in ignoscendo: Mnesilochus enim viso Chrysalo, qui sibi fecerat argenti copiam, certus benefaciendi gratos laudat, ingratosque detestatur. *Saliner.*

Officiis et administrationibus potius non peccaturos] Subaudi, ducebat, vel censebat. *Rhenan.* V. c. *est: off. et adm. præponere potius non peccaturos.* Cum in vulgatis desit verbum *præponere*, pro quo alius liber habet, *præficere*, ut alibi apud Tacitum vv. cc. eodem loco quidam habent, *præponere*, quidam *præficere.* Ursin. Cornelius solens ibi verbum supprimit, ubi per se de contextu prodit. Ann. l. XI. ' De se Nonius, conscios non edidit.' Et, ' At Britanni non virtute sed

occasione et arte ducis rati.' Itidem hic sese offert *præponere:* vel idem sit vi τοῦ ἀνανταποδότου, ut apud Thucydidem est invenire, καὶ ἢν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα, i. *quod si conatus procedat:* ubi Scholiastes: τὸ σχῆμα καλεῖται ἀνανταπόδοτον, i. *figura dicitur* ἀνανταπόδοτον. Additque supplenda esse per hæc καλῶς ἂν ἔσται τοῖς Ἀθηναίοις τὰ πράγματα, i. *bene se Atheniensium res habebunt.* Saliner. Scio Tacitum sæpe verba supprimere: sed non ideo decedam opinione, quin hic omnino verbum desideretur. Forte legendum: *præficere administrationibus.* Pichena. Clarum vocem *præficere*, aut similem, decsse, ut aliis notatum. Muretus, nescio an e libro, scribebat; *Off. et adm. præponere potius, &c.* Acidal. Fulvii v. c. toties venditans, quod certum est nullo in Ms. repertum, sed conjecturæ doctorum hominum deberi, jamdudum apud me tesseram confregit. Verbum autem, quod desideratur, censeo latere sub τῷ *potius*, quod, ut et τὸ *magis*, intelligere sæpe Tacitum, Livium, Plautum, alios ante τὸ *quam* in confesso est: adeoque auctorem edidisse *officiis et administrationibus imponere non peccaturos, quam damnare cum peccassent.* Est autem etiam Taciti 'imponere legionibus,' 'cohortibus,' 'custodiæ,' 'summæ rei.' *Gronov.*

Tributorum auctionem] Legam, *exactionem:* nisi tamen tributa aucta recenter intellegit; quod Vespasianus fecerat, ut in Suetonio legas. *Lips.*

Frumenti ac tributorum auctionem] Malim, *exactionem.* Rhenan. Nihil dubitem *exactionem* scribere, ut Lipsius conjiciebat: nam de auctis tributis, vanum. Pro *æqualitate* vero pœne certum mihi Tacitum reliquisse *æquitate:* quod verum sensum facit. Conjecerat sic et Muretus. *Acidal.* * capita provincialium impositum. Adeundi Lipsius de Mag. Ro. l. II. c. 2. et 3. Brissonius l. III. explicationum, quæ ad jus pertinent. *Virdun.*

Circumcisis in quæstum reperta, quæ ipso trib.] Emendavimus: *circumcisis quæ in quæstum reperta, ipso, &c.* Rhenanus. Transposuit Rhenanus relativum, *quæ*, contra veteres libros, qui habent; *circumcisis in quæstum reperta, quæ, &c.* Quod fortasse rectius esset, dummodo legeretur, *repertis.* Pichena. Alterum tributorum fomentum coërcitio administrorum, qui præter publice imperatas pecunias privato suo compendio immane quantum serviebant. *Virdungus.*

Namque per ludibrium assidere] Quæ de clausis horreis, iniqua emptione ac venditione frumenti ejusque subvectione per divortia itinerum in loca remota, hic porro leguntur, fœde admodum sunt corrupta; quibus tanquam conclamatis nos non libenter manum admovemus. *Boxhornius.*

Vendere pretio] Muretus, *pendere pretium*, multo, ut mihi videtur, verisimiliore sententia. *Acidal.* Hæc ego non capio. Quid enim est *vendere pretio?* quasi venditio ulla sine pretii interventu fiat? Tentabam *vendere prædia:* sed ἐπέχω. *Virdungus.* Suspicor, *ac vendere parvo cogebantur.* Gronovius.

Devortia itinerum et longinquitas] Similia quæstuum sive rapinarum genera in provinciis excogitata fuerunt etiam antiquiori ævo ab avaris magistratibus. Cicero in Verr. Act. 6. 'semper ad ultima ac difficiliora loca apportandum frumentum imperare: ut vecturæ difficultate, ad quam vellent æstimationem pervenirent.' Et inferius: 'tum, cum tibi ego frumentum in meis agris, in mea civitate, denique cum in iis locis, in quibus es, versaris, rem geris, provinciam administras, paratus sim dare; angulum mihi aliquem eligas provinciæ reconditum ac derelictum?' *Pichena.* Valerianus Imp. apud Trebellium Pollionem in Balista: 'Ut illis equos contineat, ubi sunt pabula; illic annonas militum mandet, ubi sunt frumenta:

non provincialem, non possessorem cogat, illic frumenta, ubi non habeat dare: illic equum, ubi non potest, pascere: nec est ulla alia provisio melior, quam ut in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumptibus rempublicam gravent.' In quam rem multa et in utroque codice sanciuntur, ut ad Trebellii locum notat Casaubonus. *Virdungus.*

Cap. 20. *Quæ, vel incuria intolerantia*] Lego, *quæ vel incuria, vel tolerantia priorum.* Rhenanus. *Incuria*, dum non inquirunt in facinora suorum ministrorum præsides: *tolerantia*, quod ad delicta suorum conniverent. *Virdung.*

Non minus quam bellum] Siquidem non minus in pace quam in bello spoliabantur, illudebantur, omni crudelitatis genere lacerabantur. *Idem.*

Contracto exercitu multum in agm.] Posset sic quoque legi, imo sic legendum est, *contracto exercitu, militum in agmine, &c.* Rhenanus. V. c. habet *multus*, pro, *multum;* placeret tamen magis, *militum.* Ursinus.

Ipse prætentare] Et hoc officio ducis convenienter. Leo Imp. Tactic. ix. 12. 'Sin admodum lubrica difficiliaque loca fuerint, ipsum oportet primum eo transire: deinde ibi consistere et commorari, donec omnes sine offensione transierint.' Idem exemplo suo ingerunt, apud Curtium lib. vii. et viii. Alexander Magnus; apud Salium lib. xv. Claudius Nero; apud Zosimum Julianus; apud Nicetam lib. ii. Mannelis Conradus: et alii apud alios. *Virdungus.*

Irritamenta pacis ostentare] Multo potius, quod jam pridem margini, *invitamenta:* quod et credo verum. Quid tamen si et *imitamenta pacis?* Id est, pacis quandam speciem. *Acid.*

Præsidiis castellisque circumdatæ] Quæ hic *præsidia* et *castella*, alibi *castra* seu *hiberna* vocat. Annal. xiii. 'damno ejus exterriti qui præsidium ferre debuerunt, sua quisque in castra, trepida fuga rediere.' Supra enim dixit, e castellis eos advenisse. Hist. iv. 'Civilis arte grassandum ratus, incusavit ultro præfectos, quod castella deseruissent: se cum cohorte cui præerat, Caninefatem tumultum compressurum: illi sua quisque hiberna repeterent.' *Pichena.*

Ut nulla ante Britanniæ] Putem legendum, *ut paullo ante Britanniæ nova pax illacessita manserit.* Hoc enim egisse prædicat illa tanta ratione curaque, ut conservaret pacem ante vix notam. 'Lacessitam pacem' alibi quoque dixit auctor, ut supra iv. 32. et xv. 2. *Freinshem.*

Cap. 21. *Saluberrimis consiliis*] Ad continendos scilicet in fide devictos, quod plus est quam vincere. *Virdung.*

Homines dispersi ac rudes] Eam ingressus est viam in mitiganda Britannorum feritate Agricola, quam præiverunt primi civitatum conditores, de quibus Cicero in Sextiana c. 42. *Idem.*

Eoque in bello faciles] Scribendum, *eoque in bellum faciles:* aut potius, *eoque bello faciles.* Sic enim Ann. i. 'seditioni promtum,' dixit. Lib. ii. 'prœlio paratum.' Lib. iv. 'offensioni proniores.' Eodem, 'Agrippina Neroni promtior.' *Rhenan.*

Bello faciles] Qui facile in arma agerentur et quamvis levibus de causis bellum sumerent. *Virdungus.*

Templa, fora, domos] In iis enim occupati de bello cogitaturi non erant. Ea autem tempestate excultam demum, quoad urbes ac ingenia, Britanniam apparet. *Boxhorn.*

Pro necessitate] Faciebat, ut nemo in splendidorum operum structuris post alium esse vellet. Magna ejus vis est apud erectas mentes. *Idem.*

Paullatimque discessum] Suspicor legendum: *paulatimque descensum.* Pichena.

Cap. 22. *Ponendisque insuper castellis*] V. c. habet, *telis*, non, *castellis.* Ursinus.

Acerbior in conviciis] Inter species

irarum et has commemorat Seneca I. 4. quæ in verborum maledictorumque amaritudinem effusæ: cui vitio obnoxii sunt, quos ὀργίλους Aristoteles appellat Eth. IV. 5. irasci faciles tamen ut sint placabiles, qualem se fatetur Horatius, et eodem ingenio Quintum fratrem suum describit Cicero. *Virdungus.*

CAP. 23. *Quarta æstas obtinendis, quæ percurrerat, insumpta*] Mirum est cujus culpa verba hujus sententiæ transposita fuere. Nulla hypallage excusare potest hanc lectionem. Ducantur ergo suas in colonias hæc verba me Triumviro, *Quarta æstas percurrendis quæ obtinuerat insumta.* Non inficior tamen veterem lectionem posse commode retineri. Nam ‘ tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque Taum gentibus:’ has ergo gentes quarto anno (ut proprio verbo dicam) obtinuit, atque adeo Tacitus *quartam æstatem obtinendis quæ percurrerat insumtam* non male dicit. *Barclaius.* Berneggerus sic interpretatur: quæ præcedenti anno obtinuit et vincendo percurrit, præsidiis impositis firmavit. Nec illud bene: quæ enim expeditionis suæ anno tertio percurrit, ea demum quarto obtinuit. Savillius τὸ *obtinere* reddit ac si esset cognoscere, ordinare, disponere. Sed nec illud probo. *Obtinere* enim vix ea notione usurpatur. Vulgata lectio proba mihi quidem videtur. Obtinere nihil aliud est quam totum suum facere, et omnino sub potestatem suam redigere illud, quod antea aut leviter modo tentatum, aut partim tantum devictum erat. Opponitur etiam τὸ *percurrere;* quo verbo prædationes tantum et excursiones in agrum hostilem denotavit, respexitque ad illa præcedentia, vastatis usque ad Taum nationibus. Aliud est vastare et percurrere agrum, &c.* *Boxhorn.*

Nam Glota et Bodotria diversi maris æstu per immensum revecti] Duo æstuaria hæc erant, a Ptolemæo Clota et Boderia appellata: illud, septentrionem, hoc meridiem aspiciens. At hic in Veneto legitur, &c. * *Pichena.*

CAP. 24. *In spem magis*] Doctiss. Vir, *in speciem.* Non quod inde timeret, sed ad vires ostentandas: quod Othonianis etiam factum: ‘ ostentare vires et militari vallo Veronam circumdare placuit.’ Non tamen abjiciam *in spem;* quod satis commode interpretari potest. Agricola gnarus quam oportuna esset Hibernia ad continuendos in fide Britannos; animo versabat ejus invasionem: quamobrem fines copiis instruxit, ne oblata occasione milites e longinquo essent arcessendi, ‘ in spem magis quam ob formidinem.’ Nam alias metu barbarorum milites per fines disponi solent, qui JCtis ‘ milites limitanei’ dicuntur. Similiter hæc eadem de caussa Messana Syracusanis occupatur. Thucyd. lib. IV. ἔπραξαν δὲ τοῦτο μάλιστα οἱ μὲν Συρακούσιοι ὁρῶντες προσβολὴν ἔχον τὸ χωρίον τῆς Σικελίας: i. *idque præcipue Syracusanorum opera, quod viderent inde facillime Siciliam invadi posse.* Postremum quod *Agricola* speravit, nunc Hispani meditantur et tentant, admoniti forsan his Taciti verbis. *Salinerius. In speciem* potius videtur prima fronte: sed si mentem auctoris inspicis accuratius, contra omnino est. Nam si *speciem* legis, ut alia omittam, quare ista subjungit? ‘ Siquidem Hibernia valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit:’ nullam video sententiæ ἀκολουθίαν. His enim illa declarare vult: quæ sunt, si ita quidem legas, plane diversa. Conveniunt optime, si *spem* retineas. Dicere enim hoc vult: Britanniæ, &c.* *Acidal.*

Medio inter Britanniam atque Hispaniam sita] Medio ablativus est, pro, in medio. Sic in Annal. dixit, *medio temporis.* Rhenanus.

Haud multum a Britannia differt, in

melius aditus ortusque] Prodigiose corruptus locus est. Lego *differunt. Ejus aditus portusque, &c. Ejus* scil. insulæ Hiberniæ. *Rhenanus.* Danesius legebat: *haud multum a Britannia differt: ejus aditus, &c.* Ursinus. Muretus legebat, *differunt in melius. Aditus portusque:* quam scripturam amplectar, si sententia, quam gignit, vera. Dubito enim an Hibernia differat in melius a Britannia. Propior sum credere diversum, et addita particula negante scribere, *haud multum a Britannia differunt, nec in melius.* Utrum verius sit, illud quidem mihi certum, vocem *melius* præcedentibus tali aliqua emendatione aptandam, non cum sequentibus, ut nunc vulgo, conjungendam. Nam nec sensus quidquam illic ab ea juvatur: et conciunitas structuræ nescio quomodo læditur. Nisi quis forte mutare, sane non incommode, ita malit: *Militibus aditus portasque per com. et neg. cogniti. Agricola expulsum, &c.* Acid.

Cap. 25. *Infesta hostili exercitu itinera timebantur*] V. c. habet, *hostilis exercitus:* et paullo post; *Caledoniam incolentes populi.* Ursinus.

Portus classe exploravit] Opinor scribendum, *prius classe exploravit.* Mox mallem legere, *impelleretur:* nam sequitur, *attollerent et compararentur.* Rhenanus.

Portus classe exploravit] Et hoc imperatorio officio convenienter: nam prælium navale gesturus (verbis Vegetii) consuetudinem pelagi vel loci ante congressum debet cognoscere. Cæsar lib. iv. de bell. Gall. cap. 20. *Virdungus.*

Hinc auctus Oceanus] Pulcherrime Lipsius, *victus.* Inepte vulgo, *auctus.* Pichena.

Militari jactantia] Vulgus militum jactabundum. Hinc larga risus materia Comicis. *Virdungus.*

Caledoniam] Ptolemæus Britanniam in *Magnam* et *Parvam* dividit; *Magnam* vocans citeriorem ad meridiem; *Parvam* ulteriorem ad septentrionem: cujus incolæ in Majatas et Caledonios distincti erant, id est, in campestres et montanos. Ortelio Caledoniorum, &c.* *Idem.*

Oppugnasse ultro castella adorti] Malim, *oppugnare.* Rhenan. V. c. habet, *oppugnare ultro castellum adorsi.* Ursinus. Lipsius olim suspicabatur legendum, *oppugnantes*, vel, *oppugnavere:* novissime cum Rhenano, *oppugnare.* Ego etsi de sinceritate loci dubito, utcumque tamen vulgatam lectionem defendi posse arbitror, si intelligamus verbum, *oppugnasse*, regi a voce *fama:* quasi aucta fuerit fama ex eo, quod Britanni ultro oppugnassent Romanos; et ideo distinguerem: *paratu magno (majore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse ultro) castella adorti.* Sed durior sensus et constructio, quam ut mihi satisfaciat. *Pichena.* Hic tecum non facio, doctissime vir, licet alias te in oculis feram. *Oppugnasse*, loco, *oppugnare.* Tempus pro tempore. Quintilian. ix. 3. ‘ transferuntur enim tempora, &c. Timarchides negat esse ei periculum a securi:’ *esse* vice *fuisse:* additque, ‘ at ne morer, per omnia fit genera, per quæ fit solœcismus.’ Quod a Dionysio ad Amm. dicitur, *φράσις ἐκβεβηκυῖα παρὰ τοὺς χρόνους τῶν ῥημάτων*, i. *phrasis egressa tempora verborum.* Nec hic modo Cornelius hæc ausus est: ‘ Non tamen pigebit, vel iucondita ac rudi voce, memoriam prioris senectutis, ac testimonium præsentium bonorum composuisse:’ nec primus protulit. Plaut. Pœn. ‘ Nolito ædepol divellisse (piunas) jam duobus mensibus Volucres tibi erunt hircinæ.’ Quibus in locis satis aperte *composuisse* et *divellisse* ejusdem sunt notæ cujus *componere* et *divellere.* Salmerius. Nec dura *παρενθέσει* et constructione opus est nec mutatione temporum. Sed rectissime Pichena, &c.* *Gronov.*

Metum ut provocantes] Multum interest (ait Scipio apud Liviuin l. xxviii.) alicnos populorum fiues an tuos uri exscindique videas. Plus

animi est inferenti periculum quam propulsanti. Qna et in re memorabilis Agathoclis audacia apud Justinum l. XXII. 5. *Virdungus.*

Excedendum potius quam pellerentur] Nec male foret: *excedendum priusquam pellerentur.* Gronov.

Specie ignavi prudentium admonebant] *Specie* referendum est ad genitivum, *prudentium.* Ignavi specie prudentium admonebant. *Rhenanus.*

Specie prudentium ignavi] Ἀγχίθυροι sunt αἱ κακίαι ταῖς ἀρεταῖς, ut ait Basilius. Atque hinc multa in vitæ actionibus occurrunt (verbis Galeni) δυσδιόριστα, quia ἡ ἀρετὴ γειτνιᾷ τῇ κακίᾳ. *Virdungus.*

Peritia locorum circumiretur] Singulari numero restitui, *circumiretur*, veteribus libris auctoribus: nam ad ipsum Agricolam refertur, et recte convenit cum sequenti verbo, *incessit.* Alias quod in vulgatis legitur, *circumirentur*, aliquid ambiguitatis habere potest. *Pichena.*

CAP. 26. *Securi pro salute, de gloria certabant*] Concinnius sit, si vicissim traducas particulas *pro* et *de.* Lego, *securi de salute, pro gloria certabant.* Nam *securum esse pro aliqua re*, nescio an Latine possis dicere. *Acidalius.*

Quinetiam irrupere] Imo *erupere.* Res ipsa et sequentia clamant. *Idem.*

Quod nisi paludes et silvæ] De latebris silvarum notum est, de paludibus noto, in quibus sæpenumero latuisse fugientes memorant scriptores. Juven. Sat. X. ‘ Exsilium et carcer, Minturnarumque paludes.’ Florus quoque auctor IV. 12. ‘ Nihil illa cæde per paludes perque silvas cruentius.’ *Barclaius.*

CAP. 27. *Cujus constantia ac fama*] Fallor, aut *conscientia* legendum. Conscius sibi exercitus egregiæ victoriæ, et ex ea famæ, majora volvebat. Video et Pichenæ hoc placuisse. *Lips.*

Cujus constantia ac fama] Quid sibi hic velit *constantiæ* vox, non assequor: quam corruptam suspicor, ac legendum: *cujus conscientia ac fama.* Nihil clarius et fortasse certius. *Pichena.* Lege, *cujus conscientiu ac fama.* Acidalius. Quod viris optimis fastidio, nobis aurcum et gemmeum est. *Constantia* aliquando opponitur non tam levitati aut infirmitati ejus, qui varius et mutabilis semper, quam timori seu levitati ex timore: atque est imperterritus et immobilis animus iis, quæ terrere possunt, et infirmiores inducere vel vi vel ambitione ad mutanda cœpta et ad aliter et minus honeste fere consulendum. Sic *constantiam* Cyri pueri in Astyagis aula prædicat Justinus I. 5. et *constantiam* Alexandri rapientis ad supplicium de tumultuantibus armatis: cui convenit apud nostrum Voculæ. *Constantia* histor. IV. 25. item Perdiccæ ultro accedentis et increpantis pedestrem exercitum, qui percussorem ad eum miserat Justin. XIII. 3. Talis *constantia* Germanici rejicientis imperium cum maximis minis delatum Suetonio Calig. I. et Titi conspiratis adversum se assidere sibi jubentis et gladiatorum arma explorare apud Aurelium Victorem. Non aliter Pius apud Capitolinum c. 5. ‘ Fuitque ea constantia, ut septenis et novenis annis in provinciis bonos præsides detineret.’ Quod recte cepit Casaubonus: eoque minus ferendum, quod ei obloquitur Salmasius. Cavillator scilicet *bonos* tantum detinuisse, et ab his nihil periculi aut metus. Parum πολιτικῶς, immo regibus boni quam mali suspectiores sunt: et sæpe non injuria. Non enim *bonos* ἠθικῶς ad legem Philosophorum intelligimus, sed juste ac fortiter et cum gratia provincialium rempublicam gerentes: qualibus profecto gloriæ et imperii cupido non segniter innascitur. Noster de Tiberio Annal. primo: ‘ neque enim eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum, a pessimis dedecus publicum metuebat.’ Non aliter Capitolinus Salmasio in subsidium vocatus de

Marco c. 12. ‘ Quamvis esset constans, erat etiam verecundus.’ His enim locum dederunt hæc superiora: ‘ Fisco in causis compendii nunquam judicans favit.’ Decebat *constantiam* principis, nihil decidere de repnblica, nihil pati publico detrahi, etsi hominum odia et famæ invidia foret subeunda. Talis *constantia* fuit M. Catonis omni opum vi repugnantis, ne Asianorum locario induceretur, apud Ciceronem in primo ad Atticum. Ac Marcus quamvis *constans*, quamvis *Fabianæ constantiæ* in spernendis rumoribus et simultatibus, modo recte ageret, quamvis salubris, nec largitor; aut jactura reipublicæ ambitiosus, tamen pudoris sui putabat, non nimium pro fisco tendere. Opportunum est etiam, quod adhibet Salmasius ex eodem Marco Capitolini c. 4. ‘ verecundus sine ignavia.’ Hoc prorsus est istud inversum: *quamvis esset verecundus, erat etiam constans.* Nam huic significationi *constantiæ* adversatur *ignavia*, si memineris *ignaviam* et *segnitiem* optimis auctoribus interdum esse timorem, formidinem; quod Galli dicunt *poltronneric et manquement de courage.* Sic Tacitus Histor. II. 94.* Londinium perrexit.’ His omnibus in locis *constantia* non quævis perseverantia et propositi pertinacia, sed κατ’ ἐξοχὴν permansio in sententia et instituto atque habitu mentis contra graviter obstantem urgentemque vel metum vel gratiam vel subrusticum pudorem. *Gronovius.*

Adversa cum imputantur] Non dubito, quin Tacitus scripserit, *adversa uni imputantur.* Estque gravissima sententia, nec minus vera. Iniquissima hæc bellorum conditio est, prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur; hoc est, duci. Sic Hist. IV. &c.* *Rhenanus.*

Arte ducis rati] Hæret sententia. Putabam olim, et explebam: *arte ducis victos rati.* Nunc magis, et propius verbis: *non ut virtute, sed occasione et arte ducis superati.* Nam illud, *super*, &c.* Lipsius.

Arte ducis rati] Opinor legendum, *arte ducis irati, nihil ex arrogantia remittere*, id est, remittebant. *Rhenanus.* Cum aliquid huic sententiæ desit, Lipsius supplet, *arte ducis victos rati;* sed ex ingenio, non ex libris. Ego, *ducis*, vocem redundare censeo, nam recte subintelligitur, et arte hostium. Ideo levi neque aberrante mutatione, ex ipsa voce, *ducis*, restituerem, *victos;* ut legatur, *arte victos rati.* Notandum hic etiam, quod ars virtuti opponitur. Sic Vegetius in proœm. l. III. ‘ Cum Carthaginiensibus non virtute, sed arte solus ferret auxilium.’ *Pichena.* Suspicabar aliquando: *ut non virtute, sed occ. et arte ducis strati*, vel *superati.* Nunc taceo: video enim non esse cujusvis medicinam facere depositis. *Gruterus.* Melius omnino si legas, *strati*, vel *fracti*, quod infra statim: *Britanni nihil fracti pugnæ prioris eventu.* Acidalius. Deest vox *viros*, aut alia talis, ut in margine annotavit Lipsius. Cæterum et hic locus ostendit plerumque non debellari ea victoria, quam hostes casui magis vel occasioni aut strategemati tribuant, quam virtuti adversariorum: idque ipsum Divico Helvetius Cæsari ingerit l. I. de B. Gall. 13. *Virdungus.* Forte; *non virtutem sed occasionem et artem ducis rati:* sic fere supra II. 11. ‘ haud imperatorium ratus:’ III. 20. ‘ obsidionem flagitii ratus.’ *Freinshemius.* Nos mallemus: *At Britanni non virtute, sed occasione atque arte ducis superati.* Saltem utriusque lectionis eadem sententia, et Taciti est, nisi fallor. Per *virtutem* intellige vim et manum Romanorum. *Boxhornius.*

Cætibus ac sacrificiis] Sic Hist. IV. c. 14. Claudius Civilis. *Virdungus.*

Atque ita irritatis utrinque animis discessum] Sic Ann. XIII. ‘ atque ita infensis utrinque animis discessum.’ *Pich.*

Cap. 28. *Magnum ac memorabile facinus*] Itane magnum ac memora-

bile facinus sit Britanniam circumnavigasse? Hodie certe id nec memorabile nec magnum, post penetratum fretum Magellani, post novos orbes inventos, ex quibus Americanus æque fere nobis notus est quam noster; Australis autem quamvis interiora adhuc celet, tamen extimas oras circum undique jam retexit, aliquot navigationibus circumdatus. Sed et nuperrimæ Hollandorum navigationes memorabiles, quibus per septentrionem viam rimantes ad Indiam orientalem usque ad LXXXI. gradum velificati sunt, et ulterius issent, ni cœli inclementia ac mare concretum prohibuissent. *Virdungus.* Vir eruditissimus et haud quaquam τῶν τυχόντων, (qui longe major apparuisset, nisi vix notum suis morbi et paupertas depressissent,) mihi etiam inter primos adolescentiæ meæ fautores venerabilis, nimis anguste modum hujus facinoris metitur. Magnitudinis ejus, quam Tacitus intelligit, pars exigua et fortuita est, quam præcipuam putat Virdungus. Magnum erat et memorabile, &c.* *Gronov.*

Exemplum et rectores] * Vide quæ annotavit Casaubonus ad locum Spartiani in Hadriano. *Virdungus.*

Tres liburnicas] De his vide Vegetium l. IV. c. 33. et 37. Ibique annotationes Stewechii. *Idem.*

Ad extremum] Id est, postremo. Sic etiam alibi loquitur. Idem usurpatur Livio. *Rhenanus.*

CAP. 29. *Grampium*] Nunc vocatus Grantzbaine. *Savil.*

Commune periculum concordia] O verba aurea! utinam imbibamus! Nempe hoc est, quod Hermocrates ille Syracusanus pulcherrime monuit, apud Thucyd. lib. IV. Τοὺς δὲ ἀλλοφύλους ἐπελθόντας ἀθρόοι, ἢν σωφρονοῦμεν, ἀμυνούμεθα. Εἴπερ καὶ καθ' ἑκάστους βλαπτόμενοι, ξύμπαντες κινδυνεύομεν. *Lipsius.*

CAP. 30. *Priores pugnæ*] Eruditissimus Freinshemius *pugnæ* delendum censet. Et sic Tacitum scripsisse crediderim. *Boxhornius.*

A contractu dominationis] Lege: *contactu dominationis.* Rhenan.

Nos terrarum ac libertatis] Animosa et alta hæc oratio Galgaci: in qua quod suos maxime hortatur ad robur, quoniam ultimi Britannorum sint, nec ulla gens ultra: facit, quod Homericus ille Ajax Iliad. O. Ἀνέρες ἐστὲ, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς· Ἦέ τινας φαμὲν εἶναι ἀοσσητῆρας ὀπίσσω; Ἦέ τι τεῖχος ἄρειον ὅ κ' ἀνδράσι λοιγὸν ἀμύναι; *O socii este viri, reminiscimini virtutis. A tergone adjutores censetis udesse? Aut aliquem murum, qui avertat tristia fata?* Lipsius.

Terrarum ac libertatis extremos] Plerumque constructionem amat genitivi, quod alius dixisset, *terris ac libertate extremos.* Sed de hoc supra monuimus. *Rhenan.*

Recessus ipse ac sinus famæ] Mirifice dictum. Defendit nos, inquit, quod longinqui, occulti, et vix fama noti fuimus (in sinu famæ conditi): nunc omnia aperta. *Lips.*

Recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit] Pro *famæ* posset etiam scribi *fuma*, auferendi casu, id est, per famam defendit. Item pro *atque*, nihil sit incommodi, si quis *atqui* legat. *Rhenanus.* Sic Hist. II. 'abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus.' Ubi Lipsius observavit, voci, *sinus*, vim subesse fraudandi, subtrahendi, occulendi. Hist. lib. III. 'Sed opes Cremonensium in sinu præfectorum legatorumque fore.' Lib. IV. 'exquirique novos sinus, et varia prædandi vocabula.' Sen. Contr. lib. VII. 'unde tam graves paterni sinus? nunquid ossa filii reportat?' Senex enim auro gravis ex hostibus redierat: unde suspicio, eum prodidisse filium. *Pichena.* Valde vereor, ut hæc suo ordine legantur. Muretus ista omnia delebat, 'atque omne ignotum pro magnifico est:' et pro *famæ* legebat *fa-*

ma. At ego dissiluisse hæc video, atque iterum conglutinanda. Quo tamen reponenda potissimum loco, aliquantulum hæsito. Binis quidem possim, et æque utroque commode. Vel ut ita ordinentur : *recessus ipse ac sinus (famæ*, vel *fama, namque omne ignotum pro magnifico est,) in hunc diem defendit. Nunc terminus, &c.* Vel ut ita: *recessus ipse ac sinus in hunc diem defendit. Famæ namque omne ignotum pro magnifico est. Nunc terminus, &c.* Alterutro certe horum modo debet. Utro, non definiam : sed in priorem magis inclinem. *Acidalius.* Legi velim, *sinus fama in hunc diem defendit.* Et ea lectio facit ad auctoris mentem. Forsan etiam pro *sinus* reponendum fuerit *situs.* Ut sit sententia : Fama de remoto Caledoniæ situ, incogniti ejus aditus et recessus, adversus Romanorum irruptiones hactenus nos defendere. *Boxhornius.* Nihil mutandum Observ. lib. I. cap. 4. monuimus. *Gronov.*

Nihil nisi fluctus et saxa et interiores Rom.] Nihil sit incommodi, si quis reponat *eo manifestiores Romani.* Rhenanus. Venetus, *inferiores.* Unde libenter amplector Rhenani correctionem, *infestiores:* quam et Lipsius probat. *Pichena.* Emendaveram pridem ad oram libri mei : *et in iis inferiores Romani.* Sed vir doctus nuper ex cod. suo Mirandulano: *et inter ea Romani.* Quam si veram is censet, non video cur non vulgarem potius lectionem amplectamur. Eumenius Rhetor videtur ad hunc locum respexisse : ' ultra Oceanum vero quid erat præter Britanniam.' Et dein : ' nulla progrediendi causa superest, nisi si (quod natura vetuit) fines ipsius quærantur Oceani.' Nimirum isti credebant in contumaciam Deorum fieri, si quis navigando Oceani terminos scrutaretur. Arrianus Geographus: τὰ δὲ μετὰ τοὺς τόπους τούτους διάτε ὑπερβολὰς χειμώνων, καὶ πάγους μεγίστους δυσβάτων τε τόπων, εἶτα καὶ θείᾳ τίνι δυνάμει θεῶν, ἀνερεύνητά ἐστιν. Verto : *quæ sequuntur immodicis frigoribus inaccessa sive arcana quadam Fati potentia, hactenus non inventa.* Colerus. Particulam *sed* delendam, et junctim illa sic legenda, certissimum : *nunc terminus Britanniæ patet : nulla jam ultra gens; nihil nisi fluctus et saxa, et in iis infestiores Romani.* Quæ postrema Lipsius sic emendavit. Quanquam non male retineri vulgatum etiam potest ; sensum certe facit aptissimum : Ultra Caledoniam nulla amplius gens, nihil præter fluctus et saxa: in ejus interioribus ecce Romani. Ut ego quidem mutare hic, nihil adhuc sustineam. *Acidal.*

Et interiores Romani] Vett. editiones, *inferiores:* e quo Rhenanus, *infestiores.* Ego divisim, *et iis feriores.* Magis feri et duri, quam fluctus et saxa. *Lipsius.*

Postquam cunctis vastantibus] Scribo, *postquam cuncta vastantibus defuere terræ, et mare scrutantur.* Mox, *soli omnium opes atque inopiam.* Rhenanus.

Cuncta vastantibus defuere terræ] Sic Alexandrum incessit Seneca lib. VII. de ben. c. 2. *Virdungus.*

Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium] Recte ut hæc construas vide. Non enim ita jungenda, *falsis nominibus imperium rapere.* Sed, *auferre, rapere appellant imperium : ubi solitudinem faciunt, pacem :* scil. *falsis* utrumque *nominibus.* Acidal.

Ubi solitudinem faciunt, pacem appellant] Similiter Histor. l. I. de Galba Otho c. 37. Huc pertinet et querela Catonis apud Sallustium. Τὰ γὰρ αἰσχρὰ ὀνόματα, οὐ τὰ πράγματα, εἰώθασιν ἄνθρωποι ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον αἰσχύνεσθαι, ait Procopius. *Virdungus.*

CAP. 31. *Bona fortuna quæ in tributum egerat annus*] Legendum apparet, *bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum, corpora ipsa ac manus silvis et paludibus emuniendis verbera inter ac contumelias conterunt.*

Nam Tacito solemne est transponere præpositiones. Sic et hic, *verbera inter ac contumelias*, pro, Inter verbera ac contumelias. *Rhenan.*

Mancipia semel veneunt] Egregium vero membrum, et qualia multa in pulcherrimo corpore hujus orationis: qua, moriar, si quid meo sensu prudentius, disertius, argutius est in omni Romana lingua. Ceterum huic sententiæ plane compar, et velut hinc hausta, illa Salviani l. VI. extremo, &c. * *Lipsius.*

Semel veneunt] Sic Boodicia apud Dionem lib. LXII. At quanto præstaret semel nos alicubi distrahi, quam sub inani libertatis nomine quotannis redimi? Salvianus fine lib. VI. Omnes quippe captivi quum semel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur, et nunquam liberi sumus. *Virdungus.*

Sicut in familia] Strictius Thucydides lib. III. πάθοιμεν τ' ἂν δεινότερα, ἢ οἱ πρὶν δουλεύοντες: i. *Graviora sustineremus, quam qui prius in servitutem redacti sunt.* Salin.

Brigantes fœmina duce] Hæc fuit Voadica regii generis fœmina, de qua supra. *Rhenan.*

Libertatem non in præsentia laturi] Romana editio, *et in libertatem non in præsentiam laturi:* ex quo M. Antonius Muretus ingeniose, diductis vocibus litterisque, *in libertatem, non in p. r. servitium nati*, id est populi Romani. Ambigo tamen: et malim, *libertatem non in præsenti ablaturi*, vel *illaturi*. In hoc enim sententiæ hujus penetrantis vis et velut acies est, integros adhuc Caledonios esse, et libertatem sine ullo jugo illibatam habere: irent igitur pugnarentque, non ut amissam iterum inferrent, sed tot sæculis retentam, ut ne quis auferret. *Lipsius.*

Et in libertatem non in præsentiam laturi] Reor sinceram lectionem esse hujusmodi, *et libertatem non in præsentia inlaturis* pro *illaturi*. Significat prius ipsis libertatem fuisse, pro qua adipiseenda non erat opus pugnare, sed conservanda. *In præsentia* dixit de futuro. *Rhenanus.* Qui pugnant pro libertate, eos dicimus libertatem in manu portare. Sallust. Cat. 58. Τὸ *in præsentia*, ut Terent. 'Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat.' Nunc ea aliter interpunge, et nisi erunt omnia Sole clariora, nunquam posthac duarum rerum mihi credas: *Nos integri et indomiti; et libertatem non in præsentia laturi primo statim congressu? unde ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Nos ad hoc temporis integri et indomiti sumus: et non viriliter nunc primo statim congressu pro libertate pugnabimus? Τὸ *et* interrogando *et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* Salinerius. Mureti lectionem Lipsius non probat. Ego non possum nec ipsius Lipsii. At interpretationem ejus utrisque manibus amplector, vidit enim veram loci sententiam: quæ tamen ex ipsius emendatione nullo modo conficitur. Ut conficiatur, alia plane opus est, verbumque aliquod desideratur, quod eam expleat, jungendum cum participio *laturi*. Hoc vide si forte inveni, latens in veteri Rom. edit. quæ habet, *et in libertatem*. Istud *in* si diducatur, exibit apte, *minui*. Quod corrumpi et decurtari ita quam facile potuerit omnes vident. Ut jam ita commodissime legatur: *Nos integri et indomiti, et minui libertatem non in præsentia laturi, prima statim congressione ostendamus, &c.* In hoc maneo, donec ab aliis certius quid e libris afferatur. Unum tamen afferam, in quo Taciti phrasin agnosces saltem, si nihil præterea idonei aliud: *Et libertati, non imperio sueti, alacri prima statim congressione, &c.* Sic quidem ille frequenter loquitur. Ann. XIV. 'neque conjugiis suscipiendis, neque aleudis liberis sueti.' Hist. IV. 'servirent Syria Asiaque, et suetus regibus Oriens.' Nunc etiam aliud

incidit, veræ sententiæ aptius quam hoc, æque aptum ac quod posui primo, sed quod præferre illi tamen nequeo. Lego, *et libertatem non imperio in præsentia mutaturi.* Ut vox *imperio* similitudine litterarum perierit. Mureti conjecturam firmare possis ex Cæsare de bello Gall. lib. VII. 'hortaturque eos ut se liberos et imperio natos meminerint.' *Acidalius.* Corrigo: *et libertatem nos in præsens etiam relaturi,* aut *daturi, primo statim congressu nonne ostendemus.* Harlæus. Alii alia reponenda suspicantur. Mihi omnia suspecta. Diligentissimus Virdungus favet lectioni vulgatæ. Ego ἐπέχω. *Boxhornius.* Vereor, ut excogitem, quod judicium cujusquam mereatur. Tentabam tamen aliquando: *et libertatem nunc demum periclitaturi.* Aut etiam: *et libertatem omnem in procinctu laturi.* Quemadmodum Seneca l. I. c. 1. de clementia: 'Severitatem abditam, clementiam in procinctu habeo.' *Gronovius.*

Primo statim congressu] Corrigo vere, *prima statim congressione ostendamus.* Vel, *congressu, nonne:* interrogando. *Lips.*

Primo statim congressu, non ostendemus] Malim, *unde ostendamus.* Rhenanus. Danesius, pro *unde ostendamus,* legebat, *non ostendamus,* interrogationis nota posita ab verbum, *seposuerit?* Ursin. Corrupte vulgo *unde ostendamus:* absque interrogationis nota. Mihi potior visa lectio quam recepi: nam et sequentia quoque interrogative pronunciantur, et Tacito familiarior est vox, *congressus,* quam, *congressionis.* Sic infra: 'Ac primo congressu eminus certabatur.' Ann. l. II. 'primoque congressu fusus, reparat vires.' *Pichena.* 'Unde,' ut, 'corrupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro ausus, ac postremo ejusdem desertor ac proditor: unde non alium pertinacius ad pœnam flagitavere.' Vel cum solita distinctione, hyperbatica phrasis est, et Thucydiana lib. VI. ὥστε παρὰ τοσοῦτον γιγνώσκω μόλις ἄν μοι δοκοῦσι εἰ πόλιν ἑτέραν τοσαύτην, ὅσαν Συρακοῦσαι εἰσὶν, ἐλθοιεν ἔχοντες, καὶ ὅμορον οἰκήσαντες τὸν πόλεμον ποιοῦντο, οὐκ ἂν παντάπασι διαφθαρῆναι: i. *ut ita secus sentio vix mihi videantur, si alteram civitatem, qualis nunc sunt Syracusæ, venirent habentes et finitimam habitantes bellum inferrent; non omnino profligatum iri.* Ubi Scholiastes τὸ ὥστε, id est, 'ut, loco movendum est, ne affine solœcismo videatur, et sic ordinanda: ita secus sentio, ut vix mihi videantur non omnino profligatum iri Athenienses.' Lib. I. παρὰ σφᾶς ἂς πρὸς διαγιγνώσκοντας τὸ λοιπὸν ἰέναι τά τε σφίσιν αὐτοῖς ξύμφορα καὶ τὰ κοινά: i. *ad se tanquam cognoscentes cæterum ire quæ sibi ipsis quæque in commune conducant.* Alius dixisset, *cæterum ire ad se tanquam cognoscentes, &c.* Sic alius a Tacito scripsisset: 'Nos integri et indomiti et libertatem non in præsentia laturi: unde primo statim congressu ostendamus, quos sibi viros Caledonia seposuerit.' Id est, Nos nunquam victi, nec nunc primam pro libertate pugnam pugnaturi: qua de re quam primum Romanis ostendamus, quosnam sibi viros sumserint lacessendos. *Salinerius.* Bene fortassis erit huic loco, geminata particula *unde;* pro, *undecunque.* Gruterus. Scribam, *abunde ostendamus.* Frequens vox Tacito et Sallustio: nec video cur id (nam et alius monuit) damnat Lipsius. *Grotius.* Mihi aliud subolet. An fortasse legendum: *primo statim congressu mundo ostendamus.* Virdungus. Subscribo Lipsiano, *prima statim congressione ostendamus.* Gronov.

Cap. 32. *Nostris illi discessionibus*] Malim, *dissensionibus.* Tametsi me non latet, quid sit *discessio populi.* Rhenanus. Danesius legebat, *dissensionibus.* Et ita v. c. et Faërnus etiam legebat. *Ursinus.* Secutus sum Rhenani judicium in voce, *dissensionibus.* Vulgo, minus recte, *discessionibus.* Pi-

chena. Muretus, *dissensionibus*, quod valde amplector. Dein, pro *hostium*, *nostra:* hoc quidem non recipio. Et sensum facit eundem quod vulgatur: et, si verba inspicis, elegantiæ orationis magis servit. *Acidal.*

Infirma vincula] Sive, ut loquitur M. Tullius, malus custos diuturnitatis, non diuturni magister officii. *Virdungus.*

Qui timere desierint] Nec male, *quos timere desierint.* Lips.

Conjuges accedunt] Emendavi, *accendunt.* Rhenanus.

Paucos numero] Lego, *numeros*, et accipio cohortes, ut notavi ad Hist. l. I. *Lips.*

Paucos numeros circum trepidos] Ita Lipsius restituit. Male vulgo, *paucos numero.* Pichena.

Alii nobis tradiderunt] Qui alii? imo vero, *Dii*, repone, mea fide, et jussu. *Lipsius.*

Alii nobis tradiderunt] Hoc est, priores Britanni. *Rhenanus.* Plerique Britannorum (Galgacus ait ad elevandas Romanorum victorias) se vinci passi sunt, ut ii, prosperis elati, sese in interiora difficilioraque loca penetrarent, ubi ab universis quasi vincti cæderentur: nos enim a fronte instabimus, illi a tergo bellum reparabunt. 'Nisi si Gallos et Germanos,' &c. Doctiss. vir: *Dii tradidere.* Salinerius. Egregie a Lipsio emendatum, *Dii;* corrupte in vulgatis, *alii.* Pichena.

Auri fulgor atque argenti] * Adde Plutarchum in Bruto. Atque hæ rationes fuerint Romanis auro argentoque colendi suos milites: res autem ipsa communis cum plerisque aliis opulentioribus præsertim gentibus. *Virdungus.*

Ægra municipia] * Demosthenes: αἱ δὲ πόλεις ἐνόσουν. Et factionum ac seditionum auctores Isocrates νοσήματα πόλεων appellat. Claudianus de bello Get. 'vivusque redit color urbibus ægris.' *Virdungus.*

CAP. 33. *Et vix monitis coërcitum militem adhuc ratus*] Conjicio legendum, *alloquendum adhuc ratus.* Rhenanus. V. c. habet *munimentis*, pro *monitis*, &c. et totus locus ita legendus ex eodem v. c. *Et vix munimentis coërcitum militem, accendendum adhuc ratus:* vel ut est in alio libro, *militem adhuc cohortandum ratus.* Ursinus. Locus defectus Doctiss. viro, unde expletur τῷ *acuendum*, sive τῷ *incitandum.* Ego sola distinctione fretus, integrum reor: *Cum Agricola (quanquam lætum et vix monitis coërcitum militem adhuc ratus) ita disseruit.* Τὸ *adhuc*, ut, 'Nam neque adhuc Varo videor neque dicere Cinna Digna.' Agricola verba ad milites facit, quanquam sciret eos etiam dum ardentes pugnæ, vixque monitis coërceri posse, ne suo injussu in hostes involarent. *Salinerius.* Lege, *adhortatus*, aut *adhuc adhortatus.* Non opus videbatur hortatu, cum tanta esset militis alacritas, ut vix cohiberi posset quin ante signum datum hostem invaderet. Præcessit enim: 'audentissimi cujusque procursu.' Tamen hoc quoque incitamentum virtuti adhibere Agricola voluit, et militem, ut in proverbio est, σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν. *Grotius.* Tentabam, *quemquam lætum et vix munimentis coërcitum militum militem adhortaturus, ita disseruit.* Gronovius.

Octavus annus est] Et tamen septimus tantum annus muneris sui agebatur, ut præcedentia probant. *Savil.*

Patientia et labore] De Romani militis duritia ex Polybio, Cicerone, Josepho, aliis satis notum: notum etiam proverbium, 'Muli Mariani.' *Virdungus.*

Neque me militum, neque vos ducis] Cic. ult. Philip. 'Dignus imperator legione, digna legio imperatore.' Sic et Q. Curtius lib. IV. extremo. *Idem.*

Inventa et subacta] Polyænus Strat. lib. I. Ἀρχίδαμος δὲ ἤρετο πηνίκα δοκοῦσιν ἁλῶναι τὴν πόλιν; λεγόντων δὲ τῶν μὲν ἡνίκα προσεβάλομεν, τῶν δὲ ἡνίκα ἐτοξεύομεν· οὐδαμῶς, ἔφη, ἀλλ' ὅτι τὴν

πολλὴν ὁδὸν ἐπορεύοντο. *Idem.*

Montesve et flumina fatigarent] Legerem, *montesque et flumina.* Levi mutatione, sed non levis elegantiæ. Si locus posceret disjunctionem, particula, *que*, disjungeret, ut apud Cic. Orat. 'Prima enim sequentem, honestum est. In secundis, tertiisque consistere.' *Barclaius.*

Vota virtusque in aperto] Quod Polybius dixit, ἐν ὑπαίθροις. *Lips.*

Et vota virtusque in aperto] Muretus, *en vota virtusque*, &c. eleganter quidem: sed si ita voluisset Tacitus, præposuisset hoc ipsum, et quod nunc prius, sequeretur; isto nimirum ordine: *En vota virtusque in aperto. Veniunt a latebris suis extrusi*, &c. Cui quia non ita apte subjiciuntur reliqua, *omniaque prona victoribus*, &c. relinquamus potius ex omni parte lectionem vulgatam. *Acidalius.*

Superesse] Scripsimus, *superasse.* Rhenanus.

Item fugientibus periculosissima] Lego, *ita fugientibus*; ut stet comparatio. *Idem.*

Neque enim nobis] Sic Hannibal apud Livium lib. XXI. cap. 44. extremo. *Virdungus.*

Et incolumitas ac decus] Hoc est, quæ necessaria et salutaria, eadem et gloriosa nobis sunt. *Idem.*

CAP. 34. *Fortissimum quodque animal robore*] In Veneto legitur, *fortissimum quodque animal ruere*: nec male fortasse: ut non solum non pellantur, sed etiam contra ipsos Venatores ruant: et est Tacito frequentissimum id verbum, *ruere*, cum audaciam ardoremque significat. Tamen vulgata lectio mihi magis probatur: non enim dixisset *ruere*, sed, *ruit*; et ea vox, *robore*, recte opponitur sequentibus verbis, 'ipso agminis sono.' *Pichena.*

Norissime id et extremo metu defixere aciem] Tu repone, *norissime*, id est, *extremo metu.* Dicit, *defixere aciem*: stupidis præ metu, convenit, non *constituere*, sive *direxere.* Rhenanus. Vulgo, *et extremo.* Correxi, *ideo*, quia Venetus habet, *id et extremo.* Is deinde addit vocem, *defixere aciem in his vestigiis*: non male, si, *corpora*, accipias primo casu. Sed vulgata lectio potior. *Pichena.*

Aut mora belli, aut caussas debellandi] Just. Lipsius, flos populi, medulla Suadæ, animulus Minervæ, inambulantem me in horto suo docuit legendum hoc loco, *aut caussas rebellandi*: qua connectione nihil unquam suavius in Criticorum horto crevit. Moneo obiter *debellandi* verbum belli finem notare, ut paullo ante Tacitus hoc lib. 'Quod nisi paludes et silvæ fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.' Tali forma dicitur, *detexere* apud Plaut. Amph. I. 1. 'Illic hoc homo vult pallium detexere.' Id est, plane et perfecte texere, quanquam non inepte legeremus, *retexere.* Barclaius.

Caussas rebellandi] Hoc de Britannis accipiendum. *Rhenanus.* Ita libri veteres: at recentiores reposuerunt, *debellandi.* Falsum: nam potius dicendum erat, *caussas non debellandi*, scilicet non debellatæ provinciæ. Duo imputabantur iis qui Britanniam antea rexerant: moræ belli, et quod propter injurias acerbitatesque adversus Britannos caussam illis præbuissent rebellandi contra Romanos. *Pichena.*

CAP. 35. *Militum ardor*] Prænuntius victoriæ. Veget. lib. III. cap. 12. *Virdung.*

Instinctos mentesque ita disposuit] Lipsius mallet, *instructos*, quod auctoris sententiæ congruens non videtur: adhuc enim milites instructi non erant: ideo, sequitur, *disposuit*, hoc est, instruxit ita instinctos. Sic Ann. II.* *Pichena.*

Citra Romanum sanguinem bellanti] Venetus, *bellandi*: suo quidem sensu. Sed vulgata lectio mihi probior. Subintelligitur enim, bellanti duci ingens id decus fuisse. *Pichena.*

Citra Romanum sanguinem] Sic tunc provinciarum sanguine provinciæ vin-

cebantur. Seneca de ira I. 11. *Virdungus.*

Covinarius et eques] Mela lib. III. 6. docet ‘ Covinum vehiculi falcati genus esse, quo Britanni in prœliis uterentur ;’ quod pariter legimus apud Diodorum Siculum lib. VI. De hoc Martialis XII. 24. ‘ O jucunda Covine solitudo, Carruca magis, essedoque gratum.’ Et Silius l. XVII. ‘ Agmina falcifero circumvenit arcta Covino.’ Et Sidonius Apollin. in laude urbis Narbonensis : ‘ jamque et pectora prona Covino Extensi rapiuntur.’ Lucanus Phars. lib. III. * *Marcellus Donatus. Covinus* currus Gallicus ; *essedum* Cæsaris. Glossæ : *Covina, genus vehiculi.* Hieronymus in Esai.* Mela lib. III. ‘ Dimicant non equitatu modo et pedite verum et bigis et curribus Gallice armati. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.’ Diodorus lib. IV. Cæsar de bello Gall. lib. IV. *Virdungus.*

Diductis ordinibus, quamvis porrectior acies futura erat] Sententia, si quid in ea video, esse hæc debet : Quanquam acies non multo porrectior erat futura, etiamsi ordines diduxisset, atque ea caussa legiones accersi alii suadebant. Vocem igitur insero, quæ perire per similitudinem litterarum facillime potuit : *Quanquam parvo porrectior acies. Parvo* adverbialiter. Sic etiam Gellius XIII. 2. ‘ Accius tunc haud parvo junior.’ *Acidalius.*

Cap. 36. *Brevibus certis missilia*] Legendum, *certis ;* est enim species scuti Virgilio et Grammaticis. *Alciatus.* * fronte instruxit.’ Et paulo post, ‘ tria millia cetratorum, Pisidæ hi erant.’ *Rhenanus.* Hæ videntur a Lusitanis vicinis ad Britannos transisse. Diodor. Sic. lib. V. *Virdungus.*

Tres Batavorum in hostes ac Tungrorum] Ex hoc etiam loco liquet, quid de Batavorum Germanorumque virtute bellica senserint Romani Tungri, qui primi Transrhenanorum, &c. * *Virdungus.*

Complexum armorum et pugnam in aperto non tolerabant] Lipsius monuit hic legendum, *in operto :* ita certe sententia postulabat : venitque in mentem mihi Lipsium recte conjecisse. Nam Ann. II. *opertis* contrario errore ponitur pro *apertis.* Judicent qui nasum Rhinocerotis habent. *Barclaius.* Ratio postulat aliud : itaque substituebam olim *operto :* neque adhuc displicet, nisi quatenus rei aptius clariusque, *in arcto ;* quod veniebat in mentem Pichenæ nostro. *Gruterus.* Muretus *tolerant :* quomodo et ipse malim. *Acidalius.*

In aperto pugnam] Quid ais? imo vel maxime optent, adeo non refutent. Faciebam, *in operto.* Qui sub armis scutisque pugnant, et statim invadunt, spernunt hos prælongos gladios : hodieque res dicit. Tamen placet etiam Francisci Medicis conjectatio, *in arcto pugnam :* et quis stirpem e patronis illis Musarum non amet? Hodie veram gloriam ipsi sic ament. *Lipsius.*

Et tractis qui in æquo] Etiam hic cum Mureto *fractis* malim. *Acidalius.*

Densis tamen hostium agminibus] Muretus *nostrorum* hic reponit. Cui non assentior : nam quantum ex narratione tota colligo, mens Taciti hæc est, &c.* *Acidal.*

Inæqualibus locis] Quæ haud quaquam equitatui vel curribus sunt apposita. *Virdungus.*

Minimeque equestris ea pugnæ facies] Vides *equestre* prœlium? nondum ergo fugerunt, ut vulgata lectio volebat. *Lipsius.*

Minimeque equestres. Ea enim pugnæ facies erat, cum ægrum] Corruptus locus est. Ego sic legerim et distinxerim, *minimeque equestris ea pugnæ facies erat, quum in gradu stantes, simul equorum corporibus impellerentur.* Rhenanus. Corruptissimus locus in veteribus libris, et contra auctoris et historiæ mentem a Rhenano restitutus. Nam verba hæc indicant, illam

quidem vere fuisse aciem equestrem, sed talem non apparuisse: cum contra sit sensus, pedestrem aciem, covinariis, et curruum equis tantum mixtam, faciem equestris pugnæ ostendisse. Constat enim, equites hostium tum non adfuisse, cum jam de illorum fuga dixerit. In Ven. legitur: *inæqualibus locis hærebant, minimeque equestres. Ea enim pugnæ facies erat: cum ægra diu, &c.* Emendationem acutioribus ingeniis relinquo. *Pichena.*

Cap. 37. *Ad subita belli retentas*] Vide Vegetium III. 17. et Onosandrum Strateg. c. 22. *Virdungus.*

Catervæ armatorum] Ut *phalanx* Macedonum, sic *caterva* proprie Gallorum legio erat, uti videre est apud Vegetium. Nec hoc Britannis exolevit, qui bellum *Kad*, et belli robur quod in legioue positum, *Kaderne* vocitant. *Virdungus.*

Acceptum aliquod vulnus] Frequentes enim jam fusa acies despersos ac passim sequentes reparatis viribus interemit, Vegetius III. 25. *Virdungus.*

Nec alius alium respectantes] Lego, *sed alius.* Acidalius.

Cap. 38. *Eligere latebras et statim*] Sic Curtius lib. X.* Sic de Jugurtha Sallustius, de Ciccrone proscripto a triumviris Plutarchus, de Vitellio noster Hist. III. et de Pisone Ann. III. *Virdungus.*

Miscere invicem consilia aliqua, dein sperare] In margine scripsi, *separare*, quia Lipsio sic legenti prorsus assentior. *Pichena.*

Fines Horestorum] Nunc *Auguse*, ut quidam volunt. *Savillius.*

Classis circumvehi Britanniam] Meminit hujus Agricolæ facti etiam Dio Cassius Hist. lib. LXVI. *Virdungus.*

Trutulensem portum] Ignotus est: itaque alii volunt, *Rutupensem.* Lips.

Trutulensem portum] Pancirolus in Notitia imperii Occid. 72. legit, *Rutupensim portum.* Rutupiæ enim est oppidum superioris Britanniæ, et Rutipe portus, qui vulgo, *Zandoniz*, dicitur, ac de eo Ptolemæus, Ammianus, et alii. *Pichena.*

Cap. 39. *Epistolis Agricolæ actum*] Hæsi olim: nunc levi emendatione me expedio, *auctum*, pro *actum*, rescribens. *Lipsius.*

Epistolis Agricolæ actum, ut Domitiano moris erat] Scribendum opinor, aut *relatum*, aut *significatum*, aut *lectum.* Cogitandumque, num sic quoque lectio stare queat, *Epistolis Agricolæ relatum Domitiano, ut moris erat*: ut hæc postrema clausula testetur consuetudinem, qua res in provinciis gestæ Cæsaribus significabantur. *Rhenanus.* Doctiss. vir, *auctum.* At *actum* mihi potius est, quod verbi *scriptum* significat: unde qui verba loquentis exarant, *actuarii* nominantur. Suet. Cæs. 55. ‘ quam non immerito Augustus existimat ab actuariis exceptam male subsequentibus verba dicentis:’ vel, *actum*, id est, narratum. Terent. Andr. ‘ Priusquam abis præsente te huic apologum agere unum volo.’ *Salmerius.* Vulgo, *actum*, sed nullo sensu. Ergo Lipsii judicio, reposui, *auctum.* Pichena. Hæsisse olim Lipsius ait, nunc levi emendatione sic expedire, *auctum* pro *actum* rescribendo. At neque cur hæreret, neque cur mutaret quidquam, caussa erat. *Actum* non jungendum cum superiore *cursum*, sed absolute per se capiendum, ac si ita scripsisset auctor, Quanquam Agricola minime jactanter epistolis egerat: vel, Quanquam ab Agricola nulla verborum jactantia epistolis actum erat. In quo Taciti phrasin est agnoscere. *Acidalius.*

Inerat conscientia] Hoc est, *conscientiam circumire*, sicut lib. I. c. 1. Declem. Seneca loquitur. *Boxhorn.*

Falsum e Germania triumphum] Ridiculi principes Romanorum, qui falsis victoriis gloriam quærebant apud vulgum; nam plebs sola fallitur his præstigiis, ideoque quum plebs

plurimum posset suffragiis, judiciis in libera rep. &c.* *Mercerus.* Hujus triumphi vanitatem etiam Plinius Junior sugillat in Panegyrico. Meminit etiam l. LXVII. Dio Cassius. *Virdungus.*

Ac nunc] Non absurde legas, *at nunc.* Rhenanus.

Tot militibus hostium] Scripsimus, *tot millium.* Idem.

Privati hominis nomen supra Principis attolli] * Suet. in Ner. 21. 'non dubitavit etiam in privatis spectaculis operam inter sceuicos dare.' Lamprid. in Elagab. 'junxisse etiam camelos quaternos ad currus in Circo, privato spectaculo.' *Pichenu.*

Frustra studia fori, &c.] Eloquentiæ enim studium, atque inprimis Poëtices, simulavit Domitianus Sueton. c.2. Noster fiue Hist. lib. IV. Atque hinc illæ præter Poëtas adulationes Plinii in Præfatione Operis sui Titum fratrem Domitiani appellantis, 'Quanto tu orc patris laudes tonas, fratris amas! O magna fœcunditas animi! quemadmodum fratrem quoque imitareris invenisti?' et Fabii Quintiliani in Præf. lib. IV. Instit. Domitianum principem, ut in omnibus, ita in Eloquentia quoque eminentissimum prædicantis. *Virdungus.*

Militarem gloriam altius occuparet] Vulgati, *alius.* Correctionem Lipsio debemus. *Pichena.* Eruditissimus Pichena facit cum doctiss. viro, cui placet *altius:* pergam tamen quo profectus sum, vulgataque a fuga prohibebo: alius circa mores is est, qui antiquos non amplius obtinet, ut si Terentianus Crito avidior ad rem evasisset: hac igitur de caussa Agricola, qui 'inter quæsturam, &c.* *Salin.*

Alius occuparet] Putabam, *altius,* vel *artius,* sive *arctius.* De Agricola Domitianus ratiocinatur, et sese exstimulat: Frustra silentio transitas civiles artes, si in militari præpolleret. Quod si vulgata placet, de ipso Domitiano, &c. * *Lipsius.*

Imperatoriam virtutem] Censet igitur noster, Imperatoris maxime propriam esse *τὴν στρατηγικὴν σύνεσιν, καὶ τὴν κατὰ πόλεμον ἐμπειρίαν,* et omnino *στρατηγικὴν ἀρετὴν,* quam etiam Quintilianus VII. Instit. 10. Imperatoriam virtutem usurpat. Cæterum hæc virtus Imperatorem sive Principem sola nequaquam perficit. Requiritur enim præterea, 'sapientia pacis,' ut cum Sulpitia poëtria loquar. Hoc præter alios vidit Justinianus, qui in Procemio Instit. 'Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus et bellorum et pacis recte possit gubernari.' Sapienter sane. Nam ut ait Cic. I. Off. 'parvi sunt foris arma, nisi sit consilium domi.' Ac sane inter ducem et Imperatorem magnum est discrimen, quod intelligens Diocletianus de Aureliano, ut est apud Vopiscum, solitus est dicere, eum magis ducem esse debuisse quam imperatorem. *Virdungus.*

CAP. 40. *Illustris statuæ honorem*] Hist. I. triumphalis statuæ. *Savillius.*

Addique] Lego, *additque.* Sic et Muretus. *Acidalius.*

Codicillos] * Vide multa de his apud Casaubonum Animad. in Suet. Claud. 29. *Virdungus.*

Cum præcepto, ut, si in Britannia foret] * Jam et Galba apud nostrum Hist. I. Virginium a legionibus, quibus præerat, abducit per simulationem amicitiæ. Nec aliter apud Ammianum Marc. lib. XVIII. vulpinatur Constantius Imperator, ut ad Comitatum, dignitate afficiendus superiore, citius properaret, &c. Quorum omnium artificium etiam calluit Basilius Porphyrogenitus, qui apud Zouaram, magistrum Bardam Sclerum ducem, cui omnes Orientales copiæ parebant, suspectum habens, ea dignitate erepta Mesopotamiæ ducem designat. Denique nec nostrum nec superius seculum hac parte ineruditum. Sic enim (ut alios prætermittam) Ludovicus XI. Com

tem S. Paulli ab exercitu suo abstractum, in nassam illexit. Cominæus, alii. *Virdungus.* Quare id præceptum? Quia haud dubie jam constabat Domitiano, futurum ut libertus Agricolam in Britannia non offenderet. Cui successor jam datus erat; quem ex Britannia jam excessisse non dubitabatur. Sicut non in Britannia, sed ipso Oceani freto, Agricolam libertus deprehendit. Ecce honorem a Domitiano in Agricolam collatum, quo tamen hic non uteretur. Ita pessimi Principes in optimos solent esse liberales, ut optimos æstimare videantur, et in speciem amare illos credantur, quos odere. Volebat videri Domitianus æstimare se velle illustri dignitate Agricolam, revera tamen æstimatum nolebat. Itaque ad beneficium conditionem, qua irrita reddebantur mandata, adjecit. De re ipsa tamen dubitat Tacitus. Non sum interim nescius, in alium sensum hæc alios accepisse; sed an eo apud Agricolam, cujus modestissimum ingenium opus fuerit, ipse mc Tacitus jubet dubitare. *Boxhornius.*

Fictum ac compositum est] Quanquam per se membrum hoc subsistit, aut etiam a superioribus pendet, melius tamen forte cum sequentibus ligaveris: *fictum ac compositum est, tradiderat, &c.* Acidalius.

Exceptusque] De more excipiendi osculis vide Lipsium Elect. II. 5. *Virdungus.*

Quærerent famam] Posset etiam legi, *quærerent tamen.* Rhenanus.

Cap. 41. *Absens accusatus, absens absolutus est*] Ant. Augustinus legebat: *præsens absolutus est.* Ursinus.

Pessimum inimicorum genus, laudantes] Gnome ex ipsis adytis humanæ vitæ; cui Mamertinus interpres, Panegyrico ad Julianum.* Statimque: 'Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores: si enim commiuisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis et gloriæ refutarentur: invenerunt accusandi genus, quod nullus refelleret.' *Lipsius.*

Mœsia] Hæc, definiente Æthico, ab Oriente habet ostia fluminis Danubii: ab Euro Thraciam: a meridie Macedoniam: ab Africo Dalmatiam: ab occasu Istriam: a Circio Pannoniam: a Septentrione Danubium. Eadem fere Isidorus. Recentiores Mœsiam duplicem esse notant, inferiorem et superiorem: quarum hæc ultra Bosnam fluvium, qui Illyrici terminus, versus Ortum sese erigens, hodie Servia appellatur: inferior vero Bulgaria. Utraque, inter Hœmum montem et Danubium sita, usque ad Euxinum Pontum porrigitur. Ptolemæus III. 9. et seq. *Virdungus.*

Tot militares viri] Legendum videtur *vici.* Supra Ann. XII. 38. 'Ac ni cito vicis et castellis proximis subventum foret, copiæ tum occidione occubuissent.' Ann. XIV. 30. 'Præsidium posthac impositum vicis, excisique luci, sævis superstitionibus sacri.' Hist. V. 20. 'Tantumque belli superfuit, ut præsidia cohortium, alarum, legionum modicis vicis quadripartita Civilis invaserit.' *Gronov.*

Hibernis legionum] De his vide Lipsium v. de mil. Rom. Dial. 1. Casaubonum in Adrianum Spartiani, Scaligerum in Mosellam Ausonii, Savaronem ad illum versum Sidonii: 'Cernere jam videor quæ sint tibi, Burge, futura.' Pet. Pithæum Advers. I. 14. *Virdung.*

In ipsam gloriam præceps agebatur] Mirum loquendi genus, quo, nisi fallor, significatur Agricolam his quidem rebus gloriam maximam consecutum sed sibi exitialem: ut qui præcipites aguntur, in exitium suum ruunt. *Virdung.* Gloria igitur et discrimine pariter circumfusus est. Denotat enim hic illud, 'impulsæ præceps immane ruinæ,' ut loquitur Juvenalis Sat. X. *Boxhorn.*

Cap. 42. *Asiæ et Africæ*] Non potest, ut sortitus fuerit utrumque

simul: nec ferunt Romani mores. Scribo, *Asiæ aut Africæ*. Lips.

Aderat jam annus, quo Proconsulatum Asiæ Africæ sortiretur] V. c. habet, *Asiæ et Africæ*. Sed Danesius, *Asiæ aut Africæ*. Ursin. Rectum est, *Asiæ et Africæ*. Dixi ad Ann. l. III. 32. *Mercer.* Non ferunt Romani mores, ut curæ unius proconsulis Asia et Africa demandentur: nec noster, (ut reris) doctissime vir, hæc asserit: quinimo meus ejus hæc fuit, unum utriusque provinciæ candidatum esse potuisse, non item proconsulem: quæ alibi ab eo repetita amovent omnes tricas. Ann. l. III. 'neque multo post missis ad senatum literis, Tiberius motam rursus Africam incursu Tacfarinatis docuit, judicioque patrum diligendum proconsulem gnarum militiæ, corpore validum,' &c. *Suliner.*

Non tam obscuri suudentes] Emendavi, *non jam obscuri*. Rhenan.

Qui paratus simulatione in arrogantiam compositus] Non possum, quin dicam quod sentio. Quid est illud, 'paratus simulatione?' Mala, si quid judico, interpunctione laborat elegantissimus locus. Itaque legi potius velim: *Qui parutus, simulatione, &c.* 'Paratus,' nempe Domitianus, excusationem Agricolæ audiit et admisit. Nam 'cogitationum principis,' ut paullo ante loquutus est Tacitus, periti suaserant, ut proconsulatum Asiæ aut Africæ se aditurum excusaret. Si hæ jam ante fuerint Principis cogitationes, paratus audiit Agricolæ excusationem. 'Simulatione in arrogantiam compositus' est Domitianus, qui ut lubenter audire cupiebat Agricolam se excusantem in honore, quem judicia omnium et vota ei decernebant; imo ad excusationis ejus necessitatem eum per suos impulerat; ita, quo id tegeret, illubentem et invitum et ut iratum se admittere excusationem, gestu et verbis ad tristem arrogantiam compositis, indicabat. *Boxhorn.*

Salarium] Τὸ διδόμενον εἰς τροφὴν, σιτηρέσιον, ὀψώνιον: unde Cujacius etymon hujus vocabuli petitum it, quod scilicet salaria percipientes inde se alant: sed rectius a Sale deducamus; ut sit pecunia ad salem, sicut *vasarium* ad vasa, congiarium ad congios, *calcearium*, apud Sueton. ad calceos, *vestiurium*, apud Senecam, ad vestem, &c. Sane enim Salis appellatione συνεκδοχικῶς, quicquid ad victum, aliquando comprehendi puto. Sic enim Plantus: 'Hodie nunquam apud me delinges salem,' id est, ut idem alibi loquitur, 'hodie apud me Genium tuum meliorem non facies.' Et hinc *consalunei* in veteri Glossario, quos hodie vulgus *Commensules* appellat. Salarium igitur dictum, quod pro sale dabatur magistratibus. Nam et antiquitus instituti, &c. * *Virdung.*

Ne quod vetuerat] Scil. adire provinciam suam. *Suvil.*

Quo obscurior, eo irrevocabilior] Obscura enim dissimulataque ira, placari ac mitigari ab aliis non potest. Idem fere dixit de Tiberio Ann. I. &c.*Pich.*

Sciant quibus moris illicita mirari] Periodus undequaque perfecta, quæque Taciti consilium nobis repræsentat: cujus ingenium pronius quidem in libertatem, sed præfractos et inanes spiritus nunquam laudavit. Ann. IV. &c. * intercessori exitiosa incideret.' Quid si comparationem soceri, ipsum quoque Thraseam perstringit? cujus quidem morte nil libertati consultum. *Sed in nullum rei post usum.* Saliner.

Eo laudis excedere] Malit Lipsius, *accedere*, vel potius *escendere*. Ego vulgatum nolim mutari. *Acidul.*

Qua plerique per abrupta, sed in nullum rei post usum] Scribendum ex v. c. *Sed in nullum Reipublicæ usum.* Ursin. Malim, *nullum Reipublicæ usum.* Mercer. Olim emendavi *nullum reip. post usum.* Corrupte vulgo, *sed in nullum rei post usum.* Idque etiam Mercero in mentem venit. *Pichena.*

Post hæc verba, *quo plerique per abrupta*, deesse alia censeo, non tam quæ horum ipsorum sensum expleant, (nam hic subaudiri aliquid Taciti more fortasse debet) sed quæ sequentium sint velut vinculum, quo præcedentibus meliore structura cohærerent. Sed mihi etiam aliter olim consuli huic loco posse visum est. Inserebam duas saltem voculas : *quo plerique vir, qui per abrupta, sed in nullum rei post usum.* De cetero, Muretus illud *post usum*, quod ego similibus multis exemplis elegans puto, mutabat, scribebatque, *in nullum reip. usum.* Acidalius. Alii *rei postusum.* Mercerus et Pichena *reipub. usum.* Male: *rei post*, id est, accusati post et damnati : nec enim quærebatur de exitu reorum cum unus esset. *Gron.*

Ambitiosa morte] Helvidii inprimis et Thraseæ, ut ego quidem explicandum reor; quem Martialis etiam epigrammate ad Decianum præcipue notat : ' Quod magni Thraseæ, consummatique Catonis Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis,' &c. *Savillius.*

Cap. 43. *Alius agens populus*] Castigavimus, *aliud agens pop.* Rhenan. Aliud agentem populum appellare videtur de publicis rebus nihil curantem, sed suis negociis intentum. *Pichena.*

Aut lætatus est, aut statim oblitus est] Alterutrum *est* delendum. De posteriore ita voluerat Muretus. *Acidalius.*

Vobis nihil comperti affirmare] Quum toto libello neminem alloquatur tamquam ad quem scripserit, mutavi *vobis* in *nobis.* Rhenan. Sallust. in Jug. ' de his haud facile compertum narraverim.' *Pichena.* Periit hic quoque vocula : *nobis nihil comperti, quod affirmare ausim.* Acidal.

Ex more principatus] Legendum est, *principis.* Ursin. Quis tam aliud agens, qui *principis* legendum non animadvertat? notaverat Muretus etiam. *Acidal.*

Per dispositos cursores nuntiata constabant] Reposuimus, *constabat.* Apparet Domitianum non fuisse tum Romæ sed in Albana villa, aut alibi. *Rhenan.*

Speciem tamen doloris animo vultuque] Nihil hic muto, sed quæro, quid phraseos, ' animo præ se ferre speciem doloris?' Si dices ad vocem *animo* aliud quod verbum subintelligi, quis sensus, aut quomodo verum, dolorem vel doloris saltem speciem animo concepisse Domitianum, qui morte Agricolæ maxime lætabatur? Possit legi, *speciem tamen doloris omnino vultu præ se tulit.* Sed nolo mutari. Sic enim accipere debemus, vultu simulasse animi dolorem. Et eodem modo Hist. I. hæc junxit : ' sed plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuntium fama attulisset, animum vultumque conversi.' Ubi vocem *animum* pariter non convenire arguteris : nisi Tacito loquendi illa consuetudo. *Acidal.* Speciem doloris intelligo imitamentum et simulationem, at non ipsum affectum dolendi. Sed animo nulla, opinor, simulatio præ se fertur, sed exterioribus tantum indiciis ; animus enim una ut facie sit necesse est, quamvis interim per externa personam ei possit induere : deinde quis dixerit Tacito quid simulator iste ferret *animo?* Suspicer idem vitium oblatum huic loco, quod alteri cuidam quem in notis ad Florum IV. 11. olim emaculavimus, ut legendum sit : *Speciem tamen doloris amictu vultuque præ se tulit.* Freinsh. Forte, *mimo.* Gronov.

Lecto testamento] Abstinentissimus olim Domitianus : legatur Sueton. c. 9. *Barclaius.*

Judicioque] Notum est, testamentum *supremum judicium* dici in libris Juris, et apud alios : ut in dicto Suetonii loco. Sic Apuleius in Apologia : ' De pietate sua et supremo judicio nihil metuerent.' Et causa est, quod

si unquam homo, tunc certe ad judicii lancem omnia exigit. Præclare Seneca de benef. IV. 11. ‘ Quid quum in ipso vitæ fine constituti sumus, quum testamentum ordinamus, non beneficia nobis profutura dividimus,’ &c. *Virdung.*

Malum principem] Hæres enim malus princeps scribitur, non quia amatur, sed quia metuitur. *Boxhorn.*

CAP. 44. *Natus erat ter consule*] Legendum est, *tertium consule.* Ursin.

Bonum virum facile credcres] * Hist. I. 40. ‘ Nec illos priores et futuri principes terruere, quo minus facerent scelus, cujus ultor est quisquis successit.’ Cap. 48. ‘ quatriduo Cæsar properata adoptione, ad hoc tantum majori fratri prælatus ut prior occideretur.’ Cap. 82. ‘ redieruntque in castra inviti neque innocentes.’ Hist. III. 72. ‘ arserat et antea capitolium, sed fraude privata, nunc palam obsessum, palam incensum.’ Et plura hujus commatis alia. *Savil.*

Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce] Legendus hic locus ex v. c. *Nam sicuti magnæ cujusdam felicitatis esse, durare in hac beat. sæculi luce.* Ursin. Lego, *durare in hanc beat. sæculi lucem.* Acidal.

Quod augurio votisque] Libri veteres constanter addunt vocem, *quod;* sustulit Rhenanus tanquam supervacuam. Sed si alio sensu hæc interpretemur, fortasse necessaria censebitur, ut scil. verba, *durare* et *videre*, respiciant quod sequitur, ‘ solatium tulit.’ Sic igitur hunc locum construendum et interpretandum puto: Nam sicuti, &c. * *Pichena.*

CAP. 45. *Tot consularium cædes*] Nempe Civicæ, Cerealis, Salvidieni, Orphiti, Acilii Glabrionis, Ælii Lamiæ, Salvii Cocceiani, Metii Pomposiani, et Sallustii Luculli, Suetonius auctor. *Rhenan.*

Una adhuc victoria charus nuncius censebatur] Emendavi, *Carus Metius.* * Cari mentionem faciunt Juvenalis et Martialis. Cæterum quænam fuerit ista prima victoria, et adversus quem, nondum reperi. Id quoque non omittendum, verbum *censebatur* hic elegantissime positum esse pro æstimabatur, sive existimationem nactus erat, quemadmodum et alibi Tacitus usurpat. *Rhenan.* Carus et Messalina Domitiano instrumenta crudelitatis; ut et postmodum Massa Plin. l. I. ep. 11. et IV. ep. 22. Juvenalis. *Savil.* * Sanguine censeri?’ Ibid. v. 74. ‘ sed te censeri laude tuorum Pontice noluerim.’ Quoque apud Martialem: ‘ Censetur Aponi Livio suo tellus.’ *Saliner.*

Intra albanam villam] Veteres editiones, *intra albanam arcem villam;* opinor *villam* glossematium esse: et germanum, *Albanam arcem.* Certe Domitianus delectatus eo loco, eumque habuit velut arcem. Dionis compendium: Τοῦτο τὸ χωρίον ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανὸν, ἀφ' οὗπερ οὕτως ὠνομάσθη, ὃν ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν ἐξείλετο. Pichena vellet; *intra Albanam arcem nulla sententia:* quasi dicat, nondum tunc auditum ibi Messalinum. Ego putarem dicere, quod adhuc intra Albanam arcem, non in Senatu et publico, calumniator ille audiretur. At pestes illas hominum, &c. * *Lips.*

Intra Albanam arcem vilam] Restitui in hunc modum, *intra Albanam villam.* Nam mihi doctus quisquam accusativum *arcem* adjecisse videtur, cui non placebat *villa.* At solitus fuit Domitianus patres aliquando in Albanam villam in consilium convocare. Eo loco Corneliam Vestalem incesti damnatam refert Plinius ep. IV. 11. ‘ Secessum Albanum’ Suetonius appellat, et alii. Porro *Messalinus*, cujus hic fit mentio Tacito, delationes apud Domitianum factitavit, adulationis et calumniarum nomine principi gratissimus. Eum graphice et suis vere coloribus depingit Plinius Nepos ep. IV. 22. Hunc ‘ Catullum Messalinum’ a Juvenale notari putant eru-

diti Sat. VIII. et XIII. Nam illum exagitabant occisorum manes, nec usquam quiescere sinebant. Quod autem hic dicit Tacitus, ‘intra Albanam villam sententia Messalini strepebat,’ innuit, Dum adhuc viveret Agricola, nec permisisse Domitianum, neque Messalinum ausum fuisse publice quemquam accusare, quod postea fecit, sed tum secretius, nempe in Albano secessu. *Rhenan.* Libri veteres addunt, *arcem vilam*, unde Rhenanus arbitrario jure, arcis nomine deleto, *villam*, retinuit. Et sane antiqui, aut arcem, aut villam Albanam vocitarunt. Ego etsi *arcem* reposui, tamen alteram vocem potius puto corruptam, quam ut glossema additam: et suspicor legendum: *et intra Albanam arcem nulla sententia Messalini strepebat.* Scio vulgatæ lectionis sensum esse, Messalini sententias tunc intra Albanam arcem tantum latas, et quasi in occulto, sed deinde in ipsa urbe Roma passim et palam auditas. Verum cum non ad perniciem rusticorum, sed civium Romanorum, ejusmodi sententiæ pertinerent, quid referebat, an intra villam, an in medio foro latæ essent? Item pro eo sensu non convenit, *sententia*, singulari numero: neque dixisset, *strepebat*, immo potius, *se continebat.* Recte ergo ad auctoris mentem videtur emendatum, *nulla sententia.* Nam Tacitus, ut exemplis confirmet, felicem Agricolam obiisse, ostendit eo tempore nullam fere Domitiani sævitiam auditam. Ideo ait, Carum Metium, perniciosissimum mox accusatorem, unum tantum reum tunc oppressisse: Adhuc intra arcem Albanam, quo Domitianus sæpissime se recepit, ac sæva multa machinatus est, nullam sententiam a Messalino latam, at postea multas: Atque ipsum Massam Bebium, qui inter acerrimos accusatores connumeratus est, tunc inter reos fuisse. Hujus Bebii Massæ mentio Hist. IV. 50. *Pichena. Intra Albanam arcem villam.* Utrum horum mavis audacter opta, nec time castigationem. Plin. ep. IV. 2. ‘reliquos Pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit.’ Juvenalis: ‘Quos Albanam dux magnus in arcem Traxerat.’ *Saliner.* Operosissimam illam domum Domitiani, quam tot Epigrammatis Martialis magnificat, et *Parrhasiam aulam* vocat, &c.* *Virdungus.*

Jam tum] Forte *etiam.* Gronov.

Nostræ duxere Helvidium in carcerem manus] Intelligit Helvidium filium Helvidii Prisci illius a Vespasiano primum relegati, quod imperatoriam majestatem contemnere videretur, deinde occisi. Rem prolixe narrat Suetonius. Fuit alioqui vir sanctissimus, sed nimiæ propemodum libertatis, quæ exitium illi attulit. Celebrat eum longis, sed indubie veris, laudibus Tacitus histor. IV. circa princ. nec arbitror a paternis virtutibus degenerasse filium, quem abunde testatur bonum virum fuisse, &c.* *Rhenan.* * et ad necem postulatos. Quod sane atrocissimum. Tales Publii Certi manus in Helvidium fuere. De quo Plinius Ep. IX. 13. ‘Inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur, quam quod in Senatu Senator Senatori, Prætorius Consulari, reo judex manus intulisset.’ Quod a Cl. Berneggero, quem nuper magno cum nostro et bonorum omnium luctu excessisse intelligimus, apposite ad hunc locum observatum. *Boxhorn.*

Maurici, Rusticique visus] Scriptura apud me fidei fluxæ. Quo enim illud, *visus?* Nec melius tamen video: aut potius in sententiola hac nihil video. Viri ipsi mihi notiores: e quibus Mauricus, Junius est Mauricus, ‘quo viro nihil firmius, nihil melius,’ ait Plinius l. IV. epistolarum. Eum a Domitiano in exsilium pulsum, redisse principatu primo Nervæ, docebit te idem l. I. epistola 5. At Rusticum hunc, &c. * *Lipsius.*

Nos Maurici rusticique visus] Junius

Mauricus in exilium actus fuit, vir, teste Plinio Nepote, gravis, prudens, multis experimentis eruditus, et qui futura posset ex præteritis providere. Frater hujus Jun. Arulenus Rusticus damnatus capitis sub Domitiano, quod philosophiam sectaretur, et quod Pætum Thraseam laudasset. Meminit ejus Pliuius epist. lib. I. 5. Sueton. Dom. ' interemit Junium Rusticum, quod Pæti Thraseæ et Helvidii Prisci laudes edidisset, appellaretque eos sanctissimos viros.' *Rhenanus.* Mauricus pulsus in exilium a Domitiano, revocatus et restitutus sub Nerva. Plin. epist. IV. 22. *Savillius.* Legendus hic locus ex v. c. *Nos Mauricium, Rusticumque divisimus.* Ursinus. Id est, dum ii nobis rapi ad supplicium viderentur : ' Ut celsas videre rates, atque inter opacum Adlabi nemus, et tacitis incumbere remis, Horrescunt visu subito.' Τὸ *perfudit* oratorie quidem, sed etiam de illo dicuntur, qui cædem propriis oculis non conspexit. Valer. Max. ' filii cruore paterni aspersi oculi.' Is enim M. Crassus est, coram quo filius a Parthis interfectus non fuit. Verum qui potuit Mauricus sanguine senatores aspergere, si jussu Domitiani minime cæsus? Plin. ep. III. 11. ' Cum septem amicis meis aut occisis, aut relegatis : occisis Senecione, Rustico, Helvidio : relegatis Mauricо.' An quod exilium (ut apud JCtos D. de pæn. l. II.) pro morte habeatur? Sallustius quidem de ea re loquens, utitur verbo extinguendi : ' multos mortales ferro aut fuga extinxit.' Dixi Mauricum exilio deterritum a patria fuisse : dissuadent illa Pliniana : ' Relegatis Maurico,' ἀκυρῶς. Ibi Plinius *relegatis*, ut l. I. ep. 5. ' is tunc in exilio erat a Domitiano relegatus.' *Saliner.* Scriptura etiam apud me, uti apud Lipsium, fidei fluxæ. Ille, nihil videre melius fatetur : ego videre mihi visus sum aliquid. Censeo binas voces truncatas, alteram cauda, alteram capite, in unam istam, *visus*, coaluisse. Et scribo : *Nos Maurici Rusticique vidimus casus.* Acidal.

Videri et aspici] Invenusta repetitio, nec homine Latino, nedum Tacito digna. Germana igitur scriptura fuerat : *videre et aspici.* Non erat sub Domitiano, &c. * *Coler.*

Subscriberentur] * Vide Cujacium Paratit. in D. de accus. et rescript. * Plura de Subscriptoribus vide apud Hotomanuum Comm. in Divin. De Subscriptione Brissonii Lexicon, et Lipsium III. 26. de Benef. Senecæ. *Virdungus.* Quare, *suspiria subscribi.* Moris enim erat ut accusator et cum eo alii inscriberent et subscriberent nomen capitibus accusationis. Ejus imaginem repræsentat Seneca in Apocolocyntosi, &c. * *Boxhorn.*

Rubor, a quo se contra] Particulam superesse puto, et lego, *rubor quo se.* Porro de hoc Domitiani fallaci habitu, Plinius in Panegyrico, &c. * *Lips.*

Sævus ille vultus, et rubor] Sidon. l. I. epist. 11. formam Theodorici Gothorum Regis describens, ait : ' lactea cutis, quæ propius inspecta juvevili rubore suffunditur : namque hunc illi crebro colorem, non ira, sed verecundia facit.' *Pichena.*

Tanquam pro virili portione innocentiam principi donares] Id est, Tanquam pro tua parte principem innocentem pronunciares. *Pichena.* Constantia tua in excipienda morte, quantum in te fuit, innocentem esse Principem, a quo veneno excessum tuum festinatum constans fama erat, persuadere conatus es. Neque enim querulus fatum excepisti, ut plerique cum ab aliis procuratum est aut violentum. *Boxhorn.*

Sed mihi filioque ejus] Scripsimus, *filiæque ejus :* nam Agricola filium pridem amiserat. Et sequitur, ' id filiæ quoque uxorique præceperim.' *Rhenan.* In Veneto, et aliis veteribus corrupte legitur : *sed mihi filioque ejus.*

Sententia exigeret: *Sed mihi filiæque tuæ.* Pichena.

Excepissemus certe mandata] Vulgo, *excepissem:* at scripsi, *excepissemus*, quia sensus postulat, ut ad Agricolæ quoque filiam, Taciti uxorem, referatur. Nam statim sequitur, *figeremus.* Forte scriptum erat, *excepissem*, ut sæpe in Mss. unde facilis error. *Pichena.* Cur non *excepissemus* scribitur, ut *figeremus?* De se enim et conjuge loquitur. *Acidalius.*

Nobis tam longæ absentiæ conditione, ante quadriennium amissus es] Ita locum hunc accipit sospitator ille Taciti; ut videatur dicere, contexuisse hunc libellum quadriennio post mortem Agricolæ. At in Suspicionibus dudum ostendi, aliud velle auctorem, ethicaque sententia pronuntiare, visum sibi Agricolam jam tunc mortuum, quo postremo ipsum vidit; ante quadriennium scilicet. Consulatur super isto adfectu Seneca Epist. 63. et Consolat. ad Marciam c. 19. Imo et ipsemet Tacit. Ann. III. 34. et Ann. VI. 38. ut et Hist. IV. 14. Et hæc veniebant sub acumen styli, vere ex tempore. *Gruterus.*

Omnia sine dubio, optime parentum] Ita ex Ven. restitui. Male vulgo, *optima parentum;* quasi Agricolæ uxorem hic tanquam matrem laudaret: quod valde absurdum esset, cum mox eam tanquam uxorem amantissimam laudet. At ea verba ad ipsum Agricolam referuntur, quem optimum parentem vocat. Sic Plinius Paneg. 'quum tu nobis, optime principum, fortissime Imperatorum, consulatum obtulisti.' *Pichena.*

Paucioribus tamen lacrymis compositus es] De ritu isto componendi mortuos adi Is. Casaubonum ad illud Persii Sat. IV. 'tandemque beatulus alto Compositus lecto.' *Virdungus.*

CAP. 46. *Nosque domum tuam*] Restitui copulam, *quc*, ex Veneto. *Pichena.*

Admiratione te potius, &c.] Legitur in V. c. *admiratione potius, quam æmulatione decoremus.* Pro eo vero quod est in vulgatis, *militum, &c.* fortasse, *imitatione virtutum, &c.* emendatius legeretur. Ut totus locus ita legatur: *admiratione te potius, quam æmulatione, et si natura suppeditet, imitatione virtutum decoremus, &c.* Ursinus. Josias Mercerus vir et humanitate et doctrina plenissimus, cujus notitia nihil mihi Lutetia dedit gratius, suspicatur legendum *imitatu decoramus.* Subtilis admodum correctio: nam, imitatio quoddam haud dubie genus est honoris. Alius quidam longe mihi amicissimus restituit hunc locum, primo; supplet vocem *quam*, quod fit non raro in JCtorum libris. *Admiratione te potius* (quam) *temporalibus laudibus.* Pro *militum* legere Dia Critica jubebat *moritum:* sed ne crabrones excitentur rescribamus *mortuum.* Et totam sententiam sic: *Admiratione te potius temporalibus laudibus, et si natura suppeditet mortuum decoramus.* Barclaius. Corruptus locus et meo judicio mutilus. Forte supplendum et legendum: *admiratione te potius, quam temporalibus laudibus; et si natura suppeditet, imitando colamus.* Picheua. Hæc omnia μεταξυλογίᾳ nimis clarescunt: *admiratione te potius temporalibus laudibus (et si natura militum suppeditet) decoramus:* id est, Nos te Agricola non imaginum honore honestabimus, quas tibi militari disciplina peperisti: is enim honos momentaneus est: sed admirando et imitando tuas virtutes: quæ res potior est, et superat temporarias illas simulacrorum laudes. 'Is verus honos et conjunctissimi cujusque pietas: id filiæ quoque uxorique præceperim: sic patris sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, famamque et figuram animi magis quam corporis complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore aut ære finguntur, sed ut vultus

hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt: forma mentis æterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis.' *Saliner.* Cænum et lutum hoc purgare aliquà ex parte sic Lipsius tentat: *admiratione te potius, te immortalibus laudibus:* nec progreditur ultra. Muretus *temporalibus* illud totum deleverat: credo quia censebat, priores has syllabas *tempor*, natas ex præcedentibus vocibus *te potius:* posteriores *alibus*, ex sequente *laudibus*. Ac fieri potest, ut hæc vel ipsius vel nostra conjectura vera sit. Tamen his vestigiis perduxit me fortassis ad verum. Censeo ego verbum ultimum, quodcunque est, non a particula *te*, quæ perperam inserta, sed ab ipsa voce *virtutum*, quæ præcesserat aliquo intervallo, pendere. Atque ita totum locum scripserim: *admiratione potius*, et [*immortalibus*] *laudibus, et si natura suppeditet, imitatione colamus.* Acidalius. Locus et corruptus et mutilus, cui Lipsius medicinam fecit hactenus: *admiratione te potius te immortalibus laudibus.* Videtur sensus esse: Agricolæ facta atque famam cum laude et bonis recordationibus potius, quam luctu atque lamentis esse prosequendam. *Virdungus.* Bene Lipsius, *te immortalibus laudibus:* sed et sequentia emendanda in hunc modum: *similitudine decoremus*, aut *imitatione decoremus.* Similis sensus apud Dionem Prusæensem oratione 29. et Plutarchum consolatione ad Apollonium. *Grotius.* Hæc sunt corruptissima. Quid si partim ex aliorum, partim nostra conjectura legeretur? *Nos domum tuam, ab i. d. et m. l. ad c. v. t. vocamus: quas n. l. p. fas est. Admiratione te potius immortalibus laudibus, et si natura suppeditet, imitatione* (vel, *similitudine*) *decoremus.* Boxhorn.

Famamque ac figuram animi] Certo *formamque* scribendum, non *famamque*, quod viderat etiam pridem Muretus. *Acidalius.*

Intercedendum putem] Videtur legendum, *interdicendum*, non, *intercedendum*, &c. Ursinus.

Quæ marmore aut ære finguntur] Cera ergo propemodum absoleverat, qua olim in imaginibus usi, et atrienses clypei cœperant formari *marmore* aut *ære*. Nam loqui Cornelium de imaginibus convincit quod sequitur, ' Ut vultus hominum ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis æterna.' Confessum enim est imagines nihil aliud fuisse quam expressos vultus. De *ære* superstes præsens est Papinius II. Thebaid. ' species est cernere avorum Cominus et vivis certantia vultibus æra.' Quod meo quidem animo non mutabitur. Siremps lex Ovid. Fast. l. VI. ' Vidimus ornatos ærata per atria picta Veste triumphales occubuisse senes.' Si mihi liceat in rep. sciscere Litteraria, Claudianus etiam stat ab hac sententia: ' Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto Floreat.' Prudentius item lib. I. contra Symmach. ' cera numerentur et ære.' De marmore videtur Plinius indicare XXXV. 2. ' aliter apud majores in atriis hæc (imagines corporum) erant quæ spectarentur, non signa externorum artificum nec æra aut marmora. Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis.' Hæc mihi loca suppeditavit benigne suo more spes altera Belgarum Claudius Boucault. *Barclaius.*

Superstes erit] Non vane hoc de scriptorum suorum perennitate prædicavit Tacitus, de quibus etiam Plinius nepos Epist. VIII. 33. ' Auguror (nec me fallit augurium) historias tuas immortales futuras, quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio.' Lib. VI. ep. 16. ' Video morti ejus, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam.' *Virdungus.*

DE ORATORIBUS DIALOGUS.

Qui ab aliis C. Tacito] * Paulo post idem, ' in Britannia fuisse sese.' Cæterum dolendum est hunc libellum tam esse corruptum. Quem dum percurro, luctatus sum obiter cum mendis. Verum alicubi successit res, alicubi nihil divinando consequi potui, neque enim erat exemplar aliquod vetustius cum quo conferrem. *Rhenan.* Scripseram ante annos octo ad veterum Jurisconsultorum fragmenta, libentius me hunc librum M. Fabii Quintiliani de caussis corruptæ eloquentiæ inscripturum. Quod et sagacissimo elegantissimoque Lipsio visum est. Nunc, ut verum fatear, Tacito potius adseruerim, sequutus non modo Pomponii Sabini, sed et omnium exemplarium fidem. Nec me jam stili ratio usque eo movet, cum sciam pro ætate facile genus dicendi mutari: et quod adolescentis fuit lætum, luxurians, profluens ac floridum, senis fieri concisum, breve, grave, sobrium ac maturum: quale ipsius Annalium et Historiarum est, ad quæ scribenda jam senex sub Nerva animum appulit. In hujus autem dialogi editione præter exemplar in Italia ante aliquot annos descriptum, maximo nobis adjumento fuit Lipsii nostri diligentia, qui sui in Tacitum commentarii apud nos desiderio nunquam nisi sero satisfacturus est. *Pithœus.* Superioribus libris lucem aliquam industria nostra attulit: huic, vere possum dicere, salutem. Nam cum depravatissimus vulgo circumferretur, nulla pagina sine vulnere et vibice; admirabile est, quantum a Farnesiano codice (nam Vaticanis aberat) in eo sanando simus adjuti. Multi hiatus expleti, verba et lineæ integræ insertæ, centeni aliquot loci (Latine non oratorie loquor) emendati. Quorum omnium numerum inire aut longum, aut supervacuum: moderabor, et in his Notis ea saltem, &c. * *Lipsius.* * reliqua vero verbis eorum refert, quos hoc cap. loquentes inducit, quorum numeros, rationes, stilum serio se imitasse profitetur. Unde quid novi, si Cornelius hic alius a se videtur? dicat doctiss. vir, similis ne sui sit, dum in Satira Menippea Ovidium sive Ciceronem nobis repræsentat? nec se Cornelius adeo dissimulare potuit, ut solita sua sibi dictione proditus non sit Ann. XII. ' iners ocium oblectaret.' Eadem phrasis h. lib. cap. 10. Et Ann. l. IV. ' illi magistratus et primores qui te invito perrumpunt.' Eadem h. lib. c. 11. ' me nolente in domum meam irruperunt:' et alia sexcenta. Addit, ætas repugnat: præsertim cum nascatur, &c. * *Salinerius.*

Cap. 1. *Deserta et laude orbata*] Forte, *defecta ea laude et orbata.* Gronovius.

Male existimandum sit] Aptius hic affirmo, quod Rom. habet, *existimandum habeam.* Quod Lipsius edidit, nimis late diffundit ad omnes: hoc nostrum ad ipsum libri auctorem restringit sententiam, ut debet. Nam de se solo loquitur: Tam magnæ quæstionis pondus excipere non anderem. De loquendi ipso genere res facta. Utitur hic auctor omnibus fere hujus libelli paginis. *Acidal.*

Diversas vel easdem, sed probabiles] Jam olim damnarunt has voces *vel easdem* Lipsius et Muretus, superesse eas arbitrati. Planc arbitrer ita quoque ipse, nisi forte ex iis mutandum:

diversas, sed easdem valde probabiles. Vel, *diversas, sed eas valde probabiles.* Acidal.

Cap. 2. *In quem*] Leg. *in quantum:* quod et Rhenanus monuit, cujus apud omnes literatos memoria grata esse debet et sancta. Sic infra, ‘ Credite optimi, et in quantum satis est disertissimi viri.’ *Pithœus.*

Aper communi eruditione imbutus] Ita scribendum puto: vulgo, *cum eruditione.* Rhenan. Male vulgo, *cum eruditione.* Lips. Mihi sententia magis suadeat, *omni eruditione.* Acidal.

Cap. 3. *Sedentem ipsum, quem*] Roman. copulam addit *et quem.* Recte. *Lips.* Addidi copulam, *et,* admonente Lipsio ex Rom. codice. *Pichena.*

Offensas Catonis tui ames] Videtur legendum, *offendas,* aut *offenses.* Rhenan. Perspicue verum. Vulgo, *aures.* Lips. *Offensas Catonis tui aures.* Per indignationem supprimit *recolas.* Sic supra Ann. xvi. ‘ Superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem Augusti.’ Ubi siletur, *intendant.* Quia Cato in ea Materni tragœdia vitia procerum exagitat, et is qui eo more præditus est, dicitur habere aures offensas vitiis flagitiosorum: velut illud: ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο: i. *sacrum robur Alcinoi.* Saliner.

Librum istum apprehendisti] Ita malim. Vulgo *deprehendisti.* Rhenanus. Alii libri, *deprehendisti.* Ego, *reprehendisti;* propria significatione hujus verbi. *Lipsius.*

Leges tu quidem si volueris] Scriptus liber longe aliter, *Leges quid Maternus sibi debuerit, et agnosces, &c.* Lips. Notavit Lipsius scripti libri diversissimam lectionem. Hinc Muretus fecerat: *leges tu q. si volueris et agnosces quid Maternus sibi debuerit:* deletis istis, *quæ audisti.* Ego non accipio. Vulgatam retineo et tueor quicquid liber scriptus mutet. *Acidal.*

Sequenti tractatione] Lego, *recitatione.* Paulo ante: ‘ Sedentem ipsum et quem pridie recitaverat librum intra manus habentem, deprehendimus.’ *Acidal.* Possis et suspicari *sequenti actione.* Sed enim nihil moverim vulgatam: *tractatio* enim ipsa compositio. Cic. *

Festino] Forte, *gestio.* Gronov.

Et caussarum] Al. *Et curarum:* ut supra, *sive novam et recentem curam.* Pithœus. Omnino scribendum conjicio, *caussarum studiis.* Lips. Lipsii conjecturam sequutus restitui vocem, *causarum:* corrupte vulgo, *curarum.* Pichena.

Negotium importasses] Displicet vox *importasses.* Erat commodius, *imposuisses:* sed a literis longius abit. Credo fuisse *imperasses.* Acidal.

Aggregares] Notavit Muretus, *aggregare:* ut videatur sic hæc cum præcedentibus junctim accepisse: Etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina Græcorum fabulis aggregare. Non junxit per appositionem, *negotium, Domitium et Catonem:* sed, *negotium aggregare:* itemque *Domitium et Catonem, nostras historias.* Equidem non minus aptum, sed minime necessarium sic orationem struere. *Acidal.*

Cap. 4. *Cui desidiam advocamur*] Forte, *cui desidiæ notamur; cui* scilicet tibi, id est, a quo. *Rhenan.* Præclare mens liber. Antea corrupte et mutilate, *cui desidiam advocamur.* Lips. Statuo recte in Lipsii libro, *cui desidiam advocationum objicis.* Tamen e vulgato, *cui desidiam advocamur,* non inconcinne fecerat Muretus, *qui desii jam advocari.* Acidal.

Defendendæ adversus te poëticæ] Bene liber mens. Alii, *defendens adversus te poëtice.* Lips.

Omissis forensium Musarum angustiis] * qui ‘ famam eloquentiæ forensis pallentem’ appellat. Quare dubitabam annon verius foret: *Forensium causarum.* Potest tamen fortasse tolerari etiam in ore Materni lectio

vulgata, quia quod eloquentiæ huic dat sacro *Musarum* vocabulo, id iterum imminuit, adjiciendo, *angustiis*. Schelius.

Cap. 5. *Partem gratia prævalere*] Ita Lipsius in margine correxit. Male in vulgatis, *partem gratiæ*. Pichena.

Litis hujus inveniri] Huuc totum locum sic lego, *Ego enim quatenus arbitrum litis hujus inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi.* Potest et legi, *Sollicitudine*, utrumque hoc sensu, Quando te, Secunde, hujus litis arbitrum nactus sum. *Pithœus.* Recta omnino lectio Pithœi iis quibus mens non curva. Farnes. *sociétate plurium.* Lips. *Et ego (quatenus arbitrium litis hujus inveniri non patiar) Maternum sollicite plurimum defendi.* Tranquillo sint animo poëtæ, inquit Aper, qui ad causas agendas non apti sunt: non enim nunc exigo ut sententia de iis ac de oratoribus feratur, qui nempe sint potiores; immo alias vel ipsum Maternum (non in eo respiciens oratorem) apud plurimos defendi: verum ægre fero arguoque enm versibus inservire relicta eloquentia oratoria, ad quam maxime natus est. *Saliner.* Verissima Pithæi conjectura, a qua paullum quid mutabat Muretus: *ego enim quando te nunc arbitrum, &c.* Sed hoc male. Non ipsi venerat in mentem, *quatenus* hic esse *quoniam.* Acidal.

Sed et ipsum] Lego, *sed id ipsum.* Rhenan.

Apud vos arguam] Muretus melius legit, *sed ipsum solum apud te eo arguam.* Melius, inquam, quam Lipsius, qui voluit, *apud vos.* Acidal.

Amittit studium] Lego *omittit*, pro, *amittit.* Rhenan. *Omittit* rectius, etiam notaverat Muretus. *Acidal.*

Factaque nostra] Ita Rom. liber. Alii, *facta nostra.* Lipsius. Copulam *que* adjecit Lipsius ex Rom. codice. *Pichena.*

Quid erit tutius] *Utilius* potius sententia poscit, quanquam nec *tutius* damnat; quod tamen mihi male ex postrema hujus membri parte invectum huc videtur: 'ipse securus licet velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus.' *Acidal.*

Rebus probe fluentibus] Recte Pithœus legit et distinguit, *rebus probe* (nec male, si *prospere*) *fluentibus, aliorum pr. et tutela, &c.* Lips. Livius VII. &c. * *Schelius.*

Proprium periculum increpuit] Alii libri *irrepat.* Sed hoc Farnesianum planissime verum est. Cicero in Catilin. &c. * *Lipsius.*

Non hercule loricæ gladius] Posset etiam legi, *non hercule lorica aut gladius.* Rhenan.

Reo et periclitanti] Fortassis etiam omissa copula scribendum, *quam reo periclitanti.* Acidal.

Eloquentiæ præsidium simul et telum] Melius et concinnius scribas *eloquentia.* Sic eloquentia præsidium et telum dicitur, ut lorica et gladius munimentum. *Acidal.*

Vel in judicio] Mur. *sive in judicio.* Leve hoc, sed tamen rectius. *Acidal.*

Qui accinctus et minax] Libentius legerem, *qua arrinctus et minax.* Ursinus. Lego, *qua.* Præcessit, 'eloquentiam suam opposuit.' *Idem.*

Cui parti minime contradicturum] Ita vetus. Non tamen male vulgati, *cum præsertim minime, &c.* Lipsius. Mei codices, *cum præsertim.* In aliis etiam non male: *cui parti minime, &c.* Pichena. Præposuit Lipsius veterem hanc lectionem, *cui parti minime, &c.* vulgatæ, *cui præsertim.* Male: hæc verior et sensui structuræque accomodatior. *Acidalius.* Præceps Acidalius male fecisse Lipsium ait, cum veterem lectionem præposuit vulgatæ. Quod nos ei credimus haudquaquam, et multo suavius exquisitiusque censemus: *cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitrer.* Infra: 'Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno.' *Gronovius.*

Cap. 6. *Uno aliove momento*] Forte,

alterove. Infra c. 9. ‘ omnis illa laus intra unum aut alterum diem velut in herba vel flore percepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem.’ *Gronovius.*

Orbos et locupletes et potentes] Auxi e libro scripto. *Lipsius.* Vox *potentes* mihi suspecta: cujus in loco requiritur aliquid de orborum senio, non potentia. Neque enim aliter sibi membra orationis invicem convenerint. Opponit *orbos* et *oratorem:* quorum illi locupletes et senes, hic plerumque pauper et juvenis. Vide ergo, si scribendum in vicem *τοὺς potentes, depontanos:* quomodo sexagenarios et provectiores ætate vulgo appellabant. *Acidalius.*

Homines veteres, et senes] Non concoquo *homines veteres:* multo minus *veteres et senes* junctim. Quis enim paullo elegantior alterutro modo loquatur? Nec scio quid faciam, nisi ut ejiciam illam ipsam vocem *veteres,* quæ nescio quomodo se huc insinuavit. Nam mutari commode qui possit, non equidem ego video. Terentius tamen Eun., &c. * *Idem.*

Et totius orbis gratia] Pithœus, *totius urbis:* probe. *Lipsius.*

Confitentes id quod optimum sit, se non habere] Videtur dedisse auctor: *id quod apud te sit, se non habere.* Gronovius.

In unum conversos] Velim addi copulam hic, *et in unum.* Acidalius.

Coire populum et circumfundi coram] Delco *τὸ et,* sed et emendo, *circumfundi coronam.* Acidalius. Lego: *circumfundi coronam.* Silius: ‘ Cernis ut armata circumfundare corona, Et vallet clausos collectus miles in orbe.’ *Schelius.*

Exposita percenseo] Bene ita liber. Antea, *parva censeo,* cum pernicie totius sententiæ. *Lipsius.* Recte e libro scripsit Lipsius, *percenseo,* cum vulgo esset *parva censeo.* Sed quæso, si sententiam hoc pervertere videbat, quomodo non vidit idem facere illud quod sequitur, *majora sunt?* quod ab eodem corruptore manavit, ut alteri *parva* responderet. Miror hoc reliquisse, cum illud mutaret. Ego audacter et hoc deleo, ut totum sic scribatur: *exposita percenseo: illa secret. et tantum ipsis orantibus nota. Sive accuratam, &c.* Ubi quid subintelligendum, nemo tam cæcus, qui non videat. *Illa,* scilicet quæ jam recensebo. *Acidalius.*

Novam et recentem curam] * Opponitur enim superiori illi *accuratæ meditatæque,* quam vocabat. Unde labor, ut, si non delendam, mutandam saltem vocem existimem et hunc scribendum in modum, *sive novam et recentem nec accuratam.* Dubie tamen hoc posuerim. *Acidalius.*

Sine aliqua trepidatione animi attulerit] Reposui, *animi.* Nam vulgo minus recte, *animus.* Pichena. Pro *animus* legi melius potest et forte debet, *animi. Attulerit,* nempe orator. *Acidalius.*

Nam ingenio] Insere, *nam in ingenio.* Acidal.

Cap. 7. *De me ipse fateur*] Sic Venetus. Vulgo, *de me ipso fatear.* Pichena.

Tum abire quod si non] Hic locus valde corruptus est. Quid si interim legamus? *Tum habere quod in alvo oritur, nec c. d.* Pithœus. * Rodolphi lectionem, sive conjectura est, non omitto, qui in prioribus verbis legit, *tum supra me abire.* Lipsius. *Tum abire, quod si non in alio oritur, &c.* Scilicet, Præ gaudio mihi videar terras reliquere: ‘Sublimi feriam sidera vertice.’ At eloquentia si non paratur cura, sive labore, nequaquam codicillis vel gratia principum acquiri potest. Ann. lib. III. ‘ solitum paremque cæteris dicaturum, neque enim eloquentia fortuna discerni.’ *Saliner.* Difficilis et varie tentatus locus. Jam primum Rodolphus, *tum supra me abire:* cui sequentia non cohærent. Deinde Pithœus, *Tum habere,*

quod non in alvo (sive *albo*) *oritur*. Muretus etiam tentavit, sed non ultra progredi potuit, quam *tum habere*. Douza I. 16. ad Petronium putavit sic sarciri lacunam posse, *tum in cœlum abire*; quod nihilo magis hæret sequentibus, quam Rodolphianum. Lusi eandem ego aleam: et nescio an plane felicius. Scribam aliqua sane cum licentia, *tum habere, quod non in tabulis diribitur*: ut ad suffragia in honorum petitionibus respiciat, et diribitorias tabellas: quod quadrat et cum præcedentibus et sequentibus. Dixit enim de tribunatibus, prætoris, et consulatibus. *Acidalius*.

Quibus morum indoles] Cicero et Livius 'virtutum vitiorumque indolem' quidem dixerunt: haud perinde tamen placet, *quibus morum indoles*, nec ad hunc facit locum. Romana editio, *major indoles*. Suspicere legendum *juvenes et adolescentes quibus majorum indoles et bona spes sui*. Schelius.

Cap. 8. *Novis et recentibus*] In margine scripsi *notis*. Lipsius. Alii malent *notis*. Ego non muto. Sic paulo supra dixit, 'novam et recentem curam.' Hist. IV. 'donec nova et recentia jura, in vetustatem consuetudine vertantur:' et in hoc ipso libello sæpe invenias, *veterem et antiquum*. Pichena.

Non minus esse] Videtur legendum: *non minus notos esse, &c.* Cum in vulgatis desit verbum, *notos*, sine quo sententia stare non potest. *Ursinus*. Vox deest; quam a me repono: *non minus esse notos in extremis*. Lipsius. Quis etiam dicitur ibi esse ubi viget ejus gloria. *Salinerius*. Lipsii sensum probo: id enim velle ostendit, quod præcessit: 'Advenæ quoque et peregrini jam in municipiis et coloniis suis auditos cum primum urbem attigerunt, requirunt ac vultus agnoscere concupiscunt.' Minus tamen audax fortasse sit: *Non minus nosci in extremis, &c.* Cicero in Oratore: 'Ergo ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipse te, cum in Italia luce cognosceris, versarisque in optimorum civium vel flore vel robore.' Posses interpretari non incommode τὸ *esse* de fama eorum, quod in extremis quoque terrarum partibus sint fama et gloria nominis sui. Siquidem *extremæ terrarum partes* opponerentur *Romæ*, id est, ei loco, in quo illi erant. At cum Capuæ et Vercellis, ubi præsentes non erant, opponatur obscurior et minus apta hæc locutio videretur. Infra; 'Hoc studio non aliud in Civitate vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari posse.' Ubi observa 'urbis famam, imperii atque omnium gentium notitiam' non tantum significare famam, quam urbs habet, sed famam quam aliquis in urbe; *notitiam gentium* etiam dici innotescere gentibus; non tantum notitiam gentium habere. Utraque enim significatione hæc et similia multa usurpant Latini. Cicero in Pisonem: 'Jamne vides, bellua, jamne sentis quæ sit hominum querela frontis tuæ?' *Schelius*.

Nec hoc illis alterius ter millies sestertium] Id est, Eprii et Vibii: *alter* enim duos continet. Terent. Andr. 'postquam amans accessit pretium pollicens Unus et item alter.' Ubi Donatus. Virgil. Æn. 'Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus;' et ibi Donatus. Quod unusquisque horum habuit ter millies sestertium: quæ summa post Senecam quasi præmium perfectæ eloquentiæ videbatur: Ann. XIV. 'Qua sapientia, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies sestertium paravisset?' Cæterum *ter millies sestertium*, si credimus Budæo de Asse, nobis sunt septem milliones, et quingenta millia aureorum. Sed quam immanis

illa summa, qua Vespasianus remp. dixit egere, Suet. 16. ' professus quadringentics millies opus esse ut resp. stare posset.' Legerem, *quadragies*. Sed libri adversantur, et insignis ille Jurisconsultus de re nummar. Dicamus igitur Vespasianum ὑπερβολικῶς locutum ad augendam inopiam fisci. *Salinerius.* Locum, qua potuit, benc Lipsius restituit et distinxit: postrema pars adhuc non concinna satis; quæ ut rectius cum superioribus copuletur, totum locum distinctum et emendatum etiam alicubi a me asscribam: *Nec hoc illis alterius ter millies, alterius sestertium præstat, (quanquam, &c. eloq. benef. pervenisse,) sed ipsa eloquentia: cujus numen, &c. pervenerint: sed hæc, ut supra dixi, proxima* (noli probare cum Lipsio quod in vulgatis libris, *propria*) *et quæ non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda habemus:* nou *haberemus.* Illud alterum in excusis quibusdam etiam libris, et Mureti erat; atque ipse probasse videbatur. *Acidalius.* Lipsius: ' in morbo locus et defectu; scribas et distinguas:' *Nec hoc illis alterius ter millies, alterius bis millies* HS. Minus audax Rodolphi illud; *utriusque ter m.* HS. Schelius.

Nec hoc illis alterius] Scriptum antiquitus fuisse existimo: *nec hoc illis alterive ter millies sestertium præstat.* Velut incertus, ad eamne summam ambo venerint, ita loquitur tamen, ut utrumque virtute eloquentiæ prædivitem factum facile doceat. Barthius Advers. XLIV. 8.

Sestertium præstat, quanquam ad has i. o. p. v. e. beneficio venisse: sed ipsa eloq.] Sic distinguendus est hic locus. *Pithœus.*

Ut supra dixi] Nihil tamen aliud supra dixit, nisi hoc: ' Quid aliud nuper infestis patribus Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit.' Et paulo ante hæc ipsa: ' Libentius enim novis et recentibus, quam remotis et oblitteratis exemplis utor.' *Schelius.*

Angustia rerum] Rom. editio, *angustiam ereptum*: ex quo Rodolphus, *angustia parentum;* ego, *angustiæ rerum.* Lipsius.

Potentissimi sunt civitatis] Rodolphus, *potentissimi in judiciis.* Lips.

Patientissimus veri] Quorsum hic prædicat in Vespasiano *veri patientiam?* In vulgatis olim *vir* est. Inde legam accommodatius ad sensum loci, *sapientissimus vir.* Acidal.

Imagines, ac tituli, et statuæ] Præclare liber. Vulgo erat, *imagines Attali et statuæ:* quis ingenio suo duce repperisset? *Lipsius.*

Qui vituperet, quam fastidiat] Muretus *qui* inserit: *quam qui fastidiat.* Recte; sed et recte abesse potest. *Acidalius.*

CAP. 9. *Cui bono est si apud te*] Optime quoque liber. Antea, *crebro etsi apud te.* Lipsius.

Ad hunc Secundum recurret] Puto, *decurret.* Justinus l. XVI. ' iterato ad oraculum decurrunt.' Et, ' Ad Clearchum, quem ipsi in exilium egerant, decurrunt.' *Gronovius.*

Adjutorium exstruit] Emendavi, *auditorium extruit.* De hoc ambitioso recitandi more, multa apud Plinium in epistolis. *Rhenanus.*

Recitationem] Ita scribe. Antea, *recitationum.* Lipsius.

Se ipsum colere, suum genium propitiare] Auxi a libro, et partim correxi. Nam in illo erat, *suum ingenium propitiare:* pro quo sensus ipse facile suggessit *Genium.* Lipsius.

Si dignum aliquid elaborare et efficere velint] * Adscribam sequentia, ut ibi saltem Quintilianum ab aliquo mendo purgem: ' Quæ, si quid mediocrium alioqui nostro ingenio virium fuit, ut non extinxerit, debilitavit tamen. Sed vel propter hoc nos contumacius erigamus, quod illam ut perferre nobis difficile est, ita facile contemnere. Nihil enim sibi adversus me reliquit et infelicem qui-

dem, sed certissimam tamen attulit ex his malis securitatem. Boni autem consulere nostrum laborem vel propter hoc certum est;' (*Cæcum*, unde Muretus et Gulielmius *æquum*. Scribe, *æquorum est* vel *cæterorum est*. Nam filio scripserat, ut jam audiemus, in quo erudiendo duplex cura a Quintiliano postulabatur tanquam a parente et magistro; hujus respectu cæterorum esse ait boni consulere:) 'quod in nullum jam proprium usum perseveramus, sed omnis hæc cura ad alienos, ut alienis utilis, (si modo quid utile scribimus,) spectat. Nos miseri sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus, aliis præparavimus: aliis relinquemus:' ita scripsit; non *præparamus*; jam enim fato functo filio non poterat dicere se aliis præparare, aliis relicturum. Janus Gulielmus volebat *properabamus*; ait enim supra se festinasse metu mortalitatis suæ. Sed hoc minus quadrat in id, quod præcessit de facultatibus patrimonii. *Schelius.*

In nemora et lucos, id est, solitudinem, recedendum] * studiorum secessus excurrit.' Corruptum hoc ipsum verbum apud Fabium in x. c. 1. 'Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum; parumque diis visum est esse eum maximum poëtarum. Quid tamen iis ipsis ejus operibus in quæ donatus imperio:' (scribe *donato imperio*, ut monui pridem, vel *natus imperio:*) 'juvenis secesserat,' (ita enim legendum: vulgo *successerat:*) 'sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius?' *Recessus* tamen et *secessus* aliquando a veteribus confundi videntur, ut alibi ostendimus. Apud Tacitum historiarum primo, *repositus* etiam pro *sepositus:* ubi de Muciano: 'Insignes amicitias juvenis ambitiose coluerat, mox altitus opibus lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiæ repositus tam prope ab exule fuit quam postea a principe.' Lege, inquam, *sepositus*, ut fere in re simili dixit hoc ipso libro: 'Specie legationis seposuit:' item, 'Tanquam in insulam Scipio seponeretur.' Rursus, 'Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in Coloniam Aquinatem.' Libro II. 'In Coloniam Aquinatem sepositum ab Othone.' Suetonius: 'Sepositus per causam legationis.' *Idem.*

Cap. 10. *In totam urbem penetrat? nedum*] Restitui; cum in scripto esset, *penetrat medium:* in vulgatis, *metrum.* Lipsius.

Si quis requirit et semel vidit] Lego, *ut semel vidit*, id est, postquam. *Acidalius.*

Natura sua oratorum ingenium denegavit] Sive adeo, *oratorium.* Idem.

Et iamborum amaritudinem, epigrammatum] Insere copulam, *et epigramm.* Idem.

Quod cum natura tua in arcem eloquentiæ ferat, errare mavis] Suetonius Augusto, &c. * 'Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ, Hectoris Æneæque manu victoria Graium Hæsit, et in decimum vestigia retulit annum.' *Schelius.*

Eloquentiæ ferat, errare mavis et summa adeptus] Credam melius: *eloquentiæ te ferat, errare mavis et summa adepturus.* Eadem criminatio supra, &c. * *Acidalius.*

Immanes illos et ad pugnam natos] Ex veteribus addidi copulam, quæ in vulgatis exciderat. *Pichena.* Velim sane addi copulam, *immanes illos et ad pugnam, &c.* Acidal.

Obnoxium sit offendere] Nescio quid in hac lectione inconcinnum: nec dubito, quin auctor scripserit, *obnoxium sit offensæ.* Idem.

Sentio quid responderi possit] Hic locus asterisco mihi indigere videtur. *Pithœus.* Defectum odoror, et asteriscum poni velim ante verbum *hinc.* Lipsius. Defectum hic Lipsius censet. Ego vero superesse etiam aliquid censeam, *ex his.* Nam quid hoc

sibi vult, cum jam dixerit *hinc*. Sed bene habet. Neque deest, neque superest quidquam. Ex hoc ipso quod superfluere videtur, explendum, quod desiderari manifestum est. Muta, *existere*, et scribe: *hinc ingentes existere assensus, &c.* Nec dissimulo sic et Muretum conjecisse. *Acidal.*

Hic ingentis ex his assensus, hinc in ipsis] Pithœus et Lipsius loeum hunc asterisco notant quasi defectum; sed nulla, ni fallor, causa. Scribe: *Hic ingentes excitari assensus, hic in ipsis, &c.* Plinius epist. IV. 'Disponit qui nuntient sibi quem assensum, quos clamores excitarim.' Possis etiam: *hinc ingentes existere assensus.* Schelius.

Hinc ingentes ex his assensus] Placet Acidalii *existere*. Sed quod sequitur, mirum est neminem notasse scribendum: *hæc in ipsis auditoriis præcipue laudari, et mox omnium sermonibus ferri.* Gronov.

In quibus expressis si quando necesse sit] Pro his verbis fortasse: *in quibus expressit si quando necessitas.* Lipsius. Vocem *expressis* non capio satis, nec quid ea faciam, scio. *Acidalius.* Assentior Lipsio legenti *necessitas expressit.* Cap. 11. 'Paravi,' inquit, 'me non minus diu accusare oratores quam Aper laudat.' Lipsius, *Laudare.* Scripserim, *Laudavit.* Schelius.

CAP. 11. *Intento ore*] Dubito an potius, *intentior.* Acidal.

Aper laudat] Forte, *laudavit*, vel *laudare.* Nec tamen quidquam fere interest. *Idem.*

Prosterneret arte quadam] Leviter hæc hiant, quæ ita facile sarcias: *prosterneret:* id arte *quadam mitig.* Ceterum *detractaret* hoc significatu etiam infra: 'Nunc detractasse nominatim antiquos auctores contentus.' Item: 'plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii detractent.' Alias *obtrectare* pro eodem vulgatius. Item hic infra: 'Nam quod invicem se obtrectaverunt.' Et Tacit. Ann. I. 17. 'Non obtrectari a se urbanas excubias.' *Idem.*

Ingredi famam] Tacitus: 'Primas dominandi spes in arduo ubi sis ingressus adesse studia et ministros.' *Schelius.*

Improbam et studiorum quoque sacra profanantem vaticinii] Scribendum, *cum in Nerone improbatam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi*, diximus Observ. III. 4. *Gronovius.*

Hodie si quid] Rom. addit copulam, *et hodie:* recte. *Lips.*

In nobis] Detrahe præpositionem *in.* Acidalius.

Et frequentiam salutationum] Nescio an scripserit, *salutantium.* Supra Aper: 'Quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato, quam videre plenam semper et frequentem domum concursu splendidissimorum hominum?' *Schelius.*

Quam æra et imagines] Lege: *Quam illa æra, &c.* Acidal.

Statum cujusque ac securitatem] Malo, *statum hucusque.* De se loquitur: et respondet illi parti Aprinæ orationis, quæ eloquentiam telum esse voluit ad pericula omnia propulsanda. *Lipsius.* Vulgo, *tueor.* Ideo Lipsius corrigendum censuit, *hucusque* pro *cujusque.* Mihi levior mutatio visa, *tuetur*, et sententia fortasse expeditior: ut *innocentia*, et *eloquentia*, sint primo casu. *Pich.*

CAP. 12. *Hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus*] *Commoda* non satis aptum. Et ex altera lectione *commodata*, facillimum emendare *commendata*, ut censuit et Muretus. *Acidal.* Forte rectius *commodata.* Vult eloquentiam etiam homini cælitus utendam datam. *Freinsh.* Adscribitur in margine Lips. *commodata:* vel, *comta:* lege, *commendata.* Fab. I. VIII. &c. * Infra noster: 'Ipsos quoque nervos rubor tegit, ac decor commen-

dat:' et *habitum* et *cultum* etiam Tacitus conjungit Annalium I. ' quædam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat:' et II. ' Cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto.' Et Statius: ' Cœli prædiscere morem Cura sit, et patrios cultus habitusque locorum.' Merito autem dixit, &c.* * Barthius legit, *se putat esse sibi.* Est quidem in eo acumen. Plinius Tacito: ' Commendas mihi Julium Nasonem candidatum. Nasonem mihi? quid si me ipsum.' Ego tamen in hoc loco correctionem istam recipiendam vix arbitror: quantumvis specie ingenii blandiri videatur. Primum enim non dixerat Julium alterum se: quod videtur debuisse dicere quo acumen istud vim haberet. Sed Marcus *avere jubet.* Deinde qui se sibi commendat, is non tam peccat, quam errat, quam ineptam et absurdam et minime necessariam rem facit. At qui se putat apud suos commendandum, is lædit quodam modo jus officii, et cum dubitet de amici erga se voluntate, peccat. Hunc sensum veriorem arbitror. *Cultus* autem (quem Græci Κόσμον appellant) Aristoteles etiam Poëtas primos auctores facit, dicitque eos commovisse orationem. Aristoteles Rhet. III. Ἄρξαντο μὲν οὖν κινῆσαι τὸ πρῶτον, ὥσπερ πέφυκεν, οἱ ποιηταί. Quem imitatus est Plutarchus Solone: ἀρχομένων δὲ τῶν περὶ τὸν Θέσπιν ἤδη τὴν τραγῳδίαν κινεῖν. Commotam Historiam Cicero eodem sensu dixit in Bruto verbis Theophrasti: de Herodoto et Thucydide: ' Alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit, alter incitatior fertur et de bellicis rebus canit etiam quodam modo bellicum: primisque ab his Historia commota est, ut auderet uberius, quam superiores, et ornatius dicere.' Hic noster infra, ' novis eloquentiæ itineribus opus esse cum vulgata et domestica in fastidio sint: externa et nova hominem admirentur.' Διὸ δεῖ, inquit Aristotcles, ποιεῖν ξένην τὴν διάλεκτον. Θαυμασταὶ γὰρ τῶν ἀπόντων εἰσίν. *Schelius.*

Et sanguinantis eloquentiæ] Fortasse, *et saginantis*, uti ad commodum lucrumve hæc tantum referat. Nam *sanguinare* probum quidem verbum, sed non aliud quam sanguinem emittere. *Artus sanguinantes, vulnera sanguinuntia*, in Quintiliani declamationibus mihi lecta. Quæ significatio parum hic apta, si ad accusationes et sanguisugam illa eloquentiam respexit. *Lipsius.* * *in locum teli repertus.* Et: *quam reo periclitanti eloquentia præsidium simul, et telum.* Cur igitur sanguinaris eloquentia non vocabitur, per quam tot proceres lacerati sunt? *Salinerius.* Ad Lipsii mentem parum apta alterius vocis significatio. Ita est. Sed non ad sanguisugam eloquentiam auctor ea voce respexit, sed prœliatricem: quia, ut et supra dixerat, et hic repetit, *in usum teli reperta esset.* Quo respectu aptissima ad sensum vox, nec quidquam immutandum. *Acid.*

Poëtis et vatibus abundat, qui bene facta canerent] Manifeste legendum *abundabat.* Sicque Muretus. *Acid.*

Aut gloria major] E vestigiis scripturæ priscæ restitui. Nam Farnesianus: *aut gloria more.* Vulgati plane turbant. *Lips.*

Si hæc fabulosa et composita] * composita etiam videri volunt:' ubi tamen nescio an verius sit, *facta.* Cicero in Bruto: ' Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio.' Idem in oratore: ' Omitto Isocratem discipulosque ejus Ephorum et Naucratem, quanquam orationis faciendæ auctores locupletissimi.' *Schelius.*

Concedis Aper] Sive *concedes.* Acid.

Plures hodie reperies] Videatur deesse particula, *Quin plures hodie reperias.* Quanquam et sic satis integrum vulgatum. *Idem.*

CAP. 13. *Hi quibus præstant indignantur*] Fallitur Lipsius. Significat

enim quod Florus de Cæsare l. IV. 2. 'Clementiam principis vicit invidia, gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia.' Cicero pro Sulla: 'quam multi summi homines et ornatissimi et nostri et equestris ordinis, quorum pro salute se hic Sullæ obligavit! Quos ego nominarem: neque enim ipsi nolunt, et huic animo gratissimo adsunt: sed quia majus est beneficium, quam posse debet civis civi dare, ideo a vobis peto, ut, quod potuit, tempori tribuatis: quod fecit, ipsi.' Cato apud Plutarchum: *οὐ βούλομαι τῷ τυράννῳ χάριν ἔχειν, ὑπὲρ ὧν παρανομῶ· παρανομῶ δὲ σώζων, ὡς κύριος, ὧν αὐτῷ δεσπόζων οὐδὲν προσῆκεν.* *Gronovius.*

CAP. 14. *Tum Urbanus*] Castigavi, *Quum Urbanus.* Lips. In v. c. est *Vibanius Messalla.* Sed fortasse, *Vibianus*, scribendum. *Ursinus.* Legebatur antea, *Urbanus Messalla.* At vetus, *Vibanius*: e quo pronum reddere viro celebri gentile nomen, *Vipsanius Messalla.* Lips. Frater Reguli, de quo Tacitus Hist. III. 'Legioni tribunus Vipsanius Messala præerat claris majoribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum bonas artes attulisset:' et l. IV. 'Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipsanius Messala adeptus est, nondum Senatoria ætate, ausus pro fratre Regulo deprecari.' *Schelius.*

Ingressus est, suspicatusque] Possis, et sic forte rectius, delere illud *est.* Acidal.

Poëtarum quam oratorum] Scribo, *audentior, poëtarumque quam oratorum similior oratio.* Gronov.

Viri optimi et optimi temporum] Ita videtur legendum, cum in vulgatis desit alterum, *optimi*, a librario non repetitum. *Ursinus.* Languet sensus: quem roboro traductione vocis *optimi: viri et temporum nostrorum oratores optimi.* Nisi placeat magis cum Mureto vocem eandem geminare; *viri optimi et optimi temporum, &c.* Sententia quidem alterutrum desiderat, cui non dissimilis ista ad finem: 'credite optimi et in quantum opus est disertissimi viri.' *Acidal.*

Ingenium alunt, et eruditionis] Malim, *et eruditionem.* Rhenan. Placet cum Rodolpho, *ingenium alunt et eruditionis et litterarum.* Lips. Quod Lipsius ex Rodolpho ita restituit, nonnihil juvatur a Veneto, qui habet, *eruditiones;* confuse vulgo, *et eruditionem: et litterarum.* Pichena. Non displicet mihi, quod Lipsio placet cum Rodolpho. Magis tamen placeat meum, *ingenium alunt eruditione, et litterarum jucun. oblect. asserunt.* Acidal.

Plurium ejusmodi librorum] Ita scripsimus pro *plurimum.* Rhenan.

CAP. 15. *Oratorem esse contenderet*] Correctio ex Lipsio. Vulgo, *Antiquis eo credo audacius.* In qua lectione nullus fere sensus. *Pichena.* Ex contextu prodit: *favebas, at in iis,* id est, invenis, quæ ad eam rem faciebas. Cæterum malignus Messalla non videbatur, quod se quoque antiquis deteriorem ducebat. *Saliner.* Duplicite hic divinat Lipsius. Prius sane mihi non placeat. Nec altera conjectura satis placet, etsi ad sensum quidem idonea. Nescio tamen, quomodo oratio et simplicior et gratior absque tali additione, *atque id.* Mihique pœne persuasi, delendam plane turbatricem vocem *antiquis*, quæ et unde irrepserit, videor prope invenisse. Addiderat aliquis imperitus ad ea verba, *in iis*, glossam ineptam, *antiquis:* ea postea superiori lineæ ineptius ab alio imperito inserta. Et quidem illa ipsa verba, *in iis*, nullus ego capio. Quos enim vult dicere? aut quos nominavit, de quibus nunc intelligat? Corrupta profecto judico, et eorum loco scribendum, *judicis*, eleganti et facili mutatione: ut jam totus locus sic purgatus videatur: *cum neminem hoc tempore oratorem esse contenderes: eo credo audacius, quod maligni judicis opinionem non*

verebaris. Acidal.

Neque illius] In exemplari Italico ad hunc locum adscriptum fuit, *Eadem verba sunt Petronii.* Et sane quædam sunt initio Satyrici Petroniani quæ hujus disputationis locis aliquot valde consentanea sunt. *Pithœus.*

Ut longius absit Æschines et Demosthenes sacerdos iste enitet] Tres postremæ dictiones indubie portenta sunt mendarum. Quid si legas, *ut longius absit Æschine ac Demosthene Dositheus, et si quis alius Eph. vel Mityl. &c.?* Nam fieri potest ut *Dositheus* aliquis orator apud Græcos eo tempore vixerit quo conditum est hoc opusculum. Comparat itaque veterem Æschinem et recentem Dositheum, si vera conjectura est, aut similem alium: nam hujus mihi in mentem venit, syllabas istarum dictionum rimanti. Id tamen exempli causa putetur dictum. *Rhenan.* Vere et εὐστόχως emendavi, *Sacerdos iste Nicetes.* Cum in libris esset, *sacerdos iste enitet.* Nicetes sacerdos declamator nobilis eo ævo. Plinius l. VI. &c. * Exstat Philostrati Lemnii de hoc Nicete in Vitis Sophistarum elogium, de quo Pithœus nos monuit. Nominat et Seneca pater, Cont. IX. 11. ‘ Nec Julio nec alii contigisse suo [scribam, nec Vibio, nec alii contigisse scio] quam apud Græcos Nicetæ, apud Romanos Latroni, ut a discipulis non audiri desiderarent.’ Et eodem lib. Cont. ult. Nicetes egregie dixit in eodem loco. *Lipsius.* Sic legit doctiss. et elegantissimus Lipsius ex Plinio, cujus conjecturam magis confirmat Philostrati Lemnii de Nicete elogium in vitis sophistarum; cujus indicium Neveleto meo deheo. *Pithœus.* In Senecæ loco legendum: *nec ulli alii contigisse scio.* Similis locus apud Senecam Cont. 3. præf. ‘ Hi non tantum disertissimis viris, quos paullo ante retuli, sed etiam Ciceroni Cæstium suum præferrent, nisi lapides timerent.’ *Acidal.*

Cap. 16. *Significatione ista determinetis*] Rom. edit. *signatione.* Lips. Reposui ex veteribus vocem, *signatione*, quæ mutata erat in *significatione.* Sic inferius: ‘ neminem nominabo, genus hominum signasse contentus.’ *Pichena.*

Non multo plures quam trecentos] In margine addidi cccc. verius. *Lips.* Falso antea, ccc. *annos.* Veriori calculo id observavit Mercerus ex historia. Et Cicero, &c. * *Pichena.*

Non solum anno quo nos, sed fere eodem mense] Imo ex analogia, inquit Pithœus, *non solum quo nos, sed fere eodem die.* Ego non mutem. *Lips.*

Cap. 17. *Vitellii unum annum*] Ex turbis vulgatarum editionum in voce *unum*, suspiceris addititiam ipsam esse; et glossam illius præcedentis *ipsum:* quæ sola integrum unum annum exprimit eleganter: quamquam nec ineleganter altera adjungitur. *Acidalius.*

Ac sextam jam felicis hujus principatus stationem] * adde sex annos. An scripserat? *atque ipsum Galbæ et Othonis et Vitellii unum annum:* (intellige, adjice:) *ac sex jam*, tam *felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus rempublicam fovet:* sex jam scil. annos *tam felicis*, id est, valde felicis, felicissimi. Nota et frequenti Latinis locutione, ut, ‘ Quis desiderio sit pudor aut modus, Tam chari capitis?’ &c. Sed nihil tamen mutaverim. *Schelius.*

Se fateretur et pugnæ interfuisse] Lego: *ei pugnæ.* Et Muretus. *Acidal.*

Nec dividatis seculum] Clarior et expressior erit conclusio hæc, si *ne* scribas, et cum superioribus alia interpunctione velut nectas: *Asinius pæne ad extremum duravit: ne dividatis seculum.* Acidal.

Cap. 18. *Et quos utinam imitatus non esset*] Dele? et fac! Ceterum Muretus notaverat uberiorem lectionem: *et quos utinam ne in illa parte imitatus esset.* Nescio de ingenio an

e libro: sed unde unde, male. Repetitæ voces ex simili inferiore loco: ‘ nec quenquam adeo antiquarium puto, ut Cœlium ex ea parte laudet, qua antiquus est.’ *Acidal.*

Num dubitamus inventos] Muretus, *Numnam:* quia vulgo, *Nam non.* Ego de hoc non laboro: magis ut sequens membrum cum hoc ipso nectam. Nam multo videtur oratio concinnior, si scribas in hunc modum: *Num dubitamus inventos, qui pro Catone App. Cæcum magis mirarentur, cum satis constet, nec, &c.* Idem.

Nec Ciceroni quidem] Scribe: *Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse.* Gronov.

Inflatus et tumens nec satis pressus, &c.] * Infra: ‘ Otiosus circa excessus dicitur.’ Quintilianus. ‘ Quem tamen suorum temporum homines incessere audebant, ut tumidiorem, et Asianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum, et in compositione fractum, exultantem, et pœne, quod procul absit, viro molliorem.’ *Schel.*

Parum antiquus] Videtur legendum, *parum Atticus.* Ursinus. Legam, *parum Atticus:* quod Ciceroni, &c. * *Lips.* Vulgo, *parum antiquus.* Pich.

Brutum vero otiosum atque disjunctum] * germanos se putant esse Thucydidas.’ Idem in Bruto de Attico Oratore et summisso: ‘ verba etiam verbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.’ *Schelius.*

Nunc miki cum universis negotium est] Ita videtur legendum: non, ut in vulgatis, *nec miki, &c.* Ursinus. In margine scripsi, *nunc.* Lips. Scripsi, *nunc*, pro *nec*, admonente Lipsio, et necessitate orationis exigente. Cic. de Divin. lib. II. ‘ de quibus singulis dicam suo loco, nunc de universis.’ *Pichena.*

Cap. 19. *Ad Cassium Severum faciunt*] Probum censeo. Vetus tamen, *Cassium quem reum faciunt.* Lipsius.

Vetere atque dicendi via directa] Muretus transponit: *ab illa vetere atque directa dicendi via.* At ego defectum quoque tollam levi traductione pariter mutatione voculæ unius. Lego, *ab illa vetere dicendi via directa, utique non infirmitate, &c.* Acidal.

Sed judicio et intellectu] * Noster infra: ‘ nec ulla re magis ejusdem ætatis oratores præcurrit quam judicio. Primus enim excoluit orationem, et verbis delectum adhibuit.’ *Gronov.*

Vidit nempe, ut paullo ante dicebam, conditione temporum ac diversitate auctorum] Magis placeret, *auditorum.* Ursinus. Muretus *auditorum* maluit, nulla insigni caussa: nisi quod in vulgatis reperiebat *auctorum.* Acidal.

Imperitissimarum orationum] Non arridet *imperitissimarum.* Nec adhuc probo Mureti, *impeditissimarum.* Quæro aliud. *Idem.*

Ita vero longa principiorum] Lege, *jam vero.* Idem.

Argumentorum gradus] Rom. editio, *argumentorum genera.* Lips.

Paucissima præcepta] Emendavi, *paucissimi:* nam sequitur, *cognoverant.* Rhenanus.

Vix in cortina quisquam assistat] * in qua lana suffecta succos ebibit. Ab eo usus est metaphora Cornel. Tacitus in Dialogo cum ait *in cortina esse.* Sed fucum nobis facit Scaliger. *In cortina esse* huic quomodo convenit *in cortina assistere?* Scribe: *cum vix in corona quisquam assistat, quin elementis studiorum, si non instructus, at certe imbutus sit.* Ut fere volnerat et Muretus. Contra *cortina* forte legendum pro *corona* apud Sidon. Apollin. Ep. lib. VII. ‘ Quandoquidem me, &c. De minimis videlicet rebus Coronam tuam maximisque consulerem.’ *Cortinam* hic esset oraculum tuum. Tamen ibi scribit ad Papam: cui nescio

si jam tum Corona. Imo non fuisse scio, quam Clodovæus Francorum rex Hormisdæ Papæ primus, donavit, anno post Christum natum IↃXIV. quando Sidonius ante annos XXXIV. jam obierat; anno videlicet Christi 480. *Lipsius.*

At certe imbutus sit] Sententia hæc negationem requirere videtur, *imbutus non sit:* nisi fortasse repetitum subintelligatur illud, *non*, præcedens: quod nihilominus constructionem non expedit. *Pichena.*

CAP. 20. *Præcurrit hoc tempore judex dicentem*] Videtur ab manu interpretis hoc loco vel paulo post esse τὸ *dicentem:* neque enim politissimi scriptoris videtur non necessaria hæc et inepta ejusdem vocabuli repetitio. *Schelius.*

Nec magis præfert] Reposui; *perfert.* Rhenan.

Turpionis Ambivii] Male disjungunt libri: *Turpionis aut Ambivii.* Eundem enim hominem fuisse, Terentianæ epigraphæ, &c. * *Lips.*

Sive in suis aliquis arguta] Omnino vox aliqua latet: quam feliciter cum Mureto ex illis *in suis* erno legendo: *sive sensus aliquis.* Nec te moveat, &c. * *Acidal.* Scribo, *sive sensus aliquis:* nec obest quod sensus et sententia hic conjunguntur: nec enim hoc loco *sensus* communiter accipitur, sed oratorie. Sic infra 32. ‘ in paucissimos sensus et angustas sententias:’ et 23. ‘ tertio quoque sensu pro sententia positum.’ Quintilianus Orat., &c. * *Freinshem.*

CAP. 21. *Nec de populo Canuti*] Hic locus asterisco notari debuit. *Pithœus.* Liber vetus: *nec unum de populo Ganuti aut Atti de Furnio et Coranio alios in eodem valetudinario.* Fortasse: *nec unius de populo Arii de F. a. T. quique alii in.* Alias mihi nulla mens aut manus qua medear huic plagæ. *Lips.* * Velleius lib. XI. ‘ Cicero fulgentissimo et cœlesti ore, Canutius continua rabie lacerabat Antonium.’ *Schelius.* Desperatum locum sic juvare posse videbamur: *Equidem fatebor vobis simpliciter, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam vix somnum tenere. Nec unum de populo Canutium aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios in eodem valetudinario hæc ossa et hæc macies probant.* Novam periodon facio, *Nec unum.* Est enim, ut Petronii cap. 70. ‘ Nec se tragœdias veteres curare, aut nomina seculis nota: sed rem sua memoria factam expositurum esse, si vellemus audire.’ Sic enim resectis alienis legend. *Unum de populo,* aliquem ex minutis oratoribus, media de plebe oratorum: qui apud vulgus valuerunt, et aliqua monimenta ingenii reliquerunt; non tamen magnis sunt inserti nominibus. Canutium *Publium* vocat Cicero in Bruto, et pro Cluentio: ‘ Accusabat P. Canutius, homo inprimis ingeniosus et in dicendo exercitatus.’ At *Titum* Philippica 3. ‘ T. Canutius, a quo erat honestissimis contentionibus et sæpe et jure vexatus.’ *Caium* Suetonius de clar. rhet. c. 6. Arrium discimus ex Bruto Ciceronis: ‘ Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum. Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe pollcat multorum obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo servire. His enim rebus, infimo loco natus, et honores et pecuniam et gratiam consecutus, etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, numerum pervenerat.’ C. Furnium putamus esse, cujus ad Ciceronem meminit Cæsar lib. IX. ad Atticum: et cui scribit ipse Cicero fam. Epist. X. 25. et 26. Ubi patronum nobilem et sic disertorum numero fuisse hæc verba produnt: ‘ O mi Furni, quam tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas!’ Ipso *nominabo* gaudet: ut mox: ‘ nemiuem nominabo, genus hominum signasse contentus.’ Item, ‘ Si testes desideran-

tur, quos potiores nominabo.' Postrema, *quosque alios*, recte sic etiam Acidalius constituit. Non de audientibus aut populo auditorum alicujus, sed de dicentibus et solitis audire auctorem agere liquet ex opposito: ' Ipse mihi Calvus.' *Gronov.*

Aut Aride Furnio et Toranio] Nimis audax fortasse, si legerim: *Nec unum de populo Canutii aut auditoribus* (vel *auditorem*) *Furnii et Toranii.* Ad sensum quidem non ineptum sit, et infra etiam *populum* et *auditores* conjungit: ' Quos more prisco apud judicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit.' *Schelius.*

Quique alios in eodem] Puto cum Lipsio, *quique alii, &c.* Negat se esse unum de populo Canutii aut de auditoribus Toranii, quique alii in eodem valetudinario, &c. vel, *quique alius, &c.* probat. *Idem.*

Hæc ossa et hanc maciem probant] Sic possumus emendare, *hæc ossa et hanc maciem produnt.* Ait se non aliquem vilem et vulgarem ex vetustate Oratorem in exemplum allaturum, uti hunc vel illum, in quibus multa carpere possit: sed ipsum Calvum inter principes antiquorum. Possis etiam, *quosdam alios in eodem valetudinario hæc ossa et hæc macies probant.* Acidalius.

In Asitium] Muretus, *Ascitium:* quem non novi. *Idem.*

In hominum studiosorum manibus] Certo legendum *omnium.* Etiam præpositio *in* abjicienda fortassis: ut Horat. ' vos exemplaria Græca Nocturna versate manu, versate diurna.' *Idem.*

In Vatinium conscribuntur] In margine scripsi, *inscribuntur.* Lips. Credidi Lipsio restituenti, *inscribuntur,* pro, *conscribuntur:* nam inferius idem auctor ait: ' exceptis orationibus Asinii, quæ pro heredibus Urbiniæ inscribuntur.' *Pichena.*

Nec voluntatem] Excidit forte vocula: *nec ei voluntatem:* vel, *nec voluntatem ei, &c.* Acidal.

Quid ex] Lege, *Quid? ex Cælianis orationibus,* nempe hæ placent. *Pithœus.*

Sive in universa parte factum] Mendosa ista: liber scriptus, *sive universa parte serum.* Valde placet lectio, quam Fr. Modius mihi annotavit, *hæ placent, si non universæ, per partes attamen.* Lipsius. Proxime servatis vestigiis libri Lipsii facio: *si non universæ, at partes earum.* Acidal.

Hiatus compositio] Castigavi, *hians compositio.* Rhenan.

Propter magnitudinem cogitationum] Modius ex Rom. cod. *cognitionum* pro *cogitationum* legit. Non audio. Velleius l. II. &c. * *Idem.*

Minus eloquentia effecerit] Lego, *minus in eloquentia eff.* Et superius: ' sicut in caussis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum.' *Acid.*

Nisi forte quisquam aut Cæsaris] Acidalius laborat in eo quod sequitur et scribit: *nisique et carmina.* Sed vitium hic erat. Edidit enim auctor: *nec fere* (vel *ferme*) *quisquam.* Gronov.

Ejusdem lentitudinis ac teporis] Pithœus. Vera nostra conjectura cum esset, *ac temporis:* nisi placeat magis, *ac tenoris.* De tepore adfirmat, quod pari metaphora de Cicerone mox scribit, ' tarde commovetur, raro incalescit.' Agnosco idem vitii in Plinii loco lib. v. ep. 6. ' Cœlum est hieme frigidum et gelidum: mirtos, oleas, quæque alia æstivo tempore lætantur, aspernatur ac respuit.' Scribo, *æstivo tepore.* Lipsius. *Teporis,* Lipsius. Ego *torporis* malim, &c.* Noster, ' Exigitur enim ab Oratore etiam Poëticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno iuquinatus, sed e Virgilii et Lucani sacrario prolatus.' *Schelius.*

Nisi qui et carmina eorundem miratur] Pro, *nisi quis.* Sic et Tullius usurpat. *Rhenan.* Lege, *nisique et carm.* Acidal. Orationes has, inquit, nemo hodie legit; nisi forte tam in-

sipidus et superstitiosus, ut omnia eorum atque adeo carmina miretur, quæ hoc uno Ciceronis carminibus feliciora sunt, quod fecisse eos pauciores sciunt. *Schelius.*

Inter Menenios et Appios studuisse] Quintilianus: ‘ A nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit seculo prior.’ *Idem.*

Et exsurgit toris] Possis malle: *et exauget toris, ipsos quoque nervos rubore tingit et decore commendat.* Omnia enim de sanguine dicuntur. Sed tamen et belle *exsurgit.* Ipse enim sanguis quantum satis ac salubre est, se accumulans exsurgit toris factis. Rigaltius ad Minucium, *Venarum toros,* inquit, medici dixere et *jubarum toros* Poëtæ. Prius ei concedo. Celsus l. VII. &c. * At qui *jubarum toros* dixerit, præter ipsum, neminem novi. Decepit eum, opinor, Virgilii l. XII. ‘ movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros.’ Sed ibi *tori* cervicis sunt, non jubarum; habent autem *tori* jubas, non jubæ toros. *Gronov.*

Ipsos quoque nervos rubor tegit et decor commendat] Aliquanto melior mihi visa hæc Veneti lectio, etsi pro, *rubor,* is corrupte habet, *robur.* At vulgati, *rubore tegit, et decore commendat.* Pichena. Melius *ipsosque nervos,* quomodo et Muretus. *Acidal.*

Quia non per ipsum stetit] Restituam: *Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetisse, quo minus latitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret, videmus, in quantum judicio ejus vis aut animi aut ingenii suffecit.* Freinshem.

Viderimus inquum judicio ejus vis aut animi aut ingenii suffeeerit] Videtur hic locus ita legendus, *viderimus an judicium ejus vis animi aut ingenii defeeerit, &c.* Ursin. Hic locus corruptus videtur. Quid si legimus? *num ingenio, &c.* Et pag. seq. *terminantur.* Pithœus. Lego, *viderimus inquam an judicio ejus vis animi aut ingenii suffeerit.* Lipsius. Muretus pro ipso, *inquam,* saltem *an* rescribit. Mihi lectio Marginalis Lipsii, *in quantum,* proba: sed ut simul *et videmus* scribatur, et per copulam membrum hoc superiori nectatur: *et videmus, in quantum judicio ejus vis, &c.* Acidal. Alii libri *in quantum.* Lipsius: *viderimus, inquam, an, &c.* Fortassis: *videmus in quantum judicio, &c.* ut jam monuit Freinshemius.

CAP. 22. *Loeosque lætiores attentavit*] Ven. *latiores.* Rhenani autem Basiliensis editio, *altiores.* Sed vulgata rectior: nam paullo infra ait: &c. * *Pichena.* Malim cum Mureto, *loeos quoque lætiores.* Acidal.

Quod optimum dicendi genus est] Sententia postulat, ut legatur, *discendi.* Ursinus. Concinnitas orationis requirere videtur: *quod optimum dieendi genus esset.* At sententiæ veritas vult, *quod optimum dieendi genus est.* Usus enim optimus magister omnium rerum: et usu discere, optimum discendi genus. Varro Rei rust. lib. I. ‘ Experientia et usus dominantur in artibus.’ Cic. de Orat. ‘ Usus omnium magistrorum præcepta superat.’ Plin. l. XXVI. &c.* *Aeid.*

Puuei sensus opt. et eum quodam lumine terminantur] Vetus: *Sensus optet cum.* Rom. edit. *sensus opaeus.* Forte, *opacius et cum q. l. terminuntur.* Ut ad picturam respectus sit, in qua lumen nos delectat, sed cum quadam umbra. *Lipsius.* Legerim potius *pauei sensus apte, et eum quodam modulamine terminantur.* Aperte enim de numeris loquitur, quos veluti modulatos requirunt rhetores in clausulis periodorum. *Acidul.* Lego, pauci sensus apte, et cum quodam *lumine terminantur.* Porro *lumen* quid sit disce ex Notatis supra ad c. 20. quo pertinent et *elausulæ,* de quibus mox. *Freinshem.* Fortassis fuit: *optime* vel *apte,* quod est Freinshemii. *Schel.*

Nihil excerpere] Perspicua libri bonitas. Alias, *nihil ex tempore referre*

possis. Lips. *Excipere* etiam dixit Cicero non multum diversa significatione de Oratore I. ‘ tamen nos aliquid ex sermone vestro memoria dignum excipere possemus.’ Et noster infra. *Schel.*

Ac laudatum patremfamiliæ] Ego non dubitem scribere, *ac lautum.* Lips.

Liceat] Rodolphus bene, *libeat.* Idem.

Oblitterata et olentia] Magis hic sane probem : *oblitterata et exoleta.* Ceterum quæ sunt illa *quædum*, quæ procul jubet arceri? Odoror transpositionem, quam et corrigo : *aspicere sæpius libeat, nullum sit verbum velut rubigine infectum, quædam vero procul arceantur, ut jam oblitterata et exoleta : nulli sensus, &c.* Acidal.

Rubigine infestum] Scripsit *infectum.* Rhenan.

Cap. 23. *Nolo irridere rotum fortunæ*] * Quæ merito antiquis visa sunt ineptissima et levissima. Vir certe divinus et decori ad miraculum ubique observans, non tantum in ipsis actionibus, quod testantur antiqui, sed etiam in actionum habitarum monumentis, et iis, qui ad nos pervenerunt, libris, hac una jure humanitus aliquid passus videtur. In secunda Philippica illa divina, quam jam senior in Antonium scripsit : ‘ Disertissimum cognovi avum tuum ; at te etiam apertiorem in dicendo : ille nunquam nudus est concionatus ; tuum hominis simplicis pectus vidimus.’ Quod cui non frigidissimum et Cicerone parum dignum videatur ? Eadem oratione de Lupercalibus loquens et fædissimum sceleratissimumque Antonii factum, quo diadema Cæsari imponens eum quasi jussu populi regnare voluit jubere, graphice depingens suis et veris coloribus, adjicit : ‘ Non dissimulat P. C. apparet esse commotum : sudat, pallet : quidlibet, modo ne nauseet, faciat quod in porticu Minucia fecit.’ Hic quoque dubites anne suum ingenium Ciceronem abripuerit. Iratum enim Antonio esse decuit in illo libertatis funere, non facetum. Nimium calamitatis publicæ immemor, et in tantis malis delicatus est, cui vacet hic timere, ne vomat Antonius aut nauseet. Potest tamen eo defendi, quod cum post rem, interfecto jam Cæsare, hæc dicantur, contemnere jam cos velit, non tantum odisse Antonium : quasi jam nihil aliud ex eo sit metuendum, quam ne nauseet. At illud in præfatione libri primi de natura Deorum quis excuset? ‘ Itaque libet mihi exclamare, quod Statius in Synephebis : ‘ Proh Deum popularium omnium Adolescentium Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atque imploro fidem. Non levissima de re, ut queritur ille fieri in civitate facinora capitalia : Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult : Sed ut adsint, cognoscant, animadvertant, quid de religione, pietate, sanctitate, cærimoniis, &c. existimandum sit.’ Deum atque hominum fidem implorat, obsecrat, et orat omnes, adsint et cognoscant de re tanta tamque ardua atque difficili, qualis est natura deorum, de qua sit locuturus. Expectabat hic credo aliquis, ut nos moneret se non, ut ille apud Statium perditus adolescens, ideo exclamare, quod meretrix argentum accipere nollet : Hac excusatione interjecta non tantum vim omnem exclamationis tollit : (quid enim si ille alter stulte tantos motus ciebat?) sed etiam in gravissima materia, quo id minime decuit, loco animum lectoris, quem attentum habere vult, levitate talis imaginis ad risum traducit : insunt nimirum ingeniis omnibus, his quidem pauciora quam illis, insunt tamen omnibus vitia quædam sua, in quibus delicias faciunt, et ineptiæ, quibus plaudunt : quæ quidem ut in aliis observare et notare proclive est, ita pro se quisque difficulter evitaverit. Placent enim et blandiuntur facie

ingenii, præsertim cum recentia sunt. Notum est ingeniosissimum Latinorum Poëtarum reprehendi a veteribus, quod nimium ingenio suo indulgeat, cujus rei exemplum affert Seneca naturalium quæstionum lib. III. ‘ Illud pro magnitudine rei,’ inquit, ‘ dixit: Omnia Pontus erant, deerant quoque littora ponto. Nisi tantum impetum ingenii et materiæ ad puerilis ineptias reduxisset. Nat Lupus inter Oves, fulvos vehit unda Leones.’ ‘ Magnifice hoc, si non curavit, quid oves et lupi facerent, non est res sobria lascivire devorato orbe terrarum.’ Non quidem injuria hæc carpantur, si quidem ad severam strictamque legem exigantur; et justius, opinor, quod ibidem sequitur: ‘ Hic summa piscem deprendit in ulmo.’ Ille tamen ipse, qui carpit, Seneca an nihil sibi permittit? an ab hoc vitio liber est? Argutatur certe, id est, ludit in gravissimis non raro rebus et divinis sententiis suis interserit levissimas, quæ nihil præter inanem strepitum ferunt, et hac una de causa tantum sententiæ sunt, quod tanquam sententiæ enuntiantur. Quid quod ipse, (si tamen est auctor,) in gravissima peste, ubi tantam describit contagionis vim, tantam stragem, ut turbæ tumulos petenti non satis septem portæ patuerint, Ovidiana hæc eadem adducit: ‘ Non lupos Cervi metuunt rapaces. Cessat irati fremitus Leonis. Nulla villosis feritas in Ursis.’ Et alia non panca ibidem. Adeo facilius est reprehendere vitia, quam evitare. De Musa Rhetore Marcus Seneca ait: ‘ Omnia ejus ad ultimum tumorem perducta, ut non extra sanitatem, sed extra naturam essent.’ Ex cujus portentis hæc notat: ‘ Quicquid avium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quære nunc cur subito moriamur? mortibus vivimus.’ Hoc tamen tam verum Senecæ judicium non deterruit doctos homines, quo minus sibi in ejusmodi tumore admodum placerent, audaciaque translationum et hyperbolicis locutionibus cœlum et terras miscerent. Venit in mentem loci Plinii majoris, qui plane cum Musa certare videtur. Is est ubi de margaritis loquitur. ‘ Parum scilicet,’ inquit, ‘ fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite toto, a fœminis juxta virisque gestentur? quid mari cum vestibus? quid undis fluctibusque cum vellere? non recte nos recipit rerum natura nisi nudos. Esto: sit tamen ventri cum eo societas: quid tergori? Parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur.’ Possem plura hujus generis ex veteribus adducere: sed vel sic iis injuriam facere mihi videor; cum ea incusem vitia, quæ nunc apud quosdam eorum, qui sibi diserti videntur, et apud aliud ageutem populum virtutis locum obtinent. Nam quæ hodie hominum aures sunt, quod studium Cacozeliæ nihil tam inepte dici potest, modo ne vulgariter dicatur, quod non habeat suos admiratores. *Schelius.*

Tertio quoque sensu in omnibus] Nihil muto. Veniebat tamen in mentem, *tertio quoque versu*, quia sequitur *pro sententia.* Quamvis aliud *sensus*, aliud *sententia.* Quintil. &c. * *Idem.*

In omnibus pro sententia] Murctus addit, *in omnibus orationibus.* Aptissime. *Acidal.*

Nam et hoc invitus retuli] Melius *hæc.* Sed cave censeas cum Lipsio, *invitatus* pro, *invitus* legi posse. *Acidalius.*

Quæ tamen sola mirantur atque exprimunt] * *Mirantur* autem hic pœne idem est quod imitantur. Lucanus, ‘ Egregio juveni miratorique Catonis.’ Statius: ‘ æquævo cedere fratri mirarique patrem.’ *Schelius.*

Qui se antiquos Oratores vocabant] Scribe *vocant.* Lipsius. Recte Lipsius, *vocant.* Schelius.

Eloquentia tui Aufidii] Non video, qui locus esse queat isti, *tui*. Delerim, tanquam natum ex ultima proxime præcedentis vocis syllaba. *Acidal.*

Illam ipsam quam jactant sanitatem infirmitate et jejunio consequuntur] Rodolphus hæc legit, *inculti, ut illam ipsam quam jactant sanitatem, non infirmitate sed jejunio consequantur.* Lips. Rodolphi lectio non usque quaque vera: sed quæ nos ad veram quasi manu duxit. Certe enim sententia requirit, *non firmitate, sed jejunio.* De insertione particulæ *ut* susque deque habco, quin propius est, ut addi nolim. *Acidal.*

Quæ animi anxietate contingat] Opinor legendum, *quæ animi anxietate constitit.* Rhenanus. Mens rei non apta. Sententia loci totius sic postulat, *quæ tantum sine anxietate contingat.* Clarissimum id ex statim sequentibus: 'parum est ægrum non esse, fortem et lætum et alacrem volo.' *Acidal.*

Vos vero, disertissimi] Vix abest, quin vox *viri* desit: *Vos vero disertissimi viri, ut potestis.* Acidal.

Lætissima quæque] Malim, *lectissima.* Rhenan.

Summum nitorem] *Summum* vix sincerum. Neque affirmare habeo rectene *sensuum* reponatur. *Acidal.*

Sententiarum planitas] Nescio an *sanitas.* Lipsius.

Cap. 24. *Quemquam nostrorum*] Sive potius, *nostrum.* Acidal.

Ita sentit] Sic distingue, *ac ne ipse q. ita sentit: sed more veteri et alias a vestris.* Pithœus.

Et aliis vestris] Ex veteri lego, *alias a vestris.* Lipsius. Et hoc Lipsius correxit. Nam vulgo, *et aliis vestris.* Pichena. Nihil opus addi τὸ *a.* Sed τὸ *vestris* demi, quod Muretus voluit, nullo modo debet. Alloquitur Messallam, qui philosophiæ studio deditus. Infra ipse de se: 'me, dum juris et philosophiæ scientiam tanquam oratori necessariam laudo, inceptiis meis plausisse.' *Acidal.*

Exprime nobis] Lego, *Exprome. Acidal.*

Cap. 25. *Nominis controversiam movit, &c.*] Hæc stigmate vulgo inusta, nos dempsimus et eluimus, adjuti a libro. *Lipsius.*

Ante centum annos] Muretus, *intra;* sua quadam ratione: sed quam non omnino sequor. *Acidal.*

Si comminus] Malim, *si communius,* quod aliis fortasse novum videbitur. *Pithœus.* Legebam, *qua fatetur.* Sed verbum *fatetur* minime convenienter de Apro dicitur: diceretur convenientius de Messalla. Ille enim id contendebat et probabat: hic quodammodo concedit et fatetur. Fortassis ita restitui potest: *Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno, quin omnes fatemur.* Acidal. Pithœus, *Si communius fatetur.* Sed tollendum aut mutandum illud *fatetur.* Non enim fassus erat Aper plures formas dicendi etiam iisdem seculis extitisse, sed probaverat: probamus quod pro nobis facit, fatemur quod contra nos est et quodammodo extorquetur. Verba Apri fuerant: 'Nec quæro quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum non esse unum eloquentiæ vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi, nec statim deterius esse, quod diversum est.' Fortassis: *Si comminus spectentur.* Apuleius: 'Qui sapiens iste rerum humanarum velit: non libris solis, neque disciplinis Rhetoricis dialecticisque opus esse, sed oportere eum versari quoque in rebus comminus noscendis.' Quintilianus x. 11. 'Hoc autem iis accidit, qui non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut adspectum orationis aptarunt.' *Schelius.*

Sic jure] Lego, *suo jure.* Liber tamen scriptus, *sic vere.* Lips. Scripsi, *suo jure,* Lipsii monitu. Vulgo, *sic jure.* Pichena.

At strictior Calvus] Lego una voce, *adstrictior*. Acidal.

Sanctitatem eloquentiæ ferunt] Reposui, *sanitatem*. Rhenan. Sententia vult *præferunt*. Atque ita scribo. Tamen Tacitus Hist. l. IV. 'quos spiritus gessit, vultu ferebat.' Et l. II. 'lætitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius.' Paullo tamen in Tacito istis alia res et ratio est, quia *vultu* additur. *Acidal.*

In manum sumpseris, quamvis] Monere me in prima editione aliquid de hoc loco fugit: qui non difficilis alias emendatu et expletu, ex libro scripto. Nam is voculam inserit, *sumpseris sciam quamvis, &c.* Lego: *in manus sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis esse quandam judicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.* Lipsius. A vulgatis abest verbum, *scias*, quod ex veteri libro restituit Lipsius. *Pichena.* Cum Mureto multo malim, *sentias*, inserere, quam *scias*. Acidal.

Judicii ac voluminis similitudinem et cogitationem] Scribe, *luminis*. Rhenan. Fortasse legendum, *voluntatis similitudinem*: ita requirente sententia. *Ursinus.* Lipsius correxit voces, *voluntatis*, et *cognationem*, corruptas antea, *voluminis*, et, *cogitationem*. Pichena. Sic locum legerim: *esse quandam judicii nihilominus similitudinem et cognationem*. Acidal. Recte Lipsius, *voluntatis similitudinem ac cognationem*, &c. * Schelius.

Ex quibus mutua malignitas detegitur] Deleam *ex:* quod si posuit auctor, verbum sequi debet, non *detegitur*, sed *deprehenditur*. Acidal.

Cap. 26. *Calamistros Mæcenatis*] *Calamistros*, Pomponius Sabinus, mediæ ætatis grammaticus, in Carmen de obitu Mæcenatis, 'Cornelius,' inquit, 'Tacitus appellat scripta Mæcenatis, calamistros.' *Pithœus.* Cicero: 'ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere.' *Schelius.*

Adeo malim oratorem] Vulgo, *adeo melius*. Sed, *malim*, correxi: nam et paulo supra dixit, 'malim hercule C. Gracchi imperium.' *Pichena.*

Fucatis et meretriciis vestibus] Cicero, 'succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor.' *Schelius.*

Plerique temporum nostrorum] Optime vetus. Erat antea, *plerique ipsorum nostrorum*. Lipsius.

Fas esse debeat] Muretus aliquanto melius, *debebat*. Acidal.

Ingenii loco] Fuit illa etiam olim scholasticorum declamatorum vanitas, ut in ineptiis nescio quibus ingenium, in ostentatione autem ingenii omnem eloquentiam positam ducerent; qui tamen intellexisse non videntur, quanto minor laus sit esse *ingeniosum* quam *disertum*. Fabius, &c. * *Schelius.*

Sicut his clam et exclamatio] Has quatuor particulas in unam confla dictionem, nempe *quibusdam*. Rhen.

Ut Oratores nostri tenere dicere] Audacter reposui, etsi a conjectura. Nam libris omnibus est, *temere*. Plinius, &c. * *Lipsius.* Recte ita Lipsius: nam quamvis in aliqua parte laudabilis sit oratio tenera, &c. * *Schelius.*

Utimur armis] Legi possit, *utitur*. Rhenanus.

Dejectus] Rom. cod. *detectus:* optime. *Lipsius.* Ex Rom. cod. restituit Lipsius, *detectus*. Vulgo, *dejectus*. Pichena.

Aliud novum agmen] Rom. codex, *aliud nobis agmen*. Lipsius. Melius Rom. codex habuit *nobis:* quod probat, imo requirit sequens verbum, *opponeremus*. Acidal.

Excerpsisset] *Excepisset*. Pithœns.

Post Gabinianum] Vulgo, *Gabinius*. Nominant et Hieronymus, et Snetonii index de claris rhetoribus, quod doctissimus et optimus Nic. Faber adnotavit. *Lipsius.*

Cap. 27. *Et potius exsolve promissum*] Lego, *ocius*. Acidal.

Quas te solitum tractare paulo ante plane mitiore eloquentia et temporum nostrorum miratus] Expunximus, *iratus*, post verbum, *miratus*, vulgo positum. *Rhenan.* Quidam liber, *paullo ante dixisti, plane mitiore*. Sed hæc et sequentia tamen in mendo. *Lips.* * quas secum ipse plerumque conquirat.' Statius Hercule Fur. 'Pacatus mitisque veni nec turbidus ira.' *Schelius.*

Aprina disputatione] Commode videmur ita fecisse, cum libri præferrent, *a prima disputatione*. Lipsius. Ego malim, *sed tantum mihi*. Acidalius. Lipsii inventum ex libro, in quo: *a prima disp.* Nec repugno. Malim tamen, *Apri nostri disputatione*: nam $\overline{nri}$ facile degeneravit in *ma*. Gronovius.

Judicium animi citra damnum affectus proferri] Id est, Ut damnum affectus ne faciat, ne amittat benevolentiam diversum sentientium, qui judicium suum libere profert. Liv. IX. 'Quid si vini amor in dies fieret acrior, quid si trux et præfervida ira (nec quicquam dubium inter scriptores refero)? nulla ne hæc damna imperatoriis virtutibus ducimus?' *Schelius.*

Perge, inquit Maternus, et cum de antiquis loquaris] Faërnus legebat: *perge, inquit, Maternus, de antiquis loquens*. Ursinus. Scribe e scripto: *inquit Maternus, et cum de antiquis loquaris*. Lipsius.

Cap. 28. *Etiam mihi partes*] Scribe e vestigiis priscis, *etiamsi mihi*. Nam in scripto est, *etenim jam si mihi*. Pichena.

Ab ista vetere gloria] Muretus notaverat, *illa*. Leve, sed nec spernendum. *Acidalius.*

Ego de urbe et his propriis] Credam melius, *Ergo:* quia præcessit, *nostra nobis notiora sunt*. Idem.

Cujus probatis spectatisque moribus omnis cujusquam familiæ suboles committeretur] * Velleius de eo, &c. * Cicero pro lege Manilia: 'Fidem vero ejus inter socios quantam existimari putatis quam hostes omnium gentium sanctissimam judicarint?' Quare legend. *sanctitati;* id enim minus abit a scriptura, quam *potestati*. Schelius.

Cujusdam familiæ soboles] Restituimus, *cujuspiam fam*. Rhenanus.

Ac non studia solum moresque] Vet. *Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque:* rectius. *Pithœus.* Vetus Farnes. *studia modo curasque:* aptius ad sequentia. *Lipsius.* Legendum, *Hæc*. Quod vidit et Muretus. *Acidalius.*

Cap. 29. *Sed lasciviæ et libertati*] Vetus: *lasciviæ et bibacitati*. Lipsius. Quintilianus: 'Gaudemus si quid licentius dixerint: verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu et osculis excipimus.' *Schelius.* Vide Observ. III. 4. *Gronovius.*

Histrionalis favor et gladiatorum] * sed ne viæ quidem in quibus stant. Tertullianus: 'Apud spectacula et in via statur.' *Excuneatos* appellat Appuleius. *Postulari* autem, quod proprium plebis populique est, dicuntur viæ, quia has sibi et in his locum velit dari. *Schelius.*

Intravimus] *Intramus* melius, nisi et antea *excepimus*. Idem.

Nec præceptores quidem ullas] Lege et hic, *Ne præceptores quidem ullas*. Gronovius.

Fabulas habent?] Dele interrogationis notam. *Acidalius.*

Ambitione salutantium] Lego, *salutationum*. Illud ad alios referretur præter mentem; hoc de ipsis præceptoribus, ut debet, accipietur. *Acidalius.* Supra *salutantium* quam *salutationum*, at hic malim *salutationum* legere. Petronius, &c. * Cicero epist. ad Atticum lib. XV. 2. 'Brutus misit ad me orationem suam habitam in concione Capitolina, petivitque a me, ut eam ne ambitiose corrigerem an-

tequam ederet.' Id est, Ut eam corrigerem absque ambitione, nec sibi adularer, quasi nihil in ea sit, quod emendari queat. *Schelius.*

Nec in notitia vel rerum] Correxi ex præcedentibus. Vulgo, *in notitiam.* Pichena. Concinnius hic *notitia:* quia eo casu præcessit, ' in auctoribus cognoscendis;' ' in evolvenda antiquitate.' *Acidalius.*

Cap. 30. *Sed expectantur*] *Expetuntur.* Pithœus.

*Statim de * curiis*] Pithœus edidit, *statim audietis.* Nescio an e libro. *Lipsius.* Correctio a Rodolpho est, Lipsio teste : corrupte antea ; *statim de curiis.* Pichena. * ludum impudentiæ jussi sunt.' De cætero non incommode duæ illæ voces, *animum ad*, omitterentur ; ut legeretur, *prius referam necesse est eam disciplinam.* Sed ego non tam audax, cum ferri etiam possint, ut ejiciam. *Acidal.*

Notus est nobis] Scripsi, *vobis.* Rhenanus.

Ille dialecticæ subtilitatem ; ille moralis partis utilitatem] Suspecta mihi vox *utilitatem.* Nam nescio quid aliud, quo natura moralis partis describatur, exspecto, eum prorsus in modum, quo *subtilitatem* dialecticæ tribuit. Eadem vox etiam paullo inferius item suspecta, sed levius, in definitione oratoris : ' pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum.' Et sane etiam supra peccatum in eadem : ubi *nobilitatem* pro *utilitatem* emendabamus. *Acidalius.*

Ex multa eruditione et pluribus partibus] Castigavi, *ex multa eruditione, ex pluribus artibus, ex omnium rerum scientia.* Rhenanus.

Cap. 31. *Non ut rhetorum scholis declamarent*] Scripsi, *non ut rhc. sch.* Rhenanus. Addenda forte præpositio, *ut rhetorum in scholis.* Vel, *ut in rhetorum scholis.* Acidalius.

In deliberationibus de honestate] Locus videtur mutilus ita forte supplenbus : *in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate dicimus.* Ursinus.

Et intellectum eorum] Insolentius videtur *cognoscere intellectum.* Volebam *delectum.* Fabius quidem alicubi dixit *capere intellectum.* ' Quod illa prima ætas et intellectum disciplinarum capere et laborem pati non possit.' *Schelius.*

Qui scit quid ira ; promptius] Ita scripsi et distinxi, turbantibus libris. *Lipsius.*

A Peripateticis : hi aptos et in omnem] * in utramque partem traheretur oratio.' Plutarch. in I. Συμποσ. ἀλλὰ δεῖ, καθάπερ ὑπόθεσιν μελετῶντα συνκριτικὴν, τοὺς Ἀριστοτέλους τόπους ἢ τοὺς Θρασυμάχου ὑπερβάλλοντας. Nec pugnacitatem involari sibi æquo animo ferunt Academici. Fabius lib. XII. &c. * (hic enim mos erat patrius Academiæ, adversari semper omnibus in disputando) sed tum maxime tamen hoc significabat, &c. neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset.' *Gronovius.*

Locos dabunt. Ac. p. P. a. X. jucunditatem ne Epicuri quidem, &c. Prout res poscet] Sic distingue. *Pithœus.*

Qui non quasdam artes audire sed omnes liberaliter debet] Recipio, *haurire.* Sed recipio non hunc ipsum in locum, e quo verbi aliud quid periisse mihi non temere suspicio est, uti nec infeliciter idem me reperisse credo. Periit meo animo verbum *litare*, cognatione illius *liberaliter.* Eo reposito et transposito altero, sic scribo, &c. * *Acidalius.*

Plerisque autem in quibus hæc quoque scientia requiruntur] Lego, *pleræque autem in quibus hæ quoque scientiæ.* Rhenanus.

Cap. 32. *Nec quisquam respondeat : sufficit ut ad tempus*] Nec male foret : *respondeat, sufficere.* Gronovius.

Etiam aliud agentes nos ornat] Quintilianus : ' Quæ etiam, cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt,

vim tamen occultam suggerunt et tacite quoque sentiuntur.' *Schelius.*

Ut denique oratorem etiam fateatur] Muretus pro *etiam* supponebat *esse*. Valde probo, etsi nec alterum improbo. *Acidalius.*

Instructus sit, in forum] Tu repone, *instructus, sic in forum.* Rhenanus.

Fex quotidiani sermonis] Si *fex* retinendum, velim scribi: *fœdo ac pudendo vitio deprehendatur.* Alias malim: *ut in actionibus eorum fere quoque quotidiani sermonis fœda ac pudenda vitia deprehendantur.* Prius credo fore elegantius. *Acidalius.* Opponit et Cæsar copiosæ et factæ orationi quotidianum sermonem in præfatione librorum de Analogia, ubi ad Ciceronem sic scripserat: ' Nec si cogitata præclare eloqui posse [ita enim scribendum censeo, non autem: *Ac si præclare eloqui possent:* ut est in vulgatis] nonnulli studio et usu elaboraverunt, (cujus te pæne principem copiæ, atque inventorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus) hunc facilem et quotidianum novisse sermonem nunc pro derelicto habendum est.' Vidit jampridem Lambinus deesse negationem huic loco, unde legebat, *non pro derelicto habendum*, cujus mutationis caussam eum vellet prodidisse Gruterus. Sensus loci est: Etiamsi a Cicerone aliisque jam eloquentia ad id fastigium perducta sit, ut magna cum copia et gravitate orationis præclare et minime vulgariter omnia eloquantur; non tamen ideo pro derelicto habenda est hæc quotidiani cura sermonis. Τὸ *tunc* et *nunc* autem τῷ *si* solent respondere. Seneca Medea: ' Nunc est probanda, si locum virtus habet:' ubi alii libri, *tunc.* Hyginus: ' quæ tunc dabitur, si pedatura permittit.' *Schelius.*

Et Cicero, his, ut opinor, verbis] Videtur legendum, *Et Ciceronem*, ut pendeat a superiori verbo, *nominabo:* sicuti dixit, *Demosthenem.* Sed et vulgata lectio proba: nam subintelligitur *dixit* seu *testatus est.* Pichena.

Id se non rhetorum] Legendus hic locus ex ipso Cicerone, *ait se non rhetorum, &c.* Ursinus. Muretus pro *id* supponit *ait.* Non quidem libenter *id* mutari patiar, verbum tamen ejusmodi desideratur, quod non incommode ex isto formiatur. Ad hoc leve levius addam, præpositionem etiam videri inserendam, ut et paullo ante monuimus, *non in rhetorum.* Acidal.

Cap. 33. *Facultate et eloquentia contineri*] Legendum, *facultate eloquentiam contineri.* Rhenanus. Rodolphus apposite inserit: *facultate et meditatione eloquentiam.* Lipsius.

Nisi ut scientiæ meditatio] Muretus una vocula auctius, *tot tam reconditas.* Delerim particulam *ut*, cujus nullus usus nunc: sed fuisset, si ita præcessisset: ' nec quisquam aliter percipere.' Pro *vis* sententia me cogit, ut *usus* reponam. *Acidalius.*

Cap. 34. *Hujus omnibus dictionibus*] Versus hic aliquot inserui a Farnesiano libro, magno libelli hujus bono. Alii enim omnes hic mutili. *Lipsius.*

Populi diversissimarum aurium] Rodolphus, copula adjecta, *populi et diversissimarum.* Credo fuisse, *populi;* i. *diversissimarum:* quæ nota significat, id est. *Idem.*

Ita nec præceptor] Lego, *Jam vero.* Quæ in transitionis formula et alias supra peccatum monstravimus. *Acidalius.*

Non sudibus dimicantes] Manifesto, *rudibus.* Nam hæc a gladiatoribus sumpta. *Lipsius. Non sudibus.* Lipsius *rudibus.* Pithœus. Lipsius, *rudibus;* non male: nescio tamen an necessario. *Sudes* enim et *rudes* varie a veteribus confunduntur, ut in commentario de re militari ostendimus. *Schelius.*

Sed auditorium] Non est fortassis mutandum. Amant tamen potius, *ct*, quam, *sed*, cum isto modo *neque* præ

cessit. *Idem.*

Ut nec bene dicta] Rodolphus auctius ; *nec male nec bene:* sententia quidem valde favente. *Lipsius.*

Sub ejusmodi præceptionibus] Forte, *præceptoribus.* Gronovius.

Solus stutim et unus cuicumque caussæ] Ita vetus. Non male etiam vulgo, *statim unicuique caussæ.* Lipsius.

Uno et vicesimo anno Cæsar Dolabellum] Sueton. in Jul. 4. accusationem hanc confert in tempus compositi belli Lepidiani, id est, M. Æmilio Lepido, D. Junio Bruto Coss. Atqui Cæsar tunc 24. annum egerit, ex Fastis et anno ejus natali. Corrigimus igitur? an, ut sæpe, dissensus est? ego hoc malo. *Lipsius.* Casaubonus ex historia observavit, eo tempore Cæsarem quartum et vicesimum natalem celebravisse. Corrigendus itaque hic numerus videtur : *tertio et vicesimo.* Pichena. Suetonius ait, composita seditione civili M. Æmilio et D. Bruto Coss. id fuerit circa annum Cæsaris quartum et vicesimum. *Schelius.*

Ætatem antecedens] Scribe, *ætate.* Rhenanus.

Cap. 35. *In scena scholasticorum*] Scripsi, *in scenas.* Rhenanus. Divinabam olim, *scholus*, male. *Lipsius.* At vero *scenam* Plin. vii. ep. 17. pro loco etiam usurpavit, uti caussæ aguntur veræ et seriæ : ' utique si latior scena, et corona diffusior ;' et quæ præcedant. *Acidalius.*

Ut Cicero ait] * opus est eruditis,' &c. Ex quo apparet hic legendum esse *L. Crasso*, non *M.* ut et apud Sueton. in libello de claris Rhetorib. et A. Gellii lib. xv. c. 11. Cæterum quod ad Ciceronem ipsum attinet, certum est cum ex eodem Suetonio, tum ex Seneca in proœmio lib. i. Controversiar. ad prætoram usque Græce declamasse : Latine vero seniorem quoque, &c. * Latine, sed Græce sæpius.' Et lib. i. Tuscul. ' Ut enim ante declamitabam caussas, quod nemo me diutius fecit :' sed videantur l. vii. Famil. Epist. ult. et lib. ix. Epist. 16. et 18. *Pithœus.*

In loco nihil reverentiæ, sed in quem] Forte : *scilicet in quem.* Aut, *Nam in loco nihil reverentiæ est, in quem.* Acidalius.

Suasoriæ quidem etsi tanquam plane] Hic quoque lineas quasdam adtexui, bonam copiam mihi faciente libro. Nam alias, turpiter hæc hiabant. *Lipsius.* Manifesto delendum τὸ *etsi:* quod nec in Mureti libro comparebat. *Acidal.*

Cap. 36. *Conciones magistratuum*] A libro est. Quam ridicule autem alii, *conciones migrantium?* quod a concisa illa ratione scribendi natum. *Lipsius.*

Pæne pernoctantium] * Seneca in l. de brevitate vitæ, &c. * Quem locum Pincianus homo doctus et diligens frustra emendare conatus est, ut in commentatione nostra de Centumviralibus, Decemviralibus, et Septemviralibus judiciis amplius ostendimus. *Pithœus.*

Tanto plus aut apud principes] Castigavi, *plus apud principes.* Rhen.

Parabat] Al. *Probubat.* Pithœus. Melius, *parabat.* Lipsius.

Cum testimonia] Tacitus Ann. l. ii. ' Urgulaniæ potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in caussa quadam, quæ apud Senatum tractabatur, venire dedignaretur.' *Pithœus.*

In publicis non absentes] Rodolphus *in publicis judiciis absentes:* insitione valde apta. *Lips.*

Necessitas accedebat et commoda] * Confirmat hoc, quod sequitur: ' Ergo non minus rubore quam præmiis stimulabantur.' *Non modo, sed contra*, ut Cicero in Bruto. ' Cum præsertim non modo nunquam sit aut illius a me cursus impeditus, aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adjutus et communicando et monendo et favendo.' *Schelius.*

Cap. 37. *Stipulabantur*] Reposui,

stimulabantur. Rhenan.

In manus nostras] Emendavi, *vestras.* Idem.

Ita cum acciderent, ingentem eloquentiæ materiam subministrabant] Ita emendavi. Nam præcessit: ' His accedebat splendor rerum et magnitudo caussarum.' *Rhenan.*

Hanc illi famam circumdederunt] Phrasis Tacito valde familiaris. Ann. XIV. ' Nec ulla moribus corruptis olim plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies.' Ann. XVI. ' Segnes et pavidos supremis suis secretum eircumdare.' Iterum Hist. IV. ' planctum et lamenta et supremorum imaginem sibi circumdatam.' *Acidal.*

Similis eloquentiæ conditio] * *Per pugnas* esse in veteri Codice testatur Lipsius, et ' adversarium sibi desumere' veteribus tritum est. Livius VIII. ' Recto itinere duxisti exercitum ad eos, quos tibi hostes desumseras.' Τὸ *discriminibus* Lipsii est, &c. Quamvis enim eleganter dicatur accusator alterius criminibus nobilitari, et hic legi videatur posse, *illius nobilitatus criminibus*, in similitudinem tamen a prælio et re militari ductam, et in clausulam qua dicitur hanc esse vulgi naturam, ut secura nolint, magis quadrat, ut hoc loco *discriminum* quam criminum fiat mentio. Livius in XXII. dixit *cladis nobilitatem:* ' Hæc est pugna Cannensis Alliensi cladis nobilitate par; cæterum ut illis, quæ post pugnam accidere, levior, quia ab hoste cessatum, sic strage exercitus gravior fœdiorque.' Opponuntur enim ista ' cladis nobilitate par,' ' strage exercitus gravior,' ' illis quæ post pugnam accidere levior.' Livius IX. ' Sequitur Romana Caudina pax hunc annum nobilis clade.' *Schelius.*

Acrior qui pugnas, &c.] * Pro *discriminibus*, an potius, *certaminibus?* Nisi forte *criminibus* pro eodem est. Ut et Sueton. Cal. 45. ' populumque gravissimo objurgavit edicto, quod Cæsare præliante, et tantis criminibus objecto, intempestiva convivia, circum theatra et amœnos secessus celebrarent.' Aut ibi quoque emendandum *discriminibus.* Omnino sic et Tib. 2. ' Velut iterum illudens crimini publico.' Libri veteres recte, *discrimini.* Acidalius.

In ore hominum agit] Emendavi etiam in Historiis, et produxi hanc dictionem. Vulgo, *more.* Lipsius.

CAP. 38. *Et si nunc aptior est, ita erit eloquentia, tanto*] Repone, *arctior est.* Rhenanus. Nobis corrupta hæc videbantur aut mutila. Rodolphus autem concinnat: *etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen:* acute si ab ingenio, feliciter si a libro. *Lips.* Nescio quid Muretus hic voluerit, qui notaverat: *aptior est, at certe loquentia: tamen illud forum magis, &c.* Nihil in his sensus. Amplectar Rodolphi lectionem, sed in parte. Nam illud non possum, *aptior est veritati.* Pro quo ipse restituo, proxime ad vulgatæ lectiouis vestigia, *aptior existimatur*, vel *existimetur.* Acidalius. Acidalius non potest amplecti τὸ *veritati.* Sed vide nostra ad L. Senecam de ira II. 29. *Gronov.*

Finiebatur] Al. *Cavebatur.* Pithœus.

Omnia in legibus] Delenda præpositio. Mox lego: *exerceri solita sint.* Acidalius.

Causæ centumvirales splendore aliorum judiciorum obruebantur] * insignis est impudentiæ.' In quibus obiter monuerim ineptam esse illam lectionem, *testamentorum ruptorum.* Quæ enim ista jura sunt, aut quis ita loquitur? Gruterus ait se delevisse quod sequebatur in vulgatis *aut ratorum*, quod non extaret in codicibus Memmii et Pithœi, solumque haberet Palatinus secundus *testamentorum raptorum;* primus vero et Tosanus et alter Memmii, *testamentorum ruptorum aut raptorum*, ut appareret appositum a scribis pro lectione variante. Nihil verisimilius succurrit, quam scripsisse Ciceronem *nuptiarum.* Præsèr-

tim cum postremum inter exempla, quibus ostendit juris cognitionem oratori esse necessariam, de jure connubii et nuptiarum sit: ‘ Quid quod usu, memoria patrum, venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, cum uxorem prægnantem in Provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuusque esset intestato, et ex utraque filia natus esset, mediocrisne res in controversiam adducta est? cum quæreretur de duobus civium capitibus et de puero, qui ex posteriore natus erat, et de ejus matre, quæ, si judicaretur certis quibusdam verbis, non novis nuptiis, fieri cum superiore divortium, in concubinæ locum duceretur.’ *Schelius.*

Pro hæredibus Urbiniæ] Quintilianus me duxit ad emendationem, quem vide IV. 1. nam Asinium disertim pro hæredibus Urbiniæ laudat. In tritis libris erat *Ironiæ:* in veteri *Uriniæ.* Lipsius.

CAP. 39. *Et ridiculum fortasse videtur*] Magis placet, *videbitur*, ita præsertim postulante sententia. *Ursinus.* Lego, *videbitur.* Et Muretus. *Acidal.*

Et municipiorum et legationes] Scripsi, *et municipiorum legationes.* Rhenan.

CAP. 40. *Datum jus quoque potentissimum*] Malim: *cuique.* Gronov.

Gn. Pompeio abstinuerint] Sic scripsi. *Rhenanus.* Lego, *abstinerent.* In reliquis ordo mutandus verborum: *ut est natura invidiæ, histriones quoque populi auribus uterentur.* Acidal.

Non de otiosa et quieta re] Muretus, altera voce addita, altera delcta, sic hæc legit: *non enim de otiosa et quieta re loquimur, et quæ probitate et modestia gaudeat: est magna ista, &c.* Idem.

Comes seditionum] Lego, *fomes.* Quod probes, si ad sequens verbum *incitamentum* respicias: at si ad superius *alumna*, dubites, an non potius *comes.* Idem.

Quem enim oratorem Lacedæmonium] Miratur hoc idem Velleius lib. I. in extremo: nec causam dat, quam veram hic habes. *Lips.*

Quarum civitatum severissimæ disciplinæ severissimæque leges traduntur] Velleius de Lycurgo: ‘ Fuit severissimarum justissimarumque legum auctor et disciplinæ convenientissimæ vir.’ Ita legendum. Hic tamen offendat fortassis aliquos repetitio *severissimæ:* possis *sanctissimæ.* Schelius.

Nulla in senatu concordia] Sequentia verba pluscula addidimus a libro. *Lipsius.*

Bonæ formam eloquentiæ] Muretus, *famam*, non subscribente Acidalio, qui sine sententia esse putat: *Cicero tali exitu pensavit:* et mirifice transponendis verbis locum conturbat. Ego nihil hic agnosco vitii. *Bonam eloquentiam* dicit salubrem et publice utilem, &c. * *Gronov.*

CAP. 41. *Non emendare nec usquam ad votum*] Legebat Faërnus, *non emendatæ*, cum in vulgatis sit, *emendare.* Ursinus. Nos luxatum verborum ordinem videmus; quem traductione, levi verum, restituemus, et alia iterum leviora emendabimus, ut totus locus sic legatur. *Nec antiquis oratoribus, &c.* * Acidalius. Recte Lipsius, *non emendatæ, neque usque ad.* Sed quæ sententia in illis, *superest antiquis oratoribus?* clamat Acidalius, qui solus hæc ausus post Lipsium tentare. Et tamen una litera expuncta nos expediet. Scribe, &c. * Livius l. XXXIV. ‘ Quod maturi erat circa, demessum et convectum est.’ Quod sequitur, accipiendum ex codice Farnesiano: *Quis enim nos advocat, nisi aut nocens aut miser?* De verbo *advocare* diximus ad Senec. de clement. I. 9. *Gronov.*

Quod municipium in civitatem nostram] *In clientelam nostram* rectius habet editio Pithœi. Supra: ‘ Cum tot amicorum causæ tot colouiarum ac municipiorum clientelæ in forum vocent.’ *Schelius.*

In clientelam] Al. *in civitatem.* Pithœus.

Melius fuisset non queri] An *non fieri?* Schelius.

Non queri quam judicari] Lego, *vindicari*. Lipsius. Verbum *vindicari*, auctore Lipsio, correximus. Vulgo, *judicari*. Pichena. Bene Lipsius legit. Sed id non satis. Muretus optime totum sic emendaret, *atqui m. f. non fieri, quam vindicari*. Acidalius. Bene Lipsium legere *vindicari*, sed non id satis; Muretum optime totum locum emendasse, *Atqui melius fuisset non fieri, quam vindicari*, censet Acidalius. Immo pejus. *Non queri*, est, illos non fuisse injuria affectos, eoque nec querelarum causam habuisse. *Gronov.*

Quam vindicari] Al. *quam judicari*. Pithœus.

Cum optima cito consentiant] Hoc est, optimæ sententiæ. Poterat alioqui legi, *et optimi;* si quis ad personam velit referre. *Rhenanus.* Lego, *cum optimis*. Rodolphus autem, *cum optima cito censeantur?* Lipsius. *Cum optimi cito consentiant?* Integra et elegans hæc lectio: nec vel Rodolphus, nec Lipsius audiendi. *Acidal.*

Excedentibus modum] Vet. *excellentibus morum*. Pithœus.

Vestra tempora] Vet. *aut vestra tempora*. Idem.

Neque illos modus et temperamentum defuisset] Scripsimus, *Neque illis*. Rhenanus. Deest siue dubio tale quid: *neque illis modus et temperamentum in certaminibus*, vel *turbis, defuisset*. Manifesto id requirunt seqnentia. *Nunc quoniam nemo, &c.* Acidal.

Cap. 42. *Antiquariis*] Vet. *cum antiquariis*. Pithœus.

FINIS NOTARUM VARIORUM.

JUSTI LIPSII

AD

C. CORNELII TACITI

ANNALIUM

LIBRUM I.

EXCURSUS.

A.

Cap. 7. Ignis originem nescio: nisi quod antiquum video, et a temporibus Antoninorum. Herodianus sane in Commodo statim meminit, ut rei vulgatæ, ubi de Lucilla sorore ejus: Οὐδὲν ἧττον μέντοι καὶ ὁ Κόμμοδος ἐφύλαττε τιμὰς τῇ ἀδελφῇ. Καὶ γὰρ ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου καθῆστο ἐν τοῖς θεάτροις, καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς: *Nihilo secius Commodus honores sorori suæ servavit: nam et in theatris sella imperatoria sedebat, et ignis eam præcedebat.* Item de Marcia Commodi concubina: Ἡ οὐδὲν, inquit, ἀπεῖχε γαμετῆς γυναικὸς, ἀλλὰ πάντα ὑπῆρχεν, ὅσα σεβαστῇ, πλὴν τοῦ πυρός: *quæ nihilo differebat a legitima uxore, sed omnia ut Augustæ aderant, præter ignem.* Et de Pertinace: Κατῆλθεν ἐπὶ τὸ συνέδριον τῆς βουλῆς, οὔτε τὸ πῦρ ἐάσας ἑαυτοῦ προπομπεῦσαι, οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι: *Venit in Senatum, neque ignem sibi passus præferri, neque aliud ullum principatus insigne attolli.* Nec ambigimus de more. Illud tamen mirum, bis mirum, non alium e Græcis Latinisque exprimere tam insignitam rem, præter Herodianum. Non Dionem, non Capitolinum, Spartianum, Lampridium, qui eadem scripserunt illi. Nec enim, quod sciam, meminerunt verbo. Quis tamen iste ignis? non e carbonibus aut ligno, nec qualis ille apud Horatium prunæ batillus: lampas tantum fuit. Rem adhuc iguotam docco, firmoque ex M. Antonino in libris suæ vitæ: Ὅτι δυνατόν ἐστι, inquit, ἐν αὐλῇ βιῶντα μήτε δορυφορήσεως χρῄζειν, μήτε ἐσθήτων σημειωτῶν, μήτε λαμπάδων καὶ ἀνδριάντων τοιῶνδέ τινων, καὶ τοῦ

δμοίου κόμπου. Describit recensetque insignia omnia principatus: *et posse*, ait, *eum qui in aula vivat, carere stipatoribus, carere veste insigni purpuraque, item lampadibus, et certis statuis, similique luxu.* Ut ergo in deorum cultu adhibitæ lucernæ facesque, ut docui in Electis c. 3. sic Imperatorum. Opinor autem Romam traductum morem e Persis. Illorum enim Regi prælatus ignis. Xenophon lib. VIII. Παιδείας: Καὶ πῦρ ὄπισθεν τοῦ ἅρματος ἐπ' ἐσχάρας μεγάλης ἄνδρες εἵποντο φέροντες: et post ignem illum secutus Cyrus. Imo et Asiaticis, si recte capio Ammianum lib. XXIII. ' Feruntque etiam (si justum est credi) ignem cælitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri: cujus portionem exiguam faustam præisse quondam Asiaticis regibus dicunt. Diadema autem primus Romanorum Principum usurpavit Aurelianus: uti in vita ejus Victor. Etsi alibi male id refert ad Caligulam. Purpuram quis primus sumpserit, adhuc quæro.

B.

Cap. 10. ' Cum Antonius vellet se Liberum patrem dici, et hoc nomen statuis subscribi: occurreruut venienti ei Athenienses cum conjugibus ac liberis, et Dionysium salutaverunt. Bene illis cesserat, si nasus Atticus ibi substitisset: dixerunt despondere ipsos [malim, *ipsi*] in matrimonium Minervam Musam suam, et rogaverunt ut duceret: et Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta. Tum ex Græculis quidam ait.....Huic quidem impune fuit, sed Atheniensium sponsalia mille talentis æstimata sunt: quæ cum exigerentur, multi contumeliosi libelli propositi sunt, sicut ille qui subscriptus est statuæ ejus, cum eodem tempore Octaviam uxorem haberet et Cleopatram: Hoc tu evita restituas, tibi habe.' Primum offendimus in Minerva Musa: quoniam neque Dio nominat in hac historia, Ἀθηνᾶν dixisse contentus: nec cognomen nostrarum dearum scio alias adhæsisse Minervæ. Itaque inducta ea voce scribo, *Minervam suam:* nata fuit ex confusa repetitione litteræ vocisque sequentis. In summa discrepat idem Dio, qui ἑκατὸν μυριάδας imperatas pro dote ait, id est, Romano ritu H-S. quadragies. Mille autem talenta Senecæ, paullo minus faciunt ducenties quadragies: sexto tanto immaniore summa. Tamen non muto. Græculi jocum, cui spatium vacuum, doleo abesse: at Latinum commode restituo, *Octavia res tuas tibi habe.* Quicumque ille, comiter jocatus est ex devortii Romani forma. Cum enim Cleopatram amaret haberetque Antonius: ecce subscripsit iste quasi nomine Antonii Octaviam repudiantis, ' Octavia res tuas tibi habe.' Quæ sollennia in libello repudii verba fuisse, jam notum. Appuleius: ' Tu quidem ob istud [ita emendo] tam dirum facinus confestim thoro meo divorte, tibique res tuas habeto.'

In Senecæ joco de Minerva Musa, meute nunc et manu amplector sententiam Jani mei Grotii, amœnissimi et acutissimi viri, reponentis, *Minervam Musicam.* Inter nobiles Athenis statuas fuit Minerva hoc cognomento; sic dicta, ' quoniam dracones in Gorgone ejus ad ictus citharæ tinnitu resonant.' Plinius XXIV. 8.

C.

Cap. 10. Nec viri solum ad sacerdotium adscripti magni hujus Divi, sed, quod rideamus, feminæ. Adeo projecti in adulationem tunc mores. Marmor :

P. POSTVMIÆ. P. F. PAVLLÆ.
SACERD. D. IVLI. AVGVST.

Item in Hispaniis, LVCR. L. F. CAMPANA. FLAM. PERP. DOMVS. AVG. id est, *Lucretia L. filia, Flaminica perpetua.* Exemplum hujus rei a Livia, quæ miro exemplo, sacerdos sui viri : et quidem ex decreto Senatus. Dio LVI. extremo : Τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν, καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερὰ, καὶ ἱέρειαν τὴν Λιουΐαν ἀπέδειξαν : *Tunc vero consecrantes Augustum, sodales ei et sacra instituerunt, et sacerdotem Liviam.* Quod noto eo libentius, ut lux inde adfulgeat tenebricoso Ovidii loco, IV. De Ponto : ‘ Nec pietas ignota mea est, videt hospita tellus In nostra sacrum Cæsaris esse domo. Stant pariter natusque pius, conjuxque sacerdos, Numina jam facto non leviora Deo.’ *Natus pius,* Tiberius est : *conjux sacerdos,* Livia. Puto ad hæc sacerdotia, quæ cum ambitu et sumptu adfectabant in provinciis passim, pertinere Arriani locum elegantem, De sermonibus Epicteti, I. 19. Σήμερόν τις ὑπὲρ ἱερωσύνης ἐλάλει μοι τοῦ Αὐγούστου. Λέγω αὐτῷ, ἄνθρωπε ἄφες τὸ πρᾶγμα· δαπανήσεις πολλὰ εἰς οὐδέν. Ἀλλ’ οἱ τὰς φωνάς, φησι, γράφοντες, γράψουσι τὸ ἐμὸν ὄνομα. Μήτι οὖν σου τοῖς ἀναγινώσκουσι λέγεις παρὼν, Ἐμὲ γεγράφασιν ; εἰ δὲ καὶ νῦν δύνασαι παρεῖναι πᾶσιν, ἐὰν ἀποθάνῃς, τί ποιήσεις ; Μενεῖ μου τὸ ὄνομα· γράψον αὐτὸ εἰς λίθον, καὶ μενεῖ. Ἄγε, ἔξω δὲ Νικοπόλεως τίς σου μνεῖα ; ἀλλὰ χρυσοῦν στέφανον φορήσω. Εἰ ἅπαξ ἐπιθυμεῖς στεφάνου, ῥόδινον λαβὼν περίθου, ὄψει γὰρ κομψότερον. Lepidus et ad Philosophum dialogismus : *Hodie,* inquit, *locutus mecum quidam super sacerdotio Augusti. Dico ei, Mi homo, mitte rem, sumptum multum facies frustra. At scribæ publici, inquit,* (corrupta hac parte Græca) *nomen meum adnotabunt. Num tu igitur legentibus omnibus coram dices, Me inscripserunt? et ut nunc possis adesse omnibus legentibus, mortuus quid facies? Manebit meum nomen : inscribe ipsum lapidi, et manebit. Age, extra Nicopolim autem quæ memoria tui? At coronam auream gestabo:* [qua scilicet ornati sacerdotes, dum faciunt, ex Livio, Plutarcho, aliis.] *Si prorsum appetis coronam, roseam indutus circumi; aspectu enim id jucundius.*

D.

Cap. 14. Primus Prætor Romæ institutus, anno urbis CCCXXCVIII. Furius Camillus. Livius l. VII. et Suidas in voce πραίτωρ. Additus alter anno DX. cui cognomen datum Peregrini, quod plerumque inter cives jus diceret et peregrinos, Epitoma Livii XIX. Additi duo alii, anno urbis DXX. Sicilia et Sardinia in provinciam redactis, qui illuc cum imperio mitterentur, Epitoma XX. Iterum duo, victis Hispaniis, anno DLVII. Ita in universum ad id tempus Prætores sex : e quibus duo juri dicundo præerant, reliqui in provincias mittebantur expertes judiciorum. Id mansit, donec Quæstiones perpetuæ constitutæ, anno DCV. L. Censorino, M. Manilio Coss. Patribusque tunc visum, ut in totum magistratus sui annum, Prætores in urbe

manerent: e quibus duo, more priseo, jus dicerent: reliqui quattuor publicis judiciis præessent: iidem omnes exaeto anno, sorte in provincias prætorias mitterentur. Cornelius deinde Sulla Dietator auxit Quæstionum publicarum numerum: pariterque Prætorum; non tamen eatenus, ut quot Quæstiones essent, totidem Prætores: (errat largiter Pomponius, qui id sensit; quia plures sæpe Quæstiones apud eumdem Prætorem exercitas eonstat:) sed in universum addidit duos. Ita non plures oeto Prætores ad Ciceronis ævum; idque ex variis ejus seriptis clarum: non deeem, ut voluit Juriseonsultus. Oppressa mox rep. C. Cæsar dietator primus instituit deeem, quo pluribus bellorum sociis honorem eum gratifiearetur. Dio lib. XLII. *Ἵνα πλείους αὐτῶν* [*συναγωνιστῶν* intellego] *ἀμείψηται, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀποδεῖξαι, καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον*: qui Pomponium refellit disertim. Sed nee in eo numero stetit Cæsar, creavitque biennio post, XIV. iterumque anno post XVI., idque, ut Dio idem ait, in multos annos. At Augustus rep. et imperio potitus, pariter varium se in hac ereatione gessit. Anno urbis DCCXXXI. minuit Cæsarianum numerum, retraxitque ad deeem. Dio LIII. *Ταῦτά τε οὕτως ὁ Αὔγουστος ἐποιήσε, καὶ στρατηγοὺς δέκα, ὡς οὐδὲν ἔτι πλείονων δεόμενος, ἀπέδειξε.* Velleius: 'Imperium magistratuum ad pristinum redactum modum: tantummodo oeto Prætoribus allecti duo.' Anno DCCLXIV. creavit XVI. propter turbam eompetitorum: ita tamen (ait Dio l. LVI.) ut posterioribus deinceps multis annis XII. dumtaxat crearet. Atque hoc est quod hic Taeitus de duodenario numero tradito ab Augusto adseverat: vere et recte, si respicias instituta ejus extrema. Nam ad prima adjecit oculos Pomponius, qui XVI. Prætores constituit sub Augusto; et in tempore saltem errat. At quod Tiberium jurasse Tacitus ait se numerum XII. non exeessurum: quis Pontifex perjurio eum solvet? Nam ego manifesto hominem teneo, ex Dionis testimonio l. LVIII. qui adfirmat Tiberium, anno urbis DCCLXXXVI. quindeeim Prætores ereasse, additque: *Καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλὰ ἔτη συνέβη, ὥστε ἔστι μὲν ὅτε ἑκκαίδεκα, ἔστι δ' ὅτε καὶ παρ' ἕνα ἢ καὶ δύο χειροτονεῖσθαι*: *Et hoc in plures annos factum, ita ut interdum sedecim, alias uno duobusque plus aut minus, crearentur.* Imo Claudius Imp. alias XIV. alias XVIII. ereavit; interdum medio inter hos numero. Vide eumdem Græcum, l. LX.

E.

Cap. 15. Julius Cæsar jus creandi magistratus non totum a populo tulit, cruda adhue servitute: sed eum eo divisit. Suetonius satis elare, cap. 41. 'Comitia cum populo partitus est, ut exeeptis eonsulatus eompetitoribus, de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur: [justum eomitiorum verbum esset, *renuntiarentur*:] pro parte altera, quos ipse dedisset. [Seribe, *edidisset*.] Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi, Cæsar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum et illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.' Ubi vides, Consulibus exceptis, in ceterorum suffragia æquale jus prineipi fuisse eum plebe. Nam Consules quidem, summi imperii olim nomen, et ipse et secuti principes seposuerunt Senatui sibique. Augustus deinde 'Comitiorum pristinum jus [verba Suetonii sunt, eap. 40.] reduxit: ac multiplici pœna

coërcito ambitu, die comitiorum tribulibus suis,' &c. Quo loco pristinum jus, non vetus illud accipio quod integra libertate: sed hoc idem, quod a patre ejus Julio institutum. Pristinum tamen ideo, quia per bella civilia et impotentem Triumviratum, abolitus Cæsarianus mos; quem reduxit longo intervallo nunc Augustus. Eum Suetonii sensum (nam interpretes silent aut vacillant) adstruo ex Dione, l. LIII. Ὁ, τε δῆμος ἐς τὰς ἀρχαιρεσίας καὶ τὸ πλῆθος αὖ συνελέγετο, οὐ μέντοι καὶ ἐπράττετό τι, ὃ μὴ καὶ ἐκείνῳ ἤρεσκε. Τούς γ' οὖν ἄρξοντας, τοὺς μὲν αὐτὸς ἐκλεγόμενος προεβάλλετο, τοὺς δὲ καὶ ἐπὶ τῷ δήμῳ τῷ τε ὁμίλῳ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ποιούμενος, ἐπιμελεῖτο, ὅπως μήτ' ἀνεπιτήδειοι, μήτ' ἐκ παρακελεύσεως, ἢ καὶ δεκασμοῦ ἀποδεικνύωνται: *Populus autem ad comitia iterum conveniebat: etsi nihil tamen fiebat, quod Augusto displiceret. Nam et ipse quosdam futuros magistratus designabat; alios populo et conventui, ex more prisco, eligendos permittens, id modo curabat ne qui indigni, neve per coitiones aut ambitum designarentur.* Aliquid tamen plebi etiam cum consulum comitiis fuisse, videtur colligi ex Dione LIV. in actis anni DCCXXXIV. Tiberius primus, animis Quiritium fractis jam et ad servitium factis, jus omne sibi et senatui sumpsit, populi nullo loco. Quod Tacitus his verbis voluit, ' comitia e campo ad patres tralata.' Sed in Consulibus quid ejus ævo fuerit, Tacitus ipse effari non potest fine hujus libri: ' De comitiis consularibus, quæ tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur.' Potest Dio: qui videtur omnem consulum renuntiationem ad Tiberium referre: aliorum magistratuum ad Senatum, commendatione principis interposita: quem l. LVIII. vide. Ex eo tempore expers suffragiorum populus, donec Caius ' tentavit comitiorum more revocato, suffragia populo reddere,' ait Sueton. cap. 16. scilicet Tiberii instituto omisso, Augusti revocato: sed idem ille omisit. Tiberianumque morem, apud secutos principes valuisse deinceps, clarum ex memoriis rerum.

F.

CAP. 17. Originem et progressum stipendii Romani docui nuper in Electis c. 11. et vere. Aureus in mensem fuit, i. e. deni in diem asses, ut hic milites fatentur. Quomodo ergo iidem milites, statim denarium petunt, quasi ad stipendium augendum? ' Ut singulos denarios mererent:' et, ' Ut denarius diurnum stipendium foret.' Nonne enim, inquiunt, denarius idem quod deni asses? Et Æmilius Ferretus quidem post multum æstum hæsit in hoc vado. Locos eos pugnantes sic conciliat, quasi milites petant, inquit, duplicari stipendium: id est, alios denos asses, præter illos datos. Vir optimus non didicit conciliaturas. Quod Suetonius dicit voluisse eos æquari stipendio Prætorianis, (ii autem binos denarios capiebant:) de Germanico milite dixit, non de Pannonio, ut censet ipse, et post eum vir doctus. Dio de hac seditione nimis clare, Τό, τε σύμπαν, οὐθ' ὑπὲρ ἑκκαίδεκα ἔτη στρατεύεσθαι ἤθελον, καὶ δραχμὴν ἡμερησίαν φέρειν, τά τε ἆθλα εὐθὺς αὐτοῦ ἐν τῷ στρατοπέδῳ λαμβάνειν ἠξίουν. En, petebant, ait, δραχμὴν ἡμερησίαν: *Et universe, neque supra decimum sextum annum militare volebant; et Drachmam diurnum stipendium habere, et præmia statim in ipsis castris accipere.* Non ergo duas, ut volunt illi.

Sed quid alludo? res sic se habet. Aliud illo ævo Denarius, aliud deni asses. Per bella videlicet civilia (et sentimus etiam nunc) creverat auri pretium et argenti. Itaque Denarius XVI. primo assibus, (et pro ratione, sestertius item assibus quattuor, quod ex Mæciano et Vitruvio disco) tandem æstimari XII. cœpit; in eoque stetit, Augusti et sequentium aliquot Principum ævo. Quo argumento? Claro quidem, e loco Suetonii, ut nos eum emendavimus orchestræ non dubio consensu, in Domit. cap. 7. Ex quo clarum, aureum Romani militis stipendium fuisse in menses. At si aureus: ergo non plus XXV. denariis. Abi nunc ad mensularios, et reduc denos in diem asses (ita ut mensis dies habeat triginta) ad denarios XXV. reperies Denarium ipsum planissime valuisse duodecim asses. Quid ergo miraris, si milites pro denis assibus denarium petant: ut quinque scilicet denarios in mensem faciant lucri? At aeriter in hanc sententiam pugnat Plin. XXXIII. 3. qui ait in militari stipendio semper denarium pro decem assibus datum. Pugnet, ego eum tam tranquillum reddam, quam alcedo olim mare. Nam Plinius quidem plane a me est. Ea, inquit, severitas disciplinæ militaris fuit, ut quamquam denarii pretio sæpius aucto, miles tamen nihil inde commodi senserit; sed proinde illi in stipendium denarius processerit, quasi si esset tantum assium denum. Ea Plinii mens: aut si alia, de prisca rep. sensit, non de hac Augustæa. Simile prorsus ante annos paucos vidimus in urbe, urbium oculo. Hispani militis in petulanti illa seditione præcipuum postulatum fuit, ut Aureos in solutum acciperet prisca æstimatione, non hac grandi quæ obtinebat. Nec impetravit: fecitque lucri in auri pretio fiscus: quod olim in argenti resp. Romana. Porro quod ad modum hunc stipendii attinet: scire licet eumdem propemodum fuisse Græcis. Daricum enim in menses accipiebant: id est, XX. drachmas: in expeditione Cyri, sesquidaricum extorserunt, tantum non per seditionem. Xenophon, l. I. Περὶ ἀναβάσεως Κύρου. Ὁ Κῦρος ὑπισχνεῖται ἡμιόλιον πᾶσι δώσειν οὗ πρότερον ἔφερον, ἀντὶ δαρεικοῦ, τρία ἡμιδάρεικα τοῦ μηνὸς τῷ στρατιώτῃ: *Cyrus promittit sesquialterum stipendii prioris et recepti se daturum: ita ut pro Darico in mensem, sesqui-Daricum acciperent singuli.* Et similis de Darico menstruo locus, VII. libro. Melior ergo conditio militis Romani.

G.

CAP. 17. Suetonius id quoque ab Augusto esse ostendit, sed obscurius, cap. 49. ‘Quicquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam astrinxit: definitis, pro gradu cujusque, et temporibus militiæ, et commodis missionum: ne aut ætate aut inopia post missionem solicitari ad res novas possent.’ Nam commoda missionum, hanc pecuniam accepit. Sed clarissime Dio, l. LV. summa etiam præmii expressa: Χαλεπῶς δὲ δὴ τῶν στρατιωτῶν πρὸς τὴν τῶν ἄθλων σμικρότητα διὰ τοὺς πολέμους τοὺς τότε ἐνεστηκότας οὐχ' ἥκιστα ἐχόντων, καὶ μηδενὸς ἔξω τοῦ τεταγμένου τῆς στρατείας σφίσι χρόνου ὅπλα λαβεῖν ἐθέλοντος, ἐψηφίσθη, τοῖς μὲν ἐκ τοῦ δορυφορικοῦ πεντακισχιλίας δραχμὰς ἐπειδὰν ἑκκαίδεκα ἔτη, τοῖς δὲ ἑτέροις τρισχίλιας ἐπειδὰν εἴκοσι στρατεύσωνται, δίδοσθαι: *Cum milites præmiorum tenuitatem, ob bella tunc exorta, ægre ferrent, nec facile quisquam extra definitum militiæ tempus arma sumere vel-*

let: decretum est, ut Prætorianis quinque millia drachmarum postquam sedecim annos, reliquis tria millia darentur, postquam viginti militassent. Ex quo loco pronum mihi eluere vetustam Suetonii maculam, Cal. cap. 44. ‘ Ceterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sexcentorum millium summam recidit.’ Hæc præmia enim haud dubie intellegit. At quomodo constat immanis illa sexcentorum millium summa: si ex Dione verissimum est τρισχιλίας δραχμὰς tantum, id est, Romano more, duodena millia nummum destinata iis fuisse? Caligula autem de ea ipsa summa aliquid recidit. Scribe igitur, *ad sex millium summam.* Ea enim veritas: et Caligula dimidium imminuisse putandus est præmii militaris. Pretium operæ est sane hæc loca inter se conferri, et non per caliginem ultra sciri rationem militiæ sub Augusto. Hæc pecunia alio nomine, Emeritum dicta: quia scilicet emeritis debebatur. Modestinus: ‘ Qui militiæ tempus in desertione implevit, emerito privatur.’ Et, ‘ Ut veteranus restituetur, et emerita accipiet.’ Menander Arrius, ‘ Et præmia et emeritum capiet.’ Sueton. in Aug. cap. 24. ‘ Alias legiones immodeste missionem postulantes citra commoda emeritorum præmiorum exauctoravit:’ ubi malo, *emeritorum et præmiorum.* Commoda justæ militiæ idem scriptor dixit Vitellii cap. 15. ‘ Dilectum ea conditione in urbe egit, ut voluntariis non modo missionem post victoriam, sed etiam veteranorum justæque militiæ commoda polliceretur.’ Dio lib. LIV. adserere videtur, eam pecuniam adtributam pro agris, his verbis: Καὶ διέταξε (Augustus scilicet) τά τε ἔτη ὅσα οἱ πολῖται στρατεύσαιντο, καὶ τὰ χρήματα, ὅσα παυσάμενοι τῆς στρατείας, ἀντὶ τῆς χώρας, ἣν ἀεί ποτε ᾔτουν, λήψοιντο: *Annos, quot cives in legionibus militarent, definivit; et pecunias, quas soluti militia, pro agris (quos semper petebant) acciperent.* Cui ambigo an adsentiar, quia non semel hic in Tacito et pecuniæ mentio et agrorum.

H.

Cap. 20. Describit Vegetius II. 10. ‘ Erat etiam castrorum Præfectus licet inferior dignitate, tamen occupatus non mediocribus caussis. Ad quem castrorum positio, valli et fossæ destinatio [nescio an *designatio*] pertinebat. Tabernacula vel casæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur: præterea ægri contubernales, et medici a quibus curabantur: vehicula, sagmarii, nec non ferramenta quibus materia secatur vel cæditur: item ligna vel stramina, arietes, onagri, ballistæ, ceteraque genera tormentorum procurabat aliquando ne deessent. Is post longam probatamque militiam legebatur, ut certe [potius, *recte*] doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.’ Quæ verba ad lucem hujus loci pertinent, et plurium infra, in quibus de castrorum Præfecto. Cuique autem legioni suus castrorum Præfectus fuit, si tamen tenderet seorsum. Colligo ex Tacito, l. XIV. ‘ Pœnius Posthumus, Præfectus castrorum secundæ legionis:’ et Velleio l. II. ‘ At e Præfectis castrorum duobus, quam clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Cejonius prodidit.’ Supra Tribunos militum collocare eos visus noster Histor. secundo in pompa Vitelliana: ‘ Ante aquilam Præfecti castrorum, Tribunique, et primi Centurionum candida veste.’ Vir egregius, cujus memoriam amo, colo, in Semestribus suis censuit hunc eumdem esse cum Prætorii Præ-

fecto: et Vespasiani avum etiam auget hac dignitate, quoniam Suetonius scripserit: 'Polla patrem habuit Vespasium Pollionem ter Tribunum militum, Præfectumque castrorum.' Abi vir maxime, lucrifac, reliquæ virtutis tuæ caussa, censoriam hanc notam.

I.

Cap. 24. Rebus lætis et militia prospera, ornari signa mos fuit, lauru, floribus, unguentis. Claudianus: 'Lætaturque tamen: Mavortia signa rubescunt Floribus, et subitis animantur frondibus hastæ.' Suetonius Claudii cap. 13. 'Verum intra quintum diem oppressus est, legionibus in pœnitentiam religione conversis: postquam denuntiato ad novum Imperatorem itinere, easu quodam an divinitus, neque aquilæ ornari, neque signa convelli potuerunt.' Et Orosius eadem de re: 'Die dicto ut in unum undique ad novum Imperatorem convenirent, neque aquilæ ornari, neque convelli quoquo modo signa movereve potuerunt.' Signa ergo in ejusmodi lætitiis obviamque itionibus ornabantur: cui rei adhibita etiam unguenta. Plin. XIII. 4. 'Aquilæ certe ac signa pulverulenta illa ac custodiis horrida inunguntur etiam festis diebus; utinamque dicere possemus, quis primus instituisset. Ita est: hac mercede corruptæ terrarum orbem devicere aquilæ.' Nec aliud est, quod noster hic appellat insignium fulgorem. Ita l. XV. 'Hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque, et simulacris in modum templi.' Et Livius etiam l. XXVIII. 'Asdrubal clamore equitum excitatus, ut ex tabernaculo prosiluit, tumultumque ante vallum et trepidationem suorum, et procul signa legionum fulgentia plenosque hostium campos vidit:' etsi paullo aliter id accipio de fulgore argenti, pulvere deterso: quia nondum illo ævo notus luxuriæ mos. Contra in tristitia et rebus artis, signa horrida et incompta. Tacitus in funere Germanici: 'Præcedebant incompta signa, versi fasces.' Hist. l. IV. 'Revulsæ imperatorum imagines, innexa signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis.' Lib. XV. de fuga Pæti: 'Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius, non eam speciem insignium et armorum prætulit ut diversitatem exprobraret.' Nec plura mihi notata de hoc parum cognito adhuc militiæ ritu. Illud addo, manasse videri a statuis Deorum: quas melioribus diebus, unguentis perfundebant, quasi in cultum et honorem. Aquilæ autem nonne Dii militares? Cicero in Verrem IV. 'Omnes matronas et virgines convenisse, eum Diana exportaretur: unxisse unguentis, complesse et coronis et floribus.' Arnobius lib. I. 'Si quando conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine ordinatum:' ubi malim, *odoratum*. Apuleius I. Florid. 'Lapis unguine delibutus.' Seneca Fragmento de Superstitione: 'Alius fictor est, alius unctor.' Lapis vetus Romæ: DEINDE. CORONIS. INLATIS. SIGNISQUE. UNCTIS. Vide quæ notavi Elect. II. 18.

K.

Cap. 31. Res initium habuit non a Julio Cæsare, ut famam esse video; sed ab Augusto. Nam Cæsar quidem tributi nomine H-S. quadringenties im-

posuit Galliæ victæ, uti apud Suetonium et Eutropium in melioribus libris legi: censendi provincialem rationem non ipse, non priores instituerunt ante Augustum. Ille auctor rei. Claudius oratione, quam in Senatu habuit Censor: 'Sed districte jam Comatæ Galliæ caussa agenda est, in qua si quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt Divom Julium, idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque, multis trepidis rebus nostris, plusquam expertum. Illi patri meo Druso Germaniam subigenti, tutam quiete sua securamque a tergo pacem præstiterunt: et quidem cum ad census [nescio an, *a censu*] novo tum opere et inadsueto Galliis ad bellum avocatus esset. Quod opus quam arduum sit, nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra quam ut publice notæ sint facultates nostræ exquiratur, nimis magno experimento cognoscimus.' Ait clare, 'Novo tum opere et Galliis inadsueto.' Rem insignem epitoma Livii non tacuit, lib. CXXXIV. 'Cum Augustus conventum Narbone ageret, census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus.' Idque accidisse ex Dione disco, septimo Augusti consulatu: *Ἐς δὲ τὰς Γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα διέτριψεν. Ἐκεῖνοί τε γὰρ ἐπικηρυκεύσασθαί οἱ ἐδόκουν· καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἔτι, ἅτε τῶν ἐμφυλίων πολέμων εὐθὺς ἐπὶ τῇ ἁλώσει σφῶν ἐπιγενομένων, ἦν· καὶ αὐτῶν, καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε*: *Verum, cum in Gallias venisset, illic substitit. Nam et Britanni missuri jam legatos videbantur: et res Gallorum inquietæ etiam, quia subactis illis statim bella civilia erant consecuta. Itaque et censum illorum egit, et vitam remque publicam composuit.* Hujus autem census duplex modus. Videntur enim tributum et in capita contulisse, et in agros, lacus, pecudes, aliasque facultates. Prius illud eleganter ab Ammiano suggestum, l. XVI. ubi de Juliano Cæsare verba: 'Quam profuerit anhelantibus extrema penuria Gallis, hinc maxime claret, quod primitus partes eas ingressus pro capitibus singulis tributi nomine vicenosquinos aureos repperit flagitari, discedens vero septenos tantum munera universa complentes.' Tertullianus Apologetico: 'Sed enim agri tributo onusti, viliores; hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæc sunt notæ captivitatis.' Panegyricus scriptor in laudibus Constantini: 'Septem millia capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum ceusuum;' et statim: 'Remissioue ista septem millium capitum, vigintiquinque millibus dedisti vires, dedisti opes, dedisti salutem;' iterumque: 'Certe et tum liberi parentes suos cariores habent, et mariti conjuges non gravate tuentur, et parentes adultorum non pœnitet filiorum, quorum onera sibi remissa lætantur:' quæ postrema non est ut ullo modo transferas ad capita, quæ vocabant, agrorum. Alias non sum ignarus illud ipsum tributum, quod pro modo agrorum penderent, Capitationem dictam a Jurisconsultis, et Salviano Massiliensi, lib. v. 'Plerique pauperculorum atque miserorum spoliati resculis suis, et exterminati agellis suis, cum rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa patiuntur: cum possessio ab his recesserit, capitatio non recedit,' scilicet a numero jugorum et capitum quibus agri coluntur. Sed persevero, ut Galli in capita contulerint etiam humana. De agris autem, lacubus, aliisque, quæ obnoxia tributo, habes apud Jurisconsultos De censibus, et Panegyristem illum ipsum: 'Jacebat illa civitas non tam innixa Romanis, quam virium defectione prostrata: ex quo eam novi census exanimaverat acerbitas.

Nec tamen juste queri poterat, cum et agros qui descripti fuerant haberemus, et Gallicani census communi formula teneremur, qui fortunis nemini possumus æquari.' Utrique censui olim præpositi ex prima nobilitate viri, ut Drusus ab Angusto, Germanicus hic a Tiberio. Videturque ea non exigua dignitas fuisse, ex Tacito, lib. XIV. ' Census per Gallias a Q. Volusio et Sex. Africano, Trebellioque Maximo acti sunt, æmulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano. Trebellium dum uterque dedignatur, supra tulere.' In lapide,

Q. MANILIO
C. F. CORDO. T.
LEG. XXI. RAPAC.
PRÆF. EQUIT. EXACT.
TRIBUT. CIVITAT. GALL.
FAC. CUR.
CERTUS. LIB.

Id est, *Exactori tributorum civitatum Galliæ.* Hi census in tabulis perscripti. Dio in vita Caligulæ : Κυβεύων δήποτε, καὶ μαθὼν ὅτι οὐκ εἴη οἱ ἀργύριον, ᾔτησέ τε τὰς τῶν Γαλατῶν ἀπογραφὰς, καὶ ἐξ αὐτῶν τοὺς πλουσιωτάτους θανατωθῆναι κελεύσας, &c. Unde Tabulæ censuales in codice Theodosiano, et Justiniani l. IV. De Agric. et censit. et alibi, Paginæ censuales. Actique videntur singulis lustris. Panegyricus: ' Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lucrum omnibus lustris felicius!' aut etiam singulis annis. Nam ecce in Tacito anno post, P. Vitellius et Scantius mittuntur ad census Galliarum, l. II. Tributum tamen ipsum videtur olim descriptum fuisse in singulos menses. Docet factum Licinii Procuratoris apud Dionem, qui, ut ait, eo malitiæ pervenerat, ut quoniam singulis mensibus tributum erat Gallis pendendum, quattuordecim definiret anni menses. Vide rem non injucundam, apud optimum scriptorem, quod quidem ad ritus priscos adtinet, lib. LIV.

L.

CAP. 41. Suetonius non spernit solum sententiam hanc, sed longa et acri disputatione evertit. Cui manus ego nondum do. Quid enim? an vulgus ejus ævi (nam versiculi illi, Caligula principe, statim divulgati sunt) nesciit Imperatoris sui solum genitale? tam impudenti mendacio ludere jus fuit? Non Plinius et Tacitus, ea quæ Suetonius, perviderunt? Scilicet iis cura non fuit inspiciundi Acta? logi. Non copia? nugæ. At enim, inquit, natus est Caius patre suo et C. Fonteio Coss. pater autem Consulatum eum anno toto gessit, et quidem in urbe. Non igitur nasci potuit in castris: quoniam pater demum exacto Consulatu in Germaniam est missus. Primum, Suetoni, quod tu sumis ut datum, fieri potest ut quis illorum jubeat te reponere; ambigo, iuquam, utrum illæ meæ partes consentiant consciscantque natum eo anno Caium esse. Video enim dissentire alios in numero annorum quos dicitur vixisse. Et quid si paullo ante natus sit, cum pater in Germania esset? quid si paullo post? Deinde, mi homo, quæritur quando natus Caligula sit, non quando satus. Nonne ipso patre Consule, ut tu vis, nasci potuit in cas-

tris? Nec enim opus credo eam ad rem præsentia patris. Nam Germanicum constat ex Dione statim a clade Variana continenter in Germania mansisse, ad hunc usque Consulatum. Suspicari autem probabiliter possum, uxorem, quæ tumida et vicina partui, relictam ab eo in Germania donec uterum posuisset. Nam circumduci in longo itinere feminas, ut prisci dicebant, incientes, non ex more, non ex usu. Potuit ergo nasci in castris, et tamen in Consulatu patris. Sed in Actis reperio, ais, natum eum Antii. Quid si nomen tibi imponit, et Acta de alio quopiam Caio, filio pariter Germanici, senserunt? Non enim Caligulæ cognomen discriminis caussa, opinor, apponi potuit Actis; quoniam professio apud Acta nato statim puero fieri solita: cognomen autem illud postea in castris illi datum, a veste. Denique contra tabulas Actorum, Plinii pagina est, et hic noster fidelissimus senex: mihi quidem testis ἐκ τῶν Διὸς δέλτων. Addis amplius, ex Augusti epistolis liquere bimulum demum perductum in castra: non ergo ibi natum. Batuis tu, non pugnas: rude, non gladio feris. Quid enim obstat Agrippinam peperisse in Germania, rediisse in urbem mariti sui Consulatu: deinde ipsam et infantem in Germaniam revertisse? Quod Antium prætulerit omnibus secessibus Caius: quin tu hoc argumento, Tiberium Capreis genitum dicis, Tibure aut Lanuvii Augustum? Itaque quidquid Suetonius conetur, me quidem judice, Hæc pars adhuc, ut in formula Senatoria est, major esse videtur. Cui, præter consulares illos, subscribunt pedarii Senatores, Sex. Victor, et Athenæus lib. IV. 7.

M.

Cap. 75. Provinciarum divisio a Cæsare Augusto in sexto Consulatu facta duplex. Aliæ populo datæ, aliæ Cæsari. In eas quæ populi, proprie dicti Proconsules mittebantur: in Cæsaris, Legati aut Proprætores: qui interdum tamen et Prætores dicti; aut conjunctim Legati proprætores, ut in lapidibus plerumque. Rectorum et Præsidum nomen generale est: etsi Præsides, Præsidialesque provincias, de Cæsarianis reperies etiam, significatione arta. Discrimen inter Proconsules Legatosque multum. Primo, quod ii in populi provincias missi, quæ fere inermes: hi in Cæsaris, quæ copiis instructæ. II. quod illorum annua tantum administratio: (unde in Taciti lib. III. Flamen ait, 'quanto facilius se abfuturum ad unius anni proconsulare imperium?' Et Apuleii Florid. II. 'Quid nobis cum istis proconsulum vicibus? quid cum annis brevibus et festinantibus mensibus?') horum longior contractiorve, ut Cæsari visum. III. Procousules sorte missi: eoque Suetonius Aug. c. 47. 'ceteras provincias Proconsulibus sortito permisit:' et Tacitus, lib. III. 'eoque etiam Asiæ sorte depellendum incusavit:' at Legati, Cæsaris dilectu, ἀκληρωτὶ, ut ait Dio. Statius lib. I. Silv. 'cum tanti lectu rectoris habenas Gallice fortuna non admirante subisti.' IV. Proconsules statim egressi urbe insignia imperii sumunt (τὰ τῆς ἀρχῆς ἐπίσημα, ait Dio) puta lictores, fasces; nec deponunt, nisi ingressi iterum urbem: at Legati, non antequam provinciam attigerint, et in ipsa provincia deponunt. V. Proconsules pacato habitu, et gladio non accincti fuerunt (ex instituto quidem Augusti, quod tamen postea mutavit): Legati, τὴν στρατιωτικὴν στολὴν, id est, paludamentum,

gestarunt, et gladium, ut quibus jus esset militis animadvertendi. VI. Proconsules sex lictoribus fascibusque usi: quinque dumtaxat Legati qui Consulatum nondum gessissent. Dio auctor, LIII. Septimo, Proconsuli tres Legati fuere: Legato unus. Dio ibidem. Atque hæc discrimina: sed ex iis nihil eruas, cur provinciarum Cæsaris conditio (quod tamen hic ex Tacito clarum) melior pensiorque. Nisi id tamen in bonum provincialium vertit, quod utraque provincia uni credita Legato: ideoque minus onerum in alendo ipso et canibus illis qui tribunal lambunt. Clare Tacitus lib. v. ‘ Is Macedoniæ tum intentus Achaiam quoque curabat.’

N.

CAP. 83. Sed quis olim, quæso, modus lucaris? omnia enim aut pervadit aut tentat nostra curiositas. Vulgaris actoris videntur fuisse denarii quinque. Seneca epist. 81. ‘ Ille qui in scena elatus incedit, et hæc resupinus dicit, Imperito Argis, servus est, quinque modios accipit et quinque denarios.’ Aut certe septem, ut in Icarom. apud Lucianum, in loco qui re et verbis Senecæ illi par: *Ἐοικότες μάλιστα τοῖς τραγικοῖς ἐκείνοις ὑποκριταῖς, ὧν ἢν ἀφέλῃς τὰ προσωπεῖα, καὶ τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην στολὴν, τὸ καταλειπόμενόν ἐστι γελοῖον ἀνθρώπιον, ἑπτὰ δραχμῶν ἐς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον*: *Similes maxime tragicis illis histrionibus, quibus si personas auferas, et auratam illam vestem, quod relinquitur, ridiculus homuncio erit, septem drachmis ad certandum agendumque conductus.* Mutata tamen sæpius res, cum vulgus editoresque multa adderent histrionibus famosis, præter morem. Ideo Tiberius, ‘ Ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum recisis:’ et M. Antoninus Imp. ‘ Temperavit scenicas donationes, jubens ut quinos aureos scenici acciperent: ita tamen ut nullus editor decem aureos egrederetur.’ Magno tamen corruptis moribus incremento, si pro quinque denariis ventum ad aureos quinque. Sed Seneca, fortasse et Lucianus, de diurna mercede agunt: Capitolinus de menstrua, aut certe productione tota. Aut denique merces tam ampla ad principes scenæ pertiuet, non ad pueros histrionum. Quod ait de editore, video labi virum doctum: hoc jubet Imperator, ut nemo editor, id est Prætor aut magistratus qui ludos præbet, suggerat iis supra decem; estque quasi correctio in capite ejusce legis. Sed unde hæc pecunia? sæpe ab editoribus, sæpe a fisco. Ideo Glossæ. *Lucar, μισθὸς ἀπὸ φίσκου.* Alias, *Lucar, τὸ θεατρικόν.* Plutarchus, *τὸ τελούμενον εἰς τὰς θέας.*

ADD. NOTAVI e Capitolino quinque aureos statam mercedem fuisse scenicorum. Adde Scholiastem Juvenalis in illud, ‘ victori populus quod postulat aurum.’ ‘ Ut in theatro,’ inquit, ‘ solent petere quinque aureos: nam non licebat amplius dare.’

EXCURSUS AD ANNAL. LIB. II.

A.

Cap. 2. Parthorum reges, qui innexi rebus Romanis: ulteriora mihi non sunt curæ.

I. Orodes. Justino, Herodes: Plutarcho, Ὠρώδης: qui vicit Crassum. — Pacorus, a P. Ventidio victus cæsusque. Dio, et alii. Phraates; Plutarcho, Phraortes.

II. Phraates: cum quo M. Antonius bellum gessit. Teridates eum regno pepulit: sed ipse brevi pulsus, Phraate restituto: cui legitimi filii quattuor. — Saraspades. Cerospades. Phraates. Vonones. ejus F. } Meherdates.

Unus ex concubina Romana muliere, Thermussa, genitus; qui astu matris in Parthis remansit: de quo Joseph. lib. xviii. 3. } Phraataces, nothus.

III. Phraataces, patris interfector, maritus matris: brevi pulsus, facinorum odio, moritur. Idem Josephus.

IV. Orodes, Josepho, Herodes, nescio cujus proles: cœtu popularium facto cæsus in sacrificio vel venatu, ob crudelitatem. Joseph.

V. Vonones, de quo hic Tacitus, et loco dicto Josephus.

VI. Artabanus: non ex recta priorum regum stirpe, tamen Arsacides et Medorum antea rex, ait Josephus. Contra eum rex missus a Tiberio Phraates, de quo supra, Vononis frater; sed in via periit: postea Teridates (nescio cujus proles, nepos tamen Phraatis) qui pepulit Artabanum, iterumque ab eo pulsus. Regnum tenuit ad Claudii principatum.

Ejus filii: Orodes; qui Armeniæ rex. Tacit. lib. vi. Darius; qui Vitelliano fœdere cum Artabano, obses missus Romam. Josephus. Is est quem nominat Suet. Calig. c. 19.

VII. Gotarzes. Artabani frater, qui necem ipsi filiisque maturavit. Tacit. lib. xi.

VIII. Vardanes, item Artabani frater; pepulit Gotarzem. Tacit. lib. xii. Vide et Philostratum lib. i.

IX. Gotarzes, iterum, mortuo fratre. Contra eum submissus Meherdates, filius Vononis, imperante Claudio. Frustra; victor prælio Gotarzes.

X. Vonones (ignoro stirpem) antea Mediæ rex, lectus accitusque a Parthis, sed brevi et inglorio regno. Tacit. xii. } Vologeses. Teridates, sub Nerone Armeniæ rex.

XI. Vologeses, vel ut Græci, Vologæsus; Vononis hujus F. per tempus Neronis. Vixit ad Vespasiani imperium, ut liquet ex Taciti Histor. lib. iv.

B.

Cap. 2. Apud Plautum mater familias: ‘ Obsignate cellas, referte anulum ad me, Ego hinc transeo in proximum ad meam vicinam.’ Et alibi servus: ‘ Isti parcipromi qui salinum servis obsignant cum sale.’ Plinius xxxiii. ‘ At nunc cibi quoque et potus anulo vindicantur a rapina.’ Ab hoc more Martialis lib. ix. ‘ Septem post calices Opimiani Denso cum jaceam triente læsus, Adfers nescio quas mihi tabellas, Et dicis, Modo liberum esse jussi Zenam, servulus est mihi paternus. Signa; cras melius, Luperce, fiet: Nunc signat meus anulus lagenam.’ Et simile, quod mater Ciceronum amphoras vinarias signare solita etiam inanes. Clemens lib. cxi. Pædag. feminis Christianis talem anulum dat: Δίδωσιν οὖν (ὁ παιδαγωγὸς) αὐταῖς δακτύλιον ἐκ χρυσίου, οὐδὲ τοῦτον εἰς κόσμον, ἀλλ' εἰς τὸ ἀποσημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλακῆς ἄξια, διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς οἰκουρίας. Εἰ γὰρ οἱ πάντες ἦσαν παιδαγωγούμενοι, οὐδὲν τῶν σφραγίδων ἔδει, ἐπίσης ὄντων δικαίων καὶ οἰκετῶν καὶ δεσποτῶν. Ἐπεὶ δὲ ἡ ἀπαιδευσία πολλὴν ἐκδίδωσι ῥοπὴν εἰς ἀδικίαν, σφραγίδων ἐδεήθημεν: *Tribuit etiam feminis anulum aureum, non hercle ad ornatum, sed ad signandum ea quæ domi custodienda sunt, propter curam domesticam quæ illis incumbit. Si enim omnes a pædagogo recte instituti essemus, supervacua essent signacula, omnibus ex æquo bonis, servis dominisque. Sed quoniam aut nulla aut mala institutio caussam magnam præbet injuriæ, opus habuimus sigillis.* Ubi vides etiam



illo ævo morem priscum. Anulos ejusmodi signatorios (ferreos tamen, ut appareat servorum fuisse, aut vulgarium militum) complures erutos ipsi vidimus in Batavis, cum adjuncta clavi; ad duplicem scilicet usum, signandi aperiendique. Eorum hæc forma, magnitudine minimissimi digiti. Plinius Iliacis temporibus ignotum anulorum usum fuisse docet, ‘ quoniam conditas arcis vestes vasaque aurea et argentea, et ea colligata nodi non anuli nota Homerus indicat.’ Versus Homeri, quos respexit, sunt, Odyss. Θ. Αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον, Μήτις τοι καθ' ὁδὸν δηλήσεται. Ad hos anulos pertinere velim Valerii locum lib. vii. c. ult. ‘ Insuperque anulos suos ei tradidit: videlicet ne quid ex ea hereditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocyus vir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repositos et a præsentibus obsignatos diligentissime, heredibus illius exheres ipse reddidit.’

C.

Cap. 17. Exemplum credo esse a Persis, quibus in militia Aquila præcipuum et regale signum. Xenophon de Expeditione Cyri lib. I. Καὶ τὸ βασίλειον σημεῖον ὁρᾷν ἔφασαν, ἀετόν τινα χρυσοῦν, ἐπὶ πέλτης, ἐπὶ ξύλον ἀνατεταμένον. Et Pædia Cyri, lib. VII. Ἦν δὲ αὐτῷ τὸ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος. Καὶ νῦν δὲ ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει: *Erat autem ei signum, aurea aquila in longa hasta suspensa; et nunc etiam id insigne Persarum regibus manet.* Sed diversa tamen ea paullum ab aquila Romanorum. Nam hæc non aliud, quam modica ex argento aquila, quæ summæ hastæ insistebat, alis expansis, pede fulmen aureum tenens. Ita, præter M. Antonii nummos, etiam Dio describit libro XLIII. de prodigiis ante pugnam Mundensem: Οἱ δὲ δὴ ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων αὐτοῦ, τάς τε πτέρυγας σείσαντες, καὶ τοὺς κεραυνοὺς, οὓς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν τινες χρυσοῦς ἔφερον, ἐκβαλόντες, ἐκείνῳ τε τὸ κακὸν ἄντικρυς ἐνέσκηπτον, καὶ αὐτοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα ἀπεπέτοντο: *Aquilæ legionum ejus, alas concutientes, et fulmina, quæ nonnullæ earum aurea pedibus tenent, abjicientes, Pompeio exitium palam denunciabant, ipsæque ad Cæsarem quasi avolabant.* Dixi modicam fuisse: collige ex his Flori verbis lib. IV. 'Tertiam aquilam signifer, priusquam in manus hostium veniret, evulsit, mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude delituit.' Neque enim baltei latebris tegi potuisset aquila admodum magna. Vide Militiam nostram.

D.

Cap. 26. Statius: 'Laurumque superbam In gremio Jovis excisis deponere Pœnis.' Idem: 'Et nondum gremio Jovis Indica laurus.' Dixi in fascibus lictorum: et eum ritum clare ponit Dio LIV. de Augusto: Καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν, τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο: *Et in Capitolium conscendens, laurum a fascibus abstulit, et in Jovis genibus deposuit.* Sicut et Julius Obsequens: 'C. Antonius cum in agro Pistoriensi Catilinam vicisset, laureatos fasces in provinciam tulit. Apparuit eum hostibus portendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.' Recte ergo in Plinio scriptum: 'Fasces imperatorum laurus decorat, ex his in gremio Jovis optimi maximi deponitur, quotiens lætitiam nova victoria adtulit:' nec recte mutavit e libro vetere, ut ait, vir doctus, *ex hinc in gremio.* Senecam turpi nota deformavit quicumque nebulo ignarus hujus ritus. Consolatione ad Elbiam, c. 10. 'Scilicet minus beate vivebat Dictator noster, qui Samnitum legatos audiit cum vilissimum cibum in foco manu sua versaret, illa, qua tam sæpe hostem percusserat, lancemque in Capitolini Jovis gremio reposuerat: quam Apicius nostra memoria vicit, qui,' &c. et molestiam objecit quærendæ lancis, quam numquam invenies. Libri aliquot, *lanceamque.* Emendo, *laureamque;* verissime ad hunc triumphi morem, sequentia etiam scribe, *quam Apicius nostra memoria vixit;* non, Vicit: et sententia omnis clara. Ne hæreas, simillimus de hisdem Fabriciis Panegyristæ locus Laudatione Theodosii: 'Curii, Coruncanii, Fabricii, cum induciæ bella suspenderant, inter aratra vivebant: et ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini

Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur.' Sed et laurea etiam deposita sine justo triumpho: ut in Sueton. Domitian. c. 6. ' De Sarmatis lauream modo Jovi Capitolino rettulit.' Itemque Nero ob Teridatis in urbem adventum, ' Imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata,' in eodem Suetonio c. 13.

E.

CAP. 27. L. SCRIBONIUS LIBO, qui Consul cum Antonio, anno DCCXIX. Uxor incerta.
Ex his
SCRIBONIA, quæ nupsit SEX. POMPEIO, filio Magni, per bellum Siculum. Dio. Appian. Ex his
POMPEIA, quæ desponsa M. MARCELLO, pignus pacis cum Triumviris initæ: sed non deducta. Nupsit, ut conjicio, post SCRIBONIO LIBONI: ex quis
L. SCRIBONIUS LIBO: qui consul initio lib. hujus. SCRIBONIUS LIBO DRUSUS: de quo hic, qui tantum Prætor.

SCRIBONIA, ejus soror, uxor OCT. AUGUSTI.
Ex his
JULIA; cui maritus VIPSANIUS AGRIPPA.
Ex his
CAIUS, LUCIUS Cæsares.
JULIA, nupta L. Paullo.
AGRIPPINA, nupta Germanico.

SCRIBONIUS LIBO, de quo nihil legi.
SCRIBONIUS, de quo nihil.
SCRIBONIUS LIBO, quem volo maritum Pompeiæ fuisse.

Priores duæ lineæ hujus generis veræ, et ex historia Dionis, Appiani, collectæ. Tertia a sola conjectura est: sed aliter de amita Scribonia explicari a me non potest. L. Scribonium Libonem, qui consul fuit hoc ipso anno quo damnatus adolescens, non patrem ejus fuisse sed fratrem, ex narratione Taciti liquet. Patrem enim nusquam nominat: nominat fratrem. Hunc fuisse arbitror a quo Scribonia lex denominata: quem vir magnus Jac. Rævardus in libello singulari ad eam legem imperite confudit cum isto qui nunc reus.

F.

CAP. 30. Græci *διοικητὰς*, *πραγματευτὰς* vertunt. Itaque fere cum Procuratoribus æquiparantur: sic tamen ut minus late vagetur eorum potestas. Plinius in laudatione Trajani: ' Dicitur actori, atque etiam procuratori tuo, In jus veni, sequere ad tribunal.' Idem lib. III. epist. ad Calvisium: ' Deinde quod non minus utile quam voluptuosum, posse utramque eadem opera, eodem viatico inviscre, sub eodem procuratore ac pæne iisdem actoribus habere.' Salvianus Massiliensis: ' Pavent quippe actores, pavent silentiarios, pavent procuratores: prope ut inter istos omnes nullorum minus servi sint, quam dominorum suorum.' In marmore prisco:

HERCULI. DEFENSORI
PRO. ITU. ET. REDITU
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI. CÆSARIS
D. CLODIUS. D. L.
FELIX
ACTOR. CÆS. N. D. D.

Id est, *Actor Cæsaris nostri dedicavit.* Sic Actores prædiorum, l. XVI. C. De procuratoribus. Actores rerum, l. ult. De offic. præsid. et in Suetonii Domitiano c. 11. Actorem summarum rite fortasse reposuit Torrentius. Certe enim pecuniæ recipiendæ et expendendæ præerant. Apuleius l. II. ' Philodespotum requirit actorem [ita e codice scripto Giselini nostri legimus, cum male adhuc *auctorem*]: eique præcipit, bono custodi redderet sine mora præmium.' Ut ergo isti in privata familia, sic et in rep. Actores: de quibus Plinii locum correctum imputo juventuti, l. VII. Epistola ad Caninium: ' Equidem nihil commodius invenio, quam quod ipse feci. Nam pro quingentis millibus nummum, quæ in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis longe pluris exactori [corrigo, inquam, *actori*] publico mancipavi, eumdem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus:' quibus verbis nihil clarius potest ad Taciti mentem. Ut enim ibi ager Actori publico mancipatur: sic hic servi. Vide quæ de reip. servis scripsi libro Electorum, c. 22. et adde (quod tunc me fugit) de appellatione eorum a magistratibus, Varronis insignem locum, quem secius accepit vir doctus: l. VII. De lingua Latina: ' Nomina habent plerique liberti a municipio manumissi: in quo, ut societatum et fanorum servi non servarunt proportionem et rationem. Et Romanorum liberti debuerunt dici, ut a Faventia Faventinus, a Reate Reatinus, sic a Roma Romanus; ut nominantur libertini a libertis orti, et e publicis servis populi Romani, qui manumissi antequam sub magistratuum nomina, qui eos liberarunt, succedere cœperunt.' Dicit Varro: Servi publici manumissi, dicti sunt liberti populi Romani, uti reapse erant: manumissi quidem, priusquam ambitiosa hæc consuetudo invalesceret nominandi a magistratibus. Nam ecce cœperunt a Consule quopiam aut Prætore, Corneliani dici, Gelliani, Clodiani. Et adde istis, quæ notavi ibi. Ille amicus noster ad successiones refert et testamenti factionem. Acute; sed quo tam acute?

G.

Cap. 32. Anno urbis DCXIV. ' M. Popillio Lænate, Cn. Calpurnio Coss. C. Cornelius Hispallus Prætor edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex urbe atque Italia jussit: levibus atque ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes,' ait Valerius libro primo. Anno DCCXXI. M. Agrippa Ædilis τοὺς ἀστρολόγους καὶ τοὺς γόητας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασεν: *astrologos et vates urbe ejecit;* auctor Dio XLIX. in extremo. Iterum anno DCCLXI. ab Augusto interdictum severe omni vaticinio ac prædictione: notat idem Græcus l. LVI. Sed serio inprimis et cum cura ea res habita, hoc anno. Senatusconsulti, quod factum, formam et verba certo repperi in Fragmentis Jurisconsultorum, quæ dedit nuper doctissimus P. Pithœus. Ait ibi Ulpianus, l. VII. de offic. Procons. ' Præterea interdicta est [ita legit Pithœus] Mathematicorum callida impostura et obstinacitate persuasio. Nec hodie primum interdici eis placuit, sed vetus hæc prohibitio est. Denique exstat S. C. Pomponio et Rufo Coss. factum, quo cavetur, ut Mathematicis, Chaldæis, ariolis, et ceteris qui similem in certum fecerunt [Pithœus, *similem artem:* ego legerim, *similem*

cestum, sive, *quæstum*] aqua et igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur: et sic eternus gentium qui si id fecerit, in eum animadvertatur.' Dico Domitium intelligere Sc. hoc ipsum. At enim ille refert ad Pomponium et Rufum Coss. hoc autem anno Taurus et Libo Coss. fuerunt. Non hoc novum, ut inter scriptores anni unius discrimen sit. Cælius enim Rufus, et L. Pomponius, Consules fuerunt sequenti hunc anno. Addit Ulpianus alia, quæ ad cognitionem istam: 'Sæpissime denique interdictum est fere ab omnibus principibus, ne quis omnino hujusmodi ineptiis se immisceret: et varie puniti sunt hi qui id exercuerunt, pro mensura scilicet et consultationis [legerim, *sceleris et consultationis*, vel inducta copula, *scilicet consultationis*]. Nam qui de Principis salute, capite puniti sunt, vel qua alia graviore pœna adfecti.' Non omittam oraculum nostri vatis, de his vanis vatibus: 'Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax: quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur.'

H.

Cap. 32. Plautus, 'credo ego istoc exemplo tibi Esse eundum actutum extra portam, dispessis manibus Patibulum quom habebis.' Itaque et carnifex domicilium habuit extra urbem. Cicero, pro Rabirio perduellionis reo: 'Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in ejus concione carnifex consisteret: quem non modo foro, sed etiam cælo hoc ac spiritu Censoriæ leges, atque urbis domicilio carere voluerunt.' Ideo Plautus, 'extra portam Metiam currendum est prius, Lanios inde accersam duo cum tintinnabulis.' Intelligit enim carnifices, quorum extra eam portam domus, ad solennem suppliciis locum. Imo et Coriarii ac Vispelliones urbe submoti, a pari caussa. Morticina enim tractant. Artemidorus libro I. c. LIII. Τὸ δὲ βυρσοδεψεῖν, πᾶσι πονηρόν· νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων ὁ βυρσοδέψης, καὶ τῆς πόλεως ἀπῴκισται: *Coriariam exercere, malum omnibus. Corpora enim mortua attrectat cerdo, ideoque ab urbe secluditur.* Sed quid est quod Tacitus hic diserte nominat Esquilinam? non temerarium est: nec facile reperies, ut ego censeo, ubi supplicii res, nominari portam aliam: nisi tamen Metiam, ut iterum apud Plautum: 'Illum ædepol videre ardentem te extra portam Metiam, Credo ecastor velle.' Sed profecto quæ Metia Plauto, eadem est cum Esquilina: argumento loci de suppliciis, tum numeri situsque portarum urbis. Idque ante me censuisse audio Octavium Pantagathum, virum magnum, altum, et qui esse doctus eligeret quam videri. Non, inquam, reperies aliam nominatam ab istis, nisi forte Collinam in Vestalium morte: quod aliud a supplicio vulgato. Facit ad portam Esquilinam, quod Suetonius in Claudio scripsit: 'Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit:' quod Horatius, anus illas lapidatas in Esquiliis abjicit: 'Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens Contundet obscenas anus. Post insepulta membra different lupi, Et Esquilinæ alites.' Itaque et Puticuli ibi, quo vilium damnatorumque hominum cadavera projiciebantur. Varro, Festus, aliique. Ibidem locum fuisse, qui Sestertius dicretur, infra docebo.

I.

Cap. 33. Byssina, e lino; Bombycina, e verme; Serica, ex arborum lana, confectæ. Bombycina eadem est cum Cea sive Coa (nihil enim interest) manetque hodie: reliquarum nihil superest præter nomen. Byssum cum Serico, imperite confundit Philostratus libro II. et vult ex arbore Indica nasci, quæ altitudine quidem populos æquet, foliis salici non absimilis. Sericum debuisset dicere. Nam Byssus e terra gignitur ut linum, circa Elidem præcipue, Achaiæ urbem. Eadem imperitia Bombycinam, Sericam facit Isidorus l. XIX. Si tamen imperitia est, et non recepta opinio inferioris ævi. Nam et Zonaras in Justiniani vita scribit, 'ejus temporibus telam sericam a Romanis [id est, Græcis Byzantinis] texi cœptam, cum antea a Persicis mercatoribus tantum importaretur, nec Romani scirent fila illa esse vermium.' Et addit duos monachos ova illa vermium ex India attulisse, et mori foliis aluisse, et inde sericum confecisse. Otho item Frisingensis in historia Friderici l. I. ait Rodericum Siculum expugnatis in Græcia Athenis, Corintho, Thebis, opifices qui sericos pannos texebant deduxisse captivos, et in Siciliæ urbe Palermo collocasse. Inde factum ut quam textrinam prius soli Græci inter Christianos habuerint, cum Romanis communicata sit ingeniis. Nec abhorrent ab hac sententia Pausanias, Pollux, Servius. At magis veteres discriminant clare: et lanam arborum esse Sericum volunt, apud Seres Indos. Virgil. 'Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.' Plinius: 'Seres lanicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem.' Seneca poëta: 'Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.' Marcellinus l. XXIII. 'Apud Seras sublucidæ silvæ, in quibus arborum fœtus aquarum asperginibus crebris velut quædam vellera mollientes, ex lanugine et liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtemine conficiunt sericum.' De his Seneca, De beneficiis l. VII.: 'Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse jurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.' Pellucebant enim tenerrima, ut Ammianus loquitur, subtilitate. Ideoque quotiens pellucidam vestem, pellucentem togam, taliaque legis: capito de Serica, aut Coa. Juvenalis: 'Acer et indomitus libertatisque magister Cretice pelluces,' ceperim de Serica. Tibullus, de Bombycina: 'Illa gerat tenues vestes, quas femina Cea Texuit, auratas disposuitque vias;' et Horatius: 'altera nil obstat Cois tibi.' Serica quando venerint in usum, planissime non scio: suspicor Julii Cæsaris ævo, (nam ante non invenio,) qui etiam ludis theatrum totum velis contexit sericis: ut ex quorumdam fide Dio refert l. XLIII. Eam vestem etiam Medicam dictam, scriptum reliquit Procopius. Genera ejus facta postea Holoserica, Subserica; ususque primus Holoserica Eligabalus: de quo adi scriptores historiæ Augustæ.

K.

Cap. 59. Quod ait, pedibus intectis: non plane verum est, sed in comparatione cum calceis Romanis; qui altiusculi, non solum imos pedes, sed tibias velabant crure tenus. Horatius: ‘ nigris medium impediit crus Pellibus.’ Titinius in Setina: ‘ Jam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas.’ Tertullianus de Pallio: ‘ Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.’ Et exstat exemplum hodie in calceis Turcarum Pannoniorumque. At crepidæ, soleæ, plantarum calces tantum imas tegebant, ceteris fere nudis. Ideo bene noster, ‘ pedibus intectis.’ Hunc sensum firmat ipse, dum subdit: ‘ P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam accepimus.’ Scipio autem ibi crepidatus. Livius: ‘ Ipsius etiam Imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur; cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio.’ Quod tamen molle et effeminatum censebatur: et Manilius delicatos insignit hac nota: ‘ Femineæ vestes, nexæ sine tegmine plantæ.’ Ut Scaliger emendavit; etsi vetus lectio, *nec insunt tegmina:* ex qua tentabam, *nec in usum tegmina.* Dionem etiam non aliter exaudio, de Caligulæ ludis: *καὶ ἐξῆν καὶ ἀνυποδήτοις βουλομένοις θεάσασθαι, νομιζόμενον μέν που ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου, καὶ δικάζειν τινὰς ἐν τῷ θέρει οὕτως, καὶ πολλάκις καὶ ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου ἐν ταῖς θεριναῖς πανηγύρεσι γενόμενον, ἐκλειφθὲν δὲ ὑπὸ τοῦ Τιβερίου*: id est: *Volentibus etiam discalceatis spectare permissum: quod usitatum olim; ut etiam quidam judicia hoc habitu æstatis tempore exercuerint, et ipse Augustus ita sæpe spectarit æstivos ludos; omissum tamen a Tiberio.* Ubi *ἀνυποδήτους* vere verteris, soleatos aut crepidatos. Quomodo etiam convivia frequentabant Romani, calceis (qui inter forensia censebantur) omissis. In omni ergo remissione, per convivia, per ludos, per otium, Romani soleati. Nota enim Ciceronis increpatio in Verrem, qui in littore soleatus: et in Antonium, qui Gallicis indutus.

L.

Cap. 70. Mos qui publice obtinebat, privatimque. Publice, Livius l. xxxvi. ‘ Consulti feciales M. Acilio Consule, num prius Ætolis renuntianda amicitia esset, quam bellum inferendum.’ L. xliii. ‘ Missi legati Perseo amicitiam renuntiarunt.’ Privatim, infra l. vi. ‘ Morem fuisse majoribus quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere.’ L. iii. ‘ Quamquam non ultra foret sævitum, quam ut amicitia Cæsaris prohiberetur.’ Suetonius Aug. c. 66. ‘ Cornelio Gallo ob ingratum et malevolum animum domo et provinciis suis interdixit.’ Idem in Claris Grammat. de Curtio Nicia: ‘ Pompeium offendit, domoque ei interdictum est.’ Sic Badius Campanus apud Livium xxv. palam omnibus renuntiat hospitium Crispino. Atque hoc est, quod Cicero inimicitias denunciare ait, pro L. Flacco: ‘ Etenim cum a clarissimis viris justissimas inimicitias sæpe cum bene meritis civibus depositas esse vidissem: non sum arbitratus quemquam amicum patriæ novas huic inimicitias nulla accepta injuria denuntia-

turum.' Seneca epist. 77. 'Inimicitias mihi denuntias, si quidquam ex iis quæ cottidie facio, ignoraveris.' Idem, quod indicere inimicitias Seneca l. III. De ira: 'Quid juvat tamquam in æternum genitos iras indicere et brevissimam ætatem dissipare?' Unde inimicitiæ indictæ, ut indictum bellum. Sidonius l. VII. 'Inimicitias indictas honeste exercet, tarde credit, celeriter deponit.' Item inimicitiæ testatæ, quasi quæ litterarum testimonio signatæ: Valerius l. IV. 'Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus dissenserat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio ad graves testatasque inimicitias progressa fuerat.' Nec aliud censeo, cum legimus inimicitias ex professo. Huic aperto mori utinam his moribus locus! Sed ut omnia vitia nostro ævo; sic fraus, simulatio, dolus succrevit, et pessimum amicitiæ venenum blanditiæ fallaces. Novimus nos ejusmodi stelliones, qui amicos quibus arrident mox arrodunt: et quibus nulla spes famæ est, nisi in labe famæ alienæ. Datum est nobis grande 'exemplum præcavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos: sic specie bonarum artium falsos, et amicitiæ fallaces,' ut vere dixit noster vates.

M.

Cap. 75. Quid vocat lætum cultum? Vestemne albam, posita nigra? an aurum et ornamenta, quæ in luctu ponebant feminæ, eoque finito recipiebant? Non tam proclive id statuere, propter veteres scriptores, qui hac in re sententiis diversi. Dionysius l. VIII. nigram vestem feminis attribuit. Γυναῖκες Ῥωμαίων, ἃ νόμος ἐστὶν αὐταῖς ἐπὶ τοῖς ἰδίοις καὶ ἀναγκαίοις ποιεῖν κήδεσιν, ἀποθέμεναι χρυσόν τε καὶ πορφύραν καὶ τὸν ἄλλον κόσμον, μέλασιν ἀμφιασμοῖς χρώμεναι τὸν ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον. Apud Suidam incertus scriptor, de Marcii funere: Καὶ αἱ γυναῖκες ἀποθέμεναι χρυσὸν καὶ τὸν ἄλλον κόσμον, καὶ μέλασιν ἀμφιασμοῖς χρησάμεναι, καὶ πενθήσασαι ἐνιαύσιον χρόνον. Et Varro clare l. III. De vita populi Romani, 'ut dum supra terram esset, ricinis lugerent: funere ipso, ut pullis pallis amictæ.' Ibidem: 'Propinquæ anthracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demisso sequerentur lectum.' Valerius l. I. c. 1. De Cannensi clade: 'Itaque matres ac filiæ conjugesque nuper interfectorum, abstersis lacrimis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem et aris dare thura coactæ sunt.' At alii ecce consensu, albam. Herodianus in funere Severi: Αἱ γυναῖκες λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι σχῆμα παρέχουσι λυπουμένων. Statius in Lacrimis Etrusci: 'Huc vittata comam, nivcoque insignis amictu Mitibus exsequiis ades.' Adsignat, ut vides, niveam vestem, quia mulier. Sed clarissime Plutarchus: Διατὶ λευκὰ φοροῦσιν ἐν τοῖς πένθεσιν αἱ γυναῖκες ἱμάτια, καὶ λευκοὺς κεκρυφάλους; et vide apud eum caussas. Quid statuemus in dissensu tam aperto? pacem; quam facile conficio ex temporum ratione. Variatum scilicet hac in re apud Romanos fuit. Priscis temporibus dum resp. vixit et libertas, nigræ vestes etiam feminis in luctu: id docent ii scriptores, qui omnes consentiunt in narratione moris qui illo ævo. At sub Impp. rep. exstincta, in usum venerunt lugubrium, albæ: docent ii alterius classis testes, qui non id referunt nisi de temporibus secutis. Hoc nisi tenes, numquam erit ut solvas eum nodum. Sed quæ caussa hujus mutationis? Credo, divitiæ et luxus.

Matronis antiquis color albus et niger cogniti: iisque solis, vel præcipuis usæ. At post sericam traductam vestem, et vulgatam Coam; post galbanam, cæruleam, amethystinam, et tot genera reperta colorum, rarus dignioribus feminis albi usus: spretus inquam, (quod ex poëtis facile disces,) contemptusque color albus, adeo ut nota luctus fuerit superbo sexui, eum induisse. Hoc constanter censeo: movet me leviter Appuleii locus l. II. qui inferiori illo ævo, ' matronam flebilem fusca veste contectam' describit, non ut debuit, alba: nec tamen demovet, quia aut priscum ritum in animo habuit, ut solet, Appuleius; aut aliud in provinciis fuit, ubi id gestum; more Græciæ videlicet retento, apud quos feminæ in luctu nigræ.

Add. Pro veste nigra Tibullus clare est, libro III. ' Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa Incincta nigra candida veste legant.' At Livius suspicionem facit, nihil in veste mutatum: sed dumtaxat in muliebri mundo. Valerii certe Tribuni in legem Oppiam verba apud eum sunt, l. XXXIV. ' Mulieres quid aliud in luctu, quam purpuram atque aurum deponunt? quid cum eluxerunt, sumunt?' Nam quod Festus tradidit lugentes in pellibus fuisse, *αἰνιγματῶδες* est. ' Pellem,' inquit, ' habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur. Lugentes quoque diebus luctus in pellibus sunt.' Nihil tale reperio, nisi consentis mihi, magne Festi interpres, (te, Scaliger, appello) ut accipiam de laneis vittis: quas mulieres in luctu sumpsisse e variis scriptorum locis certum. An hoc mavis insititium istud emblema a Paullo esse? qui respexerit scilicet ad Barbaricum morem sui ævi: quo etiamnunc apud nos receptum, pelles extremis oris vestium assui in luctu. Tu nos doce.

N.

Cap. 83. Plinius, ' Scutis qualibus ad Trojam pugnatum est, continebantur imagines: unde et nomen habuere clypeorum, non ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit a Cluendo.' Scuta autem apud Homerum, forma orbis. Livius l. XXV. in cetera præda Hasdrubalis clypeum argenteum repertum ait, cum imagine ipsius. Suetonius Domitiano: ' Senatus adeo lætatus est, ut repleta certatim curia, scalas etiam inferri, clypeosque et imagines ejus coram detrahi, et ibidem solo affligi juberet.' Capitolinus in Antonino: ' Ceteris honoribus refutatis, clypeum Hadriano magnificentissimum posuit, sacerdotes instituit.' Trebellius in Claudio: ' Illi clypeus aureus, vel, ut Grammatici loquuntur, clupeum aureum, Senatus totius judicio in curia collocatum est, ut etiam nunc videtur.' Quod ait Grammaticos malle, clupeum: verum est, et puto in Capro legisse, *Clupeum, imago: Clipeus, ἀσπίς.* Sed et Livius Grammaticis paruit, l. LX. ' Ab his columnis, quæ incommode posita videbantur signa amovit: clypeaque de columnis et signa militaria affixa dempsit.' In monumento prisco: ' huic. decuriones. funus. publicum. statuam. equestrem. clypeum. argenteum. locum. sepulturæ. decreverunt.' Nec tamen semper bi clypei cum effigie: sæpe sine ea, cum nudo nomine ponentis, et cui ponebantur: sive etiam cum ponendi caussa. Philo Judæus egregie, De legat. ad Caium: *Πιλάτος ἦν τῶν ὑπάρχων ἐπίτροπος ἀποδεδειγμένος τῆς Ἰουδαίας. Οὗτος οὐκ ἐπὶ Τιβερίου μᾶλλον, ἢ ἕνεκα τοῦ λυπῆσαι τὸ πλῆθος, ἀνατίθησιν ἐν τοῖς κατὰ τὴν ἱερόπολιν Ἡρώδου βασιλείοις*

ἐπιχρύσους ἀσπίδας, μήτε μορφὴν ἐχούσας μήτε ἄλλο τι τῶν ἀπαγορευομένων, ἔξω τινὸς ἐπιγραφῆς ἀναγκαίας, ἣ δύο ταῦτα ἐμήνυε, τὸν δὲ ἀναθέντα, καὶ ὑπὲρ οὗ ἡ ἀνάθεσις. Nec vero publice solum hos clypeos, sed et privatim sibi quisque ponebat. Plinius, 'Suorum vero Clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit Ap. Claudius, qui Consul cum Servilio fuit, anno urbis CCLIX.' et quæ sequuntur, reperioque exemplum clypei privati in lapide veteri:

NESTORI
AVG. NEPETE
HIC. LVDOS. FECIT
ET. DEDICATIONE
STATVÆ. PATRONI
QVAM. IPSE. POSVIT
ET. CLVPEI. SVI. ITERVM
MVNICIPIBVS. NEPESINIS
EPVLVM. DEDIT.

O.

CAP. 85. Quæ tamen professio irrita facta postea ex nova lege: eleganterque ad hanc rem Papinianus l. x. De adult. 'Mulier quæ evitandæ pœnæ adulterii gratia lenocinium fecit, aut operas suas scenæ locavit, adulterii accusari damnarique Senatusconsulto potest.' Sed apud Ædiles cur ea professio? non apud Censores, aliosve? quia comperior ab antiquo Ædilibus curam fuisse fornicum, popinarum, locorum eorum in quibus Honos non colitur aut Virtus: itemque personarum, quæ sæpius in iis locis, quam in templo Mariano. Ideo Seneca, ut solet, eleganter: 'Invenies voluptatem circa balnea et sudatoria, ac loca Ædilem metuentia:' id est, fornices et popinas. Et illuc alludens Justinus scribit, Dionysium 'apud Ædiles adversus lenones jurgari' solitum, lib. XXI. Itaque Ædilibus curæ nosse publica scorta, habere ea in tabulis, ut sic dicam, et albo: et si quam vulgantem se, extra eum numerum nacti, multabant. Livius lib. x. 'Eo anno Q. Fabius Gurges Consulis filius [is autem tunc Ædilis] aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multavit.' Nec pecunia solum, sed et exsilio. Idem lib. XXV. 'Villius Tappulus et M. Fundanius Ædiles plebei aliquot matronas apud populum probri accusarunt: quasdam ex eis damnatas in exsilium egerunt.' Deducebantque iidem in judicium etiam hoc crimine viros, ut in Livio libro VIII. 'Data a M. Flavio visceratio: erant qui per speciem honorandæ parentis meritam mercedem populo solutam interpretarentur, quod eum die dicta ab Ædilibus crimine stupratæ matrisfamilias absolvisset.' Pertinere ad hanc rem Laberii versum puto, ut ego eum restituo apud Agellium lib. XVI. 'Cocionem pervulgate dicit, quem veteres Arilatorem dixerunt. Verba Laberii hæc sunt: Duas uxores, hoc hercle plus negotii est, inquit Cocio, sex Ædiles viderat.' Scribo. *Duas uxores? hoc hercle plus negotii est, inquit Cocio: sed Ædiles viderint.* Non alia Laberii scriptio aut mens. Duasne uxores ille habet? inquit: hercle satis negotiosum negotium homini, ut ait Cocio: verum id Ædiles viderint, quorum hæc

cura. Dixi ejusmodi infames feminas cessisse dignitate matronali, etiam ornamentis. De dignitate, liquet ex Suetonio : de ornamentis, ex Turtulliano, De cultu : ' Quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ : quas si quæ leges a matronis et matronalibus decoramentis coërcebant, jam eerte sæculi improbitas honestissimis quibusque feminis usque ad errorem dinoscendi coæquavit.' Censco autem posuisse eas institam, stolam, vittas ; imo sumpsisse meretriciam togam. Inducor a Juvenali : ' Carfinia talem Non sumet damnata togam :' qui de matrona aliqua stupri damnata sentire videtur, cui ex more sumenda toga. De ea satis dictum aliis, et præsertim M. Antonio Mureto : cujus doctrina, judicium, facundia, semper mihi magna. Unum addo, manasse videri morem eum ab Atheniensibus : apud quos scorta pariter veste a matrona discreta : idque ex lege. Suidas : *νόμος Ἀθηνῇσι, τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν.*

P.

Cap. 87. Tamen reperio Augusti ævo et infra, a liberis patres appellatos Dominos : et a fratribus blandientibus fratres. Quod tamen Augustus in sua domo vetuit. Suetonius : ' Dominum appellari se nec a liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel joco passus est : atque hujusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.' Tangit ecce utrumque morem, et vellem id interpretes monuissent. Quod patres, domini : etiam ex Diadumeni Cæsaris epistola cognosco, ad matrem : ' Dominus noster et Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos servat.' Et elare ex illo Martialis : ' E servo scis te genitum, blandeque fateris, Cum dominum appellas Sosibiane patrem.' Quod fratres sic dicti : locus elegans Senecæ, epist. cv. ' Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrim habere cœpisset, confestim navim conscendit : clamitans non corporis esse, sed loci morbum :' nam loquitur de fratre Junio Gallione. Itemque conjuges inter se eo nomine usi. Virgil. ' dominum Ænean in regna recepi.' Sueton. Claudio : ' Occisa Messallina, paullo postquam in triclinio decubuit, eur domina non veniret requisivit.' Virgil. ' dominam Ditis thalamo deducere adorti :' ubi Servius : ' De Græco tractum est, qui uxorem *δέσποιναν* dicunt.' Apud Jurisconsultos De Legat. ' Peto abs te domina uxor.' Epictetus : *Αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται.* Uti et adversum amicas, passim in poëtis. Sed et obvios vulgo, Dominos vocabant. Idem Seneca : ' Quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus.' Lusit elcganter in eo more poëta Græcus in Anthologia : *Ἦν ὁ φίλος τί λάβῃ, Δόμινε Φράτερ, εὐθὺς ἔγραψεν· Ἦν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ Φράτερ εἶπε μόνον. Ὦνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα· αὐτὰρ ἔγωγε Οὐκ ἐθέλω Δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.*

2285